




708

708-XII  
2

2.118







# PRIVILEGE DV ROY.

**P**O V Y S par la grace de Dieu, Roy de France & de Navarre, à Nos Amez & feaux Conseillers, les Gens tenans nos Cours de Parlements, Maistres des Requestes ordinaires de nostre Hostel, Baillijs, Seneschaux, Preuosts, leurs Lieutenants, & à tous autres de nos Iusticiers & Officiers qu'il appartiendra, Salut: Nostre cher & bien Amé JEAN ANTOINE HUGVETAN, le fils, Marchand Libraire à Lyon, Nous a fait remonstrer qu'il desireroit imprimer les *Oeuvres d'Albert le Grand*, ce qu'il ne peut faire sans grand frais, desquels il craindroit d'estre frustré s'il n'auoit Nos lettres sur ce necessaires, lesquelles il nous a tres humblement suppliés de luy accorder. A CES CAUSES, Nous auons permis & permettons par ces presentes, à l'Exposant d'imprimer ou faire imprimer, vendre & debiter en tous les lieux de nostre obeissance ledit liure, en vn ou plusieurs Volumes, en telles marques, en tel Caractaire, & autant de fois qu'il voudra durant vingt ans entiers & accomplis, à compter du iour que chaque Volume seraacheué d'imprimer pour la premiere fois: & faisons tres expresses defences à toutes personnes de quelle qualité & condition qu'elles soyent de l'imprimer, faire imprimer, vendre ny debiter en aucun lieu de nostre obeissance soubs pretexte d'augmentation, correction, changement de tiltre, fausses marques ou autrement, en quelque sorte & maniere que ce soit, sans le consentement de l'Exposant ou de ceux qui auront droit de luy, à peine de quinze mille liures d'amande, payables par chacun des Contrevenans, & applicables vn tiers à Nous, vn tiers à l'Hostel Dieu de Paris, & l'autre tiers audit Exposant, de confiscation des Exemplaires contrefaict, & de tous depens dommages & interests, à condition qu'il sera mis deux Exemplaires dudit Liure en nostre Bibliotheque publique, & vn à celle de nostre tres-cher & Feal le Sieur Seguier Cheualier, Chancelier de France, auant que l'exposer en vente à peine de nullités des presentes. Du contenu desquelles Nous voulons que vous fassiez ioüir plainement & paisiblement l'Exposant, ou ceux qui auront son droit, empeschant qu'il ne leur soit donné aucun empeschement, Voulons aussi qu'en mettant au commencement ou à la fin de chasque Volume dudit Liure, vn Extraict des presentes, elles soient tenuës pour duëment signifiées, & que foy y soit adioustée & aux coppies, collationnées par lvn de nos Amez & feaux Conseillers & Secretaires, comme à l'Original. Mandons au premier Nostre Huissier ou Sergent sur ce requis, de faire pour l'execution d'icelles tous exploits necessaires

necessaires sans demander autre permission. CARTEL EST NOSTRE  
PLAISIR, nonobstant Clameur de Haro, Chartre Normande, & au-  
tres lettres à ce contraires. Donné à Paris le neuvième iour de Nouembre,  
l'an de grace mil six cens quarante-quatre, & de nostre Regne le second.

Signé par le Roy en son Conseil.

CONRART.

Ledit Huguetan a associé au susdit Priuilege Claude Proft, Pierre & Claude Rigad,  
Freres, & Hierosme de la Garde, pour en iouyr avec luy durant le temps portz  
par iceluy, conformément à leur Scrit du 7. Fevrier 1644.

Acheué d'imprimer pour la premiere fois le 26. d'Aoust 1650.



D.ALBERTI



# DE DOMINICIS IN VNO TRIA.

- I. SYNOPSIS Sermonum,
- II. INDEX Rerum, & simul
- III. ELVCI DATI O partita Euangeliorum.



DOMINICA I. ADVENT. *Ecce Rex tuus.* Matth. 21. Rex adueniens est Christus, tum incarnatus, tum ascendens. 2. Filia autem Sion est anima Christiana, Dei obediens mandatis. 3. Ille venit in asina carnis, peccatis onusta nostris. 4. Ut saluet animam, quæ perfecti fuerit timoris.

DOMIN. II. ADVENT. *Erunt signa in sole.* Luc. 21. Sol est Christus, cuius passione quanta signa? Itemque in Luna Deipara compatiens? In stellis Apostolis? In terra mulieribus piis? 2. Tunc redemptus homo est ab iniquitatibus Adæ veteris, per sex illa in Christo paciente contraria.

DOMIN. III. ADVENT. *Tu es, qui venturus es.* Matth. 11. Dominus veniens per gratiam in hominem, pellit cæcitatatem superbiæ, claudicationem avaritiae, lepram quadruplicem luxuriæ, surditatem vanæ lœtitiae, mortem desperationis, paupertatem bonorum operum. 2. Inferit Constantiam, solidamque virtutem mortificationem sui: memoriam venturi iudicij: consolationem Dei.

DOMIN. IV. ADVENT. *Medius vestrum stetit.* Ioan. 1. Ast idem 1. iacuit in medio animalium. 2. Sedit in medio Doctorum. 3. Peperit in medio latronum. 4. Stetit in medio Discipulorum. 5. Ambulat in medio candelabrorum. 2. Idem quoque sedebit in iudicio medius electorum & reprobatorum. 3. Cuius in calceamento humanitatis est substantia Diuinitatis.

IN NATIVITATE DOMINI. *Ecce Euangelizo vobis.* Luc. 2. Euangelus, & forte Gabriel, nuncium tulit. 2. Pastoribus peruvigilantibus, pro grege sollicitis, iustis: vt eorum similes esse nitamus. 3. Gaudendum vero ob quinque in nunciato: quod sit Salvator, Christus, Dominus, Natus, Dauid. 4. Qui fui dignum ostendit quintuplex, Taciturnitatis, Paupertatis, Puritatis, Humilitatis, & Charitatis.

IN EADEM NATIVIT. *Verbum caro factum est.* Ioan. 1. Et idem est Verum bonum abique omni amaritudine, cum omni sufficientia, & æternitate. Quæ tria cum absint à bonis mundi, vera esse nequeunt. 2. Est autem *Verbum caro factum*, vt ad iustitiam renuncemur: vt à peccatis lauemur; vt ab eo cibemur, vt in iudicio resuscitemur, vt in cœlis

glorificemur, 3. *Habitat vero in nobis* per Fidei sinceritatem, per corporis animæ puritatem, per charitatem, per humilitatem, & per timorem.

ITEM 2. *Consummati sunt dies octo.* Luc. 1. Circumcidenda in nobis sunt cor, oculus, auris, lingua, & manus.

ITEM 2. Consummari debent in nobis dies octo, vt nomen Iesu nobis imponatur. Nimirum dies solis seu pacis cum Christo. *Dies lunaris defectus in vita breuitate, corporis fragilitate, rerum instabilitate, & amicorum paucitate.* *Dies Mauortiae pugnæ cum diabolo.* *Dies negotiationis mercurialis.* *Dies Iouialis iudicij horrendi.* *Dies amicitia fidæ.* *Dies Sabatinæ requietis.* *Dies resurrectionis gloriosæ.*

ITEM 3. *Vocatum est nomen eius Iesus.* Luc. 1. Id est, *Iustissimus* in mandatis, iudiciis, præmiis, vt similis iustitiae simus æmulatores. *Honestissimus* corde, ore, opere. *Elegantissimus* Fide, & opere. *Sapientissimus*, vt in quo viuimus, habitamus, nosque pascimus. *Veracissimus*, vt in quo gratia Dei inuenitur, homo custoditur, ad gloriam peruenitur. *Sauvissimus* in sperantibus, credentibus, ipsum amantibus, & bene operantibus. Simus ergo suaves corde, ore, opere.

DOMIN. INFRA OCT. NATIVIT. *Ecce positus est hic in ruinam.* Luc. 2. In ruinam Idolorum Ægypti, aut mundi, quæ sunt superbia, avaritia, luxuria, gula. 2. In resurrectionem à septem peccatis mortalibus. 3. In que signum paupertatis, humilitatis, acerbatis.

ITEM. *Animam pertransibit gladius.* Luc. 2. Gladius Dominicæ Passionis, dilectionis, contritionis, Mortis corporalis, sententia iudicialis, pœnæ gehennalis.

IN EPIPHANIA. *Intrantes domum.* Matth. 2. Cum muneribus adueniunt, Reges, quibus aduenit regnum Dei: Sapientes, qui animæ prouident. Fideles saluti suæ: Humiles iussis Dei parentes: Misericordes in egentes. 2. Stella Dei est gratia dux saluandorum in gloriam. 5. Domus intranda est sedes beatorum.

ITEM. *Obtulerunt procidentes.* Matth. 2. Munera obtulerunt, quæ natum docerent esse Regum, Deum, hominem. Myrrha passionem denotat: Thus reconciliationem,

á Aurum

# Synopsis Sermonum,

Aurum gloriam: Nam gloria nostra Christus est, & reconciliatio idem. 2. Et nos offertre conuenit myrrheam vitæ asperitatem: Thuream deuotionem, in qua bis sena insunt gaudia: Aureamque charitatem, quærendam in Domini Infantia, Passione, Glorificatione. 31

DOM. I. POST EPIPH. *Inuenerunt Iesum in templo.* Luc. 2. Iesus, si quisquam, pacem amauit absque odio cordis, iaculo oris, damno operis. 2. Templa potius, quam theatra frequentauit. 3. Doctores auscultauit. 4. Spiritalia præ temporalibus amauit. 5. Se humiliauit. 6. Puritate efflouuit. 7. Parentibus obsecundauit. 8. Ætate & gratia iuxta profecit. 34

DE OCTAVA EPIPH. *Hic est Filius meus dilectus.* Matth. 3. Quæ septem in Baptismo Christi concurretuni, eadem ad nostram adsint expiationem oportet. 1. Relinquenda Galilæa peccati. 2. Adeundus Iordanis per Contritionem. 3. Ineundus Iordanis per Confessionem. 4. Excendus idem per satisfactionem. 5. Adorandus Dominus per deuotionem. 6. Referandum cœlum per eleemosynarum elargitionem. 7. Sedes danda columbae per pacem. 36

DOM. II. POST EPIPH. *Nuptiae in Cana.* Ioann. 2. Haæ sunt nuptiae Agni cum Ecclesiâ. 2. Tertia dies est gloriæ, cum secunda sit gratiæ, prima iræ. 3. Hydriæ vero sex sunt Innocentes bimetrica, nec faciæ miserum alium, nec deferens. Iustitia trimetrica, reddens Deo, sibi, proximo quod suum. Obedientia bimetrica, offerens se, & sua. Patientia, Penitentia bimetrica, dolens de commissis, & omissis. Charitas trimetrica, sustinens paupertatem, contemptum, mortem. 4. Harum aqua hic purgat: at vinum facta sub finem vitæ lœticat. 38

DOM. III. POST EPIPH. *Leprosus adorabat.* Matth. 8. Christus de cœlo descendit, vt nos saluaret. 2. Ut tolleret lepræ sordidem, deformitatem, fœtorem, & rauim, lepræque species quatuor. 3. Ideoque occurrant leprosi precabundi, quantumvis laceri innocentia vestibus, caput nudi à corona gloriæ, ore obstruti ad laudes Dei: se esse sordidos vociferantes, & separatos à castris communionis. 4. Sanabuntur autem si manu Domini contingantur contritionis immisæ, si ostenderint se sacerdoti per confessionem, si offerant satisfactionem. 41

DOM. IV. POST EPIPH. *Domine salua nos.* Matth. 8. Iesus est Saluator. 2. Quem sequuntur in nauim Ecclesiæ, multi nomine, re pauci. 3. Saluatoris autem sunt indigi, qui iactantur fluctibus vitiorum. 43

ITEM. *Salua nos.* Matth. 8. Saluatoris agent famelici iustitiae, infirmi ab amissa gratia: Oppressi ab hostibus Mammona, Baalim & Astoroth, Deuiantes, Corruptique igne Core. 2. Saluabuntur vero 12. genera hominum. 45

DOM. V. POST EPIPH. *Seminans bonum semen.* Matth. 13. Seminator est Iesus. 2. Semen sunt Christiani. 3. Mælis dies iudicij. 4. Ignis est inferni, & horreum cœlum. 47

DOM. SEPTVAG. *Voca operarios.* Matth. 20. Serò ad diem iudicij. 2. Vocat Dominus vi-

neæ Ecclesiæ. 3. Per Procuratorem Christum 4. Operarios ad denarium gloriæ. 49

DOM. SEXAG. *Exit , qui seminat.* Luc. 8. Sator est Pater, Filius, Homo bonus, Peccator, Diabolus, Mors. 50

DOM. QVINQ. *Cæcus reluminatur.* Matth. 18. Hoc est, stat in cruce Iesus. 2. Adducitur ei per timorem & amorem. 3. Peccator, qui cæcus est per cupiditatem, iactantiam, luxuriam, iracundiam, vanam lætitiam, & philantium. 51

DE CINERV. *Conuertimini ad me.* Ioel. 2. Conuersio triplex est, simplex, religiosorum: per accidens, hypocritarum: per compositionem, peccatorum. Ad quam nos monet, approximatio mortis, consideratio benignitatis Dei, & recordatio Passionis Dominicæ. 2. Modus conuersionis est in ieunio corporali, & spirituali. Vis utriusque per magna est. In fletu pro omissis, commissis alienis, &c. Cum scissis cordibus per Confessionem. 52

ITEM. *Eoce nunc tempus acceptabile.* 2. Corinth. 3. Nimurum ad tria, ad agenda bona, mala deponenda, malosque fugiendos. Item ad medicinam amaram acceptandam, deglutendum opertam, & dietam seruandam. 2. Idqñ Nunc, ob temporis breuitatem, lucri magnitudinem, & monitorum multitudinem. 55

DOM. I. QVADR. *Ductus Iesus in.* Matth. 4. Ita & Christianus. 2. in mundo. 3. expellitur spiritu, vt tentetur à dæmone per gulam, avaritiam & superbiam. 4. Remuneraretur vero per Angelos. 56

DOM. I. QVADR. *Cum ieunasset, esurit.* Matth. 4. Inuitat nos ad Ieiunium ob occasionem, eruditionem, utilitatem expultricem dæmonis, reconciliatricem Dei. 2. Esuriit reputatiue in pauperibus, nuncupatiue in peccatoribus, affectiue in piis animabus. 58

IN EADEM. *Hac est voluntas Dei, sanctificatio vestra.* 1. Theff. 4. Ut à peccato sanctificemur, in bono excitemur, in utroque confirmemur, in cœlo glorificemur. 59

DOM. II. QVADR. *Filia mea male.* Matth. 15. Chananaæ est anima peccatoris. 2. Huius filia est conscientia. 3. Christus filius Dauid. 4. Eius ptoin est misereri Saulis arreptiti, quem cytharae cantu recreabat: at genus humanum septem verbis in Cruce distentus. 60

DOM. III. QVADR. *Erat eiiciens demonium.* Luc. 11. Immundus spiritus est diabolus. 2. Hic abit per religiosos, vbi nulla ei requies. 3. Ergo reuertit ad animam baptizati. 4. Et assumit septem secum, scilicet iactantiam de peccato, iuramentum id se non patrasse, id alteri imponere, Deum culpare de peccato, id extenuare, impugnare eius hostes, respuerre preces pro se. 62

DOM. IV. QVADR. *De quinque panibus.* Ioan. 6. Christiana gens his saturatur. 2. Sunt autem isti, Satisfactione, Verbum Dei, Mortis recordatio, Sanctorum imitatio, Synaxis. 3. Cophini autem 12. sunt gaudia 12. de panibus. 63

DOM. V. QVADR. *Abraham exultauit.* Ioan. 8. Vedit spiritu diem Incarnationis, & Æternitatis. 2. Tunc, cum obediret ad immolandum

# & Index rerum.

landum filium. 3. Ideo par est, vt amore Passi. caueamus peccata : Ei gratias agamus, & ope-  
re gratiam reponamus. 65

**DOM. PALMAR.** *Adduxerunt pullum.* Matt.  
21. Misericordia & veritas. 2. adduxerunt Ies-  
sum ad Crucem. 3. Cui infestuntur fructus  
redemptionis, & 4. Substernuntur corpora  
Martyrum, Confessorum, Virginum, &c. 5.  
Itemque frondes eleemosynarum. 66

**IN COENA DOMINI.** *Vocatis me Magi-  
ster.* Ioan. 1. 3. Quia docet exemplo humilita-  
tis, Paschate charitatis, & Vocatione utilita-  
tis, vt operetur, meditetur, coronetur. 67

**DOM. PASCHATIS.** *Pascha nostrum immol.*  
1. Corinth. 5. Quæ illa quindecim in esu Agni  
obseruanda. 68

**IN EADEM.** *Surrexit.* Marc. 16. Quæritur  
Iesus Nazarenus, vt quærens sit similis, nec  
sit in eo nouacula doli, nec ebriositas, nec  
fornicatio, nec commercium cum improbis,  
aut cum detractoribus. 2. Quærant autem tres  
potentiae animæ. 3. Conferantque aromata  
castitatis, humilitatis, charitatis. 4. Et inuen-  
nient eum in Galilæa cœlesti. 70

**DOM. I. POST PASCH.** *Quia vidisti me Tho-  
ma.* Ioan. 20. Credere oportet, Dominum mor-  
tuum & surrexisse, claves Ecclesiæ dedisse di-  
scipulis : Te quoque moriturum, Et indican-  
dum, Impios damnandos, Pios coronandos  
fore. 71

**DOM. II. POST PASCH.** *Ego sum pastor  
bonus.* Ioan. 16. Quia fortis, sapiens, vigil, be-  
nignus est. 2. Oves sunt Christiani discreti,  
grati, mundi, obedientes, simplices, mites, vti-  
les, gregales in æstu temptationis. 3. Pascuntur  
in monte Dei, riuis ibidem, &c. 72

**DOM. III. POST PASCH.** *Iterum video vos.*  
Ioann. 16. Eos scil. qui iam plorant, ob bono-  
rum omissionem, & malorum commissionem,  
maxime ob fidem corruptam, falsa iuramenta,  
vindictas, pauperum oppressionem, gulam &  
luxuriam, &c. 74

**DOM. IV. POST PASCH.** *Arguet mundum.*  
Ioan. 16. Paracletus est Aduocatus reorum,  
Consolator mæstorum, Redargutor obstina-  
torum. 2. De peccato infidelitatis, De iustitia,  
qua debemus corpori continentiam, proximo  
fuum, Deo, qua Dei sunt. De iudicio, quod  
non fuit timori. 75

**DOM. V. POST PASCH.** *Exihi à patre.*  
Ioan. 16. Venit, vt nos doceret, qui viueremus,  
& redimeret. Docuit iustitiam, æquitatem,  
pietatem. Ergo obstringimur ad eum reuerti-  
pœnitentes, & gratias agere. 2. Rediit ad Pa-  
trem, vt mansiones pararet piis, vtque pro  
redemptis vulnera sua Patri exhiberet. 77

**IN ROGATIONIBVS.** *Petite, & dabitur.*  
Matth. 7. Petendum à Deo. 2. Corde, ore, ope-  
re. 3. Et ea, quæ docentur in Oratione Domini-  
nica, quæ explicatur. 4. At vero in tempore  
placito. 78

**IN LITANIIS.** *Quarite, & inuenietis.* Matt.  
7. Saluatorem. 2. In præsepio, in Cruce, do-  
centem ignoscere, dare egenis, parentes cu-  
rare, inuocare Deum in rebus arctis, aspirare  
ad cœlestia, bono fine consummare, animam  
Deo commendare. 3. Quærите in tempore.  
79

**IN LITANIIS.** *Pulsate, & aperietur vobis.*  
Marth. 7. Pulsandum cœlum. 2. Manu pœni-  
tentia: Cuius digitæ sunt Contritio, Confes-  
sio, Eleemosyna, Mortificatio, Oratio. 3. Pul-  
sandum est temporis. 80

**IN ASCENS.** *Affupius est in cœlum.* Marc.  
vlt. Ut nobis iter panderet: E limbo educeret  
animas, Interpellaret pro nobis, Naturam hu-  
manam exaltaret, mansiones nobis pararet,  
Corda nostra attraheret. 2. Ut sedeat ad dexte-  
ram Patris. 81

**IN EADEM.** *Ascendit.* Marc. vlt. Ut ostend-  
deret sigilla 7. referata, partimque referanda  
esse, scil. Incarnationis, Passionis, S. Spiritus  
missionis, nostræ Mortificationis, Mortis, Iu-  
dicij, Glorie. 83

**IN EADEM.** *Ita veniet.* Act. 1. In tubæ sono,  
cum nube, Discipulorum exultatione, cum  
benedictione, manuum eleuatione, cum cicat-  
ricibus vulnerum. 84

**DOM. POST ASCENS.** *Cum veneris Paracl-  
etus.* Ioan. 16. Largietur præmia: vincenti gu-  
lam, lignum vitæ dabitur: inuidiam, immorta-  
litas: Iram, claritas mira: Acediam, potestas su-  
per gentes: Luxuriam, vestis candida: Auari-  
am, æterna stabilitas: Superbiæ, exaltatio.  
85

**IN PENTECOSTE.** *Docebit vos omnia.*  
Ioann. 14. Docet inspirando, suggesto pro-  
mittendo. Adque viam arctam, portam an-  
gustum, & Petram nos ire monet. Arcta via  
est restringere cogitationes luxuriosas, lin-  
guam, carnem, mala pati, delectabilia fu-  
gere. Hæc ducit ad veram societatem, volu-  
ptatem, proprietatem, æternitatem. Contraria  
via lata. 86

**IN EADEM.** Porta intranda dicitur angu-  
sta, quia nequit iniri cum onere oblati, cum  
odij, cum fordibus vestium, cum elata ceruice,  
sine signo Dei. 2. Domus nostra supra pe-  
tram construenda est. 88

**FERIA II. PENT.** *Sic Deus dilexit.* Ioan. 3.  
Dedit filium Deus, vt nos liberaret à dæmons,  
Illuminaret doctrinis, formaret exemplis. 2.  
Tunc in eum credis, si diligis. Sicque vitam  
æternam habebis. 4. Sin, peribis aquæ sub-  
mersione, ignis combustione, morborum op-  
pressione. 89

**FERIA III PENT.** *Ego sum ostium.* Ioan. 10.  
Quia per Filium venitur ad Patrem. 2. Ostia-  
rius est S. Spiritus. 3. Intrant iusti, veraces,  
lardi, &c. 4. Alij exclusissimi sunt. 5. Ibi gau-  
diorum sunt pascua beata. 90

**FERIA IV. PENT.** *Nemo ascendet.* Ioan. 5.  
Ascendit item, qui trahitur à Patre funiculo  
potentiae, Sapientiae à Filio, Charitatis à San-  
cto Spiritu. 91

**DOM. I. POST TRIN.** *De Epulone.* Luc. 16.  
Sinus Abrahæ est Dei Patris. 2. Epulonis au-  
tem qualis fuit felicitas, erat iniquitas, est  
infelicitas. Lazari mala hic, virtus, præmia  
isthic qualia? 93

**DOM. II. POST. TRIN.** *De Cœna magna.*  
Luc. 14. Hanc fecit Filius Dei. 2. Ipsaque  
est cœlestis gloria: Magna ob Domini mini-  
stros, Coniuas, fercula, locum, tempus.  
3. Hora eius vita est præsens. 4. Seruus ipsius  
Ordo est Prædicatorum. 5. Cenatores sunt  
Paupe

# Synopsis Sermonum,

Pauperes, debiles, cæci, claudi. 6. Incenati sunt superbi, auari, luxuriosi. 94

DOM. III. POST TRIN. *Inueni ouem.* Luc. 15. Centum oues numerus est electorum Pastor obsequentium, inhærentium, voce eius gaudentium. 2. Drachma sunt iidem, obmateriam, patientiam & charitatem: ob formam, spem præmij: ob pondus, timorem Domini: ob imaginem misericordiae, & iustitiae. 3. Qui perdidit ouem, Christus est. 4 Cui inuentori eius congaudent Angeli vicini. 96

DOM. IV. POST TRIN. *Estate misericordes.* Luc. 6. Dei multa misericordia est. 2. Imitare operibus misericordiae XIV. 3. Recipiesque mensuram parem. 4. Qui fecus, luet. 97

DOM. V. POST TRIN. *Docebat de nauicula.* Luc. 5. Hæc est B. Virgo Maria, Crux, Ecclesia, Anima. 2. Doctrina est de honestate, disciplina, scientia. 28

DOM. VI. POST TRIN. *Si offers munus.* Matth. 5. Altare est Filius Dei. 2. Munus est à corde, ore, ac manu. A corde, intentio, deuotio, compassio. Ab ore, oratio, gratiarum actio, consolatio. A manu, Maceratio corporis, Decimorum oblacio, Eleemosynarum elargitio. 3. Reconciliatione cum fratre cuilibet praæcepta est. 100

DOM. VII. POST TRIN. *De septem pani bus.* Marc. 8. Hi sunt septem dona Spiritus. 2. Sportæ 7. sunt 7. dotes animæ & corporis. 101

DOM. VIII. POST TRIN. *Omnis arbor.* Matth. 7. Arbor homo, bonus bona, malus mala. 2. Fruetus utriusque 12. numerantur. 3. Finis diuersus. 103

DOM. IX. POST TRIN. *De villico.* Luc. 16. Dives is est Dei filius. 2. Villicus vero qui quis homo. 3. Hic ad rationes vocatur, cum metus damnationis ei iniicitur. 4. Reddenda autem est ratio de his, quæ intra nos, vt de tribus animæ potentiis, scientia, lingua, labore, quæque infra, vt terra: quæque supra, vt aere, cælo, &c. quæque circa, vt de temporalibus. 2. S. Index propitiatur per misericordiam, & pœnitentiam. 105

DOM. X. POST TRIN. *Fleuit super eam.* Luc. 19. Mundus ea ciuitas est flebilis. 2. ob malitiam principum, discordiam ciuium, penitiam vietualium, debilitatem mœniorum, fortitudinem impugnantium, virbis euastionem. 106

DOM. XI. POST TRIN. *Publicanus à longe.* Luc. 18. Necessaria ad pœnitentiam sunt sex. Agnitio diuinæ seueritatis. 2. propriæ fragilitatis, dolor admissæ iniquitatis, sinceritas Confessionis, strenuitas satisfactionis, instantia orationis. 108

DOM. XII. POST TRIN. *Surdus & mutus.* Marc. 7. Is quilibet peccator est. 2. Huic curando opus abducere à turba occasione peccati: Digitos Dei auribus immitti, id est, iudicij horror: Sputo tangi, id est, vtilitate damnationis moueri: Cœlum suspicere attendendo Dei longanimitatem. 109

DOM. XIII. POST TRIN. *Lapsus in latrones.* Luc. 10. Quis? Christianus. 2. descendens à cœlestibus posthabitis ad terrena. 3. Incidit

in dæmones, qui despoliant virtutibus, vulnerant peccatis, abeunt. 4. At Dei filius custos hominum miseretur, appropinquat homo factus, Contritionis vinum infundit & oleum consolationis, alligat vulnera per satisfactionem, cruci suæ nos imponit, inque stabulo Ecclesia deponit. 111

DOM. XIV. POST TRIN. *Decem leprosi.* Luc. 17. Castellum mundus init Deus incarnatus. 2. vt sanet peccatorem Decalogi, qui explicatur. 3. Sed opus, vt hic ei occurrat per fidem, stet à longe humilis, clamet orans, se ostendat sacerdoti, munusque offerat satisfactionis. 112

DOM. XV. POST TRIN. *Nema potest duobus.* Matth. 6. Christus adorandus est. 2. Daemonis seruitum fugiendum. 3. Deo seruitur sanctitate, æquitate, pietate, & castitate. 4. Quia sumus servi redempti, remunerandi, obligati promisso, & beneficio quotidiano. 114

DOM. XVI. POST TRIN. *Ibat in ciuitatem Nain.* Luc. 7. Id est, in mundum fluctuantem. 2. Ecce peccator notiorius efferebatur per superbiam, iram, auaritiam, & luxuriam. 3. Sequentia Ecclesia flente. 5. Is excitatur autem, Iesu tangente conscientiam, peccatore desistente à peccatis: Iesu gratiam dante, vt resurgat, & peccatore per spem se erigente. 115

DOM. XVII. POST TRIN. *Hydropicus.* Luc. 14. Domus est Ecclesia, princeps Phariseorum B. Virgo Maria, Desiderium manducandi in Christo est de peccatore conuertendo. 2. Qui hydropicus est, per superbiam, inuidiam, iram, gulam, auaritiam, luxuriam, acediam. 3. Ut curetur, opus est, appareat Domino aspiciens misericorditer, prehendatur manu misericordiae & iustitiae, utraque pentadactyla. 117

DOM. XVIII. POST TRIN. *Diliges Domum.* Matth. 22. Dilige ex roto. 2. ob imaginem in te sui, ob redemptionem tui, dissimulationem peccatorum tuorum, promissionem regni. 3. Signum dilectionis esto tibi mandatorum obseruatio, beneficentia in egentes, securitas de iudicio. 4. Amans vero redabitur, glorificabitur, à Deo inhabitabitur. 118

DOM. XIX. POST TRIN. *Offerebant paralyticum.* Id est, peccatorem in superbia, auaritia, gula, luxuria, acedia. 2. Offerentes eum sunt misericordia Dei, & preces iustorum. 3. Ei curando opus remitti peccata, surgere à terrenis, tollere corpus exercitio pio, ire domum ad cœlestia anhelando. 120

DOM. XX. POST TRIN. *Fecit nuptias filio.* Matth. 22. Deus Pater. 2. Filium desponsauit Ecclesiæ. 3. Excluduntur vero ab huius nuptiis Iudæi & haeretici, qui nolunt: superbii, qui temnunt: auari, qui postponunt: Luxuriosi, qui alios retardant. 4. Veniunt, memores exitus sui & iudicij. 5. At male malis! 121

DOM. XXI. POST TRIN. *Descende prius quam.* Ioann. 4. Regulus homo quilibet est. 2. Filius eius anima, quæ in agro abundantia infirmatur, pro qua homo Deum precatur. 3. Cui sananda septem Horis opus est. 122

DOM.

# & Index rerum.

DOMIN. XXII. POST TRINIT. *Rationes cum servis.* Matth. 18. Homo Rex est Christus. 2. Examinat cuiusque merita. 3. Debitor autem Decalogi, (qui explicatur) tenebitur. 4. Dum aut soluerit, aut deprecatus fuerit. 124

DOM. XXIII. POST TRIN. *Magister scimus.* Matth. 22. Magister est Iesus, quia docet nos per se, Angelos, prædicatores, creaturas. 2. Et is verax est, quia afferit, quod regnum cœli

intrabit tantum humilis, pauper, & mundus:  
3. Quia docet viam iustitiae. 4. Nec respicit personas. 125

DOM. XIV. POST PENT. *Panes quinque hordeacei.* Marc. 6. Puer est Christus. 2. Panes sunt Christi incarnatione, peregrinatio, prædicatio, Oratio, Passio. Pisces sunt resurrectio & ascensio. 3. Hominum 5000. sunt sensus humani. 4. Cophini duodecim sunt gaudia duodecim cœlestia.





# DE FESTIS SANCTORVM IN VNO TRIA.

- I. E L E N C H V S Sermonum,
- II. I N D E X Reium, & simul,
- III. E L V C I D A T I O partita Euangeliorum.

**D**E S. ANDREA. *Venite post me.* Matth. 4. Vocat à tribus, quæ hi reliquerunt : Ab vxoribus luxuriæ : ab reti auaritiae : ab naui superbiæ. 2. Per suam pauperratem, humilitatem, Passionem. 3. Ad Dei seruitium, proximi auxilium, nostri custodiam. 4. Ergo sequamur ob dignitatem, vberatem, claritatem. 153

DE S. NICOLAO. *Beati serui quos.* Luc. 22. Deo seruendum. 2. à Christianis corde, ore, opere, &c. 3. Idque vigilanter in iugi memoria Dei. 4. At dormiunt superbi, auari, luxuriosi, & de vita longiori præsumptuosi. 4. Vigilantibus promissa fauent cœlestia. 154

DE S. THOMA APOST. *Infer digitum.* Ioan. 20. Indicium hoc est Passionis Dominicæ pergrauis. 2. & resurrectionis veræ. 3. & dignitatis Christianæ: vt compatiamur, innouemur, & digne conuersemur, ad natum Iesum animis excipiendum in Synaxi: quo hæc requiruntur: Contritio, Confessio, Eleemosyna, Ieiunium, Pax intus forisque, cordis oblatione. 157

DE S. STEPHANO. *Video cælos apertos.* Act. 7. Coronam meritus meretur, & cælos videre apertos. 2. Id est, nouem ordines Sanctorum. 159

DE S. IOANNE EVANG. *Petrus vidit discipulum.* Ioan. 21. Discipulus, quia condidicit lectionem Virginitatis, humilitatis, charitatis, lenitatis. 2. Dilectus Domino specialius inde liquet, quia in eo recubuit, Matrem accepit in sua, secretiora sciuit. 3. Secutus vero Dominum est in vocatione, Passione, Resurrectione. 4. Recepit æternam vitam, lucem, potentiam iudicialem. 162

DE SS. INNOCENTIBVS. *Vidi, & ecce Agnus.* Apoc. 14. Agnus est Christus. 2. Sion Ecclesia. 3. occisi 140604. sunt Innocentes aut Electi. 4. Horum in frontibus Agni sunt nomina sex. 164

DE S. AGNETE. *Qui gloriatur in.* 2. Cor. 10. Gloriari possunt corde recti : Christum diligentes, ad eum omnia referentes. 2. Gloriari licet in summa Dei scientia, pura conscientia, bono opere, tribulationum patientia, infirmitatibus, Cruce Christi, Sp. 3. In contrariis non gloriandum.

DE EADEM. *Surge propera.* Cantic. 2. *Surge, ad defensionem fidei.* 2. *Propera ad martyrium.* 3. *Amica ob fidem, charitatem, hu-*

militatem.

4. *Columba*, ob tranquillitatem.  
5. *Formosa*, ob virginitatem. 6. *Veni*, ad vindicandam humanitatem sponsi, ad te vestiendam, ad osculandum, ad epulandum. 170

DE CONVERS. S. PAULI. *Vas electionis est.* Act. 9. 1. Ob materiae dignitatem. 2. Ornatum gemmeum. 3. Amplitudinem. 4. Puritatem. 5. Firmitatem. 6. Utilitatem, Prædicator gentium, regum, &c. 172

DE PVRI. B. V. MARIAE. *Tulerunt Iesum.* Luc. 3. Corpus esse Ioseph debet animæ, hanc non polluendo, Iesumque ferendo. 2. quia passus pro nobis tulit dolores, coronam, crux, peccata, & nos; vt portemur & ab Angelis. 3. Offerri debet Iesus Patri; cum munieribus simplicitatis, & fecunditatis, & continentiae, patientiae columbinæ. 178

DE EADEM. *Accipit Iesum in vlnas.* Luc. 2. Idem ut pessimus & nos, requiritur, homines nos esse meminerimus fluxos: moremur in pacifica Ierusalem: Simeones simus compatiens, iusti per eleemosynas, timorati per humilitatem, spe hilares, Spiritu pleni per puritatem, templa teramus. 181

DE EADEM. *Lumen ad.* Luc. 2. Lumen innocentiae in Baptismo: Filialis eminentiae in purificatione. Lumina quatuor cur apponantur defuncto. 182

IN CATHED. S. PETRI. *Tu es Christus.* Luc. 16. Afferit in eo Pontificalem dignitatem, & regiam, Diuinitatem, & paternam hereditatem. 184

MATTHIAE APOST. *Tollite iugum meum.* Matth. 11. Iugum sanctificationis, dilectionis, tribulationis. 2. Eritque requies Sinus, & Mensæ vobis. 3. Id suave reddit memoria Passionis Domini, Consolatio spiritus, Spes remunerationis. 185

ANNVENTIATIO B. VIRGINIS MARIAE. *Ave gratia.* Luc. 1. *Ave;* quia, sine va deflorationis, Onerosæ conceptionis, dolorosi partus, & mortis. 2. *Gratia plena:* quia munda ab labore, vacua ab desiderio terreno, solidæ ab virtutibus; quieta per pacem cordis. 3. *Dominus tecum:* vt sponsus in secreto, miles in armamentario, Rex in throno, hospes in triclinio. 4. *Benedicta tu.* quia serpenti non obediit, opproprium mulieribus abstulit, vitam restituit, paradisum aperuit. 5. *Benedictus fructus ventris:* ob Sanguinis effusionem: limbi euacuationem, quotidianam refectionem, beatorum glorificationem. 185

# & Index rerum.

**IN EADEM.** *Aue gratia.* Luc. 1. Sanans ab peccati morbo, roborans ad virtutum exercitiam, Ditans cœlestibus, sublimans in gloria. 2. Gratia conficitur ex castitate, bonitate, pietate, veritate, humilitate, animæquitate.

**DE S. GEORGIO.** *Mitia est vita.* Iob 7. Hostis noster est Mundus, caro, & diabolus. 2. Armorum genera octo dantur Ephes. 6. 3. Merces est gloria. 189

**DE S. MARCO.** *Animal primum simile.* Ezech. 1. Marcus est leo resuscitans carulos. 2. Alatus sex alis, Veritate, iustitia, castitate, sobrietate. 3. Oculatus est retrorsum despiciens reliqua: antrorum prospiciens iudicium: dextrorum, respiciens regnum Dei: sinistrorum ad gehennam. 191

**DE SS. PHILIP. ET IAC.** *Stabunt iusti in Sap.* 5. Stabunt iusti mente, iuramento, veritate, patientia, charitate, iustitia. 2. Stabunt in iudicio. 3. Stabunt cum iudice. 4. Stabunt contra reprobos. 192

**DE INVENT. S. CRVCIS.** *Sicut Moses exal.* Ioan. 3. Exaltatus est ter Christus: In passione, in Crucis inuentione, & exaltatione. 2. Crucis basis fuit Cedrina, truncus Cypressinus, transuersum lignum fuit palmeum, paxillus affixus erat roseus, Tabula inscriptio oleacea: significant ista Contritionem, Confessionem, Eleemosynam, Mortificationem, & Orationem. 3. Huic affigamur clavis timoris de morte, iudicio, inferno, dæmone. 193.

**DE NAT. S. IOAN. BAPT.** *Puer crescebat.* Luc. 1. Creuit in dilectione & operatione bona. 2. Confortabatur contra spiritum superbiae, avaritiae, luxuriae, gulæ. 3. Mansit in deserto ne luminaretur, ut meditaretur, ut precaretur. 4. Ostendit se, ut prauos reformaret, Dominum prænunciaret, credentes baptizaret. 194

**DE S. PETRO APOST.** *Beatus es Simon.* Matth. 16. Dicitur Simon, id est, obediens ob Dominicae iussionis executionem in relinquendo reti superbiae, avaritiae, luxuriae. Et ob Angelicæ monitionis impletionem. Vtrumque nobis ad imitationem. 2. Dicitur Bariona: qui fuit filius S. Spiritus. 3. Petrus, ob firmatatem. 196

**DE COM. S. PAVL.** *Bonum certamen.* 2. Timoth. 4. Cervauit contra carnem, hominem, dæmonem, & vicit. 2. Cursum consummavit, abiecto onere, remoto obstaculo, brauius proposito. 3. Fidem seruauit, Baptismi, Euangelij, Crediti, incommodi superati. 4. Corona est reposita, gemmis baccata. 197

**DE S. MARGAR.** *S.E. R.C.H.N.Q. bonas margaritas.* Matth. 1. 3. Negotiator is Christus est. 2. Margarita est S. Margaretæ, in mari iactata, Obedientia nobilis; clara virginitate; efficax contra febrim libidinis; & cardiacam tormentorum passionem. 3. Ergo demus pro ea cor, corpus, animam. 4. Quia pretiosa est.

**DE S. MAGD.** *Fides tua te sal.* Luc. 7. Mulier ea mollis erat diabolo, postea Hero Deo. 2. Fides de pœnitentibus reconciliandis, & obstinatis damnatis, eam saluam fecit: At fulta timore, amore, dolore: Ut imitemur. 3. *Vade in pace,* id est, certæ amicitiae meæ. 200

**DE EADEM.** *Dimissa sunt ei.* Luc. 7. Peccata oculis, capillis, ore: iisdem & satisfacta. Quæ 7. dæmonia ex ea electa fuerint. 201

**DE S. IACOBO APOST.** *Dic, ut sedecant.* Matth. 20. Quare? Ob longæ uitatem, opulentiam, gloriam. Contraria obueniunt cadentibus. 2. Ad dextram & sinistram venitur per Calicem utilitatis, paupertatis, mortis 202

**AD VINCULA PETRI.** *Tu es Petrus.* Matth. 16. Petrus fidei claritate, firmitate, charitate: Ut imitemur. 2. Petra Christus est refugium peregrinantium, securitas transmigrantium, beatitudine regnantium. 3. Super ipsum stat Ecclesia Dei. 203

**DE S. LAVR.** *Probaisti Domine cor.* Psal. 16. Probasti, per thesauri commissionem. Sic probantur & diuites: ergo animas suas redimant, amicos querant, thesauros conquirant. 2. Visitasti nocte carceris. 3. Examinasti igne multoque martyrio. 205

**DE EODEM.** *Nisi granum.* Ioan. 12. Granum est Christus, & Christianus: candidum intus puritate, rubens foris passione, fissum ex latere per misericordiam, confortans eden tem, triticum electorum. 206

**DE ASSVMP T. B. V.** *Intrauit Iesvs in.* Luc. 20. Castellum mundus est; & contra nos luxuria, avaritia, superbia. 2. Martha & Maria sunt caro & anima Deiparæ. 3. Hospitam talem transtulit in cœlos Dominus. 207

**DE EADEM.** *Quæ est ista, quæ.* Cant. 6. Est M.A.R.I.A. id est, Mediatrix, progrediens, Alleuiatrix aurora, Reparatrix Luna, Illuminatrix vt Sol, Auxiliatrix acies. 209

**DE EADEM.** *Veni in hortum.* Cant. 5. *Soror & Sponsa,* ob conformitatem eius cum Christo. 1. *Veni in hortum* vteri virginea, clausum, arboreum, floridum, gramineum, fontosum, musicum, aromaticum. 3. In hortum cœli similem. 211

**DE S. BARTHOL.** *Vos estis, qui perman.* Luc. 22. Permansitis in temptationibus Iudeorum: qui corde oderunt bonum, tempererunt amabilem: Ore maledixerunt, Ore male fecerunt. 2. *Possidete regnum clarum,* tranquillum, opulentissimum. 3. Edatis super mensam Diuinitatis & Humanitatis. 213

**IN DECOLL.** *S. IOAN. BAPT.* *Herodes misit.* Marc. 6. Herodes est diabolus versipellis. 2. Ioannes est Christianus. 3. Is laborat, ut huius anima moriatur, suggestione tentans, delectatione tenens, peccato vinciens, consuetudine carcerans, desperatione decollans. 214

**DE NAT. B. VIRE. MARIAE.** *Ego mater pulchra.* Eccl. 24. Eiectum paradiſo genus humanum, quia infirmum, egebat vecturâ: rotæ quatuor eni m B. Virgine: dilectio, timor, fides, spes. Contraria est quadriga Satanæ. 2. Quia errabundum, egebat duce Maria, in qua via est. 3. Quia exulabat, egebat reduce Maria. 215

**DE EADEM.** *Fons egrediebatur.* Genes. 2. Locus voluptatis est Sancta Trinitas, vnde egressa B. Maria est. 2. Hæc fons est, lauans sordida, refrigerans pia, potans deuota, referens vultum eam intuentium beatorum.

# Synopsis Sermonum,

2. Paradisus ab ea irrigatus est natura Angelica. 4. Capita quatuor fontis sunt doctrina compassiua Mariæ, conuersiua peccatorum, confortatiua iustorum, promissiua gloriae. 217

DE EADEM. *Orierur stella ex.* Num. 24. Stella est Maria, illuminans Ecclesiam: mundissima: maior est quam appareat: harmonica, indeficiens, fixa. 2. Est stella matutina, prodroma lucis, calefaciens, Solem præxit, fulgidior ceteris, est in circulo voluptatis. Est & Marina stella, qua se nautæ regunt, & quam acu in tempestate reperiunt. 219

DE EXALT. CRVCIS. *Ego si exaltatus.* Ioann. 12. Id est, Crucifixus. 2. Cuius figura serpens fuit æneus, Christus enim pellem veterem peccatorum detrahit: exosus fuit, prudens, patiens, voce sonorus. Igniti autem serpentes sunt septem peccata mortis. 3. Exaltatus trahit omnia, id est, hominem, funiculio triplici, fidei, spei, charitatis. 221

DE S. MATTH. *Non veni vocare iustos.* Mar. 2. Dominus vocat 1. peccatores ad penitentiam, si relinquant occasiones peccandi per timorem, surgant per spem, sequantur per fidem, Conuiuum præbeant per charitatem. Idque velociter, ob vitæ breuitatem, & regni iucunditatem. 2. Iustos ad perfectionem continentia, obedientia, paupertatis, martyrij. 3. vocat perseverantes ad præmium gloriae, throni, deliciarum. 223

DE S. MAVRITIO. *Transfugerunt ad David.* 1. Paralip. 12. David est Christus. 2. Desertum est Ecclesia, quando Martyres in ea fiebant, latente quasi Christo. 3. Ad quem iij transfugerunt. 4. Mauritiani erant robustissimi constantia: milites pugna, clypeali Cruce, hastali memoriam Christi passi: Leonum instar vultuosi & impauidi. 224

DE S. MICHAEL. *Videte, ne contempnatis.* Matth. 18. Pueri sunt simplices, pauperes, infirmi. 2. Ab Angelis custodiuntur. 3. Videntibus vultum Patris, 1. omnia bona opera hominum ei offerunt, 2. his saluti sunt: tres specialiter, Michael Principibus, Gabriel Virginibus, Raphaël coniugatis, 3. Ut gaudient super peccatore conuerso. 226

DE M C. VIRGIN. *Media nocte clamor.* Matth. 25. V. prudentes sunt iusti homines: quorum lampas fidei sit pellucida ut vitrum: angusta infrà ad terrena, lata suprà ad cœlestia, olei plena misericordiae, cum lycno rectæ intentionis, & igne charitatis: intactaque peccato vanæ gloriae. 2. *V. fatua* per hypocrisin *Virgines* contraria habent. 3. Clamor media noctis seu mortis incertæ editur à timore & amore. 4. Sponsus est Christus veniam his mœstus, latus istis. 227

DE SS. SIMONE ET IVDA. *Hac mando vobis.* Ioan. 15. Christus mandat. 2. Christianis vñctus vñctis. 3. Ut diligent Corde compatiente, bene oprante, & fido, Ore corrigente, orante, fidem seruante. Opere gratis dati, mutui, defensionis. 4. Diligamus, ut euadamus gehennam, inuadamus gloriam, videamus Deum. 229

DE OMNIB. SS. Beati pauperes. Matth. 5. Octo beatitudines sunt gradus octo, quibus octo genera beatorum se in beatitudinem penetrarunt. 230

DE EISDEM. *Vidi turbam.* Apoc. 7. Stantes coram Agno sunt Beati. 2. Horum signum est fides de Trinitate, & Cruce. 3. Stellæ albæ sunt innocentia Sanctorum. 4. Palmæ notant victoriæ de 7. peccatis mortis. 5. Ideo deducti sunt ad fontes Consolationis, Quietis, Refectionis, Exultationis, Dilectionis. Ad contrarios damnati. 232

DE F. ANIMAB. *Audiri vocem de.* Apoc. 14. In Domino morimur, qui Christum imitantur in munditia, Iustitia, Veritate, Dilectione, Mansuetudine, Humilitate. 2. Ipsi sunt Beati ab quiete, & Refectione. 233

DE S. MARTINO. *Sint lumbi vestri.* Luc. 12. Castitatis scil. cinctorio Coniugali, Viduali, Virginali. 2. Lucernæ ardentes sunt bona opera fidei & chatitatis in Sancto Martino: ad exemplum Castitatis, Sobrietatis, Largitatis, Humilitatis, Lenitatis, Aequitatis, & Veritatis. Hæc nobis ad imitationem. 235

DE S. CECILIA. S.E.R.C. *Thesauro abscon.* Matth. 13. Regnum cœleste est Ager, in quo pascuntur oves Christianæ: cantillant aues animarum cantum charitatis: Puritas est aëris salutaris: Florumque virtutum amoenitas. Contraria in orco sunt. 2. Dei Filius est Thesaurus frumenti, per humanitatem, hordei per Passionem, olei per Divinitatem. 3. Ager emendus est possessione totius. 236

DE S. CLEMENTE MART. *Similes expectantibus Dominum.* Luc. 12. Dominus est Iesus, copulatus hominibus per naturam, iustis per gratiam, Angelis per gloriam. 2. Expectandus est ideo, cauendo malum, faciendo bonum. Malitia enim Deus læditur, Dæmon lætitatur, anima occiditur, æternum punietur. Contraria in S. Clemente. 238

DE S. CATHARINA. S.E.R.C. *Sagena.* Mat. 13. Sancta Catharina est sagena Christi capiens scilicet Oratores. Imitanda eius prudenter nobis, aut à Deo petenda. Sagena etiam est benignitas diuina in mundi freto. 2. Pisces sunt homines. 3. Eam educunt potentia, sapientia, iustitia; Angelis cooperantibus. Mali pisces pereunt pessime. 240



# INDICVLVS

## Sermonum , de SS. Eucharistie sacramento.

### P A R S I.

- I. **D**e tribus causis institutionis sacramenti corporis Christi, quæ sunt memoria salvatoris, Sacrificium altaris, cibus hominis. 249  
II. De prima causa instituti Sacramenti, scilicet, de memoria Salvatoris, & de preparatione ad iudicium eius. 251  
III. De secunda causa institutionis, scilicet, de sacrificio altaris. Circa quod tria notantur, & primo de duobus. 252  
IV. De tertio circa sacrificium, scilicet, de eius excellentia. 254  
V. De tertia causa institutionis quæ est cibus hominis, habens tresrationes, & primo dicitur de prima quæ est diuina liberalitatis magnitudo. 256  
VI. De duabus aliis rationibus, quibus datur corpus Christi in cibum, quæ sunt humanae naturæ corruptio, & conditio. 257

### P A R S II.

- VII. De forma donationis, qua corpus Christi datur velatum, & hoc quatuor rationibus, & primo de duabus quæ sunt indignitas prauorum, & fides bonorum. 259  
VIII. De duabus aliis rationibus, quibus datur corpus Christi : quæ sunt instructio morum, & imbecillitas omnium. 260  
IX. De forma donationis qua datur sub specie panis. 262  
X. De forma donationis qua datur sub specie panis tritici. 263

### P A R S III.

- XI. De tribus mirabilibus quæ fiunt in consecratione, & 1. de duobus quæ sunt quod sub specie panis est corpus Domini, & quod tota substantia panis mutatur in corpus Christi. 265

- XII. De tertio mirabili quod fit in consecratione, scilicet, quod substantia panis mutatur in corpus Christi, ita ut accidentia maneant, & de duritia converti nolentium. 266  
XIII. De tribus mirabilibus quæ considerantur in corporis Christi possessione, quæ sunt 1. quod tam magna res continetur sub parua specie panis. 2. & quod unum & idem corpus est in pluribus locis. 3. & tamen in se coniunctum manet. 268  
XIV. De tribus mirabilibus in corporis Christi perceptione, quæ sunt 1. quod dum manducatur, non minuitur. 2. si non manducatur, quodammodo minuitur. 3. dum manducaatur, augetur. 269

### P A R S IV.

- XV. De qualitate nostra preparationis ad sacramentum consideranda in tribus, & primo in duobus, scilicet, in dignitate corporis Christi & hostia panis. 271  
XVI. De preparatione nostra in agno paschali consideranda, & mandatione spirituali. 273

### P A R S V.

- XVII. De triplici modo manducandi, & primo de sacramentali tantum, quo tria genera malorum indigne communicant, & primo de duobus, scilicet malevolis & dolosis, &c. 275  
XVIII. De secundo modo manducandi, scilicet, de spirituali tantum, quo tripliciter manducatur. 176  
XIX. De tertio genere, indigne communicantium, scilicet, de presumptuosis. 278  
XX. De tertio modo manducandi, scilicet, de sacramentali & spirituali simul. Circa quod tria considerantur, scilicet, multitudo reproborum non communicantium, felicitas bonorum Christum dignè sumentium, & ratio remanducationis. 280

### P A R S

# Sermonum , de SS. Eucharistia

## P A R S VI.

- XXI. De duodecim effectibus & fructibus corporis Domini , contra nostros languores, & primo de quatuor primis. 282  
XXII. De quatuor fructibus secundis. 284.  
XXIII. De quatuor fructibus aliis. 285  
XXIV. De tribus affectibus principali bus, & quod quilibet valet ad tria. 287  
XXV. De effectibus corporis Christi, sumptis ex tribus eius vocabulis. 288  
XXVI. De effectibus sumptis ex tribus aliis corporis Christi vocabulis. 290

## P A R S VII.

- XXVII. De consideratione sanguinis Christi rebus modis, & primo de primo, ut in cruce funditur, & ab inestimabili pretiositate commendatur , circa quam qua-

- tuor notantur, ex quibus de duobus hic dicitur : quae sunt pretiositatis magnæ probatio, & ianti pretij dandi ratio. 291  
XXVIII. De duobus aliis circa pretiositatem sanguinis Christi: quae sunt virtutis eius magnitudo, & redemptorum multitudo. 292  
XXIX. De consideratione sanguinis Christi secundo modo , scilicet ut in sacramento sumitur. Circa quod tria queruntur , & de duobus hic dicitur : quae sunt, quare sacramentum altaris datur sub specie dupli, & quare populus non accipit sanguinem sub specie vini. 294  
XXX. De tertio, quod circa sanguinem Christi queritur : quod est de utilitate sanguinis digne sumpti. 295  
XXXI. De consideratione sanguinis Christi tertio modo : scilicet ut à fidelibus spiritualiter bibitur. 296  
XXXII. De triplici potu sacratissimi sanguinis Christi. 298

T A B V L A



## T A B V L A

### S Y N O P T I C A , E T M E T H O D I C A

Inventionis, Dispositionis, Partitionisque absolutioris Rerum Eucharisticarum, ex Sermonibus B. Alberti extracta, atque proposita,  
*loco Indicis*, gratiaque Lectoris.

### I. DE CAVSIS INSTITUTIONIS Sacramenti.

I. **A**Ec triplex est. *PRIMA: Memoria Saluatoris*: contra protoplastarum obliuionem Dei. Ad illā nos obligat Remissio peccatorum Redemptio perditorum, continuatio beneficiorum. *SEGUNDA est Sacrificium Altaris*, contra Adæ debitum rapinæ, vel peccatorum actualium rapinam. Ratio autem veteris Sacrificij mutata in nouum est Autoris potentia, Debitorum nostrorum exigentia, Veteris sacrificij insufficiencia. Hæc quia illud Deo non placuit, peccata non abstulit, Gratiam non contulit. *TERTIA est Cibus hominis*, contra securam ex pomo corruptionem nostri ad ignorantiam, Concupiscentiam, Mortem. Ideoque Sacrificium Nouum confertur Mellì illuminanti, Ficui sananti, Fructui vita viuificanti. 249

II. *De prima causa, Memoria Saluatoris*. Huius Omissæ mala sunt Amissio gratiæ, Subiectio sub potestatem Satanæ, Deformitas culpæ. *Habenda est igitur memoria illius*, De præterito, vt nostri ex charitate Redemptoris: De præsenti, vt nostrorum actuum inspectoris: De futuro, vt nostra iudicaturi. Facietque nos primum, diligere bona: Secundum, odiſſe mala: Tertium, præcauere pericula. In hoc tertio inest Modus cautionis, de peccatis pœnitere: Prouidentia cauentium, pœnam euadere: Lucrum, vitam possidere. Idque cum Regno, Societate sponsi, Delitiis omnis boni. 251

III. *De secunda Causa, Sacrificium Altaris*. In hoc sunt tria. 1. *Forma offerendi cum Figuris oblationum Legalium*, datis Synagogæ sub Lege, in signum: Cum Veritate, oblata ex Charitate, in Cruce, ad pretium: Cum Specie panis ad vini, consecrata animæ, in Ecclesiis, ad solatium. 2. *Veteris Sacrificij insufficiencia*, ob Rem Sacrificatam; ob Personas solum corporale sacrificium spectantes, ob Remissionem peccatorum tantum imputatum, pro re significata: Personis ad spirituale sacrificium fide intendentibus, & Reali remissione peccatorum. Illa tria Deo displicebant, hæc placebant. Instituit tamen vetera sacrificia Deus, vt signa rerum meliorum. Poterant enim Iudei ex iis discere Fidem Saluatoris, ex ouium: Formam de moribus, ex

taurorum: Spem cœlestium, ex animalium extra castra combustorum Sacrificiis, Atque hæc docebant pœnitentiam agere extra delicias: Officium Christi animas pœnitentium illaturi quondam in Sancta Sanctorum, Beatorum suffragium, valentium pro peccatis nostris intercedere, instar Pontificum. 252

I V. *Noui autem Sacrificij permagna est Excellentia*. Ob honestatem, Cibi seu specierum, liquebit infra, Virginalis originis ex Maria, Spiritalis dulcedinis, trahentis cunctos: Ob Dignitatem ex Christi Carne, Anima, Deitate, ideoque per se acceptum est Deo, Angelis reuerendum: Hominibus adorandum, ob Virtutem, Nam in Mundo relaxat peccata, In Purgatorio pœnam, in cœlo gaudium generat. 254

V. *De tertia causa: Cibus Hominis*. In hoc inest diuinæ sapientiæ ratio triplex. *Prima: Dei summa Liberalitas*: quæ declarat Dei Magnificentiam, Nobilitatem, Utilitatem nostram, Magnificentiam in sex gradibus liberalitatis. 1. Dediſſe homini omnes creaturas irrationales. 2. Rationales cœlestes custodes. 3. Seipsum. 4. Se in fetuum. 5. Se in pretium 6. Se in cibum, qui summus est. Nobilitatem dantis se Amicis, magnum! seruis, permagnum! Ignotis, maius! Inimicis, maximum hoc! Utilitatem nostram accipientium, quæ est Deo assimilati per gratiam & gloriam. 256

V I. *Secunda causa est, Humanæ naturæ corruptio*. Hæc exigebat cibi medelam Quoad congruam curationis inchoationem, quæ à cibo ligni mandato incipere debuit, ut corruptio cœperat à cibo ligni verito: Quoad integrum corruptionis curationem, scilicet Ignorantiae, Concupiscentiae, Mortis: quorum curatio erat necessaria Illuminando, Sanando, mortem triumphando. *Tertia: Rationalis naturæ conditio*: quæ indiga cibi est, siue consideretur, ut est Incorporea: siue ut Corporea: siue Vtraque iunctim: Nam iis respondet Sacramentum, in Re Sacramenti, animæ: in Signo, Corpori: in Vtroque iunctim vtrique. 257

# Tabula rerum

## II. DE FORMA DONATIONIS.

**H**oc datur Corpus Domini. 1. *Velatum.*  
2. *Sub specie Panis.* 3. *Triticei.* Velationis  
ratio quadruplex. 1. *Indignitas prauorum*, ne  
male perirent in corde per errorem: In ore  
per detractionem: In anima per spiritalem  
mortem. 2. *Fides bonorum*: ob Fidei verum  
Essē, quod est argumentum non apparentium:  
ob Infidelitatis primae remedium (vbi nota Fi-  
guram de Iacob velato) ob Fidei meritū, quod  
est spiritualium bonorum copia: Temporaliū  
sufficientia: Aeternorum superfluenta.

VIII. *Instructio mirum.* Nam (cum in Sa-  
cramento occultetur Persona Saluatoris, Pul-  
chritudo claritatis: Opus mirum Dei) discis  
inde abscondere Personam tuam, Vt iram per-  
secutoris sedes: Iussum à Deo opus perficias,  
Gloriosiorem coronam acquiras: pulchritu-  
dinem tuam corporalem discis abscondere per  
habitus utilitatem: Ieiunij austерitatē, Boni  
operis assiduitatē; Intentionem bonorum  
operum, Eleemosynæ, Orationis, Ieiunij. 4.  
*Imbecillitas omnium:* qualis intuentium faciem  
Mosis: qualis B.V. Mariæ, non valentis intue-  
ri claritatem Filij, nisi velatam: qualis oculi  
visio ad lumen maius, v.g. Solis. 260

IX. *Forma dati est sub specie panis:* Ob pa-  
nis habilitatem, qua potest facilius haberi:  
honestius administrari: melius conseruari,  
quam alijs cibus: Ob rationem eius signifi-  
catiū, Sacramentalem, quæ est rem signi-  
ficatam & significare & continere: Ob terum  
ibi significatarum similitudines, Corporis  
Christi cum pane: nam vt hoc è pluribus gra-  
nīs: sic id è pluribus constat membris. Cor-  
poris mystici, quod est Ecclesia, constans è  
pluribus: Effectus sacramentalis in anima. Vt  
est, confortare aduersus peccatum: Satiare ad  
nauseandum mundum: Conseruare ad Deum  
laudandum. 262

X. *Forma dati sub specie panis triticei:* Ob  
tritici nobilitatem, Purissimam, ad Panem  
aptissimam, Nutritiūam vt maxime: Ob vim  
in eo significatiūam. Vt enim status eius est  
triplex, in Agro, Horreo, Granario: sic in Eccle-  
sia status est incipientium, Proficientium, Per-  
fectorum: desiderantium Doctrinam, Purga-  
tionem, Requiem: Ob similitudinem: Nam vt  
granum est Iacens in aceruo, Cadens in agro,  
Existens in panis complemento: sic Corpus  
Christi in Virgine conceptum, in Mundo pas-  
sum, in cœlo glorificatum est: In quo B.V. Ma-  
ria honoratur, Peccator liberatur, Beatus dele-  
ctatur, Preparatione deliciarum: Impletione  
desideriorum: Fruitione bonorum. 263

## III. DE MIRABILIBVS ven. Sacramenti.

**H**ec considerantur in Consecratione, vt  
Realis præsentia: transubstantiatio, &  
Accidentia sine subiecto: in Possessione: vt Quan-  
titas. Locus, Indivisiū: in Perceptione, vt Dum  
manducatur non minuitur, sed Augetur: Dum  
non manducatur, quodammodo minuitur.

XI. In consecratione est verum *Corpus Christi*  
: Probant testimonia: Signa in eo, quæ si-  
st̄i

gnificant, & continent rem: Miracula. Est &  
*Tranubstantiatio.* Quia Verbum Christi mu-  
tauit aquæ substantiam in vini: Quia vnam  
rem in aliam mutare potest Ars, Natura, Gra-  
tia. Liquet exemplis. 265

XII. Liquet item Similitudine: De gracia  
prophetali, in aquis amaris versis in dulces:  
De Conuerione spirituali, in Saule: De Mu-  
tatione naturali, in onis sub gallina. Hinc asti-  
menda est peccatoris duritia, qui non vult  
conuertere. Causa duritiae est Consuetudo pec-  
candi: Incredulitas de Iustitia Dei: Seductio  
inimici. 266

XIII. In Possessione est 1. Quantitas Tanti  
sub tantulo: Quia Artifex est maximus: Par  
Christi & Dei potentia: sufficiensque causa  
est ad finem Sacramenti, qui est cibare & con-  
fortare. 2. Locus: Nam Corpus idem in plu-  
ribus locis est. Docet id prophetia. Ratio: Si-  
militudo speculi, 3. Indivisiū, quantumcum-  
que diuidatur. 268

XIV. In Perceptione Mirabile. 1. Manduca-  
tum non minuit: Quia id consecrandi potestas  
manet: Et est incorruptibile. Estque causa in-  
finita pascendi. 2. Non manducatum, quodam-  
modo minuit. Cum tam augescat corpus dia-  
boli, quantum deseritur corpus Christi. 3.  
Manducatum augeri. 269

## IV. DE PRÆPARATIONE ad Sacramentum.

XV. Hæc est 1. In dignitate suscipiendi Cor-  
poris. Per Fidei plenitudinem: Animi mundi-  
tiem, procurandam Lachrymis, Operibus pœ-  
nitentia, Charitate: Et per Orationem. 2. In  
Modo ad similitudinem hostiæ præparatae. 271

XVI. 3. In Figura Agni Paschalis. 1. Qui co-  
medebatur nocte: ergo crede, & manduca. 2.  
Assus igne: Ergo crede Corpus Christi ex S.  
Spiritū conceptum. 3. Caput cum pedibus &  
intestinis comedebatur: Ergo crede, corpus,  
animam ac diuinitatem sumi. Item comedere cū  
laetitia contritionis, & Sanguine agni in me-  
moriam passionis. Item comedere Accinctus re-  
nes per continentiam, Coniugatus, ante Com-  
munionem: Pœnitens, diutiū antè: Spiritualis  
homo, semper. Calceatus custodia exemplorū  
auctorū. Cum baculo in manu, id est, di-  
sciplina correctionis. 273

## V. DE MODO MANDUCANDI Ven. Sacramentum.

**H**ic triplex est: Sacramentalis, Spiritualis, &  
vterque simul.

XVII. Sacramentaliter tantum manducant  
mali: Vt Malevoli, qui eo sibi aggrauant pec-  
carum: gratiam longius repellunt, se damnant.  
Vt Dolosi hypocrytæ, qui sunt socij Iudæ,  
confundentur in iudicio, damnabuntur. 275

XVIII. Spiritualiter manducant iusti. Et qui-  
dem Incipientes, manducant ratione Fidei  
Saluatoris: Proficientes ratione bonæ con-  
uerstationis, in Innocentia, Pœnitentia, Misericordia.  
Perfecti ratione Meditationis, Esu-  
riendo Christum, Masticando in agnitione sui,  
Imitatione Sanctorū, Contemplatione: & De-  
lectando

# Loco Indicis earum.

lectando in Christo. Hoc valet contra mundi falsam dulcedinem in delectabilibus , falsam amaritudinem in aduersis,falsam difficultatem in bonis agendis. At dulcedo spiritalis dulcedinem mundi facit insipidam , amaritudinem dulcem,difficultatem facilem reddit. Effectus mandationis debitor est remissio peccatorum,(intellige venialium,& mortalium quoque, sed ad pœnam: nam quoad culpam esse prius remissa oportet in Confessione) Saluatio à morte , Donatio vitæ æternæ. 276

XIX. Sacramentaliter tantum manducant Præsumptuosi : at suo malo triplici. 1.Culpæ ex Intentione mala,præuaricatione,ingratitudine. 2.Offensa Dei. 3.Vindictæ, quoad damnationem cœlestium bonorum,& terrestrium sæpe,ac corporum. Conire quæ proficir emendatio per pœnitentiam , correctio per disciplinam,Mutatio hominis incorrigibilis per iustitiam. 278

X. Sacramentaliter & spiritaliter simul manducant soli boni Christiani. Malorum ingens est numerus.Sunt Infideles,Negligentes, Contemptores. Bonorum ingens fœlicitas : quia optimam partem elegit,S. Spiritum participauit , Christo inhabitat. Et boni manducantes remanducantur , quia ipsi in illo conueruntur vi amoris , Magnitudine virtutis Christi , & adoptionis iure. 280

## VI. DE EFFECTIBVS VEN. Sacramenti.

XXI.Hi sunt 12. Fructus contra 12.languores nostros. Quatuor sunt ex defectu culpa : Ut tentatio dæmonis , Repugnatio fomitis , Macula cordis:Offensa Creatoris.Fructus contrarij Seruant,Refrigerant,Mundant,Placat. 282

XXII. Quatuor ex defectu gratia, in Cognitione nostri,Dilectione proximi,Sapore spiritali , Conseruatione boni. Fructus contrarij Illuminant intellectum,Inflammant affectum, Delectant memoriam,totum hominem Confirmant. 284

XIII. Quatuor sunt mortis plaga:Ut debitum mortis æternæ : Defluxus vitæ bona : Exilium in mundo : Incineratio. Fructus contrarij Seruant à morte , Augent bona , Ad vitam deducunt , Corpus resuscitant. 285

XXIV. Tres principaliores alij effectus. Vt 1. Destructio peccatorum,delendo maculam (intellige peccatorum ignoratorum mort. aut confessorum pœnam , aut peccata venialia,)Mitigando stimulum carnis , resistendo prauis cogitationibus. 2. Augmentatio bonorum spiritalium:Castiratis,Charitatis,Suauitatis. 3. Confortatio animarum ad Debellandum dæmonia, sustinendum aduersa , Operandum bona:hoc que confortando ad Opera misericordiae,Lucra animarum,Emptione diuinarū cœlestium. 287

XXV. Effectus alij ex Eucharistia nominibus :Dicitur Panis verus, Sic Confortat, Satiat,Vitam conseruat. Dicitur Sacrificium altaris: Sic peccata in mundo relaxat:(Intellige, vt dixi) Pœnam purgatoriij alleuiat , Gloriam cœlestibus exauget. Nam triples sunt , qui demoriuntur. Dicitur Sacramentum charitatis:Et sic operatur in nobis S. Spiritus participationem , Christi inhabitationem , Transformationem nostri in imaginem Dei: idque

cordis bonitate, operis fertilitate , & cœlestis regni hæreditate. 288

XXVI. Effectus alij ex aliis sumptu nominibus. Dicitur Medicina spiritalis :sic Ignorantiam illuminat,Concupiscentiam sanat,Mortem destruit. Dicitur manna :sic operatur morum honestatem, Cordis suavitatem, proximi pietatem.Dicitur Eucharistia:sic Deo similem animam reddit,Gratamque,& Vitam donat. 290

## VII. DE SANGVINIS Consideratione:

XXVII. Hæc triplex est. 1. Vt in Cruce funditur : Sic probatur eius pretiositas à Virginali origine,Ab Innocentia,Ab Vnctione Dei. 2. Probatur, quatenus doti tanti pretij pro homine datur ratio triplex,Debiti solutio, Amoris demonstratio,Perditi recuperatio. 291

XXVIII. 3.Pretiositas Sanguinis probatur, quatenus docetur Virtutis in Sanguine magnitudo consistere in Diaboli destructione, Mundi redemptione , Dei reconciliatione. Hocque ratione pretij sufficientis , Formositatis nostræ , qua Deo nos gratos reddidit , & Charitatis facto demonstratae. 4. Pretiositas Sanguinis spectatur etiam ex redemptorum multitudine , vt sunt inimici à peccato , Antiqui iusti è limbo,Dubij amici de dubitatione fidei. Propter quæ fudit Sanguinem de Manibus,Pedibus,Latere. 292

XXIX. Secunda consideratio Sanguinis: Vt à fidelibus sumitur. Circa hoc requiruntur tria. 1. Duplex species, Ad conuiuij perfectionem, Redemptionis corporum & animarum significationem,Passionis Domini representatione. 2. Causa,cur non item populo,vt Sacerdotibus detur Calix? Eaque est vini conseruatio,cuius vas optimum Sacerdos. Qui ideo comparatur Vas electo,Aræ sacræ,Crateræ ligatae.Effusio nis periculum , Erroris piaculum. 294

XXX. Sumptu in sacramento Sanguinis effectus multus est. Nam consideratur vt potus aquæ viuæ , sic Humeat, Refrigerat, Cibum ad membra vehit. Vel vt Vinum spiritale : sic Lauat,Calefacit,Lætificat. Vel , vt Mysterium Ecclesiæ:sic Dæmones triumphat,Gratiam impetrat , In vita bona conseruat. 295

XXXI. Sanguis Christi spiritaliter bibendus intenit in quocunque vulnere Christi: Ad vsum animæ , Quam in paradisum vertit: Vt proferat. 1. Flores virutum,vt Rosas charitatis,Lilia castitatis , Violas humilitatis. 2, Frondes arborum,ad Peccatorū conuersationem, Inimicorum reconciliationem , Mæstorum consolationem cum foliis Medicinalibus,pulchris,viridantibus 3. Fructus operum. 296

XXXII. Potus sanguinis Dominici triplex est:Sacramentalis,qui à Sacerdotibus sumitur , & peccata venialia relaxat quoad Maculam, Pœnam,& Offensam. Contra Sanguinem peccant immundi corpore , Indurati corde, Praui crimine. Intellecualis,qui à Christianis sumitur sub specie panis de ipso Corpore Christi. Eius dulcedo facit ad Contemptum vitiorum, Gratiam eloquiorum , desiderium æternorum Spiritualis,qui sumitur ab omnibus saluandis pia meditatione , cum fructu Honestæ conuersationis, Deuotionis , Pietatis.



# INDEX

## Rerum in Sermonibus de SS. Eucharistiae Sacramento memorabilium.

### A

- A**bscondit personam suam iustus propter tria. Sermone 8  
Abscondisse se multi sanctorum ab oculis impiorum dignè leguntur. ibid.  
Abscondendum esse triplex bonum à fauore hominum, eleemosynam scilicet, orationem & ieiunium. ibid.  
Abscondi deberè decorem corporalem propter tria. ibid.  
Achilla quid, & quomodo David in colle Achillæ absconditus tacuerit. ibid.  
Accidentia manere in sacramento Eucharistiae virtute supernaturali probatur exemplis. fer. 12  
Agni Paschalis ritus comedendi quomodo ad Eucharistiam referatur. fer. 16  
Agnus Paschalis cur nocte comedebatur & non potius die. fer. 16  
Amisisse quæ dicantur parentes nostri in paradiſo ex suauis serpentis. fer. 6  
Amoris vis quæ sit, & quis dicatur fixus amicus. fer. 20  
Amoris defectus quibus exterioribus signis notetur. fer. 22  
Appetitum in carnalibus deliciis delectari & experientia tristari, & contrarium esse in spiritualibus. fer. 18  
Aperuit unus militum latus eius lancea, cur dictum sit ab uno Euangelistarum. fer. 17  
Qui sint Aquilæ de quibus dictum est, Vbi cunque erit corpus, ibi erunt Aquilæ. fer. 4  
Aqua viua cur vocetur sanguis Christi. fer. 30  
Araneam tabescere quid significet, & vnde arena opus suum trahat. fer. 8  
Aue salus mundi verbum patris, &c. quam pulchra oratio fuit tempore B. Alberti Magni. fer. 4  
Azyma comedì sine fermento, quid significet. fer. 15

### B

- B**enedictione Iacob corpus Christi præfiguratum esse. fer. 7  
Bene agentem hominem quæ bona sequantur. fer. 17  
Buccella sicca cum gaudio quid significet. fer. 4

### C

- C**alculo os Isaiae tactum esse, quid denotet. fer. 22

- Calceamenta in pedibus habere & calceamentis progredi, quid insinuet. fer. 16  
Cibo triplici Christum sive corpus Christi assimilari. fer. 1  
Cibum hominis fuisse causam institutionis Sacramenti. fer. 5  
Corporis Christi excellentiam causam fuisse institutionis Sacramenti. fer. 4  
Corruptionem humanae naturæ causam esse quare Christus corpus suum dedit homini in cibum. fer. 6  
Corruptionem triplicem fuisse homini infusam per serpentem. ibid.  
Corpus Christi non minui quando manducatur à fidelibus. fer. 14  
Corpus Christi non manducatum, quomodo minuatur. ibid.  
Corpora mystica duo esse in mundo, corpus Christi videlicet, & corpus diaboli, & quæ sint membra illorum corporum. ibid.  
Corpus Christi dum manducatur, manducatum augmentari. ibid.  
Conscientia pura quæ sit. fer. 15  
Communicaturum (quamvis mordeatur peccato veniali si peccandi voluntatem non habeat) posse intrepidè accedere ad communionem. ibid.  
Continentiae præparationem attendendam esse quantum ad tria genera hominum. fer. 16  
Corpus Christi sacramentaliter tantum manducantes qui sint, & quotuplicia genera hominum id faciant. fer. 17  
Communicantes indignè tria mala incurtere. fer. 19  
Corpus Christi non conuerti in nos, sed nos in illud. fer. 20  
Cor hominis prauum fuisse ab antiquis, & quæ sint remedia contra prauitatem illam cordis. fer. 20  
Corporis Christi, sanguinem, animam, & deitatem non posse separari. fer. 29  
Cratera quale sit vas. ibid.

### D

- D**eiformis quomodo aliquis fieri possit fer. 5  
Dignitatis ratione quomodo sacrificium nostrum omnia sacrificia veteris legis superer fer. 4  
Die tertio quid significetur, de quo dicitur in scripturis, Sanctifica populum ut sint parati in diem terrium. fer. 2  
Dulcedo spiritualis quanta sit in corpore Christi. fer. 4  
Dulcedo

# Index rerum.

- D**ulcedo corporis Christi manducati quanta sit, & contra quæ mala mundana ordinata. ser. 18  
**D**ulcedo spiritualis quid faciat in homine. ibid.  
**D**ulcedinem mundanam spirituali dulcedine insipidam fieri. ibid.  
**D**ulcedo quam quisque consequitur ex sumptu sacramento. ser. 22  
**D**ulcedinem Domini ex sumpto corpore duplicitate percipi, videlicet per devotionis affectum, & per multæ utilitatis intellectum. ibid.

## E

- E**ffectum corporis Christi duplē esse, ad bonum scilicet, & ad malum. ser. 19  
**E**ffectus duodecim corporis Christi qui sint contra duodecim languores corporis nostri. ser. 21  
**E**ffectus principales qui sint in sacramento Eucharistiae. ser. 24  
**E**sca eandem omnes patres nostros comedisse quomodo intelligatur. ser. 18  
**E**surire Christum quomodo debeamus, & masticare & masticantes delectari. ibid.  
**E**ucharistiam corpus Christi vocari in scripturis quid significet. ser. 26  
**E**ucharis lingua nostra quid significet. ser. 31  
**E**missiones tuæ paradisus malorum punicorum, exponitur. ser. 22  
**E**xcellētia corporis Christi in quibus consistat. ser. 4

## F

- F**elicitatis magnitudo proueniens dignè communicantibus, & à quibus talis felicitas dependeat. ser. 20  
**F**icui quare Christus assimilatus. ser. 1  
**F**idem nostram vnam & maximam causam esse, quare corpus Christi veletur. ser. 7  
**F**ructui vitis quare assimiletur Christus. ser. 1  
**F**rondes qui sint qui oriuntur iustis ex perfusione seu vsu corporis Christi. ser. 30  
**F**ructum bonorum operum triplicem habere distinctionem. ser. 32  
**F**orma donationis huius sacramenti quæ sit, & quæ sint circa hanc formam notanda. ser. 20  
**F**omes peccati cur legitimè lex vocetur. ser. 21

## G

- G**ratia quid sit, quomodo quispiam sibi gratiam hauriat. ser. 15  
**G**radum liberalitatis in donando corpus suum Christus quem habuit. ser. 5  
**G**ranis quibus hostia conficitur, tria contineri quæ comparantur ad peccatorem. ser. 15  
**G**ratia quid sit, & quid operetur gratia Dei in homine. ser. 26

## H

- H**ostia cur in tres partes frangatur, & quid significant illæ partes. ser. 4

## I

- I**acob benedictione & quatuor personis quæ fuerunt in tali benedictione, Isaac, Iacob, Esau & Rebecca, corpus Christi præfiguratum esse. ser. 7  
**I**udicij futuri præparationem triplex bonum inducere, & quod sit illud bonum. ser. 2  
**I**udæ proditoris socij quomodo efficiamur sumentes hoc sacramentum indignè. ser. 17  
**I**ndignitatem prauorum causam esse cur corpus Christi veletur. ser. 7  
**I**nstitutionis sacramenti triplicem esse causam. ser. 1  
**I**mbecillitatem nostram fuisse causam institutionis huius sacramenti. ser. 8  
**I**nduratio peccatorum unde & quibus causis oriatur. ser. 12  
**I**nfaides qui vocentur in sacra communione corporis Christi. ser. 20

## L

- L**ætitiam præ omnibus laudari à Salomon, & quid sit illa lætitia. ser. 6  
**L**ex alia in membris nostris quæ sit, de qua Paulus Apostolus ait, & cur fomes peccati lex vocetur. ser. 21  
**L**iberalitas maxima ex nobilitate dantis in hoc sacramento. ser. 5  
**L**inea veste corporis Christi sacramentum in altari tractari, quid significet. ser. 15  
**L**ineam vestem tribus modis purgari. ibid.  
**L**euathan hamo capi, quid significet. ser. 28  
**L**in pluribus locis quomodo verum corpus Christi esse possit. ser. 13  
**L**ocum manentem nos hic non habere, sed futuram patriam inquirere. ser. 22  
**L**ocus quis sit ubi potus sanguis Christi spiritualiter contineatur. ser. 31

## M

- M**assa ficorum super vlcus regis posita, quid significet. ser. 1  
**M**anducationis modum principaliter esse notandum circa sacramentum Eucharistiae. ser. 17  
**M**anducationis modum huius sacramenti triplicem esse, sacramentalem, spiritualem, sacramentalem & spiritualem simul. ser. 17  
**M**anducationis spiritualis corporis Christi triplicem esse effectum. ser. 18  
**M**anducaendi triplicem esse modum, & qui sint illi modi. ser. 20  
**M**emoria passionis quid faciat in nobis. ser. 1  
**M**el quid significet, de quo dictum est, Come de fili mi mel, quoniam bonum est. ibid.  
**M**emoriæ passionis Christi neglegatio quanta mala faciat in homine. ser. 2  
**M**emoria Domini de quibus habenda sit, de praesenti, de præterito, & de futuro. ibid.  
**M**emoria Passio[n]is Saluatoris nostri ad quid valeat. ibid.  
**M**ores hominum ex tribus instrui quæ in hoc sacramento continentur. Item Medicina[m] spiritualem corpus Christi vocari in scripturis. ser. 26

# Index rerum.

**M**issæ triplices cur celebrari soleant. fer. 4  
Mirabilia diuinæ operationis quæ sint in sa-  
cramento Eucharistia. Item Mirabilissimum  
quod sit in consecratione corporis Christi.  
fer. 12

Miserias nostras tres esse generales. fer. 21  
Miracula quædam quibus probatur sub spe-  
cie panis esse corpus Christi. fer. 11  
Morum instructionem esse causam quare  
Christus dederit corpus suum velatum.  
fer. 8

**I**n qualibet mutatione quatuor specialiter  
esse notanda, continens videlicet, conten-  
tum, operans, operatum. fer. 12  
Mutationes panis & vini posse in corpus  
Christi fieri, probatur naturali seu artifi-  
ciali similitudine. fer. 11  
Mulier fortis de nocte surrexit deditque præ-  
dam domesticis suis & cibaria ancillis suis,  
exponitur. fer. 24

## N

**N**eigligentes qui sint in sacra communio-  
ne corporis Christi. fer. 20  
Nutrimentum bonum facere ad decorum cor-  
poris extrinsecum. fer. 24

## O

**O**mnes quidem resurgemus, sed non om-  
nes immutabimur, exponitur. fer. 33  
Optimam partem Mariam elegisse. 20  
Qui excubatio quam similis sit transubstan-  
tiationi corporis Christi. fer. 12

## P

**P**arentes primi in quæ mala inciderint, &  
quæ sint remedia contra ista mala. fer. 1  
Panem tria facere, confortare, satiare, & vitam  
conseruare. fer. 9  
Panis triticei specie cur Christus corpus  
suum tradiderit. ibid.  
Panis parua specie quomodo tam magnum  
corpus Christi contineatur. fer. 13  
Parentes nostros omnes mortuos esse, quo-  
dam morte temporali, quosdam morte æter-  
na. fer. 23  
Panem verum nominari corpus Christi. fer.  
25  
Cum Peccato mortali corpus Christi in con-  
temptu sumere & Christum in sterquiliniū  
mittere, æquè grandia peccata esse. fer. 19  
Pedes peccatorum lauari à Christo aqua missa  
in peluim. fer. 28  
Peccato veniali triplicia mala inesse. fer. 32  
Potum sanguinis Christi esse triplicem, sacra-  
mentalem, intelligibilem, & spiritualem.  
ibid.  
Puella à dextris Christi crucifixi depicta hil-  
ari vultu, & à sinistris tristi & cæco, quid si-  
gnificat. fer. 31  
Promotionem creaturæ maximam esse, vt hic  
per gratiam, in futuro per gloriam suo crea-  
tori assimiletur. fer. 5  
Pruinæ similitudinem quare habuit manna in  
deserto. fer. 6  
Præparatio nostri ad sacramentum corporis

Christi, quibus modis fiat. fer. 15  
Præparationis nostræ ad sacramentum modus  
in agno paschali adumbratus. fer. 16

## R

**R**Egeneratos nos esse à Deo, quomodo in-  
telligatur. fer. 25  
Remedium triplex esse contra omnes pla-  
gas, & mala nobis affutura. fer. 19

## S

**S**acrificium altaris causam fuisse institu-  
tio-  
nis sacramenti. fer. 3  
Sacrificia vetera ad quid valuerint. ibid.  
Sacramentum charitatis quomodo nominetur  
Eucharistia. fer. 25  
Sacrificium altaris Eucharistiam nominari  
ibid.  
Sanguinem corporis Domini tribus modis  
posse considerari. 27  
Sanguinis corporis Christi pretiositas. fer. 28  
Sanguinem Christi triplicem habere confide-  
rationem. fer. 29  
Sanguis Christi quomodo in sacramento à fi-  
delibus sumatur. ibid.  
Sanguinis Christi virtus, quanta sit. fer. 28  
Sacramentum quare specie duplice sumatur,  
cum tamen sub alterna totus Christus con-  
tineatur. fer. 19  
Sanguinem Christi cur populus non acci-  
piat sub specie vini. ibid.  
Sacrosanctum mysterium Ecclesiæ sanguinem  
Christi esse. fer. 30  
Sanguine animalis vitam consisteret, & quid  
sit hoc spiritualiter. ibid.  
Sanguinis triplicem esse colorem, & quid  
sit spiritualiter. fer. 31  
Sacramenti nomen unde sit impositum secun-  
dum Augustinum. fer. 11  
Serpens corrumpendo triplicem in parentes  
nostros infudit corruptionem. fer. 1  
Selmon, umbra. fer. 21. & 24  
Scutis sensibilibus cur iniqui comparentur.  
fer. 14  
Sermonem Dei esse maximæ virtutis. fer. 11  
Signorum tria genera esse, naturale, artificia-  
le & sacramentale. fer. 9  
Similitudines aliquæ quibus ostenditur mu-  
tatio panis & vini in corpus Christi. fer. 12  
Syndone munda corpus Christi inuolui, quid  
sigifiet. fer. 15  
Suauitas gratiæ quæ sit quæ de vsu sanguinis,  
sive de perfusione eius exoritur. fer. 31  
Sub specie panis cur corpus Christi detur  
ferm. 9  
Spicæ septem de formes & septem spicæ pul-  
chiores quæ apparuerunt Regi Pharaoni,  
Ioseph interprete quid significant. fer. 23  
Status triplex fidelium, effectibus huius sa-  
cramentali participantium. fer. 4

## T

**T**riticum tripliciter considerari, & secun-  
dum hoc triplex genus hominum di-  
stingui. fer. 10  
Tribus

# Index rerum.

Tribus fatis farinæ similæ panem coquere,  
quid significet.                                      fer. 15

V

**V**As quid sit de quo dictum est, Sume vas  
vnum, & mitte ibi Man.                              fer. 13  
Vasis triplicibus sacerdotes in scripturis  
comparari.    fer. 29  
Velatum cur detur corpus Christi sub spe-  
ciebus panis & vini.                                      fer. 7. & 8  
Virginalis origo quantam honestatem corpo-  
ri Christi tribuit.                                      fer. 4

Virtutis ratione quomodo præcellat hoc fa-  
cramentum sacrificio veteris legis.                ibid.  
Unionem triplicem attendi in pane, & quid  
hæc unitas significet.                                      fer. 9  
Vita sanctorum virorum quomodo imitanda  
sit nobis.    fer. 18  
Vuam acerbam comedere, quid significet ex  
Gregor.    fer. 22  
Vulnera Christi ad quid sint.                              fer. 30  
Vinum spirituale quomodo sanguis Christi  
vocetur.    ibid.  
Vfus quis sit ad quem sanguis Christi queri-  
tur.    fer. 31



3 INDEX



# INDEX

## S A C R Æ S C R I P T V R Æ.

Ex plurimis paucæ , quas illustrius in Sermonibus explicat B. Albertus, omis-  
sis quas singulæ offerunt paginæ.

*Litera A, designat primam columnam, B, secundam.*

### Genesis.

- CAP.1. **S** PIRITVS Dei ferebatur  
super aquas. 267.b  
2. Fons ascendebat è terra. 270.b  
10. Nemrod cœpit esse potens in terra. 191.a  
18. Apparuerunt Abrahe tres viri. 103.b  
18. Tria sata simile commisce. 273.a  
22. Tolle filium tuum unigenitum, &c. 39.b  
27. Affer mihi duos bœdos optimos. 59.a  
27. Figura Isaac, Rebecca, Iacob, & Esau.  
259.b. & seq.  
41. Septem spica pullulabant in culmo uno,  
&c. 286.b.

### Exodi.

2. Cum peperisset eum mater, vidit eum ele-  
gantem, &c. 22.a  
3. Vidi afflictionem populi, &c. 12.a  
12. Ritus Agni edendi exponitur. 273.b. &  
seq.  
12. Fasciculum hyssopi tingite in sanguine.  
267.a  
12. Erit agnus absque macula, masculus an-  
niculus. 69.a. item. 165.a  
16. Sume vas unum & mitte ibi man. 272.a  
20. Non habebis deos alienos coram me. 113.  
a. item 124.b.  
25. Parabis acetabula, ac phialas, &c.  
176.b  
25. Facies super arcam coronam auream per  
circuitum. 32.b

### Leuitici.

12. Sumet duos turtures aut duos pullos co-  
lumbarum. 179.b  
13. De lepra quadruplici. 42.b  
14. De munere leprosi mundati. 113.b  
17. Dedi vobis sanguinem, ut super altare  
meum expietis pro animabus vestris. 288.  
b. & 289.a  
23. Affligetis animas vestras in die expia-  
tionis. 109.a  
24. Duodecim panes de simila. 32.a

### Iosue.

2. De funiculo coccineo. 26.b  
1. Regum.  
16. Spiritus malus arripiebat Saul. 61.a  
19. Elias comedit, & bibit aquam, &c. 296.a  
26. David absconditus est in collo Achillæ.  
261.a  
30. Inuenierunt viri David virum Egyp-  
tium. 287.b  
2. Regum.

4. De Miphiboseth claudor. 7.a  
4. De Isboseth occiso. 156.a. & b  
14. Thecuita sermo pro Absalone ad Dani-  
dem. 15.b  
23. David sedens in cathedra. 22.b

### 3. Regum.

2. Venit Bersabee ad regem Salomonem, &c.  
30.b. & 31.a  
11. Colebat Salomon Asterthen. 25.a

### 4. Regum.

2. Eliseus misit sal in aquas amaras, & con-  
uersa sunt in dulces. 267.a  
4. Eliseus incubuit super puerum. 285.a  
20. Figura de ulcere Regis, & massa ficorum.  
290.b  
25. Venit Nabuchodonosor, &c. 107.b

### Judith.

10. Descendit Judith in domum suam, lauit-  
que corpus suum, & unxit se myrrha opti-  
ma. 32.a

### Esther.

1. Assuerus fecit grande convivium. 294.a

### Job.

39. Nunquid præbebis equo fortitudinem. 233.a  
Psalmodorum

# Index Sacræ Scripturæ.

## Psalmorum.

15. Non dabis Sanctum tuum videre corruptionem. 270.a  
 16. Auribus percipe Domine orationem meam non in labiis dolosis. 100.b  
 35. Domine apud te est fons vite. 182.b  
 38. Tabescere fecisti sicut araneam animam eius. 261.a  
 39. Expectans expectavi Dominum. 238.b  
 80. De petra melle saturauit eos. 299.a  
 101. Similis factus sum pelicano solitudinis. 293.b  
 110. Memoriam fecit mirabilem suorum, &c. 251.b  
 131. Parati lucernam Christo meo. 290.a

## Prouerbiorum.

3. Lignum vita est his qui apprehendunt eam. 286.b  
 14. Sapiens mulier edificat domum suam. 32.a  
 31. Laudent eam in portis operaeius. 240.a  
 31. Mulier fortis de nocte surrexit, &c. 287.b

## Canticorum.

1. Ecce tu pulchra es amica mea. 22.b  
 1. Fasculus myrræ dilectus meus mihi. 31.b. item 287.a  
 2. Introduxit me Rex in cellam vinuriam. 38.b  
 2. Tempus putationis aduenit. 56.a  
 2. Veni columba mea in foraminibus petra. 204.b  
 2. Surge propera amica mea. 68.a. & b  
 4. Hortus conclusus, soror mea sponsa. 211.b  
 4. Sicut turris David collum tuum. 210.b  
 5. Manus meæ distillauerunt myrrham. 110.a  
 5. Aperi mihi soror mea. 249.b

## Sapientiæ.

9. Iusti in perpetuum vivent. 76.b  
 10. Sapientia honestauit illum in laboribus. 22.a  
 11. Non est impossibilis omnipotens, &c. 13.b

## Ecclesiastici.

24. Rigabo hortum plantationum, &c. 298.a  
 24. Ego quasi vitis fructificavi suavitatem odoris. 291.b  
 24. Posuit David puero excitare ex ipso regem fortissimum, &c. 14.b  
 49. Memoria Iosiae in compositione, &c. 285.a  
 50. Simeon sacerdos magnus, quasi thus redolens in diebus astatis. 32.a  
 50. Quasi lilia que sunt in transitu aquæ. 245.a

## Isaiæ.

1. Si volueritis, & audieritis me, bona terra

- comedetis. 23.a  
 3. Decaluabit Dominus verticem filiarum Sion. 18.a  
 9. Parvulus natus est nobis, &c. 165.b  
 22. Figam Eliachim seruum meum, &c. 177.b  
 24. Confractio confringitur terra, &c. 89.a  
 27. Visitabit Dominus in gladio suo duro. 28.b  
 33. Interfecti eorum proiicientur, & de cadaveribus eorum ascendet fætor. 42.a  
 34. Ibi cubauit lamia, &c. 104.a  
 36. Ægyptus est baculus arundineus. 15.b  
 45. Rorate cœli desuper. 44.a  
 47. Tolle molam, & mole farinam. 272.b  
 49. Erunt reges nutriti tui. 224.a. item. 234.2  
 61. Spiritus Domini super me, &c. 12.b. &  
 13.a

63. Quare rubrum est indumentum tuum, &c. 206.b. item 238.b

## Jeremiæ.

5. Indurauerunt facies suas supra petram, & noluerunt reheriri. 299.a  
 6. Ecce populus venit de terra Aquilonis, &c. 14.b  
 13. Posside tibi lumbare lineum, 235.a  
 19. Cibabo eos carnibus filiorum suorum, &c. 237.a  
 22. Errabes ab omni malitia. 239.a  
 24. Video ficus, ficus bonos, bonos valde. 250.b  
 32. Agri pecunia ementur, &c. 288.a  
 39. Venit Nabuzardan princeps, militia, &c. 107.b  
 41. Nolite occidere nos, quia habemus thesauros, &c. 237.b

## Threnorum.

1. Sordes eius in pedibus eius. 41.b  
 1. Candidiores Nazaræ, &c. 297.b  
 1. Torcular calcanit Dominus Virginis filie Iuda. 293.b  
 1. Egressus à filia Sion omnis decor eius. 42.a  
 1. Manum suam misit hostis ad omnia desiderabilia eius. 279.b

## Ezechieli.

17. Sumam de medulla cedri sublimis. 282.a  
 27. Sumam de medulla cedri sublimis, &c. 289.b  
 32. Nigrescere faciam stellas. 297.b  
 34. Inducam oves meas in terram suam. 73.b  
 47. Folia ligni ad medicinam & sanitatem gentium. 298.a

## Danielis.

4. Ecce arbor & folia pulcherrima. 298.a  
 14. Erat draco magnus in Babylonie, &c. 292.b

## Oseæ.

# Index Sacrae Scripturæ.

## Oseæ.

7. In malitia sua letificauerunt regem. 239.a  
 16. Vivificabit nos post duos dies, & tertia die suscitabit nos, &c. 16.b

## Zachariæ.

9. Quid bonum & quid pulchrum eius, &c. 290.b

## Matthæi.

3. Vedit Spiritum Dei descendenter sicut columbam. 37.b  
 4. Hec omnia dabo tibi, si cadens adoraueris me. 26.b  
 22. Ecce prandium meum paraui. 277.b  
 25. Cum fatigae virgines irent emere, venit sponsus, &c. 252.a  
 25. Intra in gaudium Domini tui. 24.a

## Lucæ.

11. Sic orabitis: Pater noster. 78.b

## Ioannis.

6. Patres vestri manducauerunt manna in deserto, & mortui sunt. 286.a

## Actuum.

2. Spiritus in linguis igneis apparuit. 86.b

## ad Corinthios.

1. Dicitur est Christus? 269.b  
 10. Patres nostri omnes eundem potum spiritualem biberunt. 299.b

## Ad Galatas.

5. Manifesta sunt opera carnis. 104



D. ALBERTI MAGNI,  
EPISCOPI RATISPOENSIS,  
DOCTRINA TOTO  
ORBE CELEBERRIMI,  
Ordinis Prædicatorum

SERMONES DE TEMPORE.

PROLOGVS.



*Voniam veritatis testimonio seruus inutilis, qui talentum Domini commendabilibus lucris non exposuit, sed terris infodit, vituperatur, talento priuatur, & in exteriores tenebras, ubi fletus est & stridor dentium, relegatur. Timens & ego, si id ipsum per modicum talentum, quod à Domino recepi, ad fructum animarum non erogarem: quod videlicet propter hoc animaduersioni diuinæ, tanquam malus & piger seruus, cum verecundia subiacerem: quorundam amicorum diutinis precibus inuitatus, quosdam sermones de tempore & festis Sanctorum per anni circulum compilavi, auctoritates sane obscuras & intricatas Bibliorum per industriam derelinquens: illas autem assumens, quæ ad instructionem magis competenter simplicium laicorum.*

*Quocirca peto suppliciter, ne Scripturarum scientia diuites, qui è magno cordis thesauro magna & pretiosa dona proferunt, & in Ecclesia gazophylacium mittunt: ne, inquam, mihi indignentur pauperculo, si cum paupercula vidua duo minuta projiciam: præsertim cum Deo gratum sit & acceptum, ut in tabernaculo eius offerat unusquisque, quod potest. Alij aurum, & argentum, & lapides pretiosos: alijs byssum, & purpuram, & coccum offerunt, & hyacintum. Mecum bene agitur, si obtulerim pelles arietum, & pilos caprarum. Abundantes igitur & delicati, qui depuratum granum esuriunt, magnorum Doctorum scripta transcribunt: iumentis autem simplicibus huius opusculi*

D. Alberti Magni Serm.

A paleas

## Prologus.

paleas in pace dimittant. Hi etiam, qui hoc opusculum sunt suscep*turi*, de sermonum prolixitate non conquerantur. Poterunt enim, si eis placuerit, una vice vel unum, vel duo membra populo pronuntiare, & cetera in tempus posterum reseruare.

IN DOMI



# IN DOMINICA. I.

## ADVENTVS,

### SERMO I.

*Ecce Rex tuus venit tibi mansuetus, sedens super asinam & pullum filium subiugalis, &c. Matth. 21.*

Quatuor sunt principaliter hic notanda.

I. *Quis sis iste Rex, cuius aduentus annuntiatur.*

II. *Quæ sit filia Sion, cui Regis aduentus demonstratur.*

III. *In quali equitatura equitator venire dicatur.*

IV. *Propter quid aduenturus esse aſtruat.*



**D**é primo nota, quod Rex iste est Filius Dei, cui tradidit Deus pater regnum. De isto Rege dicitur Daniel. 7.  
*Aspicebam in visione noctis, & ecce cum nubibus cœli, quasi Filius hominis veniebat, & usque ad Antiquum dierum peruenit: & in conspectu eius obtulerunt eum. Et dedit ei potestatem, & honorem, & regnum; & omnes populi, tribus, & lingue seruient ipsi: potestas eius, potestas eterna, quæ non auferetur, & regnum eius quod non corruptetur.* Ecce Daniel, qui fuit multis annis, antequam Christus nasceretur, prædictit eius amabilem Incarnationem, nec non & glorioſam Ascensionem eiusdem. 1. Incarnationem prædicit, vbi ait: *Aspicebam in visione noctis, & ecce cum nubibus cœli quasi Filius hominis veniebat.* Vnde dicit: *Aspicebam in visione noctis: quia omnes visiones Prophetarum, quas videbunt in via, erant quasi visiones noctis, respectu illarum, quæ erunt in patria.* Licet enim hic limpide viderent Deum: ibi tamen multo lippidius videbitur. 2. Vedit ergo cum nubibus cœli Filium hominis venientem. Per nubes cœli charitas & veritas intelliguntur. Hæ nempe diffillant nobis rorem diuinæ misericordiæ. Cum istis itaque nubibus Filius hominis venit; quia veritas & charitas Dei Filius efficaciter ad hoc induxerunt, ut Filius Virginis fieri dignaretur. Promisit enim hoc per charitatem, & exolut per veritatem. 3. Nubes etiam fuit ipsa Virgo Maria, per quam Dominus venit in mundum. De hac nube dixerat Isa. 19. *Ecce Dominus ascendit super nubem leuem, & ingredietur Ægyptum.* Nubes igitur est Beata Virgo Maria, quæ pluuiam diuinæ gloriae pluit toti mundo. Hæc Ienius fuit; quoniam creditur in utero matris fuisse sanctificata, propter quod nunquam pondere alicuius peccati fuit aggrauata. 4. Mane ergo Dominus ascendit per assumptionem

*D. Alberti Magni Serm.*

nostræ carnis; & sic ingressus est in Ægyptum, per quam mundus iste figuratur. Ægyptus itaque tenebræ vel mœror interpretatur. Tunc enim tenebræ ignorantiae Dei fuerunt in impiis, & mœror magnus erat in iustis, qui aduentum Christi cum multis lacrymis expectabant. Veniens autem Christus, & impiorum tenebras per semetipsum illustravit, & mœrorem iustum pia consolatione placauit.

Daniel etiam Ascensionem Filij Dei prædit, vbi ait: *Et usque ad Antiquum dierum peruenit: & in conspectu eius obtulerunt eum.* Per Antiquum dierum, Deus Pater intelligitur, ad quem Christus verit in Ascensione. Humilitas enim & obedientia ipsius Filij Dei, per quæ subierat mortem, mortem autem crucis; obtulerunt eum cum gloria Deo Patri, qui dedit ei potestatem, & honorem, & regnum: potestas autem eius non auferetur, & regnum eius non corruptetur. De nobis Dominus, ut ad istum Regem transire mereamur.

De secundo nota, quod per filiam Sion quælibet fidelis anima designatur. Sion quippe interpretatur mandatum vel speculum. Debet igitur anima filia esse mandati & speculi. Tunc autem efficitur filia mandati, cum adimplat ea mandata, quæ Deus ipsi mandauit. Sicut enim filia obedit matri: ita & anima debet obedere mandatis. Vnde dicit Ecclesiastes 12. *Deum time, & mandata eius obserua.* *Hoc est omnis homo.*

Et licet plurima sint mandata Domini, quæ ab omni homine sunt obseruanda; nos tamen ad præsens sex tangemus, quæ Dominus iuber obseruari. Dicitur enim Matth. 19. Quod quidam adolescens accedens ad Iesum, ait illi: *Magister bone, quid boni faciam, ut habeam vitam aeternam?* Respondit ei Iesus: *Si vis ad vitam ingredi, serua mandata.* Dicit ille: *Quæ?* Iesu autem dixit: *Honora patrem tuum, & matrem tuam: Et diligere proximum tuum sicut teipsum.* Non horum

A 2 cedium

## 4 D. Alberti Magni, Ord. Præd.

*cidium facies. Non adulterabis. Non furtum facies.  
Non falsum testimonium dices.*

Et nota, quod in verbis præmissis Dominus quatuor inhibet, & duo iubet. I. Inhibet corporalem læsionem, ibi, *Non homicidium facies*, id est, nullum hominem in corpore suo lædas. II. Prohibet corporum coquinationem, ibi, *Non adulterabis*, id est, neque tuum neque cuiuslibet alterius viri sive feminæ corpus per luxuriam coquinabis. III. Vetat rerum ablationem, ibi, *Non furtum facies*, id est, nulli homini res suas, vel per furtum, vel per rapinam, seu per usuram, seu alio quocunque modo iniuste surripias. IV. Prohibet famæ deteriorationem, ibi, *Non falsum testimonium dices*, id est, nulli bonam famam detractionibus tuis, & mendaciis minus, vel corrodas.

Iubet etiam duo. I. vt honorem parentibus & maioribus nostris impendamus, ibi, *Honora patrem tuum, & matrem tuam*, id est, O tu adolescens patri tuo & cuiilibet seniori reuerentiam exhibeas & honorem. Tu etiam iuuenula matrem tuam, & aliam quamlibet bonam matronam honorare non omittas. I. Vt de parentibus nostris, & de quibusdam proximis nostris egentibus curam habeamus, id est, *diliges proximum tuum sicut te ipsum*, id est, sicut in sustentatione & procuratione proprij corporis negligens non existis: ita etiam parentum tuorum, & aliorum pauperum non obliuiscaris; sed necessitates eorum & inopias tuis subleuare eleemosynis non desistas. Igitur anima, qua hæc sex mandata adimpleuit fideliter, dicitur filia Sion, id est, filia mandatorum Dei.

*N O T A.* Erit etiam hæc filia speculi, id est, Iesu Christi. Ipse enim est speculum sine macula: sicut dicitur *Sap. 7.* Et in hoc speculum Angeli continuo desiderant prospicere: sicut dicitur *I. Pet. 1.* Igitur filia Sion, hoc est, animæ mandatorum Dei obseruatrii dicetur ab Angelis, cum transmigrabit à corpore: *Ecce rex tuus venit tibi mansuetus.* Quasi datur ei: O anima, quia regis etiam obseruasti mandata, semper eum circa te fenties mansuetum.

De tertio nota, quod iste Rex, quando venit in mundum, venit in humili equitatura: videlicet in asina & filio eius. Vnde dicitur in Euang. *Sedens super asinam, & pullum filium subiugalis.* Per asinam intelligitur laboriosa, & humili, ac contemptibilis caro Christi. Sicut enim asina multos labores sustinet: ita & caro Christi plurimos propter nos est passa labores. Vnde dicit *Isa. 53.* *Verè langores nostros ipse tulit, & dolores nostros ipse portauit.* Sicut enim asina non habet differentiam inter onera, sive vilia sint, vel honesta, sed quaecunque onus sibi impositum fuerit, illud portat: ita etiam caro Christi non tantum honesta, sed & vilia onera tolerauit. Vnde dicit *Isa. 53.* *Dominus posuit in eo iniquitates omnium nostrum.* Et certè nihil est vilius, quam iniquitates, quas, id est, quarum pœnam Dominus pro nobis in cruce pertulit.

2. Iudei quoque satis vilia onera imposuerunt huic asinæ, id est, carni Christi: videlicet spuma sua. Christum siquidem conspuerunt, sicut testantur Matthæus & Marcus. Præterea vt asina est animal contemptibile: sic etiam Christus, quia tam humilis fuit, propterea

contemnebatur. Vnde dicit *Isa. 43.* quod Christus quasi leprosus esset, & omnium virorum nouissimus despctus, & pro nihilo reputatus.

De quarto nota, quod rex, id est, Filius Dei venit, vt saluaret: vnde dicitur in Euang. *Venit tibi*, id est, ad salutem tuam, *mansuetus*, id est, tractabilis atque benignus. Hinc etiam ipse Filius Dei dicit *Ioan. 3.* *Non misit Deus Filium suum in mundum, ut iudicet mundum: sed ut saluaretur mundus per ipsum.* De hoc etiam dicit *Zach. 9.* *Exulta filia Sion, iubila filia Ierusalem: Ecce Rex tuus venit tibi iustus & saluator: ipse pauper & ascendens super asinam, & super pullum filium asina.* Per filiam Sion, vt supra expositum est, fidelis anima designatur: quæ etiam per filiam Ierusalem figuratur. Ierusalem quippe timor perfectis interpretatur.

Debet igitur anima cuiuslibet Christiani filia esse perfecti timoris; vt scilicet Deum timeat, non tantum propter hoc, ne in gehennæ tormenta mittatur: sed potius ob hoc, ne dulcis eius facies amittatur. Non solum enim anima debet Deum timere tanquam iudicem saeuissimum: sed etiam tanquam patrem charissimum, & sponsum dulcissimum.

Huic ergo animæ dicitur, vt exultet, & iubilet, quia Rex sus, id est, Iesus, venit in mundum *iustus saluator, & ipse pauper.* Notabiliter ista tria de Christo dicuntur: scilicet quod est iustus, & saluator, & pauper. *Iustus* enim vocatur, quia ad hoc venit, vt nulli iniuriaretur. Primo, vt quilibet per eum saluaretur. Sed ne dicant pauperes: Ipse saluabit diuites, nos non audiems appropriare ad ipsum; propterea adiungitur: *Et ipse pauper:* ne scilicet pauperes eum fugiant, sed fiducialiter ad eum con fugiant. Similia quippe ad sibi similia congregantur. Vnde dicitur *Eecl. 13.* *Omne animal diligit simile sibi. Omnis caro ad sibi similem coniungetur, & omnis caro sibi simili sociabitur.* Voluit ergo Christus esse pauper, vt pauperes cum diligenter, & ad ipsum cum fiducia con fugerent.

Suscipiamus igitur charissimi aduentum Domini cum tota mentis deuotione: quia sic Dominus olim venit in mundum, vt mundus saluaretur: ita adhuc annuntiat Dominus aduentum suum nobis, & repræsentat, ut per hoc nobis innuat, quod paratus est nos saluare ab omnibus iniquitatibus nostris; si tamen per veram pœnitentiam ad ipsius clementiam conuertamur. Rogate ergo Dominum, vt sic aduentum sui Filij cum mansuetudine venientis veneremur, vt etiam in aduentu illo, quando iudicaturus veniet, ipsi collætemur. Quod nobis præstare dignetur, qui sine fine viuit & regnat Deus, per omnia secula seculorum.

Amen.



IN DOMINIC. II.  
Aduentus.

## SERMO II.

*Tunc videbunt Filium hominis  
venientem in nubibus, cum  
potestate magna, & maiestate.*

LUC. 21.



ORA, quod quadruplex est aduentus Domini. Primus fuit in Virginis vterum, secundus in mundum, tertius est in cor humanum, quartus erit in iudicium. In vterum Virginis venit, vt carne humana indueretur. In mundum venit, vt per suum sanguinem genus humanum redimeretur. In cor hominis venit, vt per eum à suis langoribus subleuetur. Ad iudicium venit, vt ventilabro iudicariae sententia granum à paleis separetur.

Omissis autem tribus aliis aduentibus, ad praesens de redemptione humani generis aliqua breuiter tangemus. Vnde tria principaliter sunt hic notanda.

I. *Quod signum ad istam redemptionem concurrit.*

II. *A quibus, & per quae homo redemptus extiterit.*

III. *Quid redemptionem in cruce factam secutum fuerit.*

De primo nota, quod multiplex signum in redemeptione hominis accedit. De his signis dicitur in praesenti Euangeliō: *Eruunt signa in sole, & luna, & stellis, & in terris pressura gentium, &c.* Per solem intelligitur ipse Dei Filius. Ipse enim est sol iustitiae, sicut dicitur *Malach. 4. 1.* In hoc sole signum magnum apparuit: quia videbile obscuratus fuit, sicut predixerat *Ioel 2. Sol conuertetur in tenebras.* Nonne sol iste respectu Iudeorum conuersus fuit in tenebras, quando velatus fuit, & post velationem percussus & colaphizatus? Dicatumque fuit ei: *Prophetiza, quis es, qui te percussit?* quasi ipse ignoraret percussentes se. Quicquid etiam claritatis fuit in specioso vultu solis istius, quasi obtenebratum fuit per spuma Iudeorum, qui expuerunt in eum: sicut testantur *Matthaeus & Marcus.* Hinc etiam dicit *Isa. 53.* *Non est ei species, neque decor.*

2. Per lunam figuratur Virgo Maria. Vnde quidam Sanctus dicit in laudem ipsius; *Tu pulchra ut luna diceris, eique non immerito compararis.* Illa enim astrorum omnium sola soli simillima, & candore venusta argenteo, ceteris in celo premitat sideribus. *Tu veri solis imago expressissima inter milia Angelorum Deo afflentum virginali puritate in excelso gloria resulges.*

In hac ergo luna, id est, in Beata Virgine Maria factum est signum miserabile: quia scilicet conuersa fuit in sanguinem. Hoc etiam predixit *Ioel 2.* *Luna, inquit, conuertetur in sanguinem.*

D. Alberti Magni Serm.

nem. Tunc autem Beata Virgo conuersa fuit in sanguinem, quando intellexit dulcissimum filium suum traditum, & captum, & colaphizatum, & consputum, & ad crucis martyrium postulatum. Tunc vero tota luna facta est, vt sanguis, quando assistens cruci vidit filij caput spinis laceratum, & dorsum, & omne corpus sanguine cruentatum. Cum etiam vidit manus & pedes clavis perforari, & postremo latus eius crudeli lancea transfigi; quis sufficienter explicare poterit, quantos dolores tunc sustinuit Virgo Maria?

3. In stellis etiam signa contigerunt. Per stellas autem intelliguntur Apostoli. Sicut enim stellae affixa sunt firmamento: ita & ipsi semper adhaerunt Christo. Sed certe tunc etiam in stellis hoc signum apparuit; quod scilicet à firmamento ceciderunt. Dicit enim *Matt. 26. & Marc. 14.* quod *tunc Discipuli relitto eo fugerunt.* Petrus etiam, qui quasi constantior aliis eum à remotis sequebatur, territus ad vocem unius ancillæ eundem, quem secutus fuerat, cum iuramento negavit. Vnde & Dominus dixerat *Mar. 13.* *Stelle cali erunt incidentes.*

4. Tunc etiam in terris facta fuit pressura. Per terras intelliguntur illæ bona mulieres, quæ Dominum sequentes plangebant, & lamentabantur eum, sicut dicit *Luc. 23.* Sicut enim terra alit homines per fructus suos, quos producit: sic & ipsæ pauerunt Iesum per terras euntem & prædicantem. Vnde dicitur *Luc. 8. Maria Magdalena, & Ioanna uxor Chrysostomis procuratoris Herodis, & Susanna, & aliae multæ ministrabant ei de facultatibus suis.* Hæ itaque, cum viderunt Iesum duci ad mortis supplicium, magnas pressuras dolorum in cordibus suis passæ fuerunt. Et hoc propter crudelitatem gentium, id est, eorum, qui Dominum gentiliter & impie tractabant.

5. Tunc etiam quidam homines, circa quos Christus miracula fuerat operatus, præ timore quasi arescebant. Timebant enim, ne & ipsi impeterentur à Iudeis: vt pote quasi propter eorum curationem Iesus ipsorum sabbata violasset. Tanta quippe tunc erat confusio sonitus maris ac fluctuum!

6. Per mare denique Iudeorum maiores, videlicet Principes Sacerdotum, & ipsi Sacerdotes notantur. Per fluctus vero Scribæ & Pharisei figurantur. Hi omnes in tantam insaniam & furorem eruperant, vt libenter exterminassent Iesu memoriam de terra. Tunc igitur, qui ante eum dilexerant, præ timore & expectatione eorundem cruciatuum, qui superueniebant vniuerso orbi, id est, Christo, quasi arescebant. Christus enim ideo vniuersus orbis appellatur: quia in eo viuimus, mouemur, & sumus, vt dicit *Lucas c. 21.*

Etiam virtutes calorum mouebuntur. Sol etenim & luna, necnon & calia sidera retraxerunt splendorem suum, & factæ sunt tenebrae super vniuersam terram ab hora sexta usque ad horam nonam, sicut testantur *Matt. 27. & Luc. 23.* Ecce quæ, & quanta signa occurserunt tempore redemptoris humanæ.

De secundo nota, quod Filius Dei nos ab iniurias nostris redemit in cruce. Hanc redemptionem promiserat Spiritus S. per os David in *Psal. 1.* *Quia apud Dominum est misericordia;*

A 3 ideo

ideo subaudi, & copiosa est apud eum redemptio.  
Et ipse redimet Israël ex omnibus iniquitatibus suis.

Nota, quod per copiosam redemptionem ipse Filius Dei intelligitur. Ipse enim erat redemptor, & redemptio: sicut dicit Apost. 1. ad Corint. 1. *Qui factus est nobis redemptio.* Redemptor igitur fuit; quia in propria persona nos redemit. Redemptio fuit; quia in semetipso hoc accepit, per quod nos redemit, scilicet, pretiosum sanguinem suum, qui erat in gremio cordis sui. Propter quod dicit Apost. ad Eph. 1. *Dens pater gratificauit nos in dilecto Filio suo, in quo habemus redemptionem per sanguinem eius.* Haec ergo copiosa redemptio, id est, ipse Filius ab æterno astitit vultui Patris, quasi paratus carnem assumere, & genus humanum redimere, quando hoc Patri placeret. Igitur Dei Filius redemit in cruce genus humanum ex omnibus iniquitatibus suis, quas originaliter traxerat à primis parentibus.

Et nota, quod ad minus sex erant iniquitates Adam & Euæ. Prima erat iniquitas, quod similitudinem Dci superbe petierunt. Ad hoc enim induxit eos persuasio serpentis, qui dixit eis: *Eritis sicut dij.* Secunda fuit, quod scientiam boni & mali indebet sitierunt. Illecti enim erant per promissionem serpentis, qui ait: *Et eritis scientes bonum & malum.* Tertia fuit, quod id, quod suum non erat, rapuerunt, scilicet, fructum Domini, quem sine licentia sua fregerunt. Quarta fuit, quod hoc, quod eis inhibatum fuit, gulose comedenterunt. Vnde legitur Gen. 4. *Vidit mulier, quod bonum esset lignum ad vendendum, & pulchrum oculis, aspectuque delectabile, tulit de fructu illius, & comedit, deditque viro suo: qui comedit.* Quinta fuit, quod cum elatione se excusauerunt, quasi culpam suam retorquentes in Deum. Adam enim excusando se ait: *Mulier, quam dedisti mihi sociam, dedit mihi de ligno, & comedi.* Quasi diceret: Si non dedisses mihi sociam, cui societatem exhibere debueram, non comedisse. Mulier etiam dixit: *Serpens decepit me, & comedi.* Quasi diceret: Nisi tu creases astutum serpentem, per eum decepta non fuisssem. Sexta iniquitas fuit, quia inobedientes suo Creatori extiterunt. Et hoc peccatum quasi radix & finis extitit aliorum peccatorum.

Ecce ex istis iniquitatibus redemit nos Dei Filius in cruce, contraria prædictis vel patiendo, vel agendo. Contra hoc enim, quod illi per superbiam similari volebant optimo, Dei Filius assimilari voluit sceleratissimo. Quasi enim esset omnium hominum sceleratissimus, Barabbas eximio latrone absoluto, ipse ad crucem est postulatus, & in medio duorum latronum suspensus, & sic dicitur Marc. 15. *Adimpleta est Scriptura, que dicit: Et cum impiis deputatus est.* Item, Contra hoc, quod ipsi ex minima scientia indebet sitierunt, iste quasi quidam impotens persistit in doloribus & in tormentis. Dicit enim Matth. 27. *Quod Principes Sacerdotum illuminantes cum Scribis & senioribus dicebant: Alios saluos fecit, seipsum non potest saluum facere.* Si Rex Israel est, descendat nunc de cruce, & credimus ei. Verisimile est, quod multi, qui tunc astabant, & istas illusiones audiebant, Iesumque in suis cordibus diligebant, quod scilicet videba-

tur eis esse stultitia, quod non descendit de cruce, si poterat descendere. Et forsitan hoc vehementer optabant, vt descenderet ad suipius saluationem, & Iudeorum confusione: sed vere ipse melius & sapientius egit non descendendo. Vnde dicit Isa. 53. in persona Patris de Filio: *In scientia sua iustificabit ipse iustus seruus meus multos, & iniquitates eorum ipse portabit.*

Nota, quod Dei Filius seruus Patris appellatur: quia ad mandatum eius nobis seruauit, tanquam bonæ voluntatis seruus. Item, Contra hoc, quod ipsi fructum illum, qui non erat ipsorum, abstulerunt: Dei Filius præde patuit impiorum, qui Domino, cùm aliud non haberet, quod possent ei auferre, ipsi sua vestimenta abstulerunt: sicut sancti Euangelistæ testantur, & sicut ipse dicit in Psal. 21. *Diviserunt sibi vestimenta mea, & super vestem meam, id est, in tunicam meam, miserunt sortem.* Hanc enim vt dicit Ioan 19. *scindere solebant, quia erat inconsuitus desuper contexta per totum.* Item, Contra hoc, quod ipsi pornum cum gulæ concupiscentia comedenterunt, ipse vehementer sitiens vinum myrratum, acetum, fel, & absynthium babit cum amaritudine. Item, Contra hoc, quod ipsi timide se excusauerunt, Iesus se excusare solebat, cum stans ante Præsidem, accusaretur à Principibus Sacerdotum & senioribus populi. Cùm etiam diceret ei Pilatus: *Non audis quanta aduersus te dicunt testimonia? non respondit ei ad ullum verbum: ita ut miraretur Praeses vehementer.* Iesus etiam cùm staret in cruce, non ostendit innocentiam suam excusando: quod tamen optime facere potuisset. Item, Contra hoc, quod ipsi Creatori suo inobedientes extiterunt, ipse in Patris obedientia, per quam nostras penitentes suscepserat, vsque in mortem crucis tamvillissimam, quam amarissimam perseverauit. Vnde etiam cum clamore valido expirans ait, teste Luca: *Pater, in manus tuas commendo spiritum meum.* Spiritum, inquam, tuæ voluntati per omnia fideliter obedientem. Causamus ergo, charissimi, ne iniquitates istæ, quas Filius Dei tam amarissimè luit, inueniantur in nobis, ne scilicet sumus superbi ac ambitiosi, & ad mala aliorum inuestiganda curiosi. Causamus etiam, ne sumus auari & gulosi. Præterea ne peccata nostra stulte excusemus, nec eis resistamus, quibus obediere debemus.

De tertio nota, quod cum esset in crucis patibulo celebrata redemptio generis humani per sanguinem filij Dei, tunc dæmones viderunt animam Filij hominis venientem in nubibus, id est, comitatu angelico cum potestate magna innocentia, & maiestate diuinæ gloriae. Tunc etiam animæ iustorum, quæ erant in limbo, & diurno desiderio redemptionem expectauerant, respexerunt lucem desuper venientem, & cum ingenti gaudio capita sua à mærore tristitia leuauerunt, quoniam venit ipsorum redemptio, quæ eas à diabolo Domino liberaret. Det nobis, charissimi, Dominus, vt eum, qui nos à nostris iniquitatibus redemit, sic per bonam vitam nunc sequamur, vt etiam ab ipso in die iudicij ex omni misericordia redimi mereamur.

\*\*

IN



IN DOMINIC. III.  
Aduentus.

S E R M O III.

*Tu es, qui venturus es? an alium expectamus?*

Matth. II.

**N**OTANDVM est, quod Dominus venit, venit, & veniet. Secundum præteritum tempus venit, per carnis nostra assumptionem. Secundum præsens tempus venit, per gratiæ infusionem. Secundum futurum tempus veniet, per iudicij distriictiōnem. Sed primo & tertio aduentu ad præsens omisso, aduentum illum breuiter tangemus, qui est per gratiæ infusionem, qui etiam in præsenti Dominicā repræsentatur. Vnde etiam in Collecta petimus: *ut mentis nostræ tenebras gratia sua visitationis illustret.* Euangelium etiam est de sancto Ioanne, qui interpretatur gratia, siue in quo est gratia.

Duo igitur principaliter sunt h̄ic notanda.

I. *Quod Dominus in homine per gratiam veniens operetur.*

II. *Per quod hominem gratiam recepisse probetur.*

De primo nota, quod Dominus, veniens per gratiam, sex operatur in homine peccatore: & ista sex tanguntur in præsenti Euangelio, vbi Dominus dicit: *Euntes renuntiate Ioanni, quæ audistis & vidistis. Caci vident, claudi ambulant, leprosi mundi sunt, surdi audiunt, mortui resurgunt, pauperes euangelizantur.*

Primum ergo, quod Dominus per gratiam in homines veniens operatur, hoc est, quod scilicet eos, quos superbia excæauerat, per humilitatem illuminat. Superbia quippe siue vana gloria est quasi quoddam fulmen excæcans oculos animæ. Sicut enim fulmen quandam breuem claritatem habet, sed tamen teneris creaturis valde nocuum: ita etiam est de superbia, quia lucere volunt in hoc seculo per elatam superbiam, per quam tamen pauperes incenduntur. Dicitur enim in Psal. 9. *Dum superbit impius, incenditur pauper.* Hos itaque, quos cæcauerat elatio, Dominus per humilitatem videte fecit. Humilitas enim est oculus animæ, per quam homo conditionem suam ac statum suum verissimè recognoscit. Vnde dicit Bern. *Humilitas est virtus, qua homo verissima sui cognitione sibi ipsi vilescit.*

Secundum, quod Deus facit in homine, hoc est, quod scilicet his, quos avaritia claudos fecerat, per charitatem gressus recuperat. Avaritia quoque facit hominem claudum utroque pede. Propter hoc legitur 2. Regum 4. quod Ionathas filius Saul habebat quinquennem filium qui vocabatur Miphiboseth, qui cecidit ex brachiis nutricis suæ ad terram, & claudus factus

est utroque pede. Ionathas interpretatur columba veniens, & significat Iesum Christum, qui sicut columba venit. Quia veniens in hunc mundum ramum virentis oliuæ portauit in ore suo. Per oliuam enim pax & misericordia figurantur: quæ duo ipse attulit in hunc mundum. De pace dicit ipse Ioann. 14. *Pacem relinquo vobis, pacem meam do vobis.* De misericordia dicitur Luc. 9. quod cum quadam vice Samaritani noluissent recipere Iesum in hospitium, Iacobus & Ioannes dixerunt: *Domine, vis dicimus, ut ignis descendat de celo, & consumat illos.* Et conuersus increpauit illos, & dixit: *Nescitis, cuis spiritus estis. Filiis hominis non venit animas perdere, sed saluare.*

Filius huius Ionathæ est quilibet Christianus, qui dum cadit ex brachiis nutricis sue, claudus efficitur. Nutrix nostra est diuina prouidentia. Tunc autem ex brachiis huius nutricis cadimus, quando non confidimus ad plenum diuinæ prouidentiæ, quod possit, vel velit nos nutrire. Et quando circa terrena conquirenda nimis solliciti incipimus insistere, verè tunc claudi efficiuntur utroque pede: tunc enim amittimus affectum erga Deum, & proximum. Avarus enim neque diligit Deum, neque proximum. Et talis claudus vocatur Miphiboseth, quod interpretatur os confusum. Tales etenim auari confundentur in die iudicij, quando Dominus dicet eis: *Estrini, & non dedistis mihi manducare. Sitini, & non dedistis mihi bibere. Nudus fui, & non cooperustis me. Hospes fui, & non collegistis me.* sicut dicitur Matth. 25. His itaque, quos avaritia claudos fecerat, Dominus per charitatem animæ gressus recuperat. Charitas enim facit hominem diligere Deum & proximum. Facit etiam cum contemnere bona temporalia, & apponere sempiterna. Vnde Prosper. *Charitas est, ut mihi videretur, recta voluntas ab omnibus terrenis & presentibus prorsus auersa, innata Deo inseparabiliter & unita.*

Tertium est, quod Deus facit in homine, hoc est, quod videlicet eum, quem luxuria leprosum fecerat, per castitatem purificat & emundat. Cum enim luxuria factida sit & immunda, corruptit animam, & lepram eam facit & immundam. Vnde dicit liber medicinæ, quod *lepra est membrorum corruptio ex humoribus putrefactionis habilibus effecta.*

Et nota, quod sicut legitur in Leuit. 13. quadruplex est species lepræ, scilicet in cute, in capillis, in veste, & in domo. 1. Lepram in cute habent mulieres, quæ quibusdam fucis & liniamentis cutem suam liniunt & perungunt, ut rubicundiores appareant, & nitidiores. De ipsis scribit Hieronymus ad Furiam. *Quid facit in facie, Christiane, purpurissus & cerussus? quorum alterum ruborem genarum mentitur & labiorum, alterum candorem oris & colli. Ornatus iste non Domini est, velamen istud Antichristi est. Quia fiducia erigit ad calum vultus, quos conditor non agnoscit?* 2. Lepram habent in crinibus viri, qui crines suos calamistro retorquent. Lepram etiam in crinibus habent mulieres, quæ, ut ait Hieronymus, *capillis alienis verticem, & occiput struunt, & quæ crines suos forsitan canos citrino seu croceo colore colorant, quæ etiam crinibus suis aureas zonas intorquent: contra mandatum Apo-*

stolorum Petri & Pauli. Ait enim 1. Pet. 3. *Mulierum non sit extrinsecus capillatura, aut circumdatio aurii.* Dicit etiam Paulus ad Timoth. 2. *Non ornent se mulieres intortis crinibus, aut margaritis.*

3. Lepram in vestibus habent siue viri, siue mulieres, qui rugas faciunt in vestibus suis, siue lineis, siue laneis, & quæ superfluitates nondorum aureorum vel argenteorum vestibus suis circumponant & assumunt, non considerantes quod habitus talis non congruit pœnitentia: cum Dominus filios & filias Adæ propter pœnitentiam agendam posuerit in hunc mundum, quibus sufficere deberet, quod vestiti essent, sicut pater & mater eorum vestiti erant, quando eos de paradyso transmisit in mundum: de quibus dicitur in Gen. 3. *Fecit Dominus Deus Adæ & uxori eius tunicas pelliceas, & induit eos.* 4. Lepram habent in domo, qui in cameris suis, & in thalamis depingi faciunt imagines lasciuas, quasi chorizantes, ac sele mutuò amplectantes. Qui etiam cortinas huiusmodi imaginum suspendent ad parietes suos. Hos itaque, quos luxuria leprosos effecerat, veniens Dominus per castitatem emundat. Officium siquidem castitatis est, hominem intrinsecus & extrinsecus ab omnibus inquinamentis libidinis emundare.

Quartum est, quod Dominus fecit per gratiam in homines veniens, quad scilicet his, quos vanitas mundanæ lœtitiae surdos effecerat, auditum restituit per veram considerationem mundanæ instabilitatis. Vanitas quippe mundanæ lœtitiae fecit hominem surdum intrinsecus. Omnes enim qui diligunt mundanam lœtitiam, non libenter audiunt verbum Dei: uno potius delectantur in citharis, & tympanis, & fistulis, & vigilis, ac aliis, & symphoniis, nec non & in fabulosis rithmis histriorum. De his surdis dicit Dominus in Isa. 42. *Quis surdus, nisi ad quem misericordios meos prædicatores, & eos audire recusat?* Hos igitur, quos vanitas mundanæ lœtitiae surdos effecerat, Dominus in hominem veniens audire fecit per veram considerationem mundanæ instabilitatis. Qui enim, dum verè consideraret instabilitatem huius mundi, libenter deberet audire illos, qui ostenderent ei viam supernæ patriæ, ubi vera stabilitas est, & vera quies.

Quintum, quod fecit in homine Dominus veniens, hoc est, quod scilicet illos quos neceperat desperatio veniae, resuscitat per spem diuinæ misericordiaæ. Desperatio siquidem venie multos interemit, & occidit. Sicut enim æger est in periculo statu vitæ, qui per certa signa mortis à medicis est desperatus: sic etiam periculosa est animæ desperatio venie, quia multi ex hoc incurunt, quod multitudinem facinorum suorum recognitantes, formidant dominum sibi vel nolle, vel posse indulgere. Contra desperationem dicit Abner ad Ioab in 2. Reg. 2. *An ignoras, quam periculosa sit desperatio?* Hos itaque quos interemerat desperatio, Dominus per gratiam veniens in hominem resuscitat per spem misericordiaæ. Tanta enim est diuina misericordia, quod respectu eius omnia peccata hominum, quantacunque sint, vel qualiacunque, sunt quasi scintilla in medio maris. Et hoc debet spem facere homini verè pœnitenti.

Sextum, quod facit Dominus in homine, in

quem venit per gratiam, hoc est, quod cum, quem cōfidentia longæ vitæ pauperem fecerat, hunc per memoriam mortis, & per desiderium regni cœlestis euangelizat, id est, ad studium bonorum operum, & messem perpetuæ vitæ conquirendam admonet & confortat. Multi enim propter hoc, quod cogitant se diu victueros, negligunt fructus bonorum operum: sed Dominus veniens per gratiam incutit eis metum mortis, ut eo feruentius ea seminent in terris, quæ metant in cœlis. *Quaecunque enim seminauerit homo, hec & metet,* ut ait Apostolus ad Galat. 6. Hinc etiam dicitur Eccl. 9. *Quodcumque potest manus tua facere, instanter operare: quia nec opus, nec ratio, apud inferos est, quo tu properas.*

De secundo nota, quod per quatuor probari potest, si homo Dorinum recipit per gratiam, & de his quatuor Ioannes in praesenti Euangeliō commendatur à Domino. Primum est, si homo, sicut arundo, non agitur à vento. Vnde dicit Dominus: *Quid existis in desertum videre? arundinem vento agitatam?* Quasi diceret: Ioannes non est arundo à vento agitata.

Primum ergo signum est, quod homo Domini num recipit per gratiam, si non agitatur vento, sicut arundo. Arundo enim, id est, homo arundineus, agitata vento prosperitatis cedit ad dextram: vento etiam aduersitatis agitata cedit ad sinistram. Contra hoc mandauit Moyses regi Edom Numer. 20. *Obsecramus ut nobis transfere liceat per terram tuam.* Non ibimus per agros, aut per vineas, non bibemus aquam de puteis tuis, sed grademur via publica, nec ad dextram, nec ad sinistram declinantes, donec transcamus terminos tuos. Edom interpretatur terrenus, vel sanguineus: & significat mundum, qui à diabolo, qui homicida exitit ab initio, multiformiter est trucidatus. Igitur filij gratiæ transire debent per terram huius mundi, ut nec cedant ad dextram prosperitatis per immoderatam lœtitiam, nec etiam declinent ad sinistram, per desperatam tristitiam. Arundo etiam videtur exterius solida, sed intus est vacua: sicut sunt quidam homines, qui habent arundineas gratias, vtpote corporis pulchritudinem, membrorum sanam fortitudinem, linguae facundiam, & huius seculi sapientiam, & cætera huiusmodi, quibus raro merentur, sed saepius demerentur. Contra quod ait Apostolus 1. ad Corinth. 15. *Gratia Dei sum id quod sum, & gratia eius in me vacua non fuit, sed abundantius omnibus illis laboravi.* Quasi dicat: Non habui gratiam arundineam. Item dicit 1. ad Corinth. 6. *Exhortamur vos, ne in vacuum gratiam Dei recipiatis.*

Secundum lignum, per quod probari potest, si homo Dominum recipit per gratiam, hoc est, si mollibus non vestitur. Ille mollibus non vestitur, qui molliter non viuit: sed qui carnem suam crucifigit cum vitiis & concupiscentiis, & qui abstrahit ei delectationes & concupiscentias huius mundi. Vnde dicit Apost. ad Gal. 2. *Christo confixus sum cruci.* *Vivo autem iam non ego;* viuit vero in me Christus. Et post pauca subdit. *Non abiicio gratiam Dei.* Quasi dicat: Abicerem gratiam Dei, si molliter & secundum carnis concupiscentiam viuerem. Propter hoc Dominus dicit in Euangeliō: *Sed quid existis in desertum uidere: hominem mollibus vestitum?* Quasi dicat


# In Dominic. I V. Aduent. Serm. IV. 9

dicit Ioanni primo : Ille in quo est gratia ; non est mollibus vestitus. Hinc etiam dicit Matth. 3. quod *Ioannes habebat vestimentum de pilis camelorum.*

Et nota, quod anima intrinsecus vestiri debet molli & delicata virtutum vestitura : caro vero extrinsecus, in quantum sustinere potest, debet duris laboribus operari. Vnde & velum tabernaculi, quo intrinsecus vestiebatur, valde pretiosum erat & delicatum : extrinsecus vero & supremum vile erat & mirabiliter aspernum.

Tertium signum, per quod probatur, quod homo Dominum recepit, hoc est, quod sit Prophet. Vnde & Dominus dicit: *Sed quid existis videre? Prophetam?* Q. d. Vere ipse est Prophet. Igitur homo, qui Dominum per gratiam recepit Prophetam est: quia anima sua praedita ac prænuntiat aduentum Domini ad iudicium: de quo aduentu Paulus dicit i. Cor. 4. *Nolite, ante tempus iudicare, quoadusque veniet Dominus, qui illuminat abscondita tenebrarum, & manifestat consilia cordium;* & tunc laus erit uniuersique à Deo. In aduentu igitur Domini ad iudicium publicabuntur operationes hominis ac voluntatis, quæ si bona fuerit Deo, magnifice collaudabitur : si vero mala, vituperabitur ; & confundetur.

Quartum signum, per quod homo experitur Dominum in cor suum uenisse per gratiam, hoc est, quod scilicet plus sit quam Prophet. Vnde & Dominus dicit de Ioanne: *Sed quid existis in desertum videre? Prophetam? etiam dico vobis, plus quam Prophetam.* Ille igitur homo plus est quam Prophet, qui nam solum praedita anima sua, quod consolationem inueniet in futuro seculo: sed qui eam etiam quamplures recipit in praesenti : sicut dicit Psal. *Secundum multitudinem dolorum meorum in corde meo consolationes tue letificant animam meam.* Rogate ergo Dominum charissimi, ut sic nunc eum in cor nostrum recipiamus, ut ipsum in iudicio cum omni laetitia videamus. Quod nobis praestare dig. &c.



## IN DOMINIC. IV.

### Aduentus

### S E R M O I V.

*Medius vestrum stetit, quem  
vos nescitis. Ipse est, qui  
post me venturus est, qui  
ante me factus est: cuius ego  
non sum dignus, ut soluam  
eius corrigiam calceamentum.*  
Ioan. 1.

Tria principaliter sunt hic notanda.

I. *Quis sit ille, quem Ioannes medium  
stare perhibet & affirmit.*

II. *Quando Dominum per se venturum  
esse prædicat.*

III. *Quod sit calceamentum, cuius corri-  
giam se indignum afferit, ut  
soluat.*



E primo nota, quod ille, quem Ioannes medium stare perhibet & affirmat, ipse est Dei Filius. Vnde notar glossa super locum istum: *Medius vestrum stetit, quem vos nescitis, id est, presens vobis apparet corpore.* Hunc etiam Ioannes digito demonstrauit. Vnde immediate post præfens Etangium dicitur in Ioanne: *Altera autem die vidit Ioannes Iesum venientem ad se,* & ait: *Ecce agnus Dei, ecce, qui tollit peccata mundi. Hic est de quo dixi: Post me venit vir, qui ante me factus est.* Cum ergo Ioannes dicat, Iesum stare medium, nota, quod Iesus in primo iacuit in medio iumentorum. Secundo sedet in medio Doctorum. Tertio pependit in medio latronum. Quartò stetit in medio Discipulorum. Quintò vero ambulat in medio candelabrorum aureorum.

Primo ergo Iesus iacuit in medio iumentorum ; quando scilicet intemerata Virgo Maria pannis eum inuoluit & reclinavit in presepio : quia non erat ei alius locus in diuersorio. De hoc dicit Habachuc secundum aliam translationem 3. c. *In medio duorum animalium cognosceris.* Erant aurem hæc duo animalia bos & asinus, secundum quod videtur in picturis, quæ sunt libri luctorum. Iacens ergo Iesus in medio iumentorum ostendit mirabilem humilitatem. Valde enim mirabile fuit, quod diuina maiestas induit corpus paruuli in stabulo iacentis ac vagientis. Debemus igitur & nos in hac humilitate mirabilem Deum imitari : quia gloriosum præmium humilitati promittitur. Quia scilicet suscipiunt à gloria Domini. Vnde dicitur Proverb. 29. *Superbum sequitur humilitas, & humiles spiritu suscipiunt gloria.*

Secundo, Iesus sedet in medio Doctorum. Vnde legitur in Luc. quod *inuenierunt Iesum parentes eius in templo sedentem in medio Doctorum, audiensem illos, & interrogantem.* Per hoc, quod Iesus sedet in medio Doctorum audiens & interrogans illos, inuitat nos ad studium veræ sapientiae. Vera autem sapientia est timere Dominum. Vnde dicitur Eccl. 1. *Plenitudo sapientia timor Domini.* Hunc ergo timorem diligere debemus: quia qui timent Dominum, custodiunt mandata illius. Vnde dicitur Eccl. 2. *Et vere bene erit eis post hanc vitam, qui modo timent Dominum.* Vnde dicit Eccl. 1. *Timenti Dominum bene erit, & in diebus consolationis illius benedicetur.* Post hanc enim vitam Dominus consolabitur filios suos, & tunc eos, qui illum timuerunt, gloriissime benedicet. Ut autem vetam sapientiam, id est, timorem Domini discarnus, debemus fugere tabernas, ne ibi in medio potatorum sedeamus. Debemus autem frequentare Ecclesiæ, ut illic verba timoris Domini à Sacerdotibus, & Præparatoribus audiamus. Vnde admonet nos Eccl. 6. *In multitudine proborum prudenter sta, & sapien-*

# bo VD. Alberti Magni, Ord. Præd.

et sapientie illorum ex corde coniungere , ut tu narrationem Dei possis audire .

Tertio , Iesu sterit in medio latronum . Vnde dicitur Ioan . 19 . quod crucifixerunt Iesum in loco Calvaria , & cum cætios duos hinc & hinc medium autem Iesum . Istos duos , in quorum medio Iesus est crucifixus , Lucas appellat nequam , & latrones . Iesu autem stans in medio nequam duorum latronum , quasi sceleratior illis esset , ostendit nobis præclarissimum exemplum patientia , quod imitari nos oportet ; vt scilicet quando nos homines vel factis , vel verbis indebet perturbant ac grauant , tunc patientes existamus . Si enim Iesu innocentissimus , stans in medio latronum , sufficiaciones , irrisiones patitur , & cruciatur : non est magnum si & nos , qui in peccatis concepti sumus , & quos mater nostra peperit in doloribus , & qui sine peccato non vivimus , si inquam , & nos impia malorum hominum verba sustineamus , & facta : alias nimis delicati milites sumus , si voluntus regnare cum Christo , & nihil pati pro Christo .

Stetit etiam Iesu in medio Discipulorum suorum . Vnde dicit Ioan . 20 . Venit Iesu , videlicet post Resurrectionem , & stetit in medio Discipulorum , & dixit eis : Pax vobis . Iesu igitur stans in medio Discipulorum suorum , exemplo & verbo inuitat nos ad charitatem & pacem . Charitas enim mater est pacis . Vnde etiam ante Passionem fuit existens inter Discipulos suos , & ministrans eis . Magnum enim signum ostenderat charitatis . Hic etiam dixit , vt ait Luc . 22 . Ego in medio vestrum sum , sicut qui ministrat . Dicit etiam ad eos Ioan . 13 . Si ego laui vestros pedes , Dominus & Magister , & vos debetis alter alterius lauare pedes . Exemplum enim do vobis , ut quemadmodum ego feci vobis , ita & vos faciatis . Charitatem igitur & pacem Christi exemplo ad inuicem habere deberimus . Vnde scribit Apostolus 2 . ad Tim . 2 . Sectare charitatem , & pacem cum his qui inuocant Deum de corde puro . Videtur hic Apostolus inuocare , quod nullus possit inuocare de puro corde , nisi habeat charitatem & pacem , & hoc est sine dubio verissimum .

Quarto ambulat Christus in medio 7 . candelabrorum aureorum . Vnde dicit Ioan . in Apoc . 1 . Vidi septem candelabra aurea , & in medio candelabrorum aureorum similem Filio hominis vestimentum podere , & præcinctum ad mamillas zona aurea , & facies eius sicut sol lucet in virtute sua . Dicitur etiam in 2 . cap . Apoc . Hec dicit qui ambulat in medio 7 . candelabrorum aureorum : Scio opera tua , & laborem , & patientiam tuam .

Nota , quod septem candelabra aurea sunt septem ordines beatorum in regno Dei , scilicet , Angeli , Patriarchæ , Prophetæ , Apostoli , Martyres , Confessores , Virgines , sive Continentes , & omnes alij electi , qui sub istis septem ordinibus comprehenduntur . Vnde dicitur ibi , quod septem candelabra septem Ecclesiæ sunt , id est , septem congregations beatorum . Dicuntur autem hi septem ordines candelabra : quia sicut candelabro candela supponitur , qua domum illuminat : ita & isti septem ordines lumen gloriae à sancta Trinitate receperant , & per totum palatium cælestis reluent .

Inter hæc septem candelabra ambulat Filius Dei vestitus podere , id est , indumento humanita-

tis , & præcinctus ad mamillas aurea zona , chartatis . Licens etiam sicut sol lucet in sua virtute , serenissimo lumine diuinitatis . Ambulat , inquam , Dei Filius inter ista candelabra , que sunt aurea , id est , ad summam nobilitatem perducta , administrans vnicuique electo iucunditatem & exultationem . Iucunditatem vtique propter dotem animæ iam collectam . Exultationem vero , propter dotem corpori repromissam . Propter hoc dicitur Eccli . 15 . Iucunditatem , & exultationem thesaurizabit super eum . Ambulans itaque Filius inter aurea candelabra consolatur vnumquemque beatum , ita inquiens : Scio operatua , & laborem , & patientiam tuam . Quasi dicat : Scio opera , quæ in meo seruicio expendisti ; scio etiam laborem , quo proximis tuis deseruisti ; scio nihilominus patientiam , per quam aduersa mundi sustinuisti . Vnde propter hæc tria mercedem perpetuam recepisti .

De secundo nota , quod Iesu , qui olim iacuit , sedet , stetit , & adhuc ambulat in medio , venturus est in die iudicij , vt iterum sedeat in medio scilicet , agnorum , & hædorum . Quod autem sessurus sit in iudicio in medio agnorum , & hædorum , testatur per scipsum Mattth . 25 . ita dicent *Cum venerit Filius hominis in maiestate , & omnes Angeli eius cum eo , tunc sedebit super sedem maiestatis : & congregabuntur ante eum omnes gentes , & separabit eos ab inuicem sicut pastor segregat ones ab hædis . Et statuet oves à dextris suis , hædos autem à sinistris . Propter multas causas homines Christiani ouibus comparantur . Quarum una hæc est , quod scilicet quis humile animal est , & humiliiter alimentum suum decerpit à terra ; sicut etiam boni Christiani humiles sunt , & contenti se laboribus suis , vel iustis redditibus enutriri . E conuerso facit hædus , quod est animal scandens rupes & arbores , vt ibi accipiat cibum suum . Ita etiam faciunt mali Christiani , qui volunt per iniustitiam diuites fieri , & ambiunt honores huius mundi . In istorum medio Dominus sedebit in iudicio , bonos euocans ad regnum , malos vero transmittens ad supplicium .*

Igitur in Iesu tria considera : quod scilicet veniet ad iudicium , vt pote Rex potens & sapiens . Vnde legitur in hodierno Evangelio , quod Ioannes negauit se esse Christum , & Eliam , & Prophetam . Quasi dicat : Iesu cum venit ad iudicium , ipse erit Christus , & Elias , & Prophetæ . Tria enim requiruntur à iusto iudice . Primum est , vt habeat auctoritatem iudicandi à superiori sibi collatam . Secundum est , vt habeat fortitudinem , per quam possit exequi iudicium , iniquorum resistentia non obstante . Tertium est , vt sit sapiens & prudens : vt scilicet sciat , quis sit nōcens , & quis innocens : nocentes puniat , & innocentes absoluat . Propter primum Iesu dicitur Christus , quod interpretatur vincens . Vnxit enim eum Deus pater in Regem , ac principem Regem terræ , & constituit eum iudicem viuorum & mortuorum . Vnde ipse Iesu dicit de seipso Ioan . 5 . Pater non iudicat quemquam , sed omne iudicium dedit Filio suo : vt omnes honorificant Filium , sicut honorificant Patrem . Et post aliqua subdit verba : *Iudicium meum iustum est .*

Secundo à iudice requiritur , vt sit fortis & potens ; alias iudicio suo resisteretur ab inquis , propter quod & Iesu vocatur Elias , qui interpretatur

# in Dominic. V. Aduent. Serm. V. 11

pretatur robustus Dominus. Dicitur enim in Psal. 23. quod Iesus Rex glorie fortis est, & potens. Tam fortis enim & potens est, quod ad nutum eius omnes impij dispergentur, sicut puluis, quem proicit ventus a facie terre. Iste iudex ita fortis est, vt aquas pugillo mensuret, & caelos palmo ponderet, & molem terrae tribus digitis appendat, & quod libret montes in pondere, & colles in statuera: Vnde dicit Isa. 40. *Quis mensus est pugillo aquas, & caelos palmo ponderavit? Quis appendit tribus digitis molem terre, & libravit in pondere montes, & colles in statuera?* Quasi dicat: Hoc nullus facere posset nisi Dei Filius Iesus Christus. Nequaquam ergo impij poterunt resistere iudicium potenti & forti.

Tertio, necesse est, vt iudex sit sapiens & discernens, vt scilicet sciat quis innocens sit, & quis nocens; vt innocens liberetur & honoretur, nocens autem morte damnetur. Propter hoc etiam Propheta vocatur, quia Propheta idem quod videns, sicut dicitur 1. Reg. 9. qui Propheta dicitur hodie, vocabatur olim videns, Iesus Propheta est, id est, videns; quia ipse videt omnia. Videt enim omnes cogitationes, & locutiones ac operationes hominum. De primis duobus dicitur Eccl. 42. *Non preterit omnis cogitatus Dominum, & non abscondet se ab eo ullus sermō, & non egit alicuius consilio.* De tertio dicitur Eccl. 34. *Opera omnis carnis coram illo, & non est quicquam absconditum ab oculis eius à seculo, & usque in seculum respicit.*

De tertio nota, quod per calceamentum Iesu humanitas intelligitur. Sicut enim pes calceamento tegitur: sic etiam diuinitas Christi latuit sub humanitate. De hoc calceamento dicitur in Psal. 59. *In Idumæam extendam calceamentum meum.* Idumæa interpretatur terrena vel sanguinea, & significat humanam naturam, quam ille primus homicida scilicet diabolus ad terrenitatem declinare fecerat, & sic peccati sanguine maculauerat. In hanc ergo, id est, propter hanc recuperandam Filius Dei calceamentum suum, id est, humanitatem extendi permisit in cruce: & sic alienigenæ, id est, gentiles populi per fidem subditi sunt ei. Fuit autem calceamentum istud tam violenter extensum, vt in quinque partibus fuerit disruptum. Corpus enim Domini quinque vulneribus extitit perforatum.

Corrigia huius calceamenti est gloria Resurrectionis Iesu Christi. In Resurrectione quippe corpus Christi, quod in multis partibus disruptum fuerat in cruce, fuit per gloriam religatum. Dicit igitur, quod non sit dignus soluere corrigiam calceamenti eius, id est, quod sit indignus & insufficiens exponere gloriam Resurrectionis eius. Hæc est aurea corrigia, per quam omnes electi in fasciculo viuentium sunt colligati. De isto fasciculo dixit Abigail ad David regem 1. Regum 25. *Malitia non innueniatur in te omnibus diebus vita tua: & erit anima Domini mei custodita, quasi in fasciculo viuentium apud Dominum Deum tuum.* Porro anima inimicorum tuorum rotabitur quasi in impetu, & circulo funde. Rogare ergo Dominum, charissimi, vt sic nunc inveniatur eius humilitatem, patientiam, charitatem, & pacem, vt tandem cum gaudio mereamur ipsius respicere maiestatem. Quod nobis, &c.



## DE NATIVITATE

Domini.

### S E R M O V.

*Ecce euangelizo vobis gaudium magnum, quod erit omni populo: quia natus est vobis hodie Saluator, qui est Christus Dominus in ciuitate David. Luc. 2.*

In verbis præmissis quatuor sunt notanda.

- I. *Quis sit ille, per quem gaudium euangeliatur.*
- II. *Qui sint illi, quibus gaudium annuntiatur.*
- III. *Propter quod omni populo gaudendum esse dicatur.*
- IV. *Quo signo iste, qui natus est, innundans asseratur.*



E primo nota, quod ille, qui gaudium Euangeliatur, id est, qui de gudio bonum nuntium apportat, verus esse Angelus Domini describitur: ne videlicet videatur, quod fuerit Angelus satanæ phantasticus. Vnde dicitur in Evangelio præsenti. *Ecce Angelus Domini stetit iuxta illos, & claritas Domini circumfulsit illos: vt per hoc delignaretur, quod non fuit illa claritas phantastica, in qua se diabolus quandoque transfigurat.* Dicit namque Apostolus 2. ad Cor. 11. *Ipse enim suas transfiguratus in Angelum lucis.* Quis autem iste Angelus fuerit, non patet ex testimonio Euangelico. Potest tamen non immerito credi, quod Gabriel Archangelus fuit, vt ille, qui Virginis Mariæ Dominum ex ea nasciturum nuntiuerat, ipse etiam eum iam natum pastoribus annuntiaret.

De secundo nota, quod illi, quibus tam ingens gaudium nuntiatur, pastores dicuntur esse, qui commendatur à tribus; quia scilicet non erat somnolenti, & quia erant de grege solliciti, prætere quoniam erant iusti. Vnde legitur in præsenti Evangelio: *Et pastores erant in regione eadem vigilantes, & custodientes vigilias noctis super gregem suum.* Nota, quod ait pastores, non dicit milites, vel burges; ne contemnatur illi, qui aliis seruiunt ob paupertatem. Erant autem pastores isti vigilantes, & non somnolenti, quod innuitur ibi, vbi dicitur: *Vigilantes erant de grege solliciti.* Vnde sequitur: *Et custodientes vigilias noctis super gregem.* Ita enim solliciti erant de grege sibi commisso, vt etiam eum noctibus non reliquerint. Erant etiam iusti, quod innuitur ibi, vbi

vbi dicitur : *Super gregem suum*, quasi non alienum. Non enim custodierunt gregem violenter spoliatum, vel furto sublatum, sed suum, id est, sibi & veris dominis commissum. Utinam pastores nostri temporis ab his tribus possent hodie commendari. In pluribus enim prædictis tribus contraria, somnolentia, negligentia, nec non & iniustitia multoties inueniuntur.

Nota etiam, quod quilibet nostrum per pastores istos designatur. Dominus enim cuilibet hominum comisit animam suam pascendam. Animam, inquam, pretioso sanguine Filii Dei redemptam, quam mille millibus ouium pretiosiorum fore nullus sanæ mentis ignorat. Ad hoc autem, ut animas nostras pascamus, admonet nos 1. Pet. 5. *Pascite, qui in uobis est, gregem Dei.* Quasi dicat : O vos Christiani pascite gregem, qui inter vos est, id est, animas vestras, quæ intra vos sunt. Ad hoc autem, ut quilibet Christianus bonus pastor animæ sua existat, tria requiruntur ab eo. Primum est, ut sit vigil & non somnolentus. Secundum est, ut sit de semetipso sollicitus. Tertium est, ut sit erga proximos suos iustus. Ad hoc autem, ut vigiles simus, & non somnolenti, monet nos 1. Pet. 5. *Sobrii estote, & vigilate : quia aduersarius vester diabolus, tanquam leo rugiens, circuit querens quem decuorere.* Ille vigilat, qui semper creatorem suum tedemptorem ac iudicem intuetur : dormiens quippe nullum videt. Sic itaque vigilare debemus, ut in omnibus operibus nostris Deum nostrum, qui nos creauit, redemit, & iudicabit, præ oculis habeamus, ne secus aliquid agamus, per quod oculos suos maiestatis offendamus. Item ab unoquoque nostro requiritur, ut sit de salute animæ sua sollicitus. Sicut enim solicii sumus, ut corpori nostro potum, cibum, vestitum, ac alias necessitates suas ministremus ; sic & solicii esse debeimus, ut quando venit illa incerta hora mortis nostra, Deo animam nostram mundam & ornataam repræsentemus. Vnde dicitur de pastoribus Bethlehemitani, quod erant custodientes vigilias super gregem suum. Ille custodit vigilias noctis super ouiculam, id est, animam sibi commissam, qui semper cum solitudine obseruat horam mortis suæ. Mors est illa nox, quam semper obseruare tenemur. Heu multi sunt, qui dummodo habeant ea, quæ corpori sunt necessaria, parum, vel nihil curant, quid fiat de anima. De talibus dicitur Eccl. 10. *Peccantem in animam suam quis iustificabit, & quis honorificabit ex honore animam suam?* Tertio requiritur a quilibet Christiano, ut sit iustus, ut scilicet nihil, quod sit alterius, iniuste attingat, vel possideat, sed se, & suos ex his, quæ sua sunt, enutriat : & ex his etiam Deo gratas oblationes seu eleemosynas offerat. Quod autem homo debeat se ex suis, id est, ex iuste conquisis enutrire, probatur Tobiae 2. vbi legitur, quod cum Tobias cæcus esset effectus, & vxor eius Anna quadam vice hædum capraturum, operibus manum suarum conquisitum domum detulisset ; audiens Tobias vocem balantis hædi, dixit : *Videte ne forte furtinus sit, quia non licet nobis ex furto aliquid edere, vel contingere.* Quod autem debeat homo ex his, quæ sua sunt, Deo offerre, vel eleemosynas dare, dicitur in Prou. 3. *Honora Dominum de tua substancia. Glos. non de aliena. & de primitiis frugum*

*tuarum. Glos. de melioribus bonis tuis : da pauperibus, & implebuntur horrea tua saturitate, & vino torcularia redundabunt.*

De tertio nota, quod propter hoc gaudendum est omni populo, quia videlicet *natus est nobis hodie Saluator, qui est Dominus in ciuitate David;* sicut ait Angelus ad Pastores. Et nota, quod quinque prædicuntur hic de paruulo Iesu Filio Mariæ. Appellatur enim Saluator, & Christus, & Dominus, & dicitur natus esse in ciuitate David, quia futurus erat verus David. Saluator dicitur, propter humani generis redemptionem. Christus dicitur, propter suorum fidelium in via præsentis seculi consolationem. Dominus dicitur, propter seruitij ab his, quos redemit, expostulationem. Ob hoc etiam natus dicitur in ciuitate David, ut sit imitator David. David etiam interpretatur manu fortis, vel vultu desiderabilis. Est ergo & Iesus noster manu fortis, per sempiternam reproborum condemnationem. Est etiam vultu desiderabilis, per admirabilem electorum remunerationem.

Primo igitur puer iste, qui natus est, Saluator dicitur : ut scilicet redimat sub dæmoniaca captiuitate gementes. Vnde iste Saluator de seipso dicit Exod. 3. *Vidi afflictionem populi mei in Aegypto, & clamorem eius audiri, & sciens dolorem eius descendit, ut liberarem ipsum de manu Aegyptiorum, & educerem de terra illa, ad terram bonam & spatiosam, ad terram, qua fluit lacte & melle.* Ex ista auctoritate notari potest, quod populis Dei, id est, omnes electi, priusquam Christus incarnatus esset & passus, erat in afflictione propter diuturnum exilium. Fuit etiam in iugi clamore, postulans afflictionis sua solatium. Erat nihilominus propter vehemens expectati solatij desiderium, in dolore : quod videns, audiens, & sciens Deus descendit, carnem assumens ; ut liberaret populum per sanguinem suum dia exultarem, & solatium postularem, ac se se cum desideriis expectantem. Descendit, inquam, ut liberaret eum de manu Aegyptiorum, id est, de potestate dæmoniorum, & educeret eum de terra illa, id est, de regione tenebrarum, scilicet, de limbo, vbi Dei populus captiuus detinebatur, in terram bonam & spatiosam, ad terram, quæ fluit lacte & melle. Per hanc terram designatur terra uiuentium, scilicet regnum cælorum, quæ dicitur terra bona, quia nullus ibi, nisi bonus sit, recipitur. Dicitur etiam spatiosa, quia nemo ibi propter hereditatis angustiam conqueritur. Quisquis enim in ea est, habet quicquid vult. Est enim terra fluens lacte diuinæ humanitatis, & fluens melle humanae diuinitatis. Christus enim illic per suam lacteam humanitatem, & melleam diuinitatem dilectos suos mirabiliter refocillat.

Secundo etiam is, qui natus est, Christus dicitur, id est, vincens. Fuit christmate tinctus, ut consolaretur in via huius mundi mœrentes. Propter hoc ipse dicit Isa. 61. *Spiritus Domini super me, eo quod unixerit me Dominus : ut consolarer omnes lugentes, ut ponerem consolationem lugentibus Sion, & darem eis coronam pro cimere, oleum gaudij pro luctu, pallium laudis pro spiritu mœroris.* Nota, quod tria sunt, quæ vincitque secundum exteriorem hominem tristitiam ac mœrem important. Primum est, superborum concil-

# De Natiuitate Domini Serm. V.

13

catio. Secundum est , iniquorum malitiosa detracatio. Tertium est , diuersarum infirmitatum vexatio. Contra prium consolatur nos Dei Filius , & promittit se nobis daturum coronam pro cinere , id est , pro eo , quod à superbis & potentibus quasi cinis sub eorum pedibus conculcamur ; spondet nobis , quod nos tanquam reges potentes in suo solio coronabit. Contra secundum , scilicet , contra malitiosam iniquorum detractionem , consolatur nos promittens nobis pro luctu , quem habemus ex impiorum detractione , perpetuae gloriæ claritatem : quod scilicet faciet nos lucere , quemadmodum oleum luget in lampade perpetuae claritatis. Contra tertium , scilicet , contra spiritum mœroris , quem habemus ex gravi infirmitatum vexatione , promittit nobis se daturum pallium laudis , id est , corpus sanissimum , in quo semper sibi laudes referamus dicentes. Gloria tibi Domine. De ista consolatione dicit Eccl. 38. *Vnguentarius faciet pigmenta suauitatis , & unctiones conficiet sanitatis.* Nota quod multi sunt qui faciunt vnguenta manuum , vel pedum , vel aliorum membrorum ; sed nullus est , qui læsum cor vngere possit , vel sanare , nisi solus Filius Dei : quocirca in omni tribulatione ipsius vnguentum est postulandum.

Tertio , puer iste , qui natus est , Dominus appellatur. Vnde iustum est , ut habeat seruos sibi fideliter seruientes. Hunc Dominum Ierem. 23. Deum Patrem nobis promisisse potestatur , ita inquiens : *Ecce dies veniunt , dicit Dominus , & suscitabo David gerumen iustum : & regnabit Rex , & sapiens erit : & faciet iudicium & iustitiam in terra.* In diebus illis saluabitur Iuda , & Israhel habitabit confidenter : & hoc est nomen , quod vocabunt eum , Dominus iustus noster. Dicit itaque Deus Pater : *Ecce dies gratiae veniunt , & suscitabo David gerumen iustum , id est , faciam nacri ex semine Dauid meum iustum Filium. Et regnabit Rex , sceptrum crucis in humeris suis baiulando humiliiter : & sapiens erit , crucis cruciatus patientissime tolerando ; & sic faciet iudicium , iniquum diabolum iniqua potestate iuste priuando , & iustitiam , animas in captiuitate violenter diu detentas liberando.* In diebus illis Iuda , id est , quilibet laicus Deum confitens saluabitur per veram fidem : & Israhel , id est , bonus religiosus , Deum per contemplationem videns , habitabit confidenter , certus de gloria : & hoc est nomen , quod propter hæc omnia vocabunt eum tam laici , quam religiosi , Dominus iustus noster.

Tenetur igitur huic Domino in triplici obsequio , scilicet , obsequio cordis , oris , & operis . Multi vero prima duo obsequia videntur Domino exhibere , sed pauci obseruant tertium . Multi enim sunt , qui dicunt , quod cor eorum bonum sit ad Deum. Plures etiam , qui videntur ore seruire Domino , sed in tertio signo , scilicet , in opere pene omnes deficiunt. Vnde ipse Dominus dicit Luc. 6. *Quid vocatis me Domine , Domine : & non facitis quæ ego dico ? id est , vos vocatis corde Domine , & ore Domine , sed non vocatis me operibus , non enim faciris , quæ dico.* Hinc etiam dicit Matth. 7. *Non omnis qui dicit mihi Domine Domine , regnum Dei intrabit : sed qui facit voluntatem Patris mei , qui in celis est , ipse intrabit in regnum celorum.* Multi sunt qui dicunt , quod adhuc proposuerint seruire Domino : tales

D. Alberti Magni Serm.

dicunt corde , Domine. Sunt etiam alij , qui protestantur hoc , quod bonum sit & utile seruire Domino , & tales dicunt ore , Domine. Sed paucissimi sunt , qui hoc , quod corde proposuerunt , & ore commendant ac laudant , operibus exequuntur : & propterea infiniti excluduntur à regno celorum.

Quarto , puer iste , qui natus , Dauid , id est , manus fortis dicitur , ut feriat penitus perpetuis delinquentes , & se per penitentiam non corridentes. Vnde dicitur Sap. 11. *Non est impossibilis omnipotens manus tua , qua creavit orbem terrarum ex materia imusa , immittere peccatoribus multitudinem virorum , aut audaces leones , aut non generis ira plena & ignotas bestias : aut vaporem igneum spirantes , aut odorem fumi profuentes , aut horrendas ab oculis scintillas mitentes : quorum non solum leatura poterat illos exterminare , sed & aspectus per timorem occidere.*

Nota , quod describit hic Spiritus sanctus demones , qui ad præceptum Domini punient miseros peccatores in inferno. Comparat autem eos viris , & leonibus , & bestiis ira plenis. Propter hoc vero demones viris comparantur : quia sicut virus animal est inquietissimum , semper existens in motu : sic etiam demones , qui modo paratissimi & peruvicacissimi sunt , & infatigabiles ad cruciandum. Leonibus etiam comparantur : quia leo animal est robustissimum atque fortissimum : sicut etiam demones robustissimi sunt atque validissimi contra miseros peccatores. Comparantur etiam aliis bestiis ira plenis. Non solum enim demones sunt ad hoc , ut torqueant peccatores paratissimi atque fortissimi : sunt etiam in cruciatis inferendis crudelissimi. Vnde vocantur bestiae , id est , vastiae à vastando , ira plena , & non solum illæ bestiae cruciant dentibus & vngulis , hoc est , multiplicium penarum inflictiones : sed etiam sui vultus terribilis ostensione. Propter hoc dicuntur vaporem igneum , & famum de ore & naribus spirare , & horrendas scintillas ex oculis emittere. Et vere si possibile foret , quod peccatores mori possent in inferno , non solum propter cruciatus , qui ab his inferreretur , sed etiam propter timorem horribilis vultus illarum mortem incurrent. De iis bestiis dicitur in Psalm. 37. *Ne tradas Domine bestias animas confidentium tibi.* Caveat nobis , ô charissimi , Deus ab his bestiis crudelissimis.

Quinto , puer iste , qui natus est , dicitur vultu desiderabilis , ut ipso vultu suo remuneret sibi fideliter seruientes. Hic est enim ille Asuerus potens Rex , qui interpretatur beatitudo , quia omnis electorum beatitudo emanat ab ipso , ad quem Esther regina , id est , felix anima , quæ per beatitudinem sursum è mortalibus populis est eleuata , sic loquitur , sicut testatur liber Esther 9. *Valde mirabilis es Domine , & facies tua plena est gratiarum.* Igitur tam dulcis & suavis est vultus Iesu , quod anima vniuersusque electi inuenit in eo omne delectamentum , & omnis saporis suauitatem.

De quarto nota , quod Iesus natus per signum inuenitur ab Angelo datum. Vnde dicitur in Euangeliō præsenti , quod cum Angelus nuntiasset pastoribus Christum esse natum , subiecit : *Et hoc vobis signum : inuenietis infantem pannis involutum , & positum in presepio.* Dixit etiam Simeon postea ad Mariam matrem eius. Luc. 2.

B Ecce

*Ecce possum est hic in signum, cui contradicetur.*  
Nota igitur, quod Dominus, cum natus esset, ostendit nobis in seipso quintuplex signum, scilicet, signum sanctæ taciturnitatis, beatæ paupertatis, pretiosæ puritatis, gloriose humilitatis, ac egregiae charitatis.

Primo igitur signum sanctæ taciturnitatis nobis ostenditur, ubi dicitur: *Inuenietis infantem, id est, puerulum non fantem, scilicet, loquenter, sed potius vagientem.* Quare ergo Dominus ostendit in seipso taciturnitatem. Dicitur enim Proverb. 10. *In multiloquio non deerit peccatum. Qui autem moderatur labia sua, prudentissimus est.* dicitur etiam Eccl. 20. *Qui multis vitiis verbis, laedet animam suam.* Legitur in vita S. Patrum de Abbatore Agathone, quod per triennium lapidem in ore suo portauit, donec taciturnitatem disceret. Legitur etiam, quod quidam philosophus interrogatus à quodam, quomodo posset placere Deo & hominibus, respondit: *Si optima queque egeris, & pauca locutus fueris.*

Secundo, signum beatæ paupertatis in Iesu nobis ostenditur, ubi dicitur, *pannis inuolutum, non dicitur bysso vel purpura.* Erat enim paupercula Dei genitrix Maria, unde habere non poterat pannos pretiosos. Qui igitur genuit sub onere paupertatis, respiciunt pannosum Iesum, ut consolentur. Vnde dicit Isa. 29. *Addent in Domino letitiam, & pauperes homines in sancto Israel, id est, in Christo, exultabunt.* Dicit etiam Seneca de paupertate. *Paupertas expedita est, secura est.* Comparat inter se pauperum & diuitium vultus. *Sapientia pauper & fidelius ridet.*


Signum etiam pretiosæ puritatis sive munditiae in Iesu nobis ostenditur, per hoc quod dicitur, quod Maria pannis eum inuoluit. Inuoluit enim eum intemerata virgo pannis mundi, quia non est verisimile, quod tam munda virgo pannos habuit maculosos, propter quod instituit Spiritus sanctus, quod pannus ille, in quo adhuc Sacramentaliter inuoluitur corpus Iesu, non debet esse purpureus, sed lineus & mundus. Inuitat igitur nos ad vitæ munditiae n mundissimus iste infantulus. Vnde dicitur in Job 22. *Saluabitur innocens: saluabitur autem munditia manuum suarum, id est, operum suorum.* Dicitur enim Proverb. 21. *Qui mundus est, rectum opus eius.*

Quarto, signum gloriose humilitatis ostenditur nobis in Iesu parvulo, qui interim se humiliavit, quod scilicet subiecit se manibus Virginis, ut ipsa eum inuoleret & reponeret, ubi placeret. Simus ergo & nos ad imitationem Iesu humiles ac obedientes, quia Dominus promittit humilibus, quod habitabit in illis per gratiam, & viuificabit eos per gloriam. Vnde dicitur Isa. 57. *Excelsus & sublimis habitat cum contrito & humili spiritu, & viuificat cor contritorum.*

Quinto, signum charitatis egregiae demonstratur in isto infantulo, qui reponi voluit in praesepio, quasi per hoc innueret se communem esse animalibus, pastoribus, & regibus, & omnibus eum habere cupientibus. Vnde dicit in Ier. 31. *In caritate perpetua dilexi te; ideo attraxi te miserans.* Iacet igitur Iesus in praesepio quasi quidam adamus trahens ad se per charitatem iumenta, pastores, & reges. Vnde etiam iumenta, pastores, & reges charitatis ei vice reciprocum rependerunt. Iumenta quippe fænum suum

parvulo commodaerunt, pastores deuotas laudes ipsi cecinerunt, & reges pretiosa munera obtulerunt.

Imitemur & nos illa bona iumenta, vt scilicet, fænum verum Deo nostro mutuemus, id est, vt eleemosynas nostras pauperibus erogemus. Imitemur etiam pastores, vt Deum deuoris laudibus ac orationibus honoremus. Imitemur nihilominus reges, vt Salvatori nostro cor nostrum, & omne opus nostrum quasi munera pretiosa offeramus humiliter. Rogate Dominum charissimi, vt sic nativitatem eius celebremus in terris, vt etiam ipsum facie ad faciem letanter videre mereamur.



## DE NATIVITATE Christi

### S E R M O VI.

*Verbum caro factum est, &c.*  
Ioan. 1.

Tria sunt hic principaliter notanda.

- I. *Quid per hoc, Verbum caro factum est, intelligatur?*
- II. *Quare hoc Verbum caro factum est, afferatur?*
- III. *Qualiter, & per quid hoc Verbum in nobis habitare dicatur?*



E primo nota, quod per Verbum Dei Filius intelligitur. Ipse enim dicitur Verbum quasi verum bonum: hoc autem est verum bonum, quod commendari potest à tribus, scilicet, ab omni amaritudinis absentia, & ab omnimoda sufficientia, & ab æterna indesinentia. Et certe ab his tribus commendabilis est Dei Filius, qui propter nos est ex Virgine natus. Ab ipso quippe omnis amaritudo est remotissima, ab ipso etiam emanat beatitudo sufficientissima, in ipso quoque est æternitas indeficientissima. De primo, scilicet, quod ab ipso sit omnis amaritudo remotissima, dicitur in lib. Sap. 8. *Proposui sapientiam, id est, Dei Filium, adducere mihi ad coniuandum sciens quoniam communicabit mecum de bonis, intrans in domum meam, conquiescam cum illa.* Non enim habet amaritudinem conuersatio illius, nec tedium connictus illius, sed letitiam & gaudium. Ipse etiam Dei Filius dicit Isa. 27. *Indignatio nō est mihi.* Beatus igitur, qui meruit habitare cum isto vero bono.

Item quod ab ipso emanat beatitudo sufficientissima, testatur Eccl. 24. *Posuit, subaudi, Deus Pater, David puero excitare ex ipso regem fortissimum, in throno honoris sedentem in sempiternum, qui adimplebit quasi Euphrates sensum.* Dicit itaque Eccl. quod Deus Pater posuit, id est, promisit David puero suo, id est, David seruo suo, quod videlicet ex ipso, id est, de semine suo excitaret, id est, nasci faceret regem fortissimum, scilicet, Iesum Christum in throno honoris cum Patre sedentem.

# De Natiuitate Domini. Serm. VI. 15

tem, qui scilicet Dei Filius adimplebit quasi Eu-phratus, id est, quasi quidam magnus beatitudinis fluuius omnes tenus nostros. Nihil enim in nobis vacuum remanebit, quin per hoc verum bonum sanguissima beatitudine repleatur. Vnde etiam Psalmista dicit: *Adimplebis me latitia cum vultu tuo.* Hic est ille verus Eliseus, qui plus habet olei beatitudinis, quam nos vasa offerre possumus. Legitur enim 4. Regum 3. quod cum quadam mulier inopiam suam conquesta esset Eliseo, dixit ei Eliseus, ut iret & acciperet mutuo vasa non pauca, & infunderet in illa vasa de oleo illo modico, quod se profitebatur habere. Quod etiam mulier fecit, & interim exiuit oleum, ut prius vasa, quam oleum deficerent. Sic etiam est de CH RISTO, qui tam sufficiens est & abundans, ut omnia vasa desideriorum nostrorum oleo beatitudinis replete, & adhuc supererit oleum. De sufficientia etiam huius veri boni dicitur in Psal. 44. *Aperis tu manum tuam, & impletas omne animal benedictione.* O quam felices sunt illi, qui introduci meruerunt in cellarium veri boni, ut ibi inebriantur ab ubertate domus Dei.

Tertium, videlicet quod in Christo, qui est verum bonum, sit aeternitas indeficientissima, testatur Psalm. 101, ita dicens: *Dies mei sicut umbra declinauerunt, & ego sicut fenum arui: tu autem Domine in aeternum permanes, & memoriale tuum in generatione, & generationem.* Item dicit in eodem Psal. *Opera manuum tuarum sunt celi, ipse peribunt: tu autem permanes, & omnes sicut vestimentum veterascent.* Et sicut opertorium mutantibus eos, &c. *Tu autem idem ipse es, & anni tui non deficiunt.* Dicit etiam in alio Psalmo: *A seculo usque in seculum tu es Deus.* Ipse etiam Dominus de permanentia sua aeternitatis dicit in Malach. 3. *Ego Dominus, & non mutor.* Bonum est igitur, charissimi, ut applicemus nos ad istud verum bonum, quod semper permanet: ne cadamus in interitum sempiternum. Vnde dicit Psalm. 72. *Mibi adherere Deo bonum est, & ponere in Domino Deo omnem spem meam.*

*NOT A*, è contrario, quod bona huius mundi non sunt vera, propter tria. Sunt enim multis amaritudinibus infusa & permixta. Sunt etiam vacua, & nequaquam replentia. Sunt etiam instabilia, & nullatenus permanentia. Hæc tria testatur Eccl. 1. & 2. ita loquens: *Ego Ecclesiastes fui rex in Ierusalem, edificavi mihi domos, & plantavi vineas: feci hortos & pomaria, & consuevi ea cuncti generis arboribus.* Et extruxi mihi piscinas aquarum, ut irrigarem sylvam lignorum germinantium. Possedi seruos & ancillas, multaque familiam habui; armenta quoque, & multos oviuum greges, ultra omnes, qui ante me fuerunt in Ierusalem. Coaceruui mihi argentum, & aurum, & substanzias regum & prouinciarum. Feci mihi cantores & cantatrices, & delicias filiorum hominum, scyphos, & urceulos in ministeriis ad vina fundenda. Et supergressus sum opibus omnibus, qui fuerunt ante me in Ierusalem. Et omnia que desiderauerunt oculi mei, non negauit eis; nec prohibui cor meum, quando omni voluntate fuere-  
tur, & oblectaret se in his, que preparaueram. Cumque me conuertissem ad omnia opera, que fecerant manus mee, & ad labores, in quibus frustra sudaueram, reperi in omnibus vanitatem, & affi-

D. Alberti Magni Serm.

tionem animi, & nihil permanere sub sole. Ecce quanta enumerat, quæ bona esse reputantur, ac etiam multum in hoc seculo desiderantur, quæ omnia sic concludit, quod afferit, se vera conuersione rationis in omnibus præfatis reperiisse vanitatem & afflictionem animi, & nihil permanere sub sole. Probat igitur, quod bona præsentis seculi vana sunt, & nullatenus replentia, per hoc, quod dicit: *Reperi in omnibus vanitatem.* Probat etiam, quod multis angustiis & sollicitudinibus sunt perfusa, per hoc, quod subdit: *Et afflictionem animi.* Probat nihilominus, quod instabilia sunt, per hoc quod addit: *Et nihil permanere sub sole.*

Hac etiam ostenduntur in Isa. 36, ubi dicitur, quod *Egyptius est baculus arundinatus confractus, cui si innixus fuerit homo, intrabit manum eius, & perforabit eam.* Egyptus interpretatur mœror, vel tenebrae; & significat mundum istum, in quo boni & iusti pro peccatis merentur & testantur. Mali vero per carnis & oculorum concupiscentias obtenebrantur. Mundus autem iste est quasi baculus arundineus confractus, qui perforat manum innitentis. Per hoc quod dicitur, quod est *arundinatus*, notatur, quod bona huius mundi vana sunt, & non replent cor hominis; sed sunt ad similitudinem arundinis, quæ intus est vacua. Vnde dicitur Eccl. 14. *Infatibilis est oculus cupidi.* Dicit etiam Eccl. 5. *Anarus non impletur pecunia.* Similiter & Hieron. ait: *Anaro tam deest quod habet, quam quod non habet.* Per hoc etiam quod dicitur, quod est *baculus confractus*, innuitur, quod bona huius mundi instabilia sunt, & stare non possunt, ut confractum crus stare non potest. Vnde & Ioan. 1. can. 2. dicit, quod *mundus transit, & concupiscentia eius.* Præterea per hoc quod additur, *cui si innixus fuerit homo, intrabit manum eius, & perforabit eam,* innuitur, quod bona huius seculi aculeata sunt, & hominem per multas solitudines lacerantia. Propter quod & ipsa veritas comparat in Euangelio bona præsentis seculi spinis, quæ suffocant in homine semen gratiæ Dei.

De secundo nota, quod propter quinque causas Verbum caro factum est. Prima est, ut per eum in viam iustitiae reuocemur. Adam quippe sicut ouis errauerat, ac perierat: propter quod omnem posteritatem post se ad deuium inferni siue limbi deduxerat: quia sicut oues positi fuerunt in inferno. Sed agnus Dei, ad Patriarcharum, & Prophetarum preces, & regalibus sedibus veniens, ouem centesimam, scilicet humanum genus querens, inuentamque quasi prudens ductor in viam iustitiae, ac ad Angelorum societatem reuocauit ac reduxit. De hac reuocatione legitur in 2. Reg. 14. quod David mediante muliere Thecuire præcepit Iacob, ut reuocaret Absalom, qui propter fratricidium recesserat Gessur in exilium. Ait enim David ad Iacob. *Vade, & reuoca puerum Absalom.* Surrexit igitur Iacob, & abiit in Gessur, & adduxit Absalom in Ierusalem. Absalom interpretatur patris amaricatio, & significat Adam, & quemlibet peccatorem. Adam enim, & Eua vxor eius per peccata sua amaricauerunt dulcem Creatorem suum. Quilibet etiam peccator Deum amaricat per peccatum suum. Adam etiam & vxor eius Eua spirituale fratricidium commiserant:

B 2 quia

quia gladio inobedientia spiritum suum occiderant, qui quasi frater est carnis, qui quis etiam peccator per malitiam suam occidit animam, sicut dicitur Sap. 16. Igitur iste Absalon, id est, Adam cum omni posteritate sua expulsus fuit à facie Dei patris in Gessur, quod interpretatur dolor. In doloribus enim & ærumnis infernalibus limbi fuerunt usque ad aduentum Filij Dei. Quod sciens mulier Thecuites, quæ interpretatur buccina eorum, & significat diuinam misericordiam, quæ semper personat pro miseris peccatoribus, accessit ad David, id est, ad Deum Patrem, & intercessit pro Absalon, id est, pro vnuerso humano genere, postulans eum ab existi doloribus reuocari. Propterea Deus Pater placatus ad petitionem misericordiae iniunxit Ioab, qui interpretatur inimicus inimicitiae, & significat Filium Dei, qui inimicitiae, id est, peccatis inimicatur, & amicitiae, id est, virtutibus amicatur. Ipse enim est iniquitatum inimicus, & virtutum amicus. Iniunxit, inquam, Deus Pater Filio suo vnigenito, ut reuocaret per sanguinem suum genus humanum. Quod & factum est. Abiit namque Dei Filius, & induit carnem humanam, in qua multos dolores pertulit, & postremo mortem amarissimam sustinuit, & sic per dolores suos & cruciatus humanum genus ab inferni doloribus eripuit, & in Ierusalem, hoc est, in Dei patris gratiam reuocauit.

Secunda causa, quare Verbum Dei factum est caro, id est, quare Dei Filius est incarnatus, hac est, ut scilicet per eius sanguinem à peccatorum cordibus lauaremur. Vnde dicit Apostolus ad Hebreos 9. *Si sanguis hircorum & taurorum, & cinis vitula affersus inquinatos sanctificat ad emundationem carnis: quanto magis sanguis Christi, qui per Spiritum sanctum semeripsum obtulit immaculatum Deo, emundabit conscientiam nostram ab operibus mortuis ad seruendum Deo viventem.* Hinc etiam dicit Ioannes in Apocalyp. 1. *Qui dilexit nos à peccatis nostris insanguine suo.* A peccatis. Glos. originalibus & actualibus. Et nota, quod Baptismus Ecclesiae virtutem illam, quod peccata hominum lauat, accepit à sanguine Christi. Vnde dicit Innocentius. Per sacramentum baptismi, Christi sanguine rubricati culpa remittitur, vitatur periculum, & ad regnum cælorum etiam peruenitur. Caeamus ergo charissimi, ne animalium nostrarum vestimenta, quæ Christus in suo sanguine lauit, rursus immunditiis peccatorum inquinemus.

Tertia causa, quare Verbum caro factum est, hac est, ut per eum in peregrinationis huius mundi itinere cibaremur; & hoc maxime fit per sacramentum Eucharistiae, in quo Dominus ad consolationem & refectionem fidelium suorum carnem suam administrat, & sanguinem propinat. Vnde etiam sacramentum illud viaticum appellatur. Propter quod ipse dicit Ioan. 6. *Caro mea vere est cibus, & sanguis mens vere est potus, &c.* Optimus est iste cibus, qui facit Dominum manere in nobis, & nos in eo. Igitur ut per Filium Dei cibaremur in hoc exilio, nasci voluit in Bethlehem, quæ domus panis interpretatur. Voluit etiam reponi in præsepio, ut per hoc innueret, quod ipse esset panis peregrini-

nantium, qui non solum à diuitibus inueniretur in palatio; sed etiam à pauperibus inueniri posset in præsepio. Mirum est de diuitibus & pauperibus, quod tam raro visitant Christi Iesu præsepium, cum tamen saepe visitant præsepiæ equorum vel iumentorum suorum. Transeamus, charissimi, sicut pastores loquebantur ad inuicem. Luc. 2. *Transeamus, inquit, usque Bethlehem,* & non tantum videamus hoc verbum, quod factum est caro; sed etiam mundo corde sumamus. Per Bethlehem quippe non tantum materialis, sed & supercælestis Ecclesia figuratur. In materiali namque Ecclesia Christi corpus conficitur, & à deo-tis Christianis sumitur. In supercælesti quoque Ecclesia, Dei Filius reuelatis oculis aspiciatur, & ibi quilibet electus ipso suauissime fruatur.

Quarta causa, quare Verbum caro factum est, hæc est, ut per eum in die iudicij resuscitemur. Vnde ad ipsum Verbum, quod caro factum est, dicit Ioan. 6. *Hac est voluntas Patris mei, qui misit me; ut omnis qui videt Filium & credit in eum, habeat vitam eternam;* & ego resuscitabo eum in nouissimo die. Igitur qui vident Dei Filium oculis timoris & amoris, & credidit in eum vera exhibitione operis, iste resuscitabitur in nouissimo die, ut vitam possideat sempiternam. Hinc etiam dicit Olea 6. *Vivificabit nos post duos dies, & tercia die suscitat nos, & uiuemus in conspectu eius: sciens sequemurque ut cognoscamus Dominum.* Nota, quod primus dies est dies fatigationis: multipliciter enim fatigamur in hac vita. Secundus est dies requiei communis, qui est post hanc vitam, quando scilicet Spiritus sanctus dicet animabus iustorum, ut requiescant à laboribus suis. Tertius dies est gloriose remunerationis, quando scilicet paterfamilias operarios suos per filium procuratorem suum denario gloriae præmiabit. In isto die per ipsum filium suscitabitur, ut semper uiuamus, & omnia sciamus, & quæcumque volumus, habeamus.

Quinta causa, quod Verbum caro factum est, hæc est, ut per eum in patria deificaremur. Primi quippe nostri parentes decepti diabolo credentes, quod efficerentur sicut dij, si de fructu vetito comedenter: comederunt, & sic, qui prius erant cum honore, comparati sunt iumentis insipientibus, & similis facti sunt illis. Ut autem pristinos honores recuperemus, ipse Dei Filius factus est pro nobis iumentum, stimulos penitentiam nostrarum vere tolerans, & onerosæ crucis perferens cruciatus. Et sic homo, qui iniuritatem inciderat iumentalem, diuinitatis similitudinem recuperauit. Vnde dicit in Psal. 81. *Ego dixi: Dij estis, & filij excelsi omnes.* Quasi dicat. Ego Iesus dixi, id est, laboribus meis effeci, quod vos homines dij estis, id est, eritis & dicemini filij excelsi omnes. Apostolus etiam testatur ad Rom. 8. quod *erimus heredes Dei, & coheredes Christi.* Dicit etiam Ioannes in praesenti Euangelio, quod ille, qui Verbum caro factum est, quotquot receperunt eum, dedit eis potestatem filios Dei fieri.

De tertio nota , quod Christus per quinque specialiter habitat in Christianis, scilicet , per fidem & sincritatem , per corporis & animæ puritatem , per viscerosam charitatem , per gloriosam humilitatem , & per timoris soliditatem . Quod Christus per fidei sinceritatem habitat in quolibet Christiano, probat Apostolus ad Ephes. 3. vbi ait : *Flelio genua mea ad Patrem Domini nostri Iesu Christi , ut det habitare Christum per fidem in cordibus nostris.* Proh dolor , pauci sunt , qui veram se ostendunt habere fidem , cum pene omnes stercora temporalium præponant & præferant dulci Christo. Habitat etiam Christus in Christianis per corporis & animæ puritatem. Propter quod dicit Apostolus 1. ad Corinth. 3. *Nescitis , quia templum Dei estis vos : & Spiritus Dei habitat in vobis ? Templum enim Dei sanctum est , quod estis vos.* Quasi dicat : Si estis sancti, id est , mundi corpore & anima, tunc Deus habitat in vobis ; Domum quippe Domini decet sanctitudo in longitudine dierum. 3. Christus habitat in Christianis per viscerosam charitatem. Vnde dicit 1. Ioan. 4. *Deus caritas est ; & qui manet in charitate , in Deo manet , & Deus in eo.* Delectabile est hoc , vt Deus per charitatem habitat in nobis, & nos in eo. Sed quid est charitas? Charitas est Deum & proximum ex toto corde diligere , nec eum per seductionem oris decipere. Multi sunt , qui videntur Deum ore diligere, sed renes ipsorum & cor longe sunt ab eo. Vnde dicit Ieremiæ 12. *Prope es tu ori eorum , & longe à renibus eorum.* Quasi dicet : Os eorum prætendit charitatem , sed renes eorum querunt turpissimam voluptatem. Multi etiam sunt , qui proximis suis ore se diligere protestantur ; sed dolos eis ac insidias in cordibus machinantur. De talibus dicit Icrem. 9. *In ore suo pacem cum amico suo loquitur , & occulte ponit ei insidias.* 4. Christus habitat in Christianis per gloriosam humilitatem, Vnde dicit Isa. 57. *Quod Dominus excelsus habitat cum contrito & humili spiritu.* Hinc etiam ipsa Virgo Maria non tantum pro eo quod erat mundissima : sed potius pro eo quod erat humillima , meruit concipere Filium Dei: sicut per semetipsam testatur : *Respxit , inquam , humilitatem ancille sue.* Non ait castitatem, licet esset castissima ; sed humilitatem. 5. Christus in Christianis habitat per timoris soliditatem: vnde dicit Apostolus ad Colos. 3. *Verbum Christi habitat in vobis abundanter in omni sapientia.* Per omnem sapientiam timor Domini figuratur: quia vt dicitur Ecclesiastici 1. *Plenitudo sapientie est timor Domini.* Vnde igitur Christus habitat in iis , qui timent eum. Omnis enim qui timet Dominum , nihil negligit voluntatis eius. Rogate ergo Dominum , vt sic in hospitio cordis nostri habitat dignetur , vt etiam ab ipso in æterna tabernacula recipi mereamur. Quod nobis præst. &c.

D. Alberti Magni Serm.

## DE CIRCUMCISIONE Domini

### S E R M O VII.

*Postquam consummati sunt dies octo , ut circumcidetur puer: vocatum est nomen eius Iesus.*

LUC. I.

Triâ principaliter sunt hic notanda.

- I. Quid per circumcisionē pueri figuretur?
- II. Quid per octo dies spiritualiter intelligi detur?
- III. Quare puer hoc nomine Iesus appellatur?



E primo nota , quod per circumcisionem pueri duplex circumcisione figuretur. Prima est , per quam circumcidimur , id est , purgatur à vitiis & iniuritibus. Secunda est , per quam circumcidemur , id est , liberabimur ab omnibus miseriis & pœnaltatibus. De prima circumcisione dicitur Genes. 17. vbi Dominus dixit ad Abraham : *Circumcidetur ex vobis omne masculinum , & circumcidetis carnem preputij vestri: ut sit signum fœderis inter me & vos.* Infans octo dierum circumcidetur vobis. *Masculus , cuius preputij caro circumcisa non fuerit , delebitur anima illa de populo suo , quia paclum meum irritum fecit.*

Cum igitur circumcisione , id est , amputatio vittiorum sit signum fœderis , id est , pacis inter nos & Deum , nota , quod quinque in nobis principaliiter sunt circumcidenda , videlicet , cor , oculus , auris , & lingua , manusque.

Primo igitur cor circumcidendum est à malitiosis , & maculosis cogitationibus. Quod autem malitiosa cogitationes à corde sint præcidendæ , dicit Icrem. 4. *Circumcidimini in Domino , & auferite preputia cordium vestrorum , viri Iuda , & habitatores Ierusalem : ne forte egrediatur , ut ignis , indignatio mea , & succendatur , & non est qui extinguat , propter malitiam cogitationum vestrum.* Per viros Iuda & habitatores Ierusalem Christiani figurantur. Ipsi enim confiteri Domino debent , quoniam bonus , quoniam in seculum misericordia eius. Ipsi enim suspirare debent ad visionem pacis æternæ. Præcipitur ergo Christianis , vt circumcidant corda sua à malitiosis cogitationibus , id est , vt nulli homini malum in corde suo machinetur. Et quare præcipitur hoc ? Quia si corda sua non circunciderint , egredietur contra eos diuina indignatio , tamquam leuissimus ignis , qui nunquam extinguetur. Dicitur enim Icrem. 4. *Laua à malitia cor tuum , vt salua fias : usquequo morabuntur in te cogitationes noxia : Cor enim circumcidendum est à malitiosis , id est , immundis cogitationibus: nullus enim requiescat in monte sancto Dei , nisi qui sine macula cordis ingreditur.* Vnde dicitur in Psal. 13. *Quis ascendet in montem*

*montem Domini , aut quis stabit in loco sancto eius?  
Innocens manibus , & mundo corde. Hinc epim dicit Apostolus ad Philip. 4. Quacunque sunt prudica,  
cogitate : & Deus pacis erit vobis.*

Secundo circumcidendi sunt oculi à lasciuis nutibus, & ab impudicis aspectibus. Multi quippe nequitiam , & lasciuiam nutibus oculorum ostendunt. Vnde dicit Isa. 3. Pro eo, quod elevata sunt filia Sion, & ambulauerunt extento collo, & nutibus oculorum ibant, decaluabit Dominus verticem filiarum Sion. Per filias Sion intelliguntur feminae Christianae , quae , quoniam ad nutus oculorum vadunt illuc , ubi ab amatoribus corruptantur , decaluabit Dominus verticem eorum , id est , tantum dolorem immittet eis post hanc vitam , quasi tota cutis capitis per rasorium ipsis iugiter abstrahatur. Multi etiam habent oculos plenos luxuria , illi videlicet , qui in lasciuis mulierum aspectibus delectantur. De talibus dicit August. *Impudicus oculus impudici cordis est nuntius.* De talibus etiam dicit Petrus 2. cap. 2. *Oculos habentes plenos adulterij peribunt.*

Tertio circumcidenda sunt aures ab auditu detractionum seu cantationum. Contra detractionum auditionem dicitur Proverb. 24. *Cum detractoribus ne miscearis , quoniam repente consurgit perditio eorum.* Scribit enim Hieronymus ad Nepotianum : *Cave , ne aut lingua , aut aures habeas prurientes , id est , ne aut ipse aliis detrahas , aut alios audias detrahentes. Nemo inuitio auditori libenter refert. Sagitta in lapide nunquam figitur , interdum refliens percutit dirigentem. Aures suas à detractione circumcideraat David , qui dicit in Ps. 100. Detrahentem secreto proximo suo , hunc persequebar. Debemus etiam aures circumcidere , ne in turpi locutione , vel lasciuo cantu delectentur.* Vnde dicitur Eccl. 28. *Sepi aures tuas spinis , & noli audire linguam nequam.* Igitur memoria spinarum illarum , quae caput Domini confixerunt , aures nostras sepi debemus , ne linguam nequam , id est , linguam hominis turpiter loquentis , aut cantantis audiamus.

Quarto lingua , quae , sicut Iacobus dicit 3. *inquietum est malum , & plena veneno mortifero:* circumcidenda est ab octo peccatis , in quibus saepe delinquit : ne scilicet proferat turpiloquium , dolum , mendacium , periurium , adulacionem , detractionem , derisionem , & maledictionem. Propter hoc monet nos Spiritus sanctus 1. Reg. 2. *Recedant , inquit , vetera de ore vestro: quia Deus scientiarum Dominus est , & ipsi preparantur cogitationes.* Quasi diceret : Vetera , id est , mala verba , quae veterascere faciunt animam , recedant de ore vestro , quia Dominus haec vindicabit : cui non tantum patent verba , sed etiam cogitationes hominum.

Contra primum , videlicet turpiloquim , dicit Apostolus ad Eph. 5. *Omnis immunditia nec nominetur in vobis , sicut decet Sanctos : aut turpitude , aut stultiloquium , aut scurrilitas.* Contra secundum , scilicet dolum , dicit 1. Pet. 2. *Deponentes omnem malitiam , & omnem dolum , sicut modo geniti infantes sine dolo lac , id est , consolationem diuinam concupiscite , ut in eo crescat in salutem.* Contra tertium , videlicet mendacium , dicit Apostolus ad Eph. 4. *Deponentes omne men-*

*dacium , loquimini veritatem unusquisque cum proximo suo.* Contra quartum , scilicet iuramentum & periurium dicitur Ecclesiast. 23. *Iurationi non assuecat os tuum : multi enim casus in illa. Vir multum iurans implebitur iniquitate , & non discedet à domo sua plaga.* Glossa , id est , de corpore plaga vindictæ. Contra quintum , scilicet adulacionem , dicit Apostolus 1. Thes. 2. *Neque enim aliquando fuimus in sermone adulacionis: sicut scitis.* Item Ecclesiast. 7. *Melius est à sapiente corripi , quam stultorum adulazione decipi.* Contra sextum , scilicet detractionem , dicitur Sap. 1. *Custodite vos à murmuratione , & a detractione parcite lingue: quoniam sermo obscurus in vacuum non ibit: os autem quod mentitur , occidit animam.* Contra septimum , videlicet irridionem simplicium , & bonorum , dicitur Eccli. 7. *Non irrideas hominem in amaritudine animæ.* dicit etiam Iob 12. *Qui ab amico suo deridetur sicut ego , inuocabit Deum , & exaudiet eum : deridetur enim insti simplicitas.* Cauere igitur debes , ne aliquem irrideas : quia sicut dicit Psal. *Qui habitat in cælis , &c.* Contra octavum , videlicet maledictionem , dicit Apostolus ad Rom. 12. *Benedicite per sequentibus vos , benedicte & nolite maledicere.* Dicit etiam Iob. *Non dedi ad peccandum guttur meum , ut expeterem maledicens animam eius , qui me oderat.*

Quinto circumcidenda sunt manus à quatuor , videlicet à tactu lasciuo , à furto , à rapina , ab usura. Contra primum , videlicet immundum , & lasciuum tactum , dicit Isa. 52. cap. *Nolite pollutum tangere. Mundamini qui fertis vas a Domini.* Item dicitur Leuit. 6. *Anima qua tetigerit aliquid immundum , rea est , & deliquit.* Contra secundum , scilicet furuum , dicitur Tob. 2. *Non licet nobis ex furto aliquid aut edere , aut contingere.* Contra tertium , videlicet rapinam , dicit Dominus per Ezech. 33. *Impius , si egerit pœnitentiam à peccato suo , rapinamque reddiderit , in mandatis vite ambulauerit , nec fecerit quicquam iniustum: vita viuet , & non morietur.* Nota , quod si illi qui rapinam restituit , & de cætero iuste viuit , vita æterna promittitur , constat , quod ille , qui rapinam restituere potest , & non restituit , morte punietur æterna. Contra illos , qui rapinam offerunt , vel ex eis eleemosynas faciunt , dicit Dominus Malach. 1. *Intulisti de rapinis munus: nunquid suscipiam illud de manu vestra ?* Quasi dicaret. Non suscipiam. Ipse enim rapinam odio habuit in holocaustum. Contra quartum , scilicet usuram , dicit Dominus Leuit. 25. *Non accipias usuram à fratre tuo , nec amplius quam dedisti.* Pecuniam tuam , non dabis ei ad usuram , & frugum superabundantium non exiges. Item Deut. 23. *Fratris tuo absque usura id , quo indiget , commoda bis , ut benedicat tibi Dominus Deus tuus in omni opere tuo.*


Nota , quod per fratrem quilibet proximus intelligitur , cui id quo indiget , sine usura commondare debemus.

Qui igitur sicut prædictum est , cor suum , & cætera membra corporis circumcident à vitiis & iniquitatibus , per cultrum timorem Domini: quia timor Domini expellit peccatum : tales in die iudicij per Filium Dei circumcidentur , id est , liberabuntur ab omnibus miseriis , & pœnaltatibus. De hac circumcisione dicitur Iosue 5. *Circumcidet secundo Filios Israel. Postquam autem omnes*

omnes circumcisi sunt, dixit Dominus ad Iosue: *Hodie abstuli opprobrium Aegypti à vobis.* Iosue interpretatur saluator, & signat Filium Dei, qui sicut per sanguinem suum & gratiam populum suum à peccatis eorum salvauit: ita etiam eundem populum suum in die generalis resurrectio- nis per gloriam ab omnibus miseriis, & pœnali- tibus. Tunc dicet Deus Pater: *Hodie abstuli à vobis opprobrium Aegyptiorum*, id est, dæmonum. Pœnaltates enim corporis, videlicet, astus, & frigus, sitis, & fames, infirmitas, & labor, & mors, opprobrium Aegyptiorum dicuntur, id est, dæmonum, quia eas per deceptionem serpentis incidi- mus. Prædictæ pœnaltates notantur in uno ver- sculo.

*Canna, gelu, fuis, estries, morbus, labor, & mors.*

Hæc autem septem ab electis in die gloriae plenaliter auferentur. Rogate ergo Dominum charissimi, ut sic in hac via à vitiis emundemur, ut post hanc vitam omni miseria liberemur. Quod nobis præst. &c.



## DE CIRCVMCISI ONE

Domini

### S E R M O V I I I .

*Postquam consummati sunt dies octo, ut circumcideretur puer, &c. Luc. 1.*



Vin in prædicto sermone di-  
ctum sit, quid per circumci-  
sionem pueri figuretur: modo  
dicendum est, quid per octo  
dies spiritualiter intelligatur.

Et nota, quod sicut Sancti tradunt, Dominus natus est in nocte Dominicæ diei. Est etiam in die Dominicæ circumcisus. Nota etiam, quod dies Dominicus in vulgari idem sonat, quod dies pacis, vel dies solis, siue dies filij. Spiritualiter igitur consummari, id est, compleri debent in nobis dies octo: ut nobis hoc nomen Iesus imponatur. Primus itaque dies est dies Dominicus, id est, dies pacis. Secundus dies Lunæ. Tertius dies Martis. Quartus dies Mercurii. Quintus dies Iouis. Sextus Ve- neris. Septimus dies Sabbati vel dies Saturni. Octauus idem dies Dominicus, id est, dies solis, vel dies filii. Primo diem pacis agere debemus. Ut scilicet Deo, quem peccatis grauiter offendimus, per pœnitentiam reconciliemur, & sic pa- cem faciamus cum ipso. Et licet peccatores Deum multipliciter impugnant; tamen per duo pecca- ta Dominus specialiter conqueritur crucifigi se à peccatoribus: videlicet per decimorum subtra- ctionem, & pauperum oppressionem. De I. dicit per Malach. 3. *Vos configitis me, & dixistis in quo configimus te? In decimis, & in primitiis.* Quasi dicat, per hoc, quod mihi decimas subtrahitis, vos me configitis. Vnde sequitur: *Inferte omnem deci- mam in horrem meum, ut sis cibus in domo mea.*

De II. scilicet, de pauperum oppressione & spoliatione, dicit Dominus Zachar. 2. *Qui tetige- rit vos, ô pauperes, tangit pupillam oculi mei.*

Igitur qui Domino decimas suas subtraxerunt, & bona pauperum rapuerunt, nisi per pœnitentiam, & ablati restitutionem, pacem cum Deo faciant, confundentur & inconsolabiliter luge- bunt, quando aspicient eum, quem tam acriter confixerunt. Vnde dicit Dominus Zacha. 12. *Afficiunt ad me, quoniam confixerunt. In die illa ma- gnus planetus erit in Jerusalem.* Hinc etiam dicit Ioan. Apoc. 1. *Ecce venit cum nubibus, & videbit eum omnis oculus, & qui eum papigerant, & tunc plangent se super eum omnes tribus terre.* Tunc etiam hi, qui olim Dominum confixerunt, configentur. Vnde dicitur Proverb. 22. *Non fascias violenter pauperi quia pauper est: neque conteris egenum in porta, quia Dominus iudicabit causam eius, & con- figet eos, qui confixerunt animam eius.* Igitur ne in die iudicii contingat nos plorare & etiam configi in conspectu Filii Dei, pacem modo cum ipso faciamus, subtractas decimas persolviendo, & pauperibus ablata restituendo. Ad hoc monet nos Apostolus ad Rom. 5. *Instaurati ex fide pacem habeamus ad Deum.* Dicit etiam Apostolus 2. ad Cor. 6. *Obsecramus pro Christo, reconciliari Deo.*

Secundo debemus agere diem Lunæ. Per defectum nostrarum considerationum luna quippe defectum patitur. Et nota quod ad minus in quatuor magnum possumus considerare defectum nostrum, scilicet, in vite huius breuitate, in corporis fragilitate, in terreni instabilitate, & in amicorum fidelium paucitate.

De I. scilicet de vite nostra breuitate dicit Iob 7. *Dies mei velocius transferunt, quam à toxente tela succiditur. Memento quia ventus est vita mea.* Dicit etiam Iob 13. *Homo natus de muliere, breui vivens tempore, repletus miseriis: qui quasi flos egredit- tur, & conteritur, & fugit velut umbra, & nun- quam in eodem statu permanet.* Dicit etiam Ia. 4. *Quid est vita nostra? Vapor est ad modicum paucis; id est, apparet, & deinceps exterminabitur.* Dicit etiam Seneca: *Punctum est, quod viuimus, & adhuc puncto minus.*

II. De corporis fragilitate dicit ipse Dominus Genes. 3: *Puluis es, & in puluorem reverteris.* Dicit etiam Bern. *Nihil aliud est caro nisi spuma caro fa-cta, fragile vestua decore: sed erit cadaver miserum, & putridum, & cibus verium.* Nam quantumcumque excolatur semper caro est. Si diligenter conside- res, quid per os, & narcs, ceterosque meatus corporis egrediatur, vilius sterquilinitum nunquam vidisti.

De III. scilicet, de rerum temporalium insta- bilitate ipsi qui olim diuites fuerunt in seculo, sed modo pauperes sunt in inferno, ita dicunt in li- bro Sap. 6. *Quid nobis profuit superbia, & diui- tiarum iactantia, quid contulit nobis? transferunt omnia illa, tamquam umbra, & tamquam fumus, qui à vento est diffusus.* Leguntur etiam isti versus de bono Thoñia Cantuariensi in legenda ipsius:

*Nil dixit proprium quod punto mobilis hora,  
Nunc prece, nunc pretio, nunc vis, nunc morte  
suprema*

*Permutat Dominus, & cedat in altera ira.*

De IV. videlicet, de fidelium amicorum pau- citate dicitur Proverb. 19. *Divisa addunt amicos plurimos: à paupere autem & hi quos habuit, se- parantur.* Multi colunt personam potentis, & amici

funt dona tribuentis. Fratres hominis pauperis oderunt eum; insuper & amici procul recesserunt ab eo. Eccli. 6. Est amicus socius mente, & non permanet in die necessitatis. Multi igitur videntur esse amici, & non sunt veri amici. Verus enim amicus propter nullum huius vitae infortunium derelinquit amicum suum, quin etiam assistat ei post obitum suum, unde dicitur Proverb. 17. *Omnitempore diligit, qui amicus est, & semper in angustiis comprobatur.* Quod etiam pauci sunt veri amici, dicit Tullius in libro de amicitia. Sunt, inquit, amici firmi, & stabiles, & constantes eligendi: cuius generis est maxima penuria. Quia igitur pauci sunt veri amici, propter hoc dicit Eccl. 25. *Beatus qui inuenit verum amicum. Amico enim fideli nulla est comparatio:* ut dicit Eccl. 6.

Tertio debemus agere diem Martis, qui Deus belli olim dicebatur. Debemus, inquam, agere diem Martis: ut videlicet diabolo resistamus, qui nobis in tam multiplici defectu constitutis etiam ipsam animam auferre conatur, propter quod legitur Gen. 14. Quod rex Sodomorum, per quem diabolus figuratur, dixit ad Abraham: *Da mihi animas, cetera tolle tibi.* Ad hoc autem, ut diabolo resistamus, monet nos Iacob. 1. *Resistite diabolo, & fugiet a vobis.* Hortatur etiam nos 1. Pet. 5. *Aduersarius vester diabolus tanquam leo rugiens circuit, querens quem deuoret: cui resistite fortiter in fide.* In duello vero, quod cum diabolo debemus inire, tria nobis sunt præcipue necessaria, clypeus sanctæ crucis, & gladius charitatis, & robur Spiritus sancti. Quicunque enim constanti fide se Crucifixo commisit, & charitatem Dei & proximi in manu sua, hoc est, in operibus tenuerit, & semper robur sancti Spiritus postulauerit: sine dubio diabolum superabit.

Quarto debemus agere diem Mercurii, qui dicebatur olim esse Deus mercatorum: dicitur enim Mercurius quasi merces curans. Debemus, inquam, agere diem Mercurii, ut videlicet, quia triplex est defectus noster, quandiu sumus in foro præsentis vite, pro æternis bonis fideliter laboremus. Vnde Dominus dicit in Euangelio Luc. 19. *Homo quidam nobilis, vocatis seruis suis, dedit illis decem mnas, & ait illis: Negotiamini dum venio.* Per deceim mnas intelliguntur tria, quæ Deo specialiter offeruntur: & septem, quæ propter Dominum pauperibus exhibentur. Tria, quæ Deo specialiter offeruntur, sunt hæc, videlicet, carnis maceratio, supplex oratio, & deuota ploratio. Septem, quæ propter Deum pauperibus exhibentur, sunt septem opera misericordiae, videlicet, peregrinos in hospitium recipere, sicuti potum exhibere, esurientes cibo reficere, captiuos redimere, nudos vestire, infirmos visitare, mortuos sepelire. Hæc septem notantur in uno versiculo.

*Colligo, poto, cibo, redimo, te go, visito, condo.*

Igitur per predicta negotiari debemus, ut deceim mnas, id est, denarium perpetuæ retributio- nis acquiramus.

Quinto debemus agere diem Iouis, qui in vulgaris dicitur dies tonitru. Debemus, inquam, diem illius magni & extremiti, id est, diem iudicij semper in mente habere, ut eo feruentius æternis bonis acquirendis insistamus, & ut etiam ea bona, quæ iam acquisitiimus, per stultiam & negligenciam non amittamus. Dies itaque iudicij est

dies tonitru. Tunc enim tonitruo diuinæ potentiæ percutiet Deus peccatores, quando dicet Dominus: *Ite maledicti in ignem æternum.* De hoc tonitruo dicitur Eccli. 43. *Vox tonitru eius verbaverat terram.* Hunc ergo diem semper habeamus in mente, ne per vanam gloriam & iactantiam, si qua iam bona fecimus, amittamus. Nihil quippe tunc quantumcumque iusto bonis operibus spererit, sed potius sibi deesse timebit.

Sexto debemus, agere diem Veneris, quæ putabatur olim esse dea amoris. Debemus, inquam, agere diem Veneris, ut quia diuino iudicio tanto timore astabimus, multos tunc inueniamus amicos. Necessarium igitur nobis est, ut ipsius sanctæ Trinitatis, ac Beatæ Virginis, nec non & Angelorum, Patriarcharum, Prophetarum, Apostolorum, Martyrum, Confessorum, Virginum, & omnium aliorum electorum conqueramus amicitias. Vnde dicitur in Proverb. 25. *Gratia & amicitia liberant, quas tibi serua, ne exprobrabilis fias.* Exprobrabilis, id est, vituperabilis in die iudicij. Dicitur etiam Sap. 8. *In amicitia sapientis, id est, Filij Dei, est delectatio bona.*

Et nota, quod per tria, scilicet, per pœnitentiam, & cordis munditiam, ac eleemosynam possumus acquirere amicitiam Dei & Sanctorum eius. De primo, scilicet, de pœnitentia dicitur Proverb. 17. *qui celat delictum, querit amicitias.* Qui igitur pallio pœnitentia celat delicta sua, querit amicitiam Dei. De secundo, scilicet, de cordis munditia dicitur Proverb. 22. *Qui diligit cordis munditiam, habebit amicum regem,* scilicet, Iesum Christum. De tertio, scilicet, de Ecclesia dicit Dominus Luc. 16. *Facite vobis amicos de mammona iniquitatis, ut cum defeceritis, recipiant vos in aeterna tabernacula.* Qui igitur sex predictos dies compleuit, scilicet, Deo se per pœnitentiam reconciliando, defectus suos, & inopiam considerando, hostes animæ, id est, dæmones expugnando, pro bonis aeternis studiose negotiando, diei iudicij iugiter recordando, & Sanctorum fibi amicitias operando: talis transibit, scilicet, ad requiem animarum & Sabbathum delicatum.

Et bene dies septimus, id est, tempus post hanc vitam Sabbathum appellatur. Sicut enim Iudeis in Sabbatho operari non licebat: ita etiam electorum animæ cum transierint ex hac vita, deinceps non laborabunt, sed tantum visioni diuinæ cum suauitate vacabunt. Quod autem beatorum animæ post hanc vitam non laborabunt, dicitur Apoc. 14. *Scribe, Beati mortui, qui in Domino moriuntur. Amodo enim, iam dicit Spiritus, ut requiescant a laboribus suis.* Glossa. Quod etiam tunc diuinæ visioni cum suauitate vacabunt, dicitur in Psalm. 28. *Gustate, & videte quoniam suavis est Dominus.* Hoc enim erit animarum officium, gustare & videre suauissimum Dominum. De hoc Sabbatho dicit Isa. 66. *Erit sabbatum ex sabbato.* Quasi dicat, ex sabbato gratia erit sabbatum gloriae.

Celebrato vero septimo die requisitionis aduenier octauus dies glorioæ Resurrectionis, & dies iste appellatur dies solis, sive dies filij. Tunc enim corpora electorum lucubrant sicut lucet sol in virtute sua. Tunc etiam electis tamquam filiis & veris hæredibus regnum perpetuum conferetur. Quod tunc iusti sicut sol fulgebunt, dicit ipsa veritas Matth. 13. *Tunc iusti fulgebunt sicut sol in regno Patris eorum.* Quod & eis tunc regnum perpetuum

rum conferetur , testatur Dominus Matth. 25. Tunc dicet Rex his, qui à dextris erunt : Venite benedicti, &c. Cum ergo dies iste octauus aduenierit, tunc sicut supra dictum est , ab omnibus miserijs & pœnaliitatibus gloria circuncisione liberabimur , & vocabimur Iesu , id est , saluati , & ex omnibus tribulationibus liberati charissimi , rogate Dominum, ut sic in hac vita viuamus, quod ad felicitatem vitæ perpetua pertingamus. Quod nobis, &c.

DE CIRCVMCISIONE  
Domini

S E R M O IX.

*Vocatum est nomen eius Iesus ,  
quod vocatum est ab Angelo ,  
priusquam in utero concipe-  
retur. Luc. 1.*



Vobis missus Gabriel Angelus ad Mariam , præmissa salutatio- ne , videlicet , Ave gratia plena , &c. dixit ad eam : Ecce concipies , & paries filium , &c. Legitur etiam Matth. 1. quod d Angelus apparet Ioseph ait : Ioseph fili David , noli timere accipere Mariam coniugem tuam. Quod enim in ea natum est , de Spiritu sancto est. Pariet autem filium , & vocabis nomen eius Iesum. Ipse enim saluum faciet populum suum à peccatis eorum. Ecce bis prænuntiatum fuit , quod filius Mariae deberet appellari Iesus. Vocatus est igitur iste hodie à parentibus suis Iesus. Quantæ vero dignitatis sit hoc nomen , declarat Apostolus ad Philip. 2. ita dicens : Donavit illi Pater nomen , quod est super omne nomen : ut in nomine Iesu omne genu fleat celestium , terrestrium , & infernum.

Nota ergo , quod hoc vocabulum Ihesus ex sex literis est , pro quibus si sex dictiones ponantur , videbimus quantæ virtutis sit hoc nomen. Ponamus igitur I. pro I. Iustissimus. II. pro H. Honestimus. III. pro E. Elegantissimus. IV. pro S. Sapientissimus. V. pro V. Veracissimus. VI. pro S. Suauissimas. Et colligere possumus , quanta efficacia lateat in hoc nomine I H E S U S .

Primo Iesus dicitur iustissimus. Necessarium enim nobis erat , ut nos iniustos in viam iustitiae reuocaret , ac per suam iustitiam Deo Patri mortiens in cruce reconciliaret. Vnde dicit 1. Pet. 3. Semel pro peccatis nostris mortuus est , iustus pro iniustis: ut nos offerret Deo. Quod autem iustus fuerit , ipse Centurio testabatur , cum vidi eum expirare. Dicit enim Luc. 23. Videns Centurio quod factum fuerat , glorificans Deum dicens : Vere hic homo iustus erat.

In tribus vero considerari potest iustitia iusti Iesu. 1. Ipse enim dedit iusta mandata. 2. Ipse faciet iusta iudicia. 3. & ipse dabit iusta præmia. De I. videlicet , quod iusta dederit mandata ; dicit Apostolus ad Rom. 7. Itaque lex quidem sancta ; & man-

datum iustum , & sanctum , & bonum. Ut autem ad præsens de ceteris mandatis taceam , nonne iustum est mandatum , quod dedit nobis Luc. 6. dicens : Propterea vultis , ut faciant vobis homines , & vos facite illis similiter ? Nonne & iustum & bonum mandatum est , quod dedit Ioan. 15. ita dicens : Mandatum nolumus do vobis , &c. De II. videlicet , quod iusta faciet iudicia , testatur per semetipsum Ioan. 5. ita dicens : Pater non iudicat quemquam , sed omne iudicium dedit Filio , & iudicium meum iustum est. Angeli in caelo etiam testantur iustum esse iudicium Filij Dei. Vnde dicit Ioan. in Apocal. 15. Audiui Angelum ab altari dicentem : Domine Deus omnipotens , vera & iusta iudicia tua. De III. quod videlicet dabit iusta præmia , dicit ipse Matth. 15. Ite & vos in vineam meam , & quod iustum fuerit , dabo vobis.

Nos etiam , cum sumus filii Iesu , oportet nomen ipsius per opera in frontibus nostris representare. Debemus etiam ad imitationem iusti patris nostri Iesu esse iusti. Vnde dicit 1. Ioan. 2. Si scitis quoniam iustus est : scitote quia omnis qui facit iustitiam , ex eo natus est. Ad hoc autem , ut iustitiam firmiter amplectamur , monet nos Ecclesiast. 4. Usque ad mortem certa pro iustitia : & Deus expugnabis pro te inimicos tuos.

Et nota , quod propter septem causas iustitiam , tanquam sp̄l̄am charissimam , nobis copulare debemus. Prima causa est : quia ipsam Deo valde gratam esse Scriptura testatur. Secunda causa : quia perpetua & immortalis esse probatur. Tertia causa est : quia per hanc hominē in omni via sua defensatur. Quarta est : quia per hanc homo quasi indumentis nobilibus decoratur. Quinta causa est : quia per hanc hominē à morte perpetua liberatur. Sexta causa est : quia per hanc hominē in die iudicij tutela præstatur. Septima causa est : quia per hanc & propter hanc hominē in gloria sublimatur.

De primo , videlicet , quod iustitia valde grata & accepta sit Deo , dicitur Proverb. 16. Initium via bona facere iustitiam , acceptum est apud Deum magis , quam immolare hostias. De secundo , quod scilicet , perpetua sit & immortalis , dicitur Sap. 1. Iustitia perpetua est & immortalis : iniustitia autem mortis acquisitionis. De tertio , scilicet , quod iustitia hominem in omni via custodiat ac defenset , dicitur Proverb. 13. Iustitia custodit innocentiam : impietas vero peccatorum supplantat. De quarto , quod scilicet , homo per iustitiam decoratur , dicit Ecclesiast. 27. Si sequaris iustitiam , apprehendes illam : & indues quasi poderem honoris. Hinc etiam dicit Job 29. Iustitia induitus sum , & vestiu me sicut vestimento , &c. De quinto , quod scilicet , homo per iustitiam liberetur de morte æterna dicitur Proverb. 10. Nil proderunt thesauri impietatis : iustitia vero liberabit à morte. Glos. Iustitia quandoque liberat ab utraque morte , sed semper liberat ab æterna. Item dicitur Proverb. 11. Non proderunt dinitie in die ultionis : iustitia autem liberabit à morte. Glos. æterna. De sexto , quod scilicet iustitia tutela sit homini in die iudicij dicitur Eccl. 27. Iustitia proteget te in sepietum , & in die agnationis inuenies sanum firmamentum. Per diem agnationis , sicut dicit Glos. intelligitur dies iudicij. Tunc enim iudex iustus cognoscet de causis omnibus , & iustitiam dabit de eis sententiam ; & tunc iustitia tutelam præstabit

stabit eis, qui eam tenuerunt. De septimo, scilicet, quod homo propter iustitiam in gloria sublimabitur, dicitur in Isa. 58. *Anteibit faciem tuam iustitia tua, & gloria Domini colliget te.* Dicitur etiam Proverb. 14. *Iustitia eleuat gentem*, scilicet, sedem gloriosam: *miseros autem facit populos peccatum.*

Secundo Iesus dicitur honestissimus. Propterea dicitur Sap. 10. *Sapientia honestauit illum in laboribus, & complevit labores illius: in fraude circumuenientium affuit illi, & honestum fecit illum.* Per sapientiam, quæ dicitur sapida scientia, diuinitas intelligitur, quæ Iesum Christum secundum humanitatem suam honestauit in omnibus laboribus suis, quos pertulit in corpore: quæ etiam in fraude circumuenientium Iudæorum affuit, & honestum fecit illum. Quia enim dicit Apost. ad Col. 2. *Omnis pulchritudo diuinitatis corporaliter id est, veraciter habitavit in ipso.* Ita sanctus erat, & innocens, & impollutus, ut nihil cogitare, vel loqui, vel agere posset, nisi decens esset & honestum.

Cum igitur filij simus, fratres, Iesu, debemus etiam & nos esse honesti. Ut autem honestatem habere possimus, postulemus eam à Deo: dicit enim Ecclesiast. 11. *Facile est in oculis Dei subito honestare pauperem.* Debemus autem triplexem honestatem habere, videlicet, in corde, ore, & opere. Hæc autem triplex honestas nihil aliud est, nisi triplex munditia, sive pudicitia, 1. Ad honestatem cordis inuitat nos Apostolus ad Rom. 13, *Induanur, inquit, arma lucis, sicut in die honeste ambulemus.* Arma lucis sunt indicia oris, ac indicia cordis, quæ induere debemus, ut in die iudicij in ea honestate cordis, quam prius habuimus, coram omnibus Sanctis sine verecundia procedamus. 2. Ad honestatem etiam oris monet nos Apostolus 1. ad Cor. 14. *Omnia, inquit, honeste & secundum ordinem fiant in vobis.* Tunc honestate & secundum ordinem fiant in nobis, cum linguam nostram ita sub fræno disciplinæ custodimus, ut ex verbis nostris nullius aures inquinentur, nec etiam cor in aliquo molestetur. Ad honestatem operis hortatur nos Apostolus 1. ad Thess. 4. *Precipimus vobis, ut honeste ambuletis, ad eos, qui foris sunt, & nullius aliquid desideretis.* Ille igitur honeste ambulat, qui nullum operibus aut scandalizat, aut ludit, aut contristat.

Tertio Iesus dicitur elegantissimus. Vnde ipse signatus est per Moysen, de quo legitur Exo. 2. vbi dicitur, *quod cum peperisset eum mater sua, vidit eum elegantem, abscondit eum mensibus tribus.* Interpretatur enim Moyses, assumptus de aqua, & significat Iesum Christum, qui assumptus fuit ex aqua lacrymarum, quas Patriarchæ & Prophetæ, ob ingens desiderium nativitatis eius abundantissime protulerunt. Et certe iste puer non tantum tribus mensibus, imo septem annis absconditus fuit in Ægypto, ut evaderet persecutionem Herodis. Dicit magister in historijs de pulchritudine Moysi, quod sic Deus eum venustrauerat, ut etiam ab hostibus amaretur, & alimento dignus haberetur. Præterea Josephus ait, quod tantæ pulchritudinis fuit puer Moyses, ut nullus adeo leuerus esset, qui eius aspectum non haberet. Multique dum cernerent eum per placam, ferri occupationes, in quibus studebant,

deserenter. Si igitur Dominus tantam elegantiam contulit Moyli, seu formositatem, quantum creditur vnigenito suo Filio contulisse: de quo legitur Lucæ 3. *Apertum est cælum, & descendit Spiritus sanctus corporali specie, sicut columba in ipsum:* & vox de cælo facta est: *Tu es Filius meus dilectus in te complacuit mihi.* Quod autem Iesus pulcher sit, & decorus, testatur fidelis anima Cantorum primo: *Ecce, inquit, Tu pulcher es, dilecte mi, & decorus.* Quasi dicaret: O dilecte Iesu, tu pulcher es super omne id, quod est in terris, & es decorus super omne id, quod est in cælis.

Ita pulcherimus, sive elegansissimus ad minus duplice pulchritudinem querit à nobis, videlicet, ut pulchri simus fide, & opere. Vnde ipse dicit Cantorum primo, ad animam cuiuslibet Christiani: *Ecce tu pulchra es, amica mea: Ecce tu pulchra, oculi tui columbarum.* Quasi dicaret: O anima Christiana, quæ es amica mea, non per fictam charitatem, tu pulchra es per fidei sinceritatem: & tu pulchra es per boni operis claritatem: & oculi tui sunt sicut columbarum: quia tu paleas mundi relinquens eligis cælestis gloriosam nobilitatem.

De multis heu animabus Christianorum hodie dici potest: Ecce tu fœda es, inimica mea: Ecce tu fœda, oculi tui coruorum. Multi quippe non habent charitatem, & propter hoc non amici Domini. Multi enim carent vera fide, & propter hoc sunt fœdi. Multi etiam sunt in malo opere, & propter hoc sunt immundi. Multi quoque immundum cadaver mulieris præponunt dulci Domino, & propterea sunt imitatores illius corui, qui illectus per cadaver redire noluit in arcana: sicut legitur Genes. 8.

Quarto Iesus dicitur sapientissimus. Vnde dicitur 2. Reg. 23. *David sedens in cathedra sapientissimus princeps inter tres, ipse est quasi tenerimus ligni vermiculus.* De David legitur 1. Reg. 16. quod erat rufus, & pulcher aspectu, decoraque facie. Vnde per ipsum Dei Filius figuratur, qui rufus effectus est, quando fuit proprio sanguine rubricatus, scilicet, quando in agonia sanguinem sudauit, & quando flagellatus fuit, & spinis laceratus, & quando clavis cruci affixus fuit, & demum lancea perforatus. Ipse etiam est pulcher aspectu secundum diuinitatem, decoraque facie secundum humanitatem. Ipse etiam sedet in cathedra imperij: utpote princeps regum terræ. Et est unus de tribus sapientissimis. Tres enim sapientissimi sunt Pater, & Filius, & Spiritus sanctus. In medio igitur Patris & Spiritus sancti sedet Filius cum sapientissimis sapientissimus, attingens à fine usque ad finem fortiter, disponit omnia suauiter, sicut dicitur Sapient. 8. Ipse etiam dicitur tenerimus ligni vermiculus. Sicut enim nihil est mollius ligni vermiculo, qui dicitur teredo, cum tangitur; & sicut ipso nihil est durius, aut fortius, cum tangit, perforat enim lignum durissimum. Sic etiam dicitur de Christo: modo enim, cum peccatorum linguis & fastis tangitur & infestatur, nihil est eo patientius. *Dissimulat enim peccata hominum, propter patientiam:* sicut dicitur Sap. 11. Verum in die iudicij, cum ipse tangere cœperit peccatores, nihil eo durius aut fortius sentietur: nullus quippe tunc inuenietur, qui eius sententia resistere possit.

Debemus etiam & nos ad imitationem Iesu sapientes esse. Dicitur enim Sapien. 6. quod clara est, & que nunquam marcescit sapientia. Et concupiscentia sapientia deducet ad regnum perpetuum. Dicitur etiam Proverb. 16. Posside sapientiam, quia auro melior est. Vera autem sapientia ad minus consistit in tribus. Primum est, vt à regione mortis in regionem vitæ transeamus. Secundum est, vt animæ nostræ habitaculum pulchrum construamus. Tertium est, vt contra famem perpetuam nobis alimenta conqueramus.

De II. vt scilicet à regione mortis in regionem vitæ transeamus, dicitur Eccl. 6. Quid habet amplius sapiens stulto, nisi ut perga illuc, ubi vita? Sicut stultus reputaretur ille, qui relinquere regionem illam, in qua omnes homines lani essent, & beati, & transiret ad terram illam, ubi omnes essent infirmi & miseri: ita etiam stulti sunt illi, qui per peccata sua elongant se à patria paradisi, ubi omnes incolunes & beati, & transferunt se in exilium inferni, ubi omnes languent & omni miseria subiacent. Contra sapientes sunt illi, qui fugiunt mortem inferni, & pergunt ad æternam & felicem vitam regni Dei.

De II. vt videlicet animæ nostræ firmum & pulchrum habitaculum construamus, dicitur Proverb. 14. Sapiens mulier edificat domum suam, insipiens extructam quoque manibus destruet. Dicitur enim Proverb. 24. Sapientia edificabitur domus, & prudentia roborabitur: Mulier igitur sapiens, id est, prudens anima, per studia virtutum, & opera eleemosynarum edificat sibi domum in cælis: sed insipiens anima domum sibi extructam à Christo, quantum in ea est, manibus suis, id est, pessimis operibus suis destruit.

De III. vt vitemus æternam famem, alimenta nobis mature conqueramus, monemur Proverb. 6. Vade ad formicam & piger, & considera vias eius, & disce sapientiam: quæ cum non habeat ducem, nec præceptorem, nec principem, parat in aestate cibum sibi, & congregat in messe quod comedat, scilicet in hyeme. Ibi dicit glossa: Si tantillum animal principe carens, rationis expers, natura duce, sibi in posterum prouidet, multo magis tu, ad imaginem Dei conditus, ad videndam gloriam eius vocatus, Doctorum tanto magisterio adiutus, ipsum conditorem habens ducem: debes in præsenti fructum bonorum operum congregare, quibus in æternum viuas in futuro. Satis igitur miserabile est, quod multi tam parum cogitant de futura vita: dummodo tantum habeant, vt ventrem hic pascant, & luxuriaæ suæ satisfaciant, non habent solitudinem, quid agatur de misera anima post hanc vitam.

Quinto Iesus dicitur veracissimus. Vnde dicitur Matth. 12. Mittunt Iudei ad Iesum quosdam ex Pharisæis & Herodianis, & dicunt ei: Magister, scimus quia verax es, & non curas quenquam: nec enim vides in faciem hominum, sed in veritate viam Dei doces. Vnde & ipse Iesus dicit Ioan. 14. Ego sum veritas. Et nota, quod Iesus in duplice promisso suo verax est: persoluet enim iustis & iniustis, quod promisit eis. Dabit nempe iustis æterna præmia: iniustis vero supplicia sempiterna. De istis duobus dicit Dominus Isa. 1. Si volueritis, & audieritis me, bona terra comedetis: quod si nolueritis, & me ad iracundiam prouocau-

ritis, gladius devorabit vos. Quasi dicat. Si voluntatis, id est, voluntatem vestram meæ voluntati conformaueritis, & audieritis me, id est, mandata mea perfeceritis, bona terra viuentium comedetis, ad mensam gloriae discumbentes. Quod si nolueritis, id est, meæ voluntari remurmuraueritis, & me ad iracundiam prouocaueritis, id est, mala operati fueritis, gladius æternæ damnationis devorabit vos in profundo gehennæ gementes. Multi sunt, qui nisi confidentes diuinæ misericordiæ, imo nisi auscultantes fallaciæ serpentinæ, non credunt, quod Deus impios sit æternaliter damnaturus, & tales volunt meindacem facere veracem Iesum, qui dicit Matt. 26. Ibunt impii in supplicium æternum: Insti autem in vitam æternam. Propter hoc dicit Augustinus: Si feceris, quod suggestum diabolus, & contempseris quod præcipit Deus; veniet dies indicij, & inuenies verum, quod minatus est Deus, & simul quod pollicitus est diabolus.

Nos enim, cum simus filii Iesu, decet esse veraces. Veritas enim commendabilis est propter tria. 1. Per veritatem quippe gratia Dei inuenitur. 2. Per veritatem ubique homo custoditur. 3. Per veritatem etiam vique ad inspectionem diuinæ gloriae peruenitur. De primo, videlicet quod per veritatem Dei gratia inueniatur, dicitur Proverb. 3. Misericordia & veritas non te deserant, & inuenies gratiam bonam coram Deo & hominibus. Hinc etiam dicitur in Psal. Misericordiam & veritatem diligit Deus. Nota, quod soror veritatis est misericordia, unde etiam coniungitur ei, & nunquam sine ea debet inueniri. De secundo, scilicet, quod homo per veritatem ubique custodiatur, dicitur Proverb. 20. Misericordia & veritas custodiunt regem, id est, quemlibet Christianum, qui ad hoc vocatus est, vt semper ipsum per virtutes regat, & sic in regno Dei coronam gloriae consequatur. De tertio, scilicet, quod homo ad aspectum diuinæ gloriae per veritatem perueniat, dicitur Eccl. 15. Viri veraces successum habebunt usque ad inspectionem Dei. Cum igitur tam commendabilis sit veritas, monet nos Spiritus sanctus, vt emamus eam. Dicitur enim Proverb. 13. Veritatem eme. Glossa, pretio corporis tui. Sed heu nobilem veritatem multi ita vilpendunt, vt deserant eam pro bucella panis: sicut dicitur Proverb. 28. Qui cognoscit in indicio faciem, non facit bene. Iste etiam pro bucella panis deserit veritatem. Ille etiam, qui iudicio seculari, siue clericali, siue spirituali diuitem attendit, & pauperem non agnoscit: talis, inquam, pro bucella panis deferit veritatem.

Iesus igitur triplicem veritatem requirit à nobis, vt scilicet persoluamus, quod ipsi promisimus, & Sanctis eius, & proximis nostris. Ad primum monet nos Ecclesiasticus 5. Si quid voulisti Deo, ne moreris reddere, despiciet enim Deo infidelis, & stulta promissio: sed quodcumque voulueris Deo, redde. De secundo dicitur Proverb. 20. Ruina hominis est, deuotare Sanctos, & post vota retractare. Quicunque igitur Sanctos deuotauit, id est, Sanctis aliquid voulit, aut promisit, persoluat eis: alioquin cedit ei in ruinam, & interitum sempiternum. De tertio dicitur Proverb. 3. Ne dicas amico tuo: Vade & reuertere, cras dabo tibi: cum statim possis dare. Hæc auctoritas intelligitur de illis, qui debita sua de die in diem differunt.

runt : cum statim ea persoluere possint.

Sexto Iesu dicitur suauissimus. Est enim suavis in ipsum credentibus, ipsum amantibus, & bene operantibus. De primo, videlicet, quod Dominus sit suavis eis, qui credunt in ipsum, dicitur in Psalmo 33. *Gustate, & vide quoniam suavis est Dominus.* Primo quippe anima videt Deum per fidem, & sic iam eum incipit degustare. De secundo, scilicet, quod sit suavis eis, qui sperant in eum, dicitur in Psal. 85. *Quoniam tu Domine suavis & mitis, & multe misericordia omnibus inuocantibus te.* Illi enim qui sperant in Domino, inuocant eum, & inuocantes experientur suavitatem eius. De tertio, scilicet, quod suavis est his, qui diligunt eum, dicitur in Psal. 99. *Laudate nomen eius, quoniam suavis est Dominus, & in eternum misericordia eius, & usque in generationem & generationem veritas eius.* Illi quippe, qui sincere amant Dominum, tantam quandoque experiuntur suavitatem, quod prorumpunt in laudem bonitatis ipsius. De quarto, scilicet, quod suavis sit eis, qui bona operantur, dicitur in Psal. 144. *Suavis Dominus uniuersis, & miserationes eius super omnia opera eius.* Multi in actu bonorum operum mirabili suavitate intrinsecus a Domino reficiuntur.

Constat igitur Iesum tantæ suavitatis esse, ut si haberet stomachum ita largum & amplum, sicut est totus orbis terrarum, nondum capere possis millesimam partem suavitatis ipsius. Vnde etiam Dominus dicit fideli seruo suo Matth. 25. *Intra in gaudium Domini tui.* Quasi dicat, Gaudium meum tam copiosum est, quod totum in te intrare non potest, sed tu potius intrabis in illud. Si esset aliquid magnum dolium, quod caperet viginti caratas vini, & esset melle repletum: & tunc acciperetur panis unus triticus, qui recente esset decoctus, & in medium mellis proiecetur: sicut panis ille totum mel non posset sibi imbibere, sed potius absorberetur a melle: ita etiam est de suavitate diuina, quam anima totam non valet imbibere, sed potius a diuinitate absorbetur, & imbibitur. Vnde dicitur in Psal. *Inebriabuntur ab uertate domus tue.*

Si igitur desideramus gustare suavitatem diuinæ bonitatis, oportet ut nos etiam simus suaves. Vnde dicit August. *Si acero plenus es, ubi mel pones, quo te vult implere Deu?* Si vis habere mel, funde fel.

Triclicem itaque suavitatem requirit a nobis Deus, scilicet, suavitatem cordis, oris, & operis. 1. De suavitate cordis & oris dicitur Cant. 4. *Fauis distillans labia tua sponsa: mel & lac sub lingua tua.* Quasi diceret: O fidelis anima, quæ desideras esse sponsa mea, labia tua debent esse suavia, sicut est fauis distillans, ut pauperes benigne ac leniter alloquaris. 2. Debet etiam in corde tuo, quod est constitutum sub lingua, mel esse & lac: ut scilicet, nullum odio habeas & nulli homini damnum aliquod moliaris in corde. Ad hoc, ut pauperes pie ac suauiter alloquamur, monet nos Eccl. 18. *Fili in omnido tuo, ne des tristitiam verbi mali. Nonne ardorem refrigerat ros? sic & verbum,* scilicet bonum, melius quam datum. 3. De suavitate operis dicitur Cant. 6. *Pulchra es amica mea, suavis & decora, sicut Ierusalem.* Quasi dicat: O anima, quæ desideras esse amicam meam, debes etiam esse pul-

chra per continentiae puritatem: debes etiam esse suavis per operis ac conuersationis innocuitatem: ut scilicet, nulli opere ac conuersatione noceas. Debes nihilominus decora esse sicut Ierusalem: ut scilicet, ornata diuersarum virtutum preparas te ad illius supernæ Ierusalem solemnitatem.

Rogate ergo Dominum, ut in suavitate cordis, oris, & operis inueniamur, ut tandem ad suavitatem diuinæ mensæ recipi mereamur. Quod nobis ipse dulcis Iesu præstare dignetur, qui cum Deo Patre & Spiritu sancto viuit & regnat Deus per omnia secula seculorum. Amen.

Nota, quod prædictus sermo generalis est, & potest de eo prædicari vbiunque in Euangeliō, vel in Epistola, per circulum anni, occurret tibi IESVS, & habes hic abundantem materiam ad sex sermones de singulis literis huius vocabuli IESVS. Similis notatio & sermo est infra Dominica 4. post Epiphany. Sermo. II.



## IN DOMINIC. INFRA oct. Natiuitatis Domini

### S E R M O X.

*Ecce positus est hic in ruinam, & in resurrectionem multorum in Israel, & in signum cui contradicetur: & tuam ipsius animam pertransibit gladius: ut reuelentur ex multis cordibus cogitationes.*

Luc. 2.

Quatuor hic occurunt consideranda.

- I. In cuiusmodi ruinam Christus positus esse dicatur?
- II. In quorum resurrectionem positus offeratur?
- III. In quale etiam signum positus esse credatur?
- IV. Qualiter eius gladio matris anima transfigatur?



E Primo nota, quod puer Iesu positus fuit, id est, natus in ruinam idolorum, & hoc prædixerat Isa. 19. ita dicens: *Ecce Dominus ascendet super nubem leuem, & ingreditur in Aegyptum: & mouebuntur simulachra Aegypti a facie eius.* Tunc Dominus ascendit super nubem leuem, quando Beata Virgo Maria (quæ nubes leuis dicitur: quia erat sine omnis peccati grauedine) quando, inquant-

quam, Iesum in vlnas suas assumpit, & cum eo fugit in Aegyptum. Et tunc, ut Magister dicit in historia ad literam, idola Aegypti corruerunt. Tradunt quoque Sancti, quod sicut in exitu filiorum Israel de Aegypto, non fuit domus in Aegypto, in qua Deo procurante, non iaceret mortuum primogenitum: ita nec modo templum fuit in Aegypto, in quo non corruisset idolum.

Et nota, quod, cum moraliter per Aegyptum mundus iste figuretur, & cum puer Iesu mundum verissime sit ingressus: dignum & iustum est, ut idola huius mundi à facie eius penitus conterantur. Ipse enim solus est Deus, & non aliis est Deus præter ipsum. Vnde ipse ab omnibus amandus est, & colendus.

Notandum vero est, quod quatuor principalia idola sunt huius mundi: videlicet, superbia, avaritia, luxuria, & gula. De primis tribus mentionem facit 1. Ioan. 2. ubi dicit: *Omne quod est in mundo, concupiscentia carnis est, & concupiscentia oculorum, & superbia vite.* De quarto dicit Apost. ad Ph. 3. *Multi ambulant, quos flens dico inimicos crucis Christi, quorum Deus venter est.* Prima tria idola, scilicet, superbia, avaritia, luxuria, signata sunt per tria idola, que specialiter coluit Salomon, & propter hoc iram Dei incurrit grauissimam. Legitur enim 3. Reg. 11. *Cum esset senex Salomon, depravatum est per mulieres cor eius, ut sequeretur deos alienos: nec erat cor eius perfectum cum Domino Deo suo, sicut cor David patris eius: sed colebat Salomon Astarthen-deam Sidoniorum, & Chamos deum Moabitarum, & Moloch idolum Ammonitarum.* 1. *Astarthe* interpretatur factura superflua, & significat superbiam, quam Deus non creauit, sed ille nequissimus Angelus, videlicet, Lucifer eam primus adinuenit. 2. *Chamos* interpretatur congregans, & significat avaritiam, quæ insatiabilis est: vnde etiam semper ntitur congregare, avarus enim obolo indiget. 3. *Moloch* interpretatur rex vel princeps, & significat luxuriam, quæ pene omnibus hominibus saltem per primos motus dominatur, & vix est aliquis ita perfectus & sanctus, quin tyrannis debeat eius haberi suspecta. 4. *Idolum* vocatur Bel, de quo legitur Dan. 14. *Erat idolum nomine Bel apud Babylonicos, & impendebantur in eo per dies singulos similes artabæ duodecim, & oves quadraginta, vini quoque amphoræ sex.* Nota quod artabæ fuit mensura trium modiorum. Duodecim igitur artabæ erant 36. modij panis simulicini, qui quotidie huic idolo offerabantur. Offerebantur etiam 40. oves, & sex amphoræ vini. Conuenienter igitur per idolum istud gula figuratur, quæ vix cibo potuque repletur. Vnde etiam rex iste, qui sumptuosum idolum istud colebat, dixit ad Daniellem: *Nontibi videtur Bel esse viuens Deus? aut non vides, quanta comedit & bibt quotidie?*

Igitur cum natus sit puer, qui vocatur Iesus, & est Deus noster: debemus alpernari & fugere prædicta idola, scilicet, superbiam, avaritiam, luxuriam, & gulam. Qui enim prædicta idola non dereliquerit, à Domino in die extremæ necessitatis derelinquetur, & æterna confusione confundetur. Vnde dicitur Isa. 1. *Qui dereliquerunt Dominum, consumetur igne,* scilicet perpetuo. Confundentur ab idolis quibus sacrificauerunt. Dicit enim Isa. 11. *In die illa proieciet homo idola,* &

D. Alberti Magni Serm.

*ingredietur scissuras petrarum, & in cavaeras saxorum, à facie formidinis Domini, & à gloria maiestatis eius, cum surrexerit percutere terram.*

De secundo nota etiam, quod Iesus asseritur, in positus resurrectionem multorum in Israël. Hæc autem resurrectione fit per penitentiam, & gratiam Spiritus sancti. Vnde in primo verbo, quod Dominus prædicavit, inuitat nos ad penitentiam Marth. 4. *Penitentiam agite, appropinquamus enim regnum celorum.* Idem etiam prædicavit Iohannes Baptista Matth. 3. Dominus igitur ad hoc natus est, ut cooperante gratia ipsius, per penitentiam de peccatis resurgamus ad virtutes. Hinc per semetipsum dicit Ioh. *Ego sum resurrectio, & vita.*

Et nota, quod homo per septem cadit, & per septem resurgit. Vnde dicitur Proverb. 24. *Septies cadit iustus, & resurgit, scilicet, septies.* Cedit enim per septem principalia vita: resurgit autem per septem dona Spiritus sancti. Inuitat autem diabolus nos ad casum: vnde legitur Matth. 4. *quod assumpit diabolus Iesum in montem excelsum valde, & ostendit ei omnia regna mundi, & gloriam eorum, & dixit ei: Hæc omnia dabo tibi, si cadens adoraueris me.*

Primo igitur homo cadit per superbiam, & qua resurgit per donum sapientiae. Superbia quippe facit hominem Deum despicere: sapientia vero conferens animæ verum iustum, facit hominem Deum quasi summum bonum appetere.

Secundo homo cadit per iram, sed resurgit per spiritum intellectus. Per iram quippe homo interius obtenebratur, ac suiipsius obliuiscitur; sed donum intellectus reducit hominem ad cognitionem suiipsius.

Tertio homo cadit per inuidiam, sed resurgit per spiritum consilij. Inuidia quippe diffundet homini, ne faciat aliquid boni proximo suo: sed donum consilij persuadet homini, vt diligit proximum suum ac foueat eum tanquam seipsum.

Quarto cadit homo per acidiam & boni operis pigritiam, sed resurgit per spiritum fortitudinis. Acidia nempe debilitat hominem, ne velit vel valeat Deo seruire; sed è contrario donum fortitudinis roborat hominem, & ad seruendum Deo vires ei sufficienter administrat.

Quinto cadit homo per avaritiam, sed resurgit per spiritum scientiae. Avaritia namque instigat hominem, vt multa congreget, & tenaciter ac impie conseruet: sed econtra donum scientiae ostendens homini, quod bona huius mundi instabilia sunt, & quod de eis arctissima ratio est reddenda, persuadet cuilibet, vt modicis sit contentus, & vt ea quæ iuste possidet, misericorditer ac large cum proximo suo communicet, præfertim cum omnia communia debeat esse in regno Dei.

Sexto cadit homo per gulam, sed resurgit per spiritum pietatis. Gula namque persuadet homini, vt circa animam suam negligens sit & impius, & circa corpus sollicitus atque pius, vt scilicet carni omnes voluptates præstet; sed è contrario donum pietatis monet hominem, vt misereatur animæ sue, ipsamque sollicite pascat ac reficiat. Ipsa enim immortalis existit, sed corpus est mortale, propter quod

C non

non est animæ præferendum. Dicit enim Apolstolus, quod *venter efcis, & esca ventri*: *Deus autem & hunc & hanc destruet.*

Septimo cedit homo per luxuriam, sed resurgit homo per spiritum timoris Domini. Luxuria namque instigat hominem, ut timore Domini postposito totum se libidini carnis immerget & inuoluat; sed è contra timor Domini moneret, ut mundum se conseruet ac immaculatum, ut sic cum fiducia audeat repræsentarivultui illius districti iudicis, qui omnem immunditiam vlcifetur. Quia igitur septiformis spiritus eos resuscitat, quos peccatum septiforme mortificat & trucidat, dicitur in Ezech. 37. *Ingressus est in imperfectos spiritus, & vixerunt steteruntque super pedes suos.*

*NOTA*, quod multi sunt, quos non puderet cadere, id est, peccare; sed pudet eos surgere, id est, paenitentiam agere. De talibus dicit Augustinus: *Sunt multi, quos peccare non pudet; agere paenitentiam pudet. O incredibilis insanus! de vulnere non erubescis, de ligatura vulneris erubescis?* *Nonne nudum fædius & putridius est?* Festinemus igitur charissimi de vitiis resurgere: ut in die iudicij de terra puluere ad æternam gloriam resurgamus.

De tertio nota, quod Iesus positus in triplex signum, donatus est nasci, videlicet, in signum omnimodæ paupertatis, in signum eximiae humilitatis, & in signum multiplicitis acerbatis. Et certe huic triplici signo pene ab omnibus hodie contradicitur.

Primo Dominus positus fuit in signum omnimodæ paupertatis, pauper enim fuit iacens in præsepio, pauperior fuit degens in seculo, pauperimus fuit pendens in patibulo. Vnde Filius Dei loquitur ad Patrem in Psal. 85. *Inclina Domine aurem tuam, & exaudi me: quoniam inops & pauper sum ego.* De signo paupertatis legitur in Iudic. 6. quod cum filij Israël opprimerentur ab hostibus suis, videlicet, à Madianitis: & cum clamarent ad Dominum, præcepit Dominus cuidam viro forti, qui vocabatur Gedeon, ut pugnaret pro populo suo, & saluaret eum. Gedeon autem cum signum victoriae postularet à Domino, accepit hoc pro signo, ut vellus quadam in area positum complueretur, & area sicca remaneret. Datum etiam fuit ei tale signum, ut omnis terra rora maderet, & solum vellus siccum remaneret. Per filios Israël, intelligitur genus humanum, quod ante aduentum Filii Dei in mundum ab infernalibus hostibus grauiter impugnabatur. Propter quod ad clamorem Patriarcharum & Prophetarum Deus iniunxit Gedeon, id est, Filio suo vnigenito, ut ingressus in mundum genus humanum ab oppressione dæmonum liberaret.

Et in signum huius liberationis duplex signum præcessit. Primum signum, quod tota area sicca remanente, vellus rora complutum fuit, quod expressum concham impleuit. Per aream intelligitur mundus iste. Per vellus vero figuratur Filius Dei. Sicut enim vellus sine dolore ex carne oritur, ita & Filius Dei sine dolore & angustia natus est ex Virgine Maria. Igitur cum saluandum esset genus humanum non est inuentus aliquis in tota area huius mundi, qui dignus esset repleri rora Spiritus sancti, ad hoc, ut esset dux & saluator fidelis populi, sed solum vellus, id est,

corpus Filii Dei repletum fuit Spiritu sancto, & hoc vellus expressam concham, id est, beatam Virginem humore gratiæ adimpleuit. Eandem quippe gratiam, quam Dei Filius à Patre recepit, cum matre sua adhuc existens in ipsius vtero largissimè communicauit. Sicut enim legitur Ioan. 3. Non ad mensuram datus est Spiritus sanctus sacro infantulo in Virginis vtero concepto, qui etiam infantulus rore gratiæ sibi infusa maternam concham largiter adimpleuit.

Secundum signum fuit, quod omnis terra rora maderet, & solum vellus siccum permaneret. Per terram mundus intelligitur. Per vellus vero, sicut dictum est, Filius Virginis figuratur. Igitur omni terra humorem diuinarum desiderante Christus solus siccus permanit per inopiam & paupertatem. Ipse quippe spretis diuinitatibus, quibus mundus inhiat, paupertatem amavit, paupertati se copulauit, & paupertatem aliis commendauit. Vnde dicit Bernardus: *Bonorum omnium aeterna in celis affluentia supperebat: sed paupertas non inueniebatur in eis.* Hanc itaque Filius Dei concupiscens descendit, ut eam eligeret sibi, & nobis quoque sua estimatione faceret preciosam. Paupertatis itaque signo pene omnes contradicunt hodie. Paucissimi quippe sunt, qui ex corde diligent paupertatem. Vnde dicitur Ierem. 6. *Amnore usque ad maiorem omnes auaritia student.*

De signo humilitatis legitur Exod. 4. vbi dicitur, quod cum Moyses minasset gregein socii sui in interiora deserti, apparuit ei Dominus in rubo, & commisit ei, ut esset nuntius suus ad filios Israël, & ad Pharaonem regem Ægypti. Moyses vero, cum peteret sibi dari super has missione signum, ait Dominus ad eum: *Vt credant, quod apparuerit tibi Dominus, mitte manum tuam in sinum tuum; quam cum misisset in sinum protulit in leprosam instar niuis.* Quo facto, retrahit, ait Dominus, manum in sinum. Retraxit, & protulit iterum, & erat similis carni reliqua. Per Moysen intelligitur Filius Dei, qui tunc manum suam, id est, semetipsum misit in sinum, quando, ut incarnaretur, ingressus est Virginis vterum. Tunc autem extracta est hæc manus, quando ex Virgine natus est Dei Filius: & tunc hæc manus apparuit quasi leprosa: quia Christus in carne assumpta apparuit similis aliis peccatoribus. Vnde dicit Isa. 53. *Nos putauimus eum quasi leprosum, & percussum à Deo, & humiliatum.* Tunc etiam manus ista retracta in sinum est, quando Filius Dei reuersus fuit in Ascensione in finum Patris. Rursus vero extrahetur in die iudicij: sed tunc non apparebit quasi leprosa, immo apparebit in magna gloria, & sine omni peccati macula. Igitur assumptio despectæ humanitatis nostræ fuit signum magnæ humilitatis in Christo. Et certe huic signo à multis contradicitur: quia multi sunt, si esset in eorum electione, qui magis vellent honorari & dominari, quam aliis subdi & contemni.

III. De signo afflictionis & acerbatis legitur in Iosue 2. vbi dicitur, quod cum Iosue misisset exploratores, ut considerarent ciuitates, quas ipse expugnare proposuerat, & illi transfuerint in Iericho, & diuertissent in domum cuiusdam foeminae, quæ Raab vocabatur, intelligens hoc rex ciuitatis illius fecit perquiri prædictos exploratores, quos Raab abscondit, donec nun-

rij regis pertransiſſent. Tandem dimiſit eos per fenestram domus ſuę, quę muro contigua fuit per funiculum coccineum. Petiuit autem prædicta Raab à prædictis exploratoribus, vt cum veniret Iosue, & caperet ciuitatem, agerent cum ea, & cum omni parentela ſua ex misericordia; ſicut & ipſi misericordiam conſecuti ſunt ab ipſa. Ergo rogauit ſuper hoc dari ſignum. Cui responderunt exploratores: *Signum erit funiculus iſte coccineus, & ligabis eum in fenestra, per quam nos demiſſisti.*

Per Raab intelligitur Ecclesia, cui per funiculum coccineum falus eſt promiſſa. Christus enim eſt ille coccineus funiculus, qui appenſus fuſt in fenestra ſanctæ crucis. Et bene ſancta crux fenestræ comparatur. Sicut enim columba per fenestram reuerta fuſt in arcā: ita etiam electorum animæ per fidem ſanctæ crucis recipiuntur in præſenti in gratiam, poſtea vero recipientur in gloriam. In hac fenestra appenſus fuſt ipſe Dei Filius, vt eſſet ſignum ſalutis & miſericordiæ omnibus, qui de familia Ecclesie ſaluandi fuerunt. Erat autem Filius Dei quaſi quidam triplex funiculus, conſtat enim ex diuinitate, & anima & corpore. In tertiā vero ſuī parte, vi- delicit, in corpore, ruptus fuſt funiculus iſte, & tunc factus fuſt totus coccineus, flagella quippe & spinæ & clavi & lancea totum funiculum iſturn coccineum, id eſt, ſanguineum effecerunt. Ideo ſigno inenarrabilis acerbitas, quam pertulit in cruce, à multis hodie contradicitur. Pauci vero ſunt, qui velint pati cum Christo, ſed multi ſunt, qui vellent libenter deliciari cum Christo.

Rogate ergo Dominum, vt ſic in nobis corruant idola vitiorum, & ſic ad virtutes resurgamus, ſic etiam paupertatem, humilitatem, alpe- ritatemque Iefu aliquatenus imitemur: vt tandem in ſaluorum numero computemur. Quod nobis präſtare, &c.



## IN EADEM DOMINICA

### S E R M O X I.

*Tuam ipſius animam pertransi- bit gladius. Luc. 2.*

**N**ota, quod ſex ſunt gladij, qui debent animas noſtras per iugem recordationem pertransire ſalubriter.

- I. Acerbitas Dominicæ paſſionis.
- II. Ardor ſanctæ dilectionis.
- III. Feruor intima contritionis.
- IV. Mors corporalis.
- V. Sententia iudicialis.
- VI. Pæna gehennalis.

**P**rimus gladius eſt acerbitas Dominicæ paſſionis. De iſto gladio prædixit ſanctus Simeon Beatae Virginis, ſicut dicitur Luc. 2. *Tuam ipſius animam pertransi- bit gladius. Quaſi dicat: O Virgo, gladius ipſius,*

id eſt, Paſſio Filij tui pertransiſbit animam tuam. Tantum denique paſſa fuſt dolorem Beata Virgo, dum illuſiones & afflictiones Filij in cruce pendentis aspiceret, ac ſi materialis gladius cor eius & viſcera pertransiret, hoc dicit Beatus Hieron. Conſtat, quod Beata Virgo plus omnibus Filium ſuum dilexit, & propterea plus doluit: & tantum, ut animam eius totam pertransiret & poſſideret viſ doloris, ad testimonium eximie dilectionis: que, quia mente paſſa eſt, plusquam martyr fuſt. De dolore etiam Beatae Virginis loquitur Beatus Bernardus in tractatu de quinque verbis Domini: ait autem ſic: *Intuetur te Domine illa benedictio in mulieribus, & fixis inde oculis vulnera tua ma- terna pietate conſiderat: & licet non ignoret, quid boni conferat mundo paſſio tua: tamen tibi parentis affectu commoritur, & peccatum maternum immanita- te doloris arctatur, ſuſpirat intrinſecus, & erump- pentes reuocat lacrymas: & eo amplius anxietas in- tumeficit, quo prohibetur egredi, & per luctus la- mentaque diſſoluſ. Emergebant quidem aliquando gemitus, ſed increpati reprimebantur, reuertanturque in ſinum mentis, de qua prodibant, & colli- debant ſe introrsus ad innicem. Eratque in anima ſua tempeſtas valida, concurrentibus ſibi procellis, & quaſi in ſartagine frixiſ medullis, ebulliebant amaritudines: quaſi excoquebat, & coagulabat exacerba- tio perſeueraſ. Ex prædictis itaque verbiſ, perpendi poſt, quod Beata Virgo tantum dolorem paſſa fuſt respiciens tormenta Filij prædicti: ac ſi cor eius, & omnes medul- lae oſſium ipſius in patella ſuper ignem frigeren- tur.*

Igitur gladius Paſſionis Iefu, qui pertransiſbit animam Beatae Virginis, debet etiam cor noſtrum pertransire. Sumus enim fratres & filii Iefu, dignumque eſt, vt compatiamur & fratri & Patri noſtro chariſſimo in tantis doloribus exi- ſtentि. Vnde dicit Apoſtolum 1. ad Cor. 12. *Si quid patitur unum membrum, compatiuntur omnia membra.* Cum itaque Christus, qui eſt ca- put noſtrum, tam acriter paſſus fuerit pro no- bis, debemus & noſ compati ſibi, quoniam ſu- mus membra ipſius. Vnde etiam dicit Apoſtolum ad Phil. 2. *Hoc ſentite in vobis, quod & in Christo Iefu. Quaſi diceret: Irrifiones, & ſub- fannationes, ſputa, & flagella, spineam coro- nam, clavos, & lanceam, & alia crucis tor- menta, quę Christus pertulit in corpore ſuo, vos etiam per compassionem cum ipſo ſentire debetis.*

Secundus gladius eſt ardor dilectionis ſanctæ. De iſto gladio dicit Dominus Matth. 10. *Nolite arbitrari quia veni pacem mittere. Non veni pacem mittere, ſed gladium. Veni enim ſeparare filium aduersus patrem ſuam, & filiam aduersus matrem ſuam, & nurum aduersus ſocrum ſuam.* Quod autem Dominus per gladium prædictum charitatē in- telligat, ſtatiu, quaſi exponendo verba prædicta ſubdit: *Qui amat patrem, aut matrem plusquam me, non eſt me dignus. Et qui amat filium aut filiam plus- quam me, non eſt me dignus.*

Et nota, quod magnæ virtutis eſt gladius cha- ritatis. Per charitatē quippe ſancti martyres corpora ſua propter Dominum diuerſis ſupplicijs expoſuerunt. Per charitatē ſancti confeffores temporales diuitias contemplerunt. Per charita- tem ſancti Anachoritæ ſpreco tumultu ſeculi ſoli-

tudines elegerunt. Per charitatem sancti monachi colla sua arctissimæ obedientiæ subdiderunt. Per charitatem sanctæ virgines & viduae cælibatu continentiaæ floruerunt. Per charitatem quoque boni coniugati opera misericordiæ deuote pauperibus impenderunt. Det etiam nobis Deus, vt gladius sanctæ dilectionis iugiter in corde nostro permaneat, vt Deum plusquam nos, & proximum sicut nos, corde, ore, & opere diligamus.

Tertius gladius est feroor intimæ contritionis, qui bene sequitur primos duos gladios. Cum enim Christus tanta pro nobis paflus fuit, iustum est, vt eum sincerissimè diligamus, ipsique toto corde seruamus: sed qui recognoscit quod eum offendit in aliquo, dignum est, vt super hoc amarissimè conteratur. De gladio contritionis dicitur in Psal. 36. *Gladium euaginaverunt peccatores, intenderunt arcum suum, gladius eorum conuertetur in corda ipsorum, &c.* Nota, quod peccatores per peccata sua, quasi quodam euaginato gladio & arcu extento Dominum impugnant, & sagittant, sed Psal. orat & optat, vt gladius peccatorum conuertatur in cor ipsorum, id est, vt peccata sua, quibus impugnant, in semetipos retorqueant. Tunc enim gladius peccatoris in cor ipsius conuertitur, cum de peccatis suis amarissimè dolet, & conteritur. Hinc etiam legitur 1. Reg. 17. quod cum David deieceret Goliath, *cucurrit & stetit super eum, & extraxit gladium illius de vagina sua, & interfecit illum, & amputauit caput illius.* Per Goliath diabolus, & per David homo pœnitens intelligitur. Tunc enim homo pœnitens diabolum suo gladio occidit, quando peccator de peccatis illis, quæ ei diabolus persuaserat, & per quæ eum æterna morte trucidare proposuerat, intimè conteritur, & sincere confitetur, debitamque pro ipsis satisfactionem exequitur. Verum vt peccator de peccatis mature pœniteat, ne præueniatur hora mortis, necessarium est ei, vt semper mortem sibi imminere prospiciat,

Quartus gladius est mors corporalis. De isto gladio Macrobius in quodam libro, qui appellatur Somnium Scipionis, tale ponit exemplum. Ait enim, quod erat quidem Philosophus Dionysius nomine, qui cum esset in palatio cuiusdam Regis, & discipulus eius miraretur delicias regales, & assereret eos beatos esse, qui talibus deliciis iugiter inhærerent. Dionysius gladium è vagina raptum iussit ex tenui filo per capulum sursum suspensi; ita vt mucro gladij super caput discipuli dependeret. Praecepit autem Dionysius discipulo, vt comederet, & biberet, & latus esset. Cumque ille inter omnes propositas delicias mortis periculo grauaretur, dixit Dionysius: Talis est ista vita, qua te reputas esse beatum: sic semper mortem nobis imminentem videmus. Aestima quomodo felix esse poterit, qui timere non desuerit. Mors igitur est acutissimus gladius, qui amaro diuortio separat corpus & animam. Quapropter necessarium est, vt gladium mortis frequenter in nostra memoria portemus. Vnde dicit Eccl. 7. *In omnibus operibus tuis memorare nouissima tua, &c.*


Quintus gladius est sententia judicialis, qui præcedentem conuenienter sequitur. Qui enim mortis suæ recordatur, reminisci debet etiam

diuinæ sententiæ, quam hominem post mortem suam oportebit audire. De isto gladio dicitur Apoc. 19. *Vidi celum apertum, & ecce equus albus: & qui sedebat super eum, vocabatur Fidelis & Verax, & cum iustitia iudicat, & pugnat. Et de ore eius procedebat gladius ex utræque parte acutus; ut in ipso percūiat gentes.* Per hoc, quod Ioannes dicit, quod vidit cælum apertum, innuitur, quod omnia illa, quæ modo celata sunt & occultata, publicabuntur in die iudicij. Cælum enim, quod dicitur à celando, tunc aperietur, & tunc apparebit equus albus, id est, humanitas Dei nostræ, in qua sedens diuinitas, quæ olim contra diabolum dimicauit. Hæc etiam diuinitas cum humilitate veniet ad iudicium. Dicitur autem ille, qui sedet in equo, Fidelis & Verax. Dominus fideliter assitit eis, qui inuocant eum in tribulationibus suis. Vnde dicitur in Psalm. *Ad Dominum cum tribularer clamaui, &c.* Verax etiam est, quia quæcumque promisit electis, in veritate perfoluet. In iustitia quoque iudicabit: *Liberabit enim tunc pauperem a potente, & præfertim talem pauperem, cui olim non erat adiutor.* Ipse etiam pugnat contra impios & peccatores in iudicio. Vnde dicitur, quod gladius ex utræque parte acutus ex ore eius exibat. Per gladium, sicut dicit Glossa, sententia Domini figuratur, quæ ideo ex utræque parte dicitur acuta, quia non solum peccata diei, sed etiam peccata in nocte commissa, grauiter vici-scentur, & percutiet gentes, id est, gentiliter & sine le viuentes.

Sextus gladius est pœna gehennalis. De isto gladio dicitur in Iob. 19. *Fugite à facie gladii: quoniam ulti iniquatum gladius est.* Pœna quippe gehennæ puniet omnes iniquitates, & vitia peccatorum. De isto etiam gladio dicit Isa. 27. *In die illa visitabit Dominus in gladio suo duro, & grandi, & forti, super Leuiathan, serpentem velleum, & super Leuiathan, serpentem tortuosum, & occidet eum, qui in mari est.* Nota, quod de gladio gehennalis pœna tria dicuntur. Est enim *durus*, per intolerabilem acerbitatem: non enim est ita lenis, vt saltem per assuefactionem tolerari possit. Sed cum homo fuerit mille annis in inferno, ita dura videbitur ei esse pœna gehennæ, sicut in prima hora, quando eam pati incepit. Est etiam gladius iste *grandis* per spatiostam capacitatem. Tam spatiostus quippe est & capax fundus inferni, vt nunquam a peccatoribus possit adimpleri. *Infernus enim est insatiabilis, & ignis nunquam dicit, sufficit:* sicut dicitur Proverb. 30. Dicitur etiam esse *fortis* per perpetuitatem & interminabilitatem. Dicit enim Dominus reprobis, vt ait Matth. 25. *Discedite à me in ignem eternum maledicti, quia preparatus est diabolo & angelis eius.* Nou dicit, discedite in ignem transitorium, sed in ignem eternum.

Igitur gladio perpetua damnationis, visitabitur Leuiathan, id est, diabolus, qui dicitur *serpens*, quia inimicatur humanæ naturæ. Inimicitias quippe Dominus posuit inter mulierem & serpentem, id est, inter humanam natu ram, & diabolum. Dicitur etiam *vectis*; quia nititur nobis præcludere aditum æternæ salutis. Dicitur etiam *serpens tortuosus*, propter deceptio-

deceptionis astutiam. Tortuosus enim est, id est, multis & variis modis laborat electos decipere, & quos decepit, inuitissime de faucibus emittit. Occidetur in gladio infernalis pœnæcetus, qui est in mari, id est, omnis superbus & pauperibus violentus. Sicut enim cetus absorbet minores pisces, qui sunt in mari: sic & superbi & potentes deuorant pauperes in hoc mundo, & propterea gladio damnationis perpetuae ferientur. Rogate ergo Dominum, ut tam sobrie & iuste & pie viuamus in hoc seculo, ne gladio mortis perpetuae feriamur, sed potius coronam perennis gaudij consequamur.



## IN EPIPHANIA DOMINI SERMO XII.

*Intrantes domum inuenierunt puerum cum Maria matre eius, & procidentes adorauerunt eum: & apertis thesauris suis obtulerunt ei munera, aurum, thus, & mirrham.*  
Matth. 2.

In præsenti Euangelio quinque principaliter occurruunt consideranda.

- I. *Qui sunt, qui cum muneribus venerunt?*
- II. *Quæ sit stella, quam secuti fuerunt?*
- III. *Quæ sit domus, quam introiuerunt?*
- IV. *Quis sit ille, quem in domo inuenierunt?*
- V. *Quæ sunt munera, quæ obtulerunt?*

  
 E primo nota, quod illi, qui cum muneribus venerunt ad puerum Iesum, dicuntur esse Reges & sapientes. Magus enim idem est quod sapiens. Quod autem hi tres Magi, qui cum muneribus venerunt, Reges fuerint, haberi potest ex Psal. 71. vbi dicitur: *Reges Tharsus, & Insula, &c.* Tota etiam Ecclesia testatur eos Reges fuisse. Quod etiam fuerint Magi, id est sapientes, dicitur Matth. 2. *Cum natus esset Iesus in Bethlehem Iudeæ, in diebus Herodis Regis, ecce Magi venerunt, &c.* Magi igitur fuerunt, id est, valde sapientes, quos enim Græci Philosophos nuncupant, Persæ Magos appellant. Erant autem nomina istorum trium Magorum secundum Hebraicam linguam, Appellius, Amethus, & Damascus. Ita dicit Magister in historiis. Interpretatur autem Appellius fidelis, Amethus humilis, Damascus misericors.

D. Alberti Magni Serm.

Cum igitur isti tres Magi quoslibet Christianos significant, quia ipsi fuerant primiæ nostræ, si sumus veri Christiani, quinque requiruntur à nobis. Primum est, ut sumus reges. Secundum est, ut sumus sapientes. Tertium est, ut sumus fideles. Quartum est, ut sumus humiles. Quintum est, ut sumus misericordes.

Primo debemus esse reges, ut videlicet regnum nobis commissum ita disponamus, ut Deus in eo habitare dignetur. Regnum vero nobis commissum intra nos est, videlicet, anima nostra, quæ per iustitiam & pacem & gaudium in Spiritu sancto disponenda est, & sic Christus in ea regnabit; vnde dicit Apostolus ad Rom. 14. *Regnum Dei non est esca, & potus: sed est iustitia, pax, & gaudium in Spiritu sancto.* Iustitia in hoc consistit, ut nullum operibus nostris lèdamus. Pax in hoc attenditur, ut neminem verbis nostris offendamus. Gaudium enim habemus in Spiritu sancto, si propter securitatem conscientia, & cordis munditiam de Dei misericordia confidamus.

Secundo debemus esse magi, id est, sapientes. Necessaria quippe regibus est sapientia. Vnde dicit Eccles. 4. *Melior est puer pauper & sapiens regesene & stulto, qui nescit prouidere in posterum.* In hoc ergo vera sapientia consistit, ut nobis prouideamus in posterum. De hac prouisione habetur in quodam S. Damasceni libello, qui Barlaam nuncupatur. Legitur enim ibi, quod quædam magna ciuitas erat, cuius ciues tallem habebant consuetudinem, quod singulis annis sibi nouum regem præficiebant. Rex enim electus tantum unum regnabat. Anno vero transacto transmittebatur in quoddam exiliu, vbi fame, siti, frigore usque ad finem vitæ suæ miserabiliter angebatur. Talis autem eligebatur, qui dictorum ciuium leges & consuetudines penitus ignorabat. Multi igitur facti fuerant reges, qui regno accepto voluptati & deliciis intendebant, & quid futurum esset, minime præuidebant. Anno vero finito illuc relegabantur, vbi infelices fame & nuditate perpetuo premebantur. Tandem eligitur in regem vir magnæ sapientiæ quidam, qui cum regalem potentiam esset adeptus, à quodam consiliario suo mores & consuetudines ciuium diligenter inuestigat. Cui cum dictum esset, quid consuetudinis esset in illa ciuitate, aperiens thesauros auri & argenti & pretiosorum lapidum, quorum dominium accepérat, transmisit occulte per fidelissimos nuntios multam copiam auri & argenti, nec non & nobilium gemmarum in illam insulam, in qua se nouerat relegandum. Igitur anno illo reuelato, cum regno & ciuitatis illius habitatione priuaretur, & illuc quo multa bona præmiserat, mitteretur, in multarum rerum copia, per totum tempus vitæ suæ deliciabatur: vbi infinitus numerus stultorum regum, quia nihil præmiserant, grauis inopie miseriam patiebatur.

Exemplum istud expone, quod per ciuitatem prædictam mundus iste figuratur, cuius regnum transitiorum est & momentaneum, & cum multis annis vixerit homo in hoc mundo, cum venerit hora mortis suæ, se vix reputat per annum unum vixisse, & certè nullus diu poterit hic permanere. Mundus etiam iste multos

c 3 malos

malos ciues habet, qui desiderant mortem proximorum suorum: ut ipsi bona eorum valeant possidere. Ipsi etiam filii saepius ante diem patris inquirunt in annos. Sed heu multi qui diuites & abundantes sunt in hoc seculo, non prouidentes sibi de futura vita, tantum praesentis vitae diuitiis, & deliciis inhiant, ac incumbunt, propter quod cum moriuntur, transmittuntur in exilium gehennæ, ubi mortis æternæ miseriam & inediām perpetuam patiuntur. Qui vero sapiens est, res suas per manus pauperum, ac religiosorum transmitit in cælum, thesaurizans thesauros suis, *vbi nec ærugo nec tinea demolitur, & vbi fures non effodiunt, nec furantur.* Ad hoc igitur, ut nobis prouideamus in posterum, necessarium est, ut nomina trium Magorum moraliter repræsentemus in nobis.

Tertio debemus esse fideles. Tunc autem vere fideles sumus, si in propriam animam crudeles & impij non existamus. Vnde dicit Dominus in Psal. 100. *Oculi mei ad fideles terre, ut sedeant mecum, videlicet, in throno meo.* Dicit etiam Dominus Apoc. 2. *Esto fidelis usque ad mortem, & dabo tibi coronam vite.* Quasi diceret: O Christiane, esto fidelis animæ tuae usque ad mortem praesentis vitae, & sic dabo tibi coronam gloriae sempiternæ. Multi sunt, qui fideliores sunt animabus suis, quam animabus. Plus enim curant de anima corporis, quam de anima, quæ est sponsa æterni regis. Et tales similes sunt illi Saul, qui missus fuerat, ut quereret animas patris sui: sicut legitur 1. Reg. 9.

Quarto debemus esse humiles. Tunc autem vere humiles existimus, si Deum in misericordia nostra, & mandatis eius obediamus. Vnde dicit etiam Iaco. 4. *Humiliamini in conspectu Domini, & exaltabit vos.* Dicit etiam ibidem: *Deus superbis resistit, humilibus autem dat gratiam: subdit ergo estote Deo.*

Quinto debemus esse misericordes, ut videlicet pauperibus in eorum necessitatibus assistamus, ut ipsa veritas dicit Matt. 5. *Beati misericordes, quoniam ipsi misericordiam consequentur.* E contrario dicit la. 2. *Iudicium sine misericordia illi, qui non facit misericordiam.*

De secundo nota, quod stella, quam Magi secuti fuerant, signat gratiam Dei. Cum enim Christus natus esset, quædam noua stella, sicut Magister testatur in historiis, in Iudea exorta fuit. Hæc etiam stella magnæ claritatis extitit, & reliquis planetis, & stellis multo vicinior terris fuit. Magi itaque in suis regionibus existentes prædictam stellam super Iudeam stantem viderunt, ipsamque secuti fuerunt, & usque in Ierosolymam venerunt. Cum autem egressi essent de Ierusalem, tunc primo prædicta stella notabiliter motu præcessit eos, & duxit illos in Bethlehem, stetitque super locum, ubi puer iacebat in cunabulis.

Hæc omnia de gratia Dei possunt exponi. Per Iudeam quippe, in qua primo hæc stella exorta fuit, Eccl. 1. bonorum hominum congregatio figuratur. Gratia quippe Dei super iustos & bonos commoratur. Gratia vero Dei his, qui saluandi sunt, apparens eis, trahit eos ad se, & perducit in Ierusalem, id est, in statum bonæ vitae, Ierosolyma nempe pacifica, sive visio pacis interpretatur. Illi enim, qui tractu diuinat-

gratiæ veniunt in statum bonæ vitae, pacem cum Deo faciunt, quam prius peccatis suis impugnauerunt. Vnde & ipsi post hanc vitam, æternam pacem videre merentur.

Cum autem hi, qui saluandi sunt, tractu diuinæ gratiæ venerunt Ierosolymam, id est, in bonam vitam, tunc dicunt: *Vbi est, qui natus est Rex Iudeorum?* Cum enim homo cœpit bene vivere, tunc primo sapit ei Deus, & tunc ex magno desiderio querit de ipso, ut ipsum plenius possit habere. Nondum tamen videt eum facie ad faciem. Verum cum ex Ierosolyma, id est, ex conuersatione bonæ vite egressus fuerit in morte, tunc iterum stella gratiæ apparet ei: ut sicut primo traxit hominem ad notitiam Dei, & ad consortium bonorum hominum Deo famularium: ita tunc ducat eum ante venustam faciem Dei, & ad societatem Angelorum coram Deo lætantium.

Igitur cum anima fidelis egressa de corpore vividerit præclaram gratiam se preceunte, tunc gaudebit gaudio magno valde: sicut legitur de Magis, quod de Ierusalem egredientes, & iterato stellam videntes, *gausi sunt gaudio magno valde.* Gratia quippe Dei cum apparuerit iusta anima de corpore egredienti, quatuor ei beneficia præstabit, per quæ eam mirabiliter exhilarabit. Seruientes enim dæmones abigit, horrendas tenebras depellit, ignem vrentem per medium diuidit, & ad faciem Dei perducit.

Primo anima in exitu suo gaudebit; quia per gratiam Dei, quæ est potens animarum defensatrix, ab ea seruientes dæmones abiguntur. Dæmones enim infidiantur animabus de corpore transmigrantibus, ut eas in interitum pertransirent sempiternum. Secundo gaudebit anima gaudio; quia per gratiam Dei, quæ est lucernarum deportatrix, horrendæ tenebrae depelluntur. Occurrunt siquidem impiis animabus & corpore transmigrantibus tenebrae palpabiles & horroris plena. Tertio gaudebit iusta anima gaudio magno: quia per gratiam Dei, quæ est bonarum animarum scutifera, vires ignis diuiditur, ut per eum illæsa pertranseat. Dicit enim Augustinus, quod animæ post hanc vitam ignem atrocem transibunt: *vbi sermones otiosi, & cogitationes iniquæ, vel sordidae, & multitudo leuium peccatorum, quæ puritatem nobis naturæ infecerunt, expurgabuntur, & tanta pertransiendi mora, quanti fuit peccati materia.* Quarto gaudebit anima bona gaudio magno valde, quando per gratiam, quæ est diuini thalamī cameraria, ante faciem Dei suauissimam perducitur. Tunc enim adimplebit eam lætitia suauissimus vultus Dei.

De tertio nota, quod domus, quam intrabit anima, stella, id est, gratia Dei deducta, est domus æternæ gloriae. In hac enim domo non inuenitur Iesus contemptibiliter iacens in præsepio; sed honorificè sedens in regali solio. Vnde cantatur in introitu proximæ Dominicæ: *In excelso throno vidi sedere virum, quem adorat multitudo Angelorum, &c.* In hac gloriose domo sedet ad latus Filij intermerata Virgo Maria. Vnde legitur 3. Reg. 2. *Quod venit Bersabee ad Regem Salomonem, & surrexit Rex in occursum eius, adoravitque eam, & resedit super thronum suum, positiisque est thronus matris,*

matri Regis, que sedit ad dexteram eius. Per Salomonem Dei Filius intelligitur, & per Bersabée Beata Virgo Maria, quæ tunc venit ad Filium, quando assumpta est in cælum: tunc etiam Filius venit in occursum eius, ipsamque adorauit, id est, adoratione dignam demonstrauit, eamque in throno glorioso ad suam dexteram sublimauit. Rogate ergo Dominum, ut sic nos faciat esse reges sapientes, fideles, humiles, misericordes, ut post hanc vitam, stellam, id est, Dei gratiam videamus, cuius ducatu ante Iesum & matrem eius cum latitia veniamus.

## ITEM DE EODEM SERMO XIII.

*Procidentes adorauerunt eum:*

*& apertis thesauris suis obtulerunt ei munera, aurum, thus, & myrrham.* Matth. 2.

Duo hic occurrunt principia altera consideranda.

I. *Quis sit ille, cui Magi obtulerunt munera.*

II. *Quæ sint munera, quæ procidentes obtulerunt.*



E primo nota, quod puer fuit pannis inuolutus, cui Magi munera detulerunt, & certe in hoc notatur magna fides istorum trium Magorum, quod puerum illum, quem viderunt pannis inuolutum, & in præsepio repositum, credebant esse Regem omnium seculorum, credebant eum etiam esse Deum deorum: credebant nihilominus esse eum in cruce moritum pro peccatis omnium populorum.

Quia enim hæc tria credebant de ipso, propterea procidentes adorauerunt eum, & obtulerunt ei aurum, tanquam Regi excelso: thus, sicut Deo vero: & myrrham, tanquam in cruce morituro. De fide istorum trium Regum & Magorum dicit S. Bernardus: *O stupenda Magorum fides, quæ parvulum pannis inuolutum, tanquam Deum adorat: quibus non sordet loci vilitas, quos non scandalizat pueri pannositas, quos non offendit paupercula matris paupertas! maior est hæc fides latronis in cruce confitentis.*

Et nota, quod puer iste, cui munera deferuntur per myrrham, thus, & aurum exprimitur, quod aperte innuit Secreta huius diei, quæ talis est: *Ecclesia tua, quæsumus Domine, dona propitiis intuere: quibus non iam aurum, thus, & myrrha profertur; sed quod eisdem muneribus, &c.* Sed quis in altari immolatur & sumitur, nisi Iesus Christus olim in præsepio reclinatus? Igitur puer iste cui à Magis munera deferuntur, myrrha est: quia

per eum ira Dei Patris mitigatur. *Aurum est: quia per eum cuilibet electus in gloria decoratur.*

Primo puer Iesus per myrram significatur: quia propter nos multiplices sustinuit cruciatus. Myrra quippe genus quoddam gummæ est, satis amarum. Vnde fidelis anima dicit Cant. 1. *Fasciculus myrræ dilectus meus mibi, inter ubera mea commorabitur.* Fasciculus myrræ, Glossa: Totæ congeries Passionis. Inter ubera commorabitur, Glossa, id est, in immutabili memoria. Et nota, quod fasciculus ex multis culmis, & aristis componitur: sic etiam Passio Christi propter multa fuit mirabiliter aggrauata.

I. fuit, quod tanquam latro cum gladijs & fustibus est comprehensus. Vnde ipse Iesus dixit turbis, sicut testatur Matth. 26. *Tanquam ad latronem existis cum gladiis & fustibus comprehendere me.*

II. est, quod vincitus est & ligatus, ad diuersos iudices ignominiosè est adductus. Vnde dicitur Ioan. 18. Quod adduxerunt eum ad Annam primum: erat enim sacer Caiphæ. Deinde adduxerunt eum ad Caipham, postea tradiderunt eum Pilato in prætorio, qui etiam misit eum ad Herodem: sicut dicit Luc. 23.

III. est, quod tanquam quidam execrabilis ab immundissimis est consputus: Vnde dicitur Matth. 26. *Tunc expuerunt in faciem eius.*

IV. quod tanquam fur terram indignus respiceret, est velatus. Vnde dicit Matth. 24. *Cœperunt quidam confuere eum, & velare faciem eius.*

V. est, quod tanquam quidam nequam fuit colaphizatus. Vnde dicit Matth. 26. *Tunc colaphis eum ceciderunt.*

V I. est, quod velut malefactor ab ignobilibus seruis est colaphizatus. Vnde Mar. 14. *Et ministri alapis eum cœdebant.* Dicit etiam Matth. 26. *Alii palmas dederunt in faciem eius, dicentes: Propheta quis est qui te percussit?*

V II. est, quod vestibus suis coram multitidine fuit exutus. Vnde dicitur Matth. 27. *Exuentis eum, Glossa, proprijs vestibus, chlamidem coccineam circum dederunt ei.*

VIII. est, quod tanquam fatuus in veste alba & rufa irrisus est & illusus. Coram Herode quippe irrisus est in veste alba. Vnde dicit Luc. 23. *Spreuit illum Herodes cum exercitu suo, & illusus in veste alba.* Item in veste rufa illusus fuit à militibus Pilati. Vnde dicit Matth. 27. *Chlamydem coccineam circum dederunt ei, & genu flexo illudebant ante eum dicentes ei: Aue Rex Iudeorum.* In hac etiam illusione iterato consputus fuit, & colaphizatus, sicut dicunt Matth. & Ioan.

X. est, quod ligatus ad columnam flagellis acriter est verberatus. Vnde dicit Ioan. 19. *Tunc apprehendit Pilatus Iesum, & flagellavit.* Glossa: per milites.

X. est, quod spinis usque ad teneritatem cerebri pertingentibus est coronatus. Vnde Ioan. 19. *Et milites plectentes coronam de spinis imposuerunt capiti eius.*

XI. est, quod arundineo baculo in capite vulnerato, atrociter est percussus. Vnde dicit Mar. 15. *Percutiebant caput eius arundine.*

XII. est, quod barbam eius euellentes, menum eius lacerauerunt. Vnde dicit Isa. 57. *Super eum lusisti, super quem dilatasti os, & eiecisti linguam.* Super locum istum dicit Glossa, quod

barbam eius euulserunt.

XIII. est, quod patibulum crucis humeris eius imposuerunt. Vnde dicit Ioan. 19. *Bainans sibi crucem Iesum, exiuit in eum, qui dicitur Calvaria locus, Hebraice Golgotha.*

XIV. est, quod in medio latronum tanquam scelerior ipsis esset, eum crucifixerunt. Vnde dicit Ioan. 19. *Cruciferunt Iesum, & cum eo alios duos, Glos. latrones, hinc & hinc, medium autem Iesum.*

XV. est, quod violenter eum extenderentes cruci durissimis clavis affixerunt. Vnde dicitur in Psal. *Foderunt manus meas & pedes meos: dinumerauerunt omnia ossa mea*, id est, dinumerabilia fecerunt præ nimia corporis extensione.

XVI. est, quod etiam cruci affixum milites ac Sacerdotum Principes ac Iudeorum seniores blasphemauerunt & irriferunt. Vnde dicitur Matt. 27. *Prætereentes blasphemabant eum, monentes capita sua, & dicentes: Vah qui destruis templum Dei, & post triduum redificas illud, salua te ipsum: si Filius Dei es, descend de cruce. Similiter & Principes Sacerdotum illudentes cum Scribis & senioribus dicebant, alios saluos fecit, seipsum non potest saluum facere. Si Rex Israel est, descendat nunc de cruce, & credimus ei.*

XVII. est, quod etiam ipsi latrones iuxta eum crucifixi, impropter ei fecerunt. Vnde dicit Mar. 15. *Qui cum eo crucifixi erant, conuiciabant ei; vnum tamen illorum latronum in cruce conuersus fuit, vt dicit Luc. 23. Nam cum vnum eorum diceret blasphemando: Si tu es Christus, salnum fac temetipsum & nos: alter, qui conuersus fuit, increpabat eum, dicens: Neque tu times Deum, quod in eadem damnatione es, & nos quidem inuste, nam digna factis recipimus, hic vero nihil malis gessit.*

XVIII. est, quod vino myrrato & aceto eum potauerunt. Vnde dicit Matth. 27, *Currens unus ex eis, acceptam spongiam impletam aceto imposuit arundini, & dabat ei bibere. Dicit etiam Marc. 15. Dabant ei bibere myrratum vinum.*

XIX. est, quod cum mortuus esset, & corpus eius requiem habere deberet, ipsum lancea transfixerunt. Vnde dicit Ioan. 19. *Vnus militum lancea latuus eius aperuit, & continuo exiuit sanguis & aqua.*

XX. quod etiam ipsum mortuum, cuius innocentiam sol, & luna, laxa & terra manifeste proboauerant, seductorem appellauerunt. Vnde dicit Matth. 27. *Altera die, qua post Parasceuen est, conuenerunt Principes Sacerdotum & Pharisei ad Pilatum, dicentes: Domine recordati sumus, quia seductor ille dixit adhuc viuens: Post tres dies resurgam. Iube ergo custodiri sepulchrum usque in tertium diem, &c. Ecce inyrrha fasciculus, quem quilibet Christianus in cordis sui camera debet collocare.*

Secundo Puer Iesus per thus intelligitur: quia per ipsum Deus Pater nobis est mitigatus. Thure enim placari Deus dicitur. Vnde dicitur Eccl. 1. *Simeon sacerdos magnus, quasi thus redolens in diebus astatis.* Simeon interpretatur audiens mortorem, & significat Filium Dei, qui audiuit meorem antiquorum patrum, qui magnis precibus postularuerunt, vt veniret & eriperet eos de manu infernalis tyranni, qui etiam propter hoc Sacerdos dicitur: quia obtulit semetipsum hostiam suavitatis Deo Patri in ara crucis pro peccatis populi sui. Et ob hanc causam dicitur fuisse quasi thus

redolens in diebus astatis, id est, in diebus iræ & feueritatis paternæ. Ipse quippe lachrymis & orationibus suis placauit iram Patris. Vnde dicit Apostolus ad Hebr. 5. *Iesus in diebus carnis sue preces supplicationesque ad Deum cum clamore valido & lachrymis offerens, exauditus est pro sua reverentia.*

Tertio Iesus per aurum significatur: quia qui libet electus per ipsum erit decoratus. Ipse enim tanquam quidam aureus anulus, & sicut aurea fibula, necnon & sicut corona aurea Sanctos in patria decorabit. Iesus igitur est tanquam quidam aureus anulus, quem Deus Pater dat cuilibet peccatori per pœnitentiam ad se reuertenti. Vnde legitur Luc. 15. quod ille paterfamilias, ad quem prodigus filius reuersus fuit, iussit dari anulum in manum eius. Iesus anulus est pœnitentium, quia certificat eos de gratia Patris. Iesus eriam est sicut quædam aurea fibula, quæ datur homini in virtutibus proficienzi. Vnde legitur 1. Mach. 10. quod Antiochus Rex dedit Ionathæ potestate, vt haberet fibulam auream. Antiochus interpretatur silens pauper, & signat ipsum Dei Filium, de quo dicit Isa. 42. *quod non clamauit, neque audietur vox eius foras: sed sicut agnus coram tendente se obmutuit, & non aperuit os suum.* Ionathas interpretatur columba veniens, & exprimit quemlibet, qui proficit in virtutibus. Virtutes enim sunt deargentatae pennæ columbae, id est, animæ, quibus ipse volat in cælum. Igitur Ionathæ, id est, cuilibet homini in virtutibus proficienzi dat Antiochus, id est, Iesus Christus fibulam auream, id est, dat ei semetipsum. Ponit quippe debet Iesus super cor tanquam quoddam aureum signaculum, vt omnis intellectus & affectus hominis concurrat in ipsum. Debemus enim tendere in Christum cum omni intellectu nostro & affectu.

Iesus etiam est tanquam quædam aurea corona, quæ dabatur cuilibet homini ad æternæ vitæ brauium peruenienti: propter quod monet nos Apost. 1. Cor. 9. *vt tam fideliter curramus, & tam fortiter in agone contendamus, vt hanc immarce scibilem coronam comprehendamus.* De hac aurea corona habetur Exod. 25. vbi dicit Dominus ad Moysen: *Facies super arcam coronam auream per circuitum.* Nota, quod in arca tria erant reposita, videlicet, duæ tabulæ decem mandatis digito Dei inscriptæ, & vrina quædam cum manna, & virga Aaron amigdalina. Stabat etiam intra Sancta Sanctorum subter alas Cherubin. Per arcam itaque cuiuslibet electi anima figuratur, quæ, quia decem præcepta Domini studiose seruauit, & quia cælesti dulcedine, quæ per manna significatur, semper inhiauit: quia etiam pauperes & infirmos tanquam virga amigdalina sustentauit ac pauit: propterea peruenit in Sancta Sanctorum, id est, adepta est societatem sanctorum Angelorum. Tali autem animæ ipse Dei Filius erit aurea corona per circuitum, quia eam ex omni parte sempiternam gloria coronabit. Hinc etiam dicit Isa. 27. *In die illa erit Dominus exercituum corona glorie, & fertum exultationis residuo populi sui.*

De secundo nota, quod munera, quæ Magi procidentes obtulerunt, erant myrra, thus, & aurum. Nos igitur, cum per prædictos Magos significemur, memorata munera offere debemus, vt videlice

videlicet offeramus myrrham myrrhae, thus thuri, & aurum auro. Per myrrham vero notatur vita nostrae asperitas, per thus deuotionis affiduitas, per aurum preiosa charitas.

Primo igitur offerte debemus Domino myrrham per vitæ nostræ asperitatem, ut sicut ipse in corpore suo multa propter nos passus est incommoda, ita & nos propter ipsum aliqua incommoda patiamur. Myrrha autem ista, quæ Domino est offerenda, consistit in ieiunijs, in vigilijs, in ciliicijs & duris stratis, in genuflexionibus & virgarum percussionibus, in peregrinationibus, & in ceteris huiuscmodi corporalibus afflictionibus. Sicut enim myrrha vermes arcet à mortuis corporibus, ita prædicta repellunt ab homine malas cogitationes & noxias voluptates. De hac myrrha dicitur Iudith 10. *Descendit Iudith in domum suam, lauitque corpus suum, & vnxit se myrrha optima.* Per Iudith, quæ interpretatur confitens, intelligitur qualibet fidelis anima, quæ quotidie confitetur Domino, quoniam bonus, quoniam in seculum misericordia eius. Hic autem debet descendere in domum suam per propriæ conscientiæ discussionem. Debet etiam lauare corpus suum per lachrymarum effusionem & sinceram confessionem. Debet nihilominus corpus suum perungere myrrha bona, meliori, & optima. Myrrham bonam offerunt, qui oculum habent ad infernum, & ideo se hic propter peccata sua castigant & affligunt, ne ibi temper à dæmonibus affligantur. Myrrham meliorem offerunt, qui oculum habent ad cælum & ideo se puniunt & tribulationes perferunt, ut ad societatem Sanctorum, qui illuc per multas tribulaciones peruererunt, posse mittantur. Myrrham optimam offerunt, qui tantum oculum dirigunt in ipsum Deum, & propter hoc se grauibus afflictionibus subiiciunt, ut Passioni suæ saltem in aliquo respondant, & ut de ipso suæ dulcedinis fonte eo ardenter postmodum bibant.

Secundo debemus Domino thus offerre per deuotionis sinceritatem. In hoc autem consistit deuotionis sinceritas, ut libenter oremus, & libenter de Domino cogitemus, libenter etiam Ecclesiæ diuinum officium audituri frequentemus, libenter quoque verbo Dei aures nostras accommodemus. De hoc thure dicitur Leuit. 24. & loquitur Dominus ad Moysen: *Duodecim panes de simila super mensam purissimam coram Domino statutes, & pones super eos thus lucidissimum.*

Nota, quod per 12. panes similagineos designantur 12. gaudia, quæ intueniet qualibet bona anima in purissima mensa sanctæ Trinitatis. Primi quatuor panes signant quadruplex gaudium, propter quadruplicis mali amotionem. Alij quatuor panes signant quadrigiforme gaudium, propter corporis glorificationem. Ultimi quatuor panes exprimunt quadruplex gaudium, de quibus anima spiritualem habebit remunerationem. Primum igitur gaudium est de vinculorum disruptione. Vincula animæ sunt famæ, & sitis, & frigus, & aestus, labor, & infirmitas, &c cetera incommoda, quibus constringitur in carcere corporis sui. His vinculis disruptis in morte, dicit felix anima: *Diripiisti vincula mea, &c.* Secundum gaudium est, quia liberata est de malorum hominum impugnatione. Mali enim persequantur bonos odio cordis, verbis, & factis.

Tertium gaudium est ex dæmonum insidiantium conculatione. Cum enim iusta anima erupta fuerit de corpore, tunc super aspidem & basiliscum ambulabit, &c. Per hæc enim quatuor animalia dæmones figurantur. Quartum gaudium est, ex infernalium tormentorum euasione. *Letabitur enim iustus cum viderit vindictam,* id est, letabitur cum se viderit euasisse locum suppliciorum, ubi exercetur vindicta scelerum & peccatorum. Alia quatuor gaudia sunt ex corporis glorificatione, videlicet, claritas, agilitas, subtilitas, incorruptibilitas, quæ quatuor notantur in sole. Ultima quatuor gaudia, de ipsis animæ dote specialiter esse dicuntur, videlicet, omnimoda cognitio, plenissima dilectio, suauissima Dei visio, & eiusdem copiosa & æterna fruitio. Super istos 12. panes, id est, super ista 12. gaudia ponit iubetur thus lucidissimum, quia singula prædicta bene considerata mirabilem afferunt homini deuotionem. Et ut homo hæc 12. assequatur, assidue debet Domino offerre suam orationem.

Tertio debemus aurum Domino offerre per pretiosam charitatem. Sed forte dicet aliquis, ego pauper sum & egenus, & non possum habere aurum quod offeram. Ad quod ego respondebo. Si non habes aurum charitatis, quod offeras, quare in tribus locis, & satis inuenies: videlicet quare in Ophir, & in Euilath, & in Tharsis. Per Ophir intelligitur tenera infirmitas Iesu Christi. Per Euilath apera Passio. Et per Tharsis iucunda glorificatio.

Primo igitur aurum charitatis querendum est in Ophir. Vnde legitur 3. Reg. 9. quod serui Salomonis ibant cum classe in Ophir, & sumptum inde aurum detulerunt ad Salomonem Regem. Ophir interpretatur infirmitas, & bene exprimit nobis infantiam Salvatoris nostri. Quid enim infirmius vel fragilis puer nouiter natus? Certe hic multum auri, id est, charitatis, inuenitur. Vere enim magna fuit charitas, quod illa Dei virtus, quæ firmavit orbem terræ, qui non commouebitur, sic pro nobis est infirmata, ut membra infantuli assumere tenerimæ. Talem quippe desiderauerant cum antiqui Patres. Vnde dicit Isa. 53. *Et nos desiderauimus eum virum nouissimum, & scientem infirmitatem.* Vnde etiam Apostolus ad Hebr. 3. cum gudio exclamat: *Non habemus Ponitatem, qui non possit comparari infirmitatibus nostris.* Qualem igitur habes ô Apostole: subdit, *Tentatum autem per omnia pro similitudine absque peccato.* Et quid boni nobis ex hoc proueniet? sequitur: *Adeamus ergo cum fiducia ad thronum eius gratia.*

Modo forsitan aliquis dicet, quod etiam alibi libenter quereret aurum, id est, charitatem pretiosam, propter hoc secundo in Euilath est procedendum. Legitur enim Genes. 2. In terra Euilath nascitur aurum, & atrum terrarum illius optimum. Euilath interpretatur dolens vel parturiens, & bene exprimit nobis Passionem Filii Dei. Ibi enim ut dicit Isa. 53. *Vere langores nostros ipse tulit, & dolores nostros ipse portauit.* Et in veritate hic multum auri, id est, charitatis, inuenitur, vnde dicit Apostolus ad Rom. 5. *Commendat Deus charitatem suam in nobis, quoniam cum adhuc peccatores essemus, Christus pro nobis mortuus est.* Ipse etiam ad Eph. 3. flexis genibus orat, ut sciamus supereminenter

*supereminentem scientia humana charitatem Christi.*  
Ibi dicit Glossa: Nemo potest charitatis eius magnitudinem colligere, scilicet, quod Deus factus est homo, quod iustus pro impijs, Dominus pro seruis, Creator pro creatura moritur. Ecce quod tantum auri inuenitur in dolore Passionis Iesu, quod non potest totum colligi.

Sed quia forte dices, quod libenter haberes aurum alterius generis, propterea tertio eundum est in Tharsis. Vnde legitur 3. Reg. 10. quod classis Salomonis ibat in Tharsis per tres annos deferens inde aurum. Tharsis interpretatur exploratio gaudij. Quid igitur per Tharsis intelligitur nisi curia supercælestis, ubi naturæ nostræ thronus eleuatus est in excelsis? Vnde cantatur: In excelso throno vidi sedere virum, id est, Filium Dei hominem factum, quem adorat multitudo Angelorum, &c. Vere hic potest magnum gaudium explorari. Vnde dicit Chrys. *Revera magnum & mirabile, & stupore plenum est: carnem nostram sursum sedere, adorari ab Angelis & Archangelis.* Hoc ergo saepius in mente versans excessum patior magna de genere humano imaginans. Verissime hic plurimum auri, id est, charitatis inuenitur. Dicit enim Apostolus ad Eph. 2. *Deus qui dimes est in misericordia, propter nimiam charitatem suam, qua dilexit nos, confederare nos fecit in cœlestibus in Christo Iesu.* Confedere, id est, simul sedere, quia vere natura nostra Deo unita sedet cum ipso in throno gloriae suæ. Vere magnæ charitatis fuit, quod limum nostrum sibi Dei Filius coniunxit, & coniunctum super Cherubim & Seraphin eleuavit.

Si Imperator Romanus sororem alicuius pauperrimi asinarij vel bubulci duceret in uxorem, & faceret eam confortem imperij sui, magnam gratiam & honorem diceretur fecisse asinario vel bubulco illi. Ita etiam Filius Imperatoris celestis eximiam in hoc charitatem ostendit, quod carnem nostram assumpsit in sponsam, eamque gloriae suæ fecit esse consortem.

Nota, quod quidam homines sunt asinarij, & quidam bubulci. Asinarij sunt illi, qui asino corporis sui onus laboris imponunt, Christo que seruire compellunt. Bubulci sunt illi, qui Christo non seruunt, sed tantum porcum corporis sui pascunt. Porcus autem ad hoc comedit, ut comedatur. Ita & corpora illa, quam tam gulose pascunt, tandem à vermis come dentur. Cum igitur charissimi, Christus tantam charitatem nobis ostenderit, pro nobis videlicet nascendo, pro nobis moriendo, carnum etiam nostram sursum transferendo, iustum est ut nos illum ex toto corde diligamus, ipsique fideliter seruiamus, ut sic ante conspectum ipsius clementiae veniamus.

Quod nobis, &c.

\*\*



## I N D O M I N I C A I.

post Epiphaniam

### S E R M O X I V.

*Factum est post triduum, inuenientur Iesum in templo, sedentem in medio Doctorum, audiendum illos, & interrogantem. Luc. 2.*

Ota, quod in praesenti Euangeliō octo nominari possunt in puerō Iesu. Quæ si quilibet homo fuerit imitatus, sufficiunt ei ad statum salutis æternæ.

- I. *Quod pacem amauit, eamque se amare facto demonstrauit.*
- II. *Quod templum, sicut cultum Dei diligens frequentauit.*
- III. *Quod Doctores prudenter auscultauit.*
- IV. *Quod temporalibus rebus spiritualia praamauit.*
- V. *Quod magnam nobis in se ostendit humilitatem.*
- VI. *Quod floruit per vita puritatem.*
- VII. *Quod voluntati sue parentum proposuit voluntatem.*
- VIII. *Quod sicut proficiebat etate, sic etiam profecit per sapientia, & gratiae claritatem.*



Rimo pacem amauit, eamque, &c. Vnde dicitur in praesenti Euangeliō, quod consummari diebus paschalibus, cum redirent parentes eius, remansit puer Iesus in Ierusalem. Ierusalem pacis visio interpretatur. Significat igitur Ierusalem pacem cordis. Qui enim habuerit hic pacem cordis, perueniet ad visionem perpetuae pacis. Per hoc itaque, quod alijs à Ierusalem recentibus, puer Iesus remansit in Ierusalem per triduum, ostendit, quod pacem amat, & quod cum ipsa, & in ipsa libenter habitet. Vnde dicitur in Psal. 75. *Factus est in pace locus eius.* Hic enim legitur Luc. 10. *quod mittens septuaginta duos discipulos ante faciem suam in omnem ciuitatem & locum, quo ipse erat venturus, dicebat illis: In quamcunque domum intraueritis, primum dicite, pax huic domui: & si fuerit filius pacis, requiesceret super illum pax vestra.* Ecce præmittit pacem in omnem ciuitatem, & locum, quo ipse erat venturus: & per hoc innuit, quod in nullius hominis cor venire dignatur, nisi ibi pacem inueniat.

Igitur cum cor nostrum spiritualiter debeat esse

esse Ierusalem , notandum est , quod triplicem pacem habere debemus , si volumus , vt Iesus maneat nobiscum , & habitet in corde nostro . Prima pax est , vt nullum in nostris cordibus odiamus . De hac pace dicit Apostolus ad Col. 3. *Pax Christi exultet in cordibus vestris.* Tunc pax Christi exultat in cordibus nostris , cum nec rancor , nec inuidia , nec odium inquietant . Hac enim expelli debent à corde , vt pax in ipso eo quietius requiescat .

Secunda pax est , vt neminem verbis nostris vel occulte , vel palam offendamus . De hac pace dicit Apostolus 1. ad Corinth. 12. *Pacem habete : & Deus pacis erit vobis.* De qua vero pace loquens statim , quasi exponendo subdit : *Salutare inuicem in osculo sancto.* Quasi dicat , Non debetis inuicem in verbis iurgiolis litigare , sed potius benigne vos salutare , & hoc debetis facere in osculo sancto , non in osculo doloso , sicut osculatus fuit Ioab Amasam . Legitur enim 2. Reg. 20. quod Ioab , qui erat princeps militiae David , vna manu tenuit cuiusdam militis mentum , qui Amasa vocabatur , *quasi osculans eum , dicensque ad eum : Salve mi frater , altera vero manu gladio percussit eum in latere , & effudit intestina eius.* Sic adhuc hodie multi sunt , qui alias salutant , quibus tam en malum facere moluntur . Vnde dicit Gregorius . *Mentum tenere , est cum benignitate blandiri : sed sinistram ad gladium mitti , qui latenter ex malitia percutit.*

Tertia pax est , vt nulli malum vel damnum aliquod nostris operibus inferamus . De hac pace dicit Apostolus 2. Thess. 3. *Ipse Deus pacis det vobis pacem sempiternam in omni loco.* De qua vero pace loquens statim , quasi exponendo subiungit : *Deus sit cum omnibus vobis.* Tunc est Deus nobiscum , cum nulli malum , vel damnum inferimus , sed vnumquemque , sicut nosmetipso , diligimus . *Deus autem est caritas ,* vt Iohannes in sua epistola protestatur . Quod autem ipse Iesus velit nos habere hanc triplicem pacem , per hoc euidenter ostendit , quod post Resurrectionem apparet Discipulis , ter dixit eis : *Pax vobis ,* sicut ait Ioh. 20.

Secundo quod tanquam cultum Dei diligens , templum , non theatrum frequentauit . Vnde legitur in hodierno Euangelio : *quod parentes eius regressi Ierusalem , inuenerunt eum in templo.* Non dicitur , quod inuenerunt eum in theatro . Ecce habemus hic exemplum à Domino , vt libenter Ecclesias frequentemus , & in Dei cultu ac seruicio delectemur , sicut legitur Luc. 2. de illa sancta Anna , quod non decedebat de templo ieunijs & obsecrationibus , seruiens Deo die ac nocte . Sicut etiam legitur de sancto Nicolao , qui cum adhuc esset puerulus , sancta Ecclesiae limina frequenterbat . Sed heu multi solo nomine Christiani excentes sapientius & libenter frequentant tabernas , quam Ecclesias . Et propter hoc homines saepe plagantur in vineis suis & frugibus ac alijs rebus . Vnde dicit Dominus in Hagg. cap. 1. *Quia domus mea deserta est , & vos festinatis unusquisque in domum suam : propter hoc prohibiti sunt celi , ne darent rorem : & terra prohibita est , ne daret gerumen suum : & vocavi siccitatem super terram , & super montes , & super triticum , & super vimin , & super oleum , & quaecunque profert humus , & super homines , & super iumenta , & super omnem laborem*

*manuum.* Si igitur Iudei sic plagabantur , qui dominum Domini reliquerunt desertam , & in domos suas festinauerunt , multo fortius plagandi sunt Christiani , qui verbum Dei horrent , vt venenum ; & qui fugientes sanctam Ecclesiam , festinant ad tabernam , vt ibi vacent ludis , & potentibus , & clamoribus .

Tertio quod Doctores prudenter auscultauit . Vnde legitur in praesenti Euangelio , *quod sedit in medio Doctorum audiens illos & interrogans.* Si igitur ille , qui erat fons sapientiae , & qui omnia sciebat , Doctores audiuit , & interrogauit ; multo conuenientius nos , qui homines illiterati sumus , verbum Dei , audire debemus . Propter nostram quippe doctrinam conscripta est pagina sacrae Scripturae . Vnde dicit Apostolus ad Rom. 15. *Quaecunque scripta sunt , ad nostram doctrinam scripta sunt. Quaecunque scripta sunt , Glossa de Christo in diuinis libris , ad nostram doctrinam scripta sunt.* Christi enim vita , & nostrae vitae & morum est disciplina . Et nota , quod valde necessarium est verbum Dei . Est enim quasi quedam lucerna pedibus hominis ambulantis in tenebris . Vnde dicitur in Psalm. *Lucerna pedibus meis verbum tuum , & lumen semitis meis.* Si aliquis in obscurissima nocte iret per viam , in qua essent profundissimæ fouæ , & nollet ante se portari lucernam , per quam posset fouæs declinare : nonne stultus reputaretur ? Sicut & illi multum stulti sunt , qui in tenebris huius exilij ambulantes nolunt sibi prædicari verbum Dei , per quod docentur euadere fouæs infernales .

Quarto quod spiritualia pro rebus temporalibus amauit . Vnde dicitur in hodierno Euangelio , quod cum dixisset mater eius ad eum : *Fili , quid fecisti nobis sic ? ego & pater tuus dolentes quærebamus te : Respondit : Quid est , quod me querebatis ? nesciebatis quia in his , quæ Patris mei sunt , oportet me esse.* Quasi dicat . Scio , quod desolatum me credentes quærebatis me , sed sciatis , quod spiritualia consolationem , quam habui in domo Patris mei , id est , in templo isto plus dilexi , quam carnalem consolationem , quam habere potuisse interim in domo vestra . Heu quam pauci sunt , qui hodie puerum Iesum imitantur in hac parte , vt videlicet plus diligent spiritualia , quam temporalia . Plus enim litigant hodie clerci , laici , & monachi pro temporalibus defensandis , quam laborent pro animabus saluandis , quod tamen mirum est , cum spiritualia carnalibus sint præstantiora . Sicut anima corpore nobilior iudicatur : ita quoque spiritualia meliora deberent , quam corporalia reputari . Beatus Paulus temporalia stercorea reputans , spiritualibus tota auiditate inhæsit . Vnde dicit ad Phil. 3. *Propter Christum lucra omnia arbitror ut stercore : & ea quæ retro sunt obliuiscens , ad ea quæ priora sunt , me extendo.*

Quinto præclara humilitas , quam nobis ostendit in semetipso . Vnde legitur in praesenti Euangelio : *Et descendit cum eis.* Descensus igitur Iesu innuit nobis præcipuam humilitatem in ipso , quam etiam prius verbis docuit , ita dicens Matt. 11. *Discite a me , quia mitis sum & humilis corde.* Dicit etiam Luc. 14. *Omnis qui se exaltat humiliabitur , & qui , &c.* Proh dolor , pauci sunt hodie , qui imitentur descensum Iesu , sed pene omnes aspirant ad ascensum honoris & dignitatum .


Sexto quod floruit per omnimodam vitæ puritatem. Vnde dicitur in presenti Euang. *Et venit Nazareth*. Nazareth quippe flos vel munditia interpretatur. Quod ergo Iesus venit in florem & munditiam, hoc signat, quod seruauit munditiam castitatis. Proh dolor, ita non faciunt adolescentes & iuuenes nostri temporis, qui heu nimis cito virginitati contumeliam inferunt & castitati, per turpem luxuriam eas à sui corporis habitaculo proscribentes. Sic etiam faciunt virgines & adolescentulæ nostri temporis, quæ cum lasciuis seruis choreas ducunt, vbi igne diabolico intuentes accendunt, & ab intuentibus accenduntur, vbi per lasciuos motus solicitant & solicitantur. Vnde timendum est, ne nobis cito eueniat quod illis euenit, qui per diluvium perierunt. Legitur enim sic Genef. 6. *Corrupta est terra coram Deo, & repleta est iniquitate, Cumque vidisset Deus terram corruptam, omnis quippe caro corruperat viam suam super terram, dixit ad Noe: Ecce ego adducam aquas diluvij super terram, ut interficiam omnem carnem, in qua spiritus est vita.* Et sic factum est. Omnes enim qui tunc erant in mundo, per diluvium perierunt, excepto Noe & uxore sua, & exceptis tribus filiis eius & eorum coniugibus. Ecce namque prædicti saluti sunt in arca. Quia igitur ignis luxuriæ tantum prævaluit in mundo, timendum est, ne priusquam credatur, veniat ille magnus, qui præcedet diem iudicij, & consumat omnes, qui in igne luxuriæ sunt accensi, vt sic purget faciem terræ.

Septimo, quod parentes suos honorans voluntatem eorum suæ preposuit voluntati. Propter hoc dicitur in presenti Euangelio: *Et erat subditus illis: ipsorum videlicet mandatis per omnia filialiter obediendo.* Ad hoc autem, vt obediamus parentibus nostris, sive carnalibus, sive spiritualibus, monet nos Eccl. 3. ita dicens: *Qui timet Dominum, honorat parentes: & quasi dominis seruinet his, qui se genuerunt, in opere, & sermone, & omni sapientia.* Ecce quomodo filii debent obedire parentibus suis, vt videlicet seruant eis studio opere, & mansueto opere, & mansueto sermone, & vt in omni opere supportent eos, si forsitan aliquando delirent, vel si quando ab eis durius increpantur. Dicit etiam Apost. ad Eph. 6. *Filijs obedite parentibus vestris in Domino, hoc enim iustum est.*

Octavo quod sicut proficiebat ætate corporali, ita etiam ostendit se proficere per sapientiam & gratiam. Propter quod legitur in fine presentis Euangelij: *Et Iesus proficiebat sapientia, & ætate, & gratia apud Deum & homines.* Ecce habemus hic exemplum à puerō Iesu, quod sicut ætate proficiimus, id est, sicut de die in diem seneccimus, & magis ac magis portæ mortis appropinquamus: ita etiam de die in diem proficere debemus in sapientia & gratia, tam coram Deo, quam coram hominibus, vt videlicet de tempore in tempus vera sapientia sapientiores existamus, & ampliorem nobis gratiam tam Dei quam hominum conqueramus. Heu multi faciunt è conuerso: qui scilicet de die in diem, de anno in annum, magis ac magis deficiunt in sapientia & gratia, tam diuina, quam humana. Et de illis porest dici illud seculare proverbiū, quod videlicet, qui erant in iuuentute angeli, facti sunt in senectute diaboli. Hinç est, quod dicit

Eccl. 25. *quod Dominus odit senem fatusum & insensatum.*

Rogate ergo Dominum, vt sic puerum Iesum in prædictis octo virtutibus imitemur, quatenus ipsius hæreditatis confortes effici mereamur. Quod nobis præstare dignetur, &c.



## IN OCTAVA EPIPHANIÆ

### S E R M O X V.

*Hic est filius meus dilectus, in quo mihi complacui.*

Matth. 3.



O T A , quod cum Christus Iesus esset à Ioanne in Iordanie baptizatus, facta est vox Patris de calo dicens: *Hic est filius meus dilectus, &c.* Nota etiam, quod baptismus Christi non solum fuit initium & forma baptismi nostri, in quo ex aqua & Spiritu sancto regeneramur, & à peccatis originalibus emundamur; verum etiam significat secundum baptismum Ecclesie, videlicet, pœnitentiam, per quam ab actualibus criminibus purificamur. Qui enim vestem innocentiae, in primo baptismo sibi traditam, per mortalia peccata fordidam effecerunt, necesse habent, vt in lauacro pœnitentiae rursus eam purifcent: vt sic per gratiam officiantur filii Dei, qui prius per peccatum fuerunt filii diaboli.

Et nota, qnod septem concurrerunt in baptismo Christi, que si quis spiritualiter fuerit executus: de tali dicit Deus Pater: *Hic est filius meus dilectus, in quo mihi complacui.*

Nota autem, qnod septem sunt necessaria, vt à peccatis nostris emundemur, & à Deo Patre dilecti filii appellemur.

- I. *Vt Galilæam relinquamus.*
- II. *Vt ad Ioannem veniamus.*
- III. *Vt in Iordanem descendamus.*
- IV. *Vt baptizati ascendamus.*
- V. *Vt orationes effundamus.*
- VI. *Vt celi apertione nobis obtineamus.*
- VII. *Vt columbae sedes existamus.*

P Rima quatuor, & duo ultima tanguntur in presenti Euangelio: quintum vero tangitur Luc. 3.

Primo igitur ille, qui vult esse Dei filius, debet Galilæam relinquere, per peccati detestationem. Vnde dicitur Matth. 3. *Tunc venit Iesus à Galilea.* Galilæa interpretatur rota. Per Galilæam itaque peccatum intelligitur. Peccata quippe sunt rota diaboli, quibus deducit homines ad infernum. Et certe contra rotam peccati graue tonitruum diuinæ sententiæ in iudicio perfonabit, vnde dicitur in Psal. 76. *Viderunt te aquæ Deus, & viderunt te aquæ & timuerunt: etenim sagittæ tua transiunt,*

# In Eadem Dominica Serm. XVIII. 37

*Vox tonitrui tui in rota.* Per aquas homines intelliguntur, homines enim sicut aqua dilabuntur in terram, sicut dicitur in 1. Reg. 14. Dicitur etiam Apoc. 17. quod aquæ sunt populi. Homines itaque videntes Deum in iudicio, timebunt. Et quare timebunt? certe quia sagittæ verborum suorum transibunt corda impiorum, & vox tonitrui eius, id est, vox duræ sententiae suæ terribiliter personabit in rota, id est, contra rotam scelerum & peccatorum, & non incongrue peccatum mortale rotæ comparatur. Sicut enim per rotam confringuntur membra latronum, & postea rota circumfleuntur, & in eminenti palo fleuntur: sic etiam vires & artus animarum, primo per rotam peccati circumflexæ ponentur in palum damnationis æternæ. Qui igitur filius Dei vocari desiderat, necesse est, ut à Galilæa transeat, id est, ut peccata detestetur & fugiat.

Secundo qui appetit esse filius Dei, oportet ut ad Ioannem veniat per veram contritionem. Vnde dicitur Mat. 3. quod Iesus venit ad Ioannem, Ioannes interpretatur gratia: propter quod etiam diuinam gratiam signat. Tunc autem homo venit ad griam Dei, quando de peccatis suis intime dolet & conteritur. Quod autem ille, qui de sceleribus suis veraciter conteritur, diuinam gratiam assequatur, testatur Psal. 50. *Sacrificium Deo Spiritus contribulatus. Cor contritum & humiliatum non despicias.* Imo libenter & grataanter aspercie.

Tertio qui vult Dei filius fieri, necesse habet, ut in Iordanem descendat per sinceram & humiliem confessionem. Vnde dicitur Matth. 3. quod *Iesus venit in Iordanem.* Quasi dicat. Baptizandus descendit in Iordanem. Iordanis interpretatur riuus iudicij, & significat confessionem. In confessione quippe pœnitens coram confessore suo, quasi coram iudice quodam stans iudicare debet semetipsum, omnia peccata sua in quantum ea reminiscitur exponendo. Confessor enim in foro pœnitentiæ vicarius est iudicis sempiterni. Si ergo peccator, quasi in iudicio constitutus coram confessore suo reum se ostenderit, & peccata sua pure confessus fuerit, certum est, quod tanquam in quodam riuo per confessionem ab omnibus peccatorum fôrdibus ablueretur. Vnde dicitur in Psal. 25. *Confessio & pulchritudo in conspectu eius.* Nota, quod ponit ibi & pro est. Quasi diceret: Sincera confessio est pulchritudo in conspectu Domini.

Quarto qui desiderat esse filius Dei, oportet ut baptizatus ascendat per virtuosam satisfactionem. Vnde dicitur Matth. 3. *Baptizatus autem confessim ascendit de aqua Iesus.* Per hoc, quod Iesus de aqua dicitur ascendisse, innuitur nobis, quod vere pœnitentes celebrata confessione debent ad cælum ascendere per virtuosam satisfactionem. Sicut enim per prædicta descenderunt ad inferos, ita etiam per condignam satisfactionem de die in diem scandere debent ad superos; sed quidam velocius & fortes sunt in descendendo, hoc est, in peccando, sed valde segnes & infirmi sunt in ascendendo, id est, in condignam satisfactionem propeccatis exoluendo. Multi igitur deficiunt in ascensi satisfactionis, sicut pro-

ficit veteranus ascendere volens cumulum arenosum. Vnde dicit Eccl. 25. *Ascensus arenosus in pedibus veterani.* Si enim aliquis veteranus debiles pedes habens, arenosum cumulum ascendere niteretur: constat, quod priusquam niti possit sursum, per arenam fluidam & instabilem deorsum laberetur. Sic etiam multis contingit, qui breuissimo tempore permanent in satisfactione sibi iniuncta, sed statim ad peccata sua sicut canis ad vomitum, & sicut sus ad lutu volutarium reuertuntur, sicut dicitur 2. Petr. 5.


Quinto qui optat dici filius Dei, necesse est, ut oret ad Dominum per precum effusione. Vnde dicitur Luc. 3. quod Iesus baptizatus orauit. Quicunque igitur pro peccatis suis satisfactionem suscepit, debet orare & sedulis precibus à Domino postulare, ut remittat sibi peccata sua, caueatque ei, ne deinceps ea committat. Vnde dicit Apostolus ad Philip. 4. *Nihil solliciti sitis: sed in omni, oratione & obsecratione cum gratiarum actiones petitiones vestre innotescant apud Deum.* Quasi diceretur. Non sitis solliciti, id est, nolite timere, quin Dominus petiones vestras exaudiat, si eas offerre volueritis. Hæ autem debent esse petitiones vestræ, ut videlicet oretis vobis debita vestra dimitti, & ut obsecritis quatenus custodiat vos, ne rursus in tentationes inducamini. Debetis etiam ei gratias agere, quod tamdiu distulit vos, quod de peccatis commissis, si vultis pœnitere, potestis.

Sexto qui concupiscit esse filius Dei, oportet quod aperiatur ei cælum per eleemosynarum largitionem. Vnde dicit Matth. 3. de Christo: *Et ecce aperti sunt cali.* Tunc homini petenti aperiuntur cæli, cum insistit operibus misericordia, pascens videlicet esurientes, potans sitiens, nudos vestiens, peregrinos in hospitium recipiens, infirmos visitans, & captiuis redemptionem transmittens, aliaque opera pietatis exercens. Misericordia quippe ostiaria est regni Dei, quæ misericordes homines intromittens, usque ante faciem regis æterni perducit. Vnde dicitur Proverb. 18. *Donum hominis dilatavit viam eius, & ante principes spatiū ei facit.* Donum itaque hominis, id est, eleemosyna dilatavit viam animæ, ab utroque latere dæmones longe ab ea repellens, & facit ei honorabile spatiū coram principibus supercælestiscuriæ.

Octavo qui appetit esse filius Dei, necesse est ut sit sedes columba per pacis & patientiæ possessionem. Vnde dicit Matth. 3. de Christo: *Et vidit Spiritum Dei descendente sicut columbam, & venientem super se.* Quod Spiritus sanctus in specie columba descendit super Dominum, & mansit super eum, hoc signat, quod si pœnitens desiderat esse sedes columba, id est, Spiritus sancti, necesse est, ut pacem habeat & patientiam, ut videlicet per pacem in se manentem nullum inquietet, nullum lædat aut offendat, & ut per patientiam eos modeste sustineat, qui eum inquietauerunt, aut molestiam ipsi vel damnum intulerunt, ut sic filius Dei dicatur, & regni cælorum possessor effici mereatur. Propter hoc dicit Dominus Matth. 5. *Beati pacifici, quoniam filii Dei vocabuntur.* & sta-

tim immediate subdit: *Beati, qui persecutionem patiuntur propter iustitiam, quoniam ipsorum est regnum celorum.*

Rogate ergo Dominum, vt sic septem prædicta fideliter exequamur, vt filii Dei esse mereamur, & per consequens regni ipsius participes efficiamur. Quod nobis præst. &c.



## IN DOMINICA II.

POST EPIPHANIAM

### SERMO XVI.

*Die tertia nuptiæ factæ sunt  
in Cana Galilææ.*

Quatuor principaliter sunt hic notanda.

- I. *Quid per has nuptias intelligatur?*
- II. *Quid per diem tertiam exprimatur?*
- III. *Quid per sex hydrias accipiatur?*
- IV. *Qualiter aqua in vinum in his convertatur hydriis?*

**D**E primo nota, quod per has nuptias Christi & Ecclesiæ coniunctio figuratur. De his nuptiis dicitur Apoc. 19. *Gaudemus, & exultemus, & demus gloriam ei: quia venerunt nuptiæ agni, & uxor eius preparauit se. Et datum est illi, ut cooperiat se byssino splendenti, & candido. Byssinum enim, iustificationes sunt Sanctorum.* Nota, quod prædicta verba possunt esse verba sanctorum Angelorum ita dicentium: *Gaudemus, quia Deus ad suum ministerium nos creauit: & exultemus, quia reprobis angelis cadentibus, nos in gloria confirmauit: & demus gloriam ei, quia vt salus nostra reparetur, mortem amarissimam tolerauit: & vere dignum & iustum, sicut dictum est, gaudemus, & exultemus, &c. quia venerunt nuptiæ agni, id est, Christus sanctam Ecclesiam, quam per sanguinem suum desponsauit, cito sibi vniuersaliter in gloria copulabit.* Et hoc ideo faciet, *quia uxor eius, id est, sancta Ecclesia se præparauit.* Et quia posset dici angelis, per quid præparauit se sponsa agni? subdunt: *Datum est illi, ut cooperiat se byssino splendenti & candido, id est, præparauit se vario virtutum vestimento, per quod & anima splendebit, & corpus candidum apparebit.* Quod autem per byssinum virtutes intelligantur, ipse textus exponendo subiungit: *byssinum enim iustificationes sunt Sanctorum.* Quia vero tam honorificæ sunt nuptiæ Christi, & Ecclesiæ, propterea immediate subditur, quod Angelus dixit ad Ioan. *Scribe: Beati qui ad cœnam nuptiarum Agni vocati sunt.*

*NOTA*, quod sponsæ duo satis odiunt, vide licet rugas in vultu, & maculas in vestitu: quo-

circa, vt S. Ecclesia, vel etiam quælibet fidelis anima non haberet rugas aut maculas, venit ipse sponsus, & extendi se permisit in cruce: vt auferret S. Ecclesiæ, vel cuilibet fidei animæ rugas vetustatis. Sanguinem quoque & aquam lancea percussus in latere profudit, vt ablueret ab Ecclesia, vel à qualibet anima maculas fœditatis, vnde dicit Apost. ad Eph. 5. *Christus dilexit Ecclesiam, & tradidit seipsum pro ea: ut illam sanctificaret, mundans eam lauacro aquæ, in verbo vita, id est, in seipso, qui est verbum vitæ: ut exhiberet ipse sibi gloriosam Ecclesiam, non habentem maculam, aut rugam, aut aliquid huiusmodi: sed ut sit sancta, & immaculata.*

De secundo nota, quod per diem tertiam futura gloria designatur, in qua nuptiæ Christi & Ecclesiæ consummantur. Tres enim dies habemus. Primus est dies iræ. Secundus dies gratiæ. Tertius dies gloriæ. Diem iræ intrat infantulus statim cum in matris utero viuificatur. In peccatis enim originalibus concipitur quilibet puer, & nascitur in hoc mundo. Vnde dicit Apost. ad Eph. 2. quod omnes natura sumus filii iræ. De die vero iræ transit in diem gratiæ, cum in aquis baptisimi à peccato originali emundatur. Permanet autem in die gratiæ usque in finem vitæ, nisi foasitan excidat à gratia per peccatum mortale: currit enim dies gratiæ per totum tempus præsentis vitæ. Tunc enim homo secundum animam intrat in diem gloriæ, quando emancipata fuerit anima ipsius à corporali carcere. In diem gloriæ venire cupiebat Apost. qui dicit ad Rom. 7. *Infelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis huius?* Igitur in die tertia, hoc est, in die futuræ gloriæ consummabuntur nuptiæ Christi & Ecclesiæ.

Celebrabuntur autem hæ nuptiæ gloriose in Cana Galilææ, id est, in æternitatis amore. Cana enim zelus dicitur, & Galilæa rota interpretatur. Zelus autem idem est, quod amor, & per rotam notatur æternitas, quia in rota non est finem recipere. Fient itaq; nuptiæ Christi & sacro sanctæ Ecclesiæ in æternitatis amore: quia Deus sanctam Ecclesiam nunquam repudiabit; sed semper eam amplexabit, & amabit. Et nota, quod in his nuptiis dapifer erit ipse sponsus Iesus Christus: vnde dicitur in præsenti Euangeliō, quod vocatus est Iesus ad nuptias. Quod autem ipse dapifer si futurus, testatur per fœmetipsum Luc. 12. *Amen,* inquit, *dico vobis, quod transiens ministrabit illis se præcingendo, & eos discumbere faciendo.* Erit etiam propinatrix in his nuptiis ipsa cœlestis Imperatix Virgo Maria: dicitur enim in Euangeliō: *Et erat mater Iesu ibi.* Vnde ipsa dicit Cant. 2. *Introduxit me Rex in cellam vinariam, ordinavit in me charitatem.* Quasi diceret: Rex cœlestis introduxit me in cellam vinariam, faciens me primo degustare cuiuslibet vini sui nobilitatem, & deinde dans mihi cellarij sui plenissimam potestatē: ordinavit etiam in me charitatem, id est, iniunxit mihi, vt cuilibet animæ propinem plus vel minus, secundum quod requirerit operis eius effectus, vel cordis affectus. Multum enim amans, & magna operans, plus meretur cœlestis consolationis, quam minus diligens, & minus operis extibens. Propter hoc dicit Dominus Ioan. 14. *In domo Patris mei mansiones multæ sunt.*

De tertio nota, quod per sex hydrias sex virtutes intelliguntur, quas sex personæ in sex æratibus sive temporibus huius mundi ad Ecclesiæ nuptias obtulerunt. Singulæ vero hydriæ capiunt metretas binas vel ternas. Prima hydria est innocentia, secunda iustitia, tertia obedientia, quarta patientia, quinta penitentia, sexta charitas sive benevolentia.

Igitur prima hydria est innocentia. Hanc obrulit Abel ad nuptias Christi. Hæc autem innocentia signabatur per illum agnum, quem Abel dicitur obtulisse. Sicut enim agnus innocens est & mundus, ita & Abel innocens fuit manibus & mundo corde. Hunc autem Abel & nos imitari debemus, ut innocentiam ad Christi nuptias deportemus. Nullus enim ad illas nuptias recipitur, nisi apportet hydriam innocentia. Vnde dicit quilibet eleetus in Psal. 25. *Ego in innocentia mea ingressus sum.* Item in Psal. 100. *Perambulabam in innocentia cordis mei, in medio domus mea.* Quasi diceret. Perambulauimus, id est, omnia cœli pertransiū ostia, & hoc per innocentiam cordis mei, quod videlicet cor est in medio domus meæ, id est, circa medium corporis mei.

Capit autem hydria innocentia duas metretas. In duobus enim consistit innocentia. Primum est, ne homo faciat miserum. Secundum, ne deserat miserum: vnde dicit Aug. *Duabus modis nocet homo, in quantum in ipso est, aut faciendo miserum, aut deserendo miserum.* Quis est qui facit miserum? qui infert violentias, insidias, rapit res alienas, opprimit pauperes, furatur, aliena coniugia sollicitat, calumniosus est, vult inferre hominibus, quod doleant studio malevolentia. Quis est qui deserit miserum? Qui vidit inopem aliquo auxilio egentem, & cum habeat quod præstet, contemnit, despicit, alienat ab eo cor suum. Cum igitur secundum prædicta verba Augustini nocens sit ille, qui facit miserum, vel qui deserit miserum; per locum à contrarijs, innocentia est ille, qui miserum non facit, nec miserum deserit, id est, qui nulli homini nocet, sed omnibus libenter prodest.

Secunda hydria est iustitia. Hanc Noe obtulit ad nuptias Christi. De iustitia namque Noë dicitur Gen. 7. *Noe vir iustus atque perfectus fuit, & cum Deo ambulauit.* Dominus etiam eum testatur iustum fuisse, propter quod & dixit illi Gen. 7. *Ingredere tu & omnis domus tua in arcam, te enim vidi iustum coram me.* Nos etiam ad imitationem huius iusti Noe offerre debemus iustitiam. Qui enim non venerit cum hydria iustitiae, nunquam videbit regem gloriae; sed intrans cum iustitia cernet Deum in gloria: vnde dicitur in Psal. 16. *Ego autem in iustitia apparebo in conspectu tuo: satiabor cum apparuerit gloria tua.*

Capit autem hydria iustitiae ternas metretas, quia per iustitiam debet homo vnicuique reddere quod suum est, videlicet proximo, sibi metipisci, & Deo. Proximo debet bonitatem, ut videelicet bonitatem exerceat circa proximum suum cogitatu, verbo, & facto. Disciplinam sibi metipisci debet impendere, ut corpus suum & animam sub disciplina castitatis regat & custodiat. Scientiam debet Deo persoluere, ut videlicet quæcumque

que scit Deo placere, libenter cogitet, loquatur, & agat. De his tribus dicitur in Psalm. 118. Bonitatem, & disciplinam, & scientiam doce me.

Tertia hydria est obedientia. Hanc Abraham representat ad nuptias Christi. Legitur quod Abraham eximia fuit obedientia. Vnde habetur Gen. 22, quod Dominus ad emendationem sequentium tentans obedientiam Abraham dixit ad eum: *Tolle filium tuum unigenitum, quem diligis Isaac, & vade in terram visionis, atque offer eum ibi in holocaustum super unum montium, quem monstrauero tibi.* NOTA, quod multa dicuntur hic, quæ aggrauant obedientiam Abrahæ, eamque mirabiliter commendabilem reddunt. Primum est, quod dicit: *Tolle filium tuum.* Non dicit: Tolle seruum tuum alterius hominis filium. Secundum est, quod addit: *Vnigenitum.* Non enim alterum habebat de legitima vxore sua Sara. Tertium est, quod subiungit: *Quem diligis Isaac.* Promissum enim fuit Abrahæ, quod ex Isaac multi reges essent nascituri, & etiam ipse Christus ex eius semine sperabatur nascitus. Præterea in senectute sua genuerat eum. Quartum est, quod non iubetur tantum offerre partem filij sui, videlicet pedem unum, vel manum, vel auriculam, sed totum ipsum præcipitur in frusta concidere, & igne cremare: vnde additur: *Et offer eum in holocaustum.* Si enim filius tantum pedem unum, vel manum amississet, aut oculum, adhuc poterat filios procreasse, & sic posteritas Abrahæ non periisset. Quintum est, quod non iubetur statim filium occidere; sed dicitur ei: *Vade in terram visionis, &c.* Si enim ipsum statim in ipso ferore obedientiae iussus fuisset interimere, non tantum dolore in hoc patri intulisset, quem post dies aliquos expectauit: vnde dicit Glos. *Non statim iussus est Abraham occidere filium sed triduo ad immolandum ducere, ut longitudine temporis tentatio augeretur.* Per triduum crescentibus curia paterna viscera cruciantur, & prolixo spatio pater filium intuetur, cibum cum eo sumit, tot noctibus pendet puer in amplexu patris, cubat in gremio, & per singula momenta in paterno affectu dolor occidendi filij incumulatur. Licet ergo Abraham timere posset, quod ex occisione dilecti filij sui Isaac tota posteritas sua deleretur, ipse tamen etiam in die tertio in eiusdem obedientiae vigore permanxit, quem habuit in prima hora iussionis diuinæ, propter hæc Abraham ab obedientia mirabiliter commendatur.

Nos etiam ad imitationem Abrahæ debemus obedientiam apportare ad nuptias Christi, alioquin non intrabimus in regnum Dei. Obedientia namque aperit portam paradisi, quæ extrusa obedientia clausa fuit. Vnde dicit quidam sanctus in vita S. Patrum. Obedientia est cœlos aperiens, & hominem de terra leuans. Et nota, quod obedientia tam nobilis est virtus, ut omnibus materialibus sacrificijs anteferatur. Hinc est, quod dicit Samuel ad Saul 1. Reg. 15. *Melior est obedientia quam victimæ, & auscultare maius, quam offerre adipem arietum.* Quoniam quasi peccatum ariandi est repugnare, & quasi scelus idolatriæ nolle acquiescere.

Capit autem hydria obedientiæ duas metretas. In his enim duobus consistit vera obedientia, ut videlicet nosmetipos & omnes res nostras ad voluntatem Domini, & admandatum eius hilariiter exponamus. Sic enim fecit ille sanctus Abraham, qui primo semetipsum Domino obtulit, exiens videlicet ad mandatum eius de terra sua, & de cognatione sua, & de domo patris sui, & exulem se faciens peregrinum, & tandem etiam corpus suum ad præceptum Domini circumcidens. Secundo obtulit id, quod inter res suas habebat charissimum, videlicet dilectissimum filium suum, quem paratissimus fuit immolare, nisi Dominus mandatum suum per Angelum reuocasset.

Quarta hydria est patientia, cum qua venit David ad nuptias Christi. Mirabilis enim David patientiæ legitur extitisse. Cum enim persecutus eum Saul usque ad mortem: quia mortem eius vehementissime sibi erat; duabus vicibus est contrario incidit Saul in manus David, ita ut David Saul potuisse occidisse. Non autem occidit eum, sed persecutionem eius sustinuit patienter. Legitur enim 1. Reg. 24. quod cum Saul cum tribus milibus virorum electorum ex omni Israël persequeretur David, & ad aluum purgandum quandam speluncam introiisset, in qua David cum suis armigeris latitabat: instigatus David a suis, qui secum in interiori parte latebant speluncæ, ut occideret Saul: non eum occidit, sed partem chlamydis Saul silenter praescidit. Exeunte vero Saul de spelunca, secutus est eum David, & ostendit ei partem chlamydis suæ, quam prehenderat, & dixit ei, quod sicut partem chlamydis ipsius abscondit, sic eum ipse poterat occidisse; adiecitque: *Quem persequeris rex Israël, quem persequeris? Canem mortuum persequeris, & pulicem viuum.* Ecce quanta patientiæ & humilitatis fuit,

Legitur etiam 1. Reg. 25. quod iterato Saul cum tribus milibus virorum de electis Israel quæsiuit David in quodam deserto. Quod intelligens David assumpsit secum quendam nomine Abisai, & venit nocte ad locum, ubi Saul castramatus est. Inuenitque Saul & totum exercitum eius dormientem. Cumque dixisset Abisai: *Perfidiam Saul lancea, & affigam terræ,* non permisit David, sed accepit lanceam & scyphum, quæ erant ad caput Saul dormientis. Cumque recessisset David, & verticem montis ascendisset, essetque inter eum & Saul grande interuallum, clamauit David, & increpauit principem exercitus Saul, quod male custodierat Dominum suum: dixitque Saul: *Quare querit rex Israël pulicem viuum, sicut persequitur aquila perdicem in montibus?* Et adiecit: *Ecce hæsa regis, transeat unus de pueris regis, & tollat eam.*

Legitur etiam 2. Reg. 16. quod cum Absalom filius David insurrexisset contra patrem suum, egressus est David ex Ierusalem, & omnes illi, qui fideliter adhærebant ei. Quo egresso, quidam vir nomine Semei procedebat egrediens, & maliciebat, mittebatque lapides contra David, & dixit: *Egredere, egredere vir sanguinum, & vir Belial.* Reddidit tibi Dominus uniuersum sanguinem domus Saul: quoniam inuasisti regnum pro eo. Dixit autem Abisai: *Quare maledicit hic canis mortuus domino meo Regi? vadam & amputabo ca-*

*put eius. Et ait David: Dimitte eum ut maledicat iuxta præceptum Domini, si forte respiciat Dominus afflictionem meam, & reddat mihi Dominus bonum pro maledictione hac hodierna.* Ecce quam patientiæ fuit David hic, & multa alia leguntur de patientiæ eius.

Nos etiam ad imitationem David debemus offerre hydriam patientiæ. Qui enim patientiam non attulerit, animam suam saluare non poterit, qui vero cum patientia venerit, ille à regno Dei non peribit. Propter quod Dominus dicit Luc. 21. *In patientia vestra possidebitis animas vestras.* Dicitur etiam in Psal. 9. *Patientia pauperum non peribit in finem.* Capit hydria patientiæ duas metretas: quicunque enim vult esse vere patiens, oportet ut odiosa verba & facta malorum hominum, nec non tentationes malorum spirituum sustineat patienter.

Quinta hydria est pœnitentia. Hanc Zorobabel apportauit ad nuptias. Legitur enim in libro Regum Paralipo. quod populus Iudeorum, qui erant in regno Ierusalem, propter multa scelerata & peccata, quæ contra Dominum commiserant, à rege Chaldaeorum, qui Nabuchodonosor vocabatur, captiuati sunt, & in Babylonem deducti, ubi septuaginta annis amaram passi sunt captiuitatem. Verum cum tandem pœnitenter se Dominum grauiter exacerbasse, per Cyrum regem Persarum & Chaldaeorum licentiati sunt, ut reuerterentur in Ierusalem. Reuersi itaque sunt ducem habentes Zorobabel. Erat enim princeps omnium illorum, qui de captiuitate propter pœnitentiam sunt reuersi: sicut legitur in Eldra & Neemia.

Nos etiam ad imitationem Zorobabel debemus Domino offerre pœnitentiam, præsertim cum omnes peccauerimus, & propter hoc sine pœnitentia non possumus intrare regnum cælorum. De primo, videlicet quod omnes peccato sumus obnoxij, dicitur 1. Ioan. 1. *Si dixerimus quoniam peccatum non habemus, ipsi nos seducimus, & veritas in nobis non est.* Dicit etiam Paulus ad Rom. 3. *Omnis peccauerunt, & egent gratia Dei.* Glos. id est, indulgentia & venia peccatorum. De secundo, videlicet quod sine pœnitentia peccatores non possunt intrare regnum cælorum, dicitur Matth. 3. ubi sic legitur: *quod Iesus caput prædicare & dicere: Pœnitentiam agite, appropinquauit enim regnum cælorum.* Igitur qui non agit pœnitentiam, non appropinquabit ei regnum cælorum, imo elongatur ab ipso: propter quod etiam Dominus dicit Luc. 13. *Nisi pœnitentiam egeritis, omnes peribitis.*

Capit autem hydria pœnitentia duas metretas. Ad veram quippe pœnitentiam pertinet, ut non solum homo pœniteat de malis commissis, sed etiam de bonis omissis. Non solum enim homini præcipitur, ne faciat malum: sed etiam mandatur ei, ut faciat bonum. Qui igitur & mala commisit, & bona omisit; necesse est ipsis, ut pœniteat, quatenus ad regnum Dei perueiat.

Sexta hydria est charitas, sive benevolentia. Hanc specialiter præ aliis hominibus apportat ad nuptias Ecclesiæ ipse Filius Dei. Tantam quippe charitatem sive benevolentiam exhibuit nobis Filius Dei, quod etiam supereminet humanæ scientiæ, ut dicit Apost. ad. Eph. 2. Et

NOTA


# In Dom. III. post Epiph. Serm. XVII. 41

humanae scientiae, dicit Apost. ad Eph. 2. Et nota, quod charitas magna potest apud Dei Filium: charitas enim iussit introire in Virginis uterum, charitas reposuit eum in arctum præsepium, charitas fecit eum propter nos in hoc mundo sustinere multiplex incommodum, charitas tandem suspendit eum in crucis patibulo, charitas iubet, ut omni homini penitenti pandat misericordia gremium. De charitate etiam dicit Aug. *O charitas, quam magnas vires habes. De celo Deum depositisti. O chara sanitas, O sancta & vera charitas, que tanta es in terris, & quanta es in celis!*

Nos etiam ad imitationem Iesu debemus apportare ad nuptias triumphantis Ecclesiae hydram charitatis. Vnde dicit nobis ipse Iesus Matth. 22. *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & ex tota anima tua, &c. & proximum tuum sicut te ipsum.* Quasi dicat. *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo*, quasi dulcem creatorem. Ipse enim dedit tibi cor, in quo est principium vitae & finis. Cor enim est membrum, quod primo recipit vitam, & ultimo dimittit vitam. *Et ex tota anima tua*, quasi piuum redemptorem. Ipse enim protegunt animam suam. *Et in tota mente tua*, quasi copiosum remuneratorem. Ipse enim plus dabit tibi possessionis in celo, quam mente possis, vel etiam audeas exoptare. *Diliges etiam proximum tuum sicut te ipsum*, id est, sicut tibi ipsi libenter benefacis, & lesionis facies; ita etiam proximo tuo benefacis, & lesionis suae diligenter cauere memento. Deberimus igitur hydram charitatis sive benevolentiae nobiscum apportare, alioquin non poterimus intrare vitam aeternam. Vnde dicit 1. Ioan. 3. *Qui non diligit, manet in morte.* Quasi dicat: *Qui charitatem non apportauerit, in morte perpetua permanebit.*

Capit etiam hydram charitatis tres metretas. Qui enim Deum vere diligit, libenter sustinet propter ipsum paupertatem & contemptum, & etiam mortem quantumlibet duram & amaram, cum ipse propter nos haec tria sustinuerit. Sustinuit enim Dei Filius, quoniam prior dilexit nos, magnam propter nos inopiam & paupertatem, & magni contemptus vilitatem, necnon & diram mortis acerbitatem.

De quarto nota, quod illæ sex lapideæ hydriæ, quæ erant ibi positæ secundum purificationem Iudeorum, primo fuerunt impletæ aqua, deinde aqua illa in vinum optimum est conuersa. Per hoc autem significatur, quod prædictæ sex virtutes executores eorum in via huius vitae, in qua homo vix sibi potest cauere, à maculis tanquam aqua purificant. In primis vero quemlibet electum, sicut nobile vinum, mitifice lœtificant. Vinum quippe virtutum corda lœtificant electorum. Dicuntur etiam sex prædictæ virtutes propter hoc lapideæ, quia homo per eas assequitur beatitudinis aeternitatem. Lepides quippe durabiles sunt & per longa secula permanentes. Rogate ergo Dominum, ut det nobis sic Sanctorum virtutes imitari, ut etiam meritorum ipsiis in gloria sociari.



## IN DOMINIC. III. post Epiphaniam.

### S E R M O X V I I .

*Cum descendisset Iesus de monte, ecce leprosus veniens adorabat Iesum dicens: Domine si vis, potes me mundare. Matth. 8.*

Quatuor sunt hic principaliter notanda.

- I. *Quid per hoc, quod Iesus à monte descendit, intelligatur?*
- II. *Quid per leprosum moraliter ostendatur?*
- III. *Quid hoc sit, quod leprosus a Domino mundari precatur?*
- IV. *Quot ad emendationem leprosi requirantur?*

E primo nota, quod Iesus propter hoc de monte descendit, ut ostendat se libenter velle peccatoribus misericordiæ, si velint veniam postulare. Mons enim significat eminentem austoritatem iustitiae: vallis autem exprimit suauem sinum misericordiæ. Monet igitur nos ipse Dominus Il. 45. ut quandiu est in valle misericordiæ, conuertamus ad ipsum. Dicit autem: *Conuertimini ad me, & salvi eritis omnes fines terre: quia ego Dominus, & non est aliud. In memetipso iuravi.* Quasi dicat. Quandiu vobis patet sinus misericordiæ, venite, conuertimini ad me omnes peccatores, in quibusdam etiam sitis finibus terræ. *Ego enim Dominus sum, qui possum vos salvare, & non est aliud, qui possit ab ira mea vos protegere.* Quod autem velim vos salvare, si ad me conuersi fueritis; per hoc probare potestis, quod hoc iuravi in memetipso, id est, ac si iurauerim certum ostendi per sanguinem meum, quem ex corpore pro vobis effudi. Conuertantur itaque ad Dominum, quandiu est in planicie misericordiæ: quia cum iterum ascenderit montem iustitiae, non parcer alicui peccatori: sed secundū meritavit cuique iusticias iudicabit, sicut ipse dicit in Ps. 11. *Cum accepero tēpū, ego iusticias iudicabo.*

De secundo nota, quod per leprosum quilibet peccator exprimitur. Sicut enim corpus per lepram corruptum, ita etiam anima per peccatum inficitur. Et sicut lepra quatuor mala importat homini: videlicet quod facit eum immundum, deformem, fœtidum, & raucum: ita & peccatum animam immundat deformat, fœtidam reddit, & mutam. De primo, quod anima per peccatum immundetur, dicit Ierem. Thren. I. & loquitur sic de anima peccatrice: *Sordes eius in pedibus eius.* Quasi dicat. Ita est repleta immunditiis peccatorum, ut à capite usque ad pedes sit intulata fœdibus. Item Ierem. dicit ibidem: *In circuitu eius hostes eius, facta est Ierusalem quasi polluta menstruis inter eos.* Q.d. Hostes anime peccatriceis

id est, dæmones sunt in circuitu eius, defædantes eam peccatis. Vnde ipsa est inter eos, id est, dæmones, ita immunda, ac si menstruis sit polluta.

De secundo, quod anima per peccatum non solus immundetur, sed etiam deformetur, dicit Ierem. in Thren. i. *Egressus est à filia Sion omnis decor eius. Quasi dicat.* Ab anima peccatrice, quæ olim fuit filia Sion, id est, filia gratiæ, per peccata, quæ commisit, omnis decor eius exiit, id est, totam pulchritudinem membrorum amisit. Lepra enim quandoque est violenta, quod totum vultum hominis deturpat, auferens ei labia, nafsum, oculos, & alia membra. Vnde & peccator potest hoc dicere, quod dicitur Thren. 3. *Vetustam facit pellem meam, & carnem meam: contruit ossa mea.* Per pellem sive cutem, quæ ornatura est corporis, intelligitur nitor diuinæ gratiæ. Per carnem intelliguntur opera misericordiæ. Per ossa notantur corporales labores, ut pote ieunia, peregrinationes, vigilæ, quæ omnia diabolus aufert homini, & dissipat per peccatum.

De tertio, quod peccatum fætore faciat animam, dicitur Isa. 33. *Interfecti eorum proiicientur, & de cadaveribus eorum ascendet fætor.* Per imperfectos intelliguntur peccatores, quos diabolus gladio iniquitatis interficit: propter quod proiiciuntur à sinu gratiæ, & de cadaveribus eorum, id est, de animabus peccato inuolutis & corruptis ascendit fætor, quem Deus & Angeli eius sustinere non possunt. Dicit etiam Ioan. 2. *Ascendet fætor eius, & ascendet putredo eius: quia superba egit.* Hac dicuntur de peccatore, qui quoniā superbe agit, Deum peccatis suis audens impugnare, propterea ascendens est fætor eius & putredo nares diuinæ vltionis. Hinc etiā dicit Anselmus: *O quam tolerabilius canis putridus fætet hominibus, quam anima peccatrix Deo!*

De quarto, quod peccatum raucam, imo mutant reddit animam, dicitur in Psal. 37. Et loquitur ibi Ps. in persona peccatoris: *Ego tanquam surdus non audiebam, & sicut mutus non aperiens os suum.* Quotidie Dominus æterna supplicia comminatur peccatoribus, nec tamen hanc comminationem percipiunt aure cordis. Surdos enim fecit eos amor terrenorum, & delectatio peccatorum. Peccatores etiam licet sciant se in ira Domini constitutos, non tamen aperient os suum, ut cum vera contritione misericordiam Domini deprecentur. Raucos quippe, imo mutos diabolus eos fecit per peccatum. Vnde dicitur Matth. 12. & Luc. 11. quod Iesus de quodam obesso dæmonium eiecit, quod erat mutum, id est, quod faciebat illum mutum esse, quem obsederat. Vtinam Dominus dæmonium istud longe pellat à nobis.

Igitur per leprosum intelligitur omnis homo, cui septem principalia virtutia dominantur, videlicet, superbia, ira, acedia, inuidia, auaritia, gula, & luxuria. Vnde Eccl. 4. dicuntur esse 7 species lepræ, quæ 7. peccatis mortalibus adaptantur. Prima species dicitur alopecia: & hæc generatur ex impuro sanguine. Per hanc autem superbia figuratur. Superbi quippe semper eleuantur, quod ex alto sanguine, id est, ex nobili descendenter parentela. Dicitur autem alopecia, quasi vulpija. Allopes enim vulpes dicuntur, & bene superbi vulpibus comparantur. Superbi quippe

semper ad modum vulpium magnam post se gestunt trahere caudam famulorum. Superba etiam mulieres magnam sibi faciunt caudam vestimentorum. Secunda species lepræ dicitur elephantia. Hæc nascitur ex melancholia, & signat acediam & auaritam. Acediosi quippe & tanquam melancholici pigri sunt, & ponderosi in obsequio Christi. Melancholia etiam multum habet de natura terrestri, & propter hoc signat auaros. Auari namque semper terram, & terrena sitiunt & concupiscunt. Tertia species lepræ dicitur leonina. Hæc nascitur ex cholera, & signat iram & odium, sive inuidiam. Iracundi quippe, quia multum habent de cholera diaboli, qui tanquam leo rugiens circuat querens quem deuoret, semper exardescunt in furorem & iram, quæ ira cum se sufficienter vlcisci non potest, in odium & in inuidiam commutatur. Vnde dicit Aug. *Quid est ira? ardor & libido vindictæ. Quid est odium? ira inueterata.* Quarta species lepræ tyrias appellatur. Hæc nascitur ex phlegmate, & signat gulam & luxuriam. In gulosis namque & luxuriosis multum phlegma turpidudinis dominatur & luxuriæ. Et propter hoc tanquam leprosi à Deo & sanctis Angelis deuitantur.

De tertio nota, quod non sine causa leprosus iste rogabat Dominum, ut mundaret eum. Quicunque enim in lege Mosaica lepræ adjudicatus erat, quinque propter hoc damna sive incommoda sustinebat. Primum erat, quod habebat dissutum vestimentum. Secundum, quod debebat habere caput nudum. Tertium, quod habuit os veste coniectum. Quartum, quod clamabat se sordidum & contaminatum. Quintum, quod solus extra castra filiorum Israel habebat habitaculum. De istis quinque dicitur Leuit. 13. *Quicunque maculatus fuerit lepra, erit separatus ad arbitrium sacerdotis, habebit vestimenta dissuta, caput nudum, os veste coniectum, contaminatum ac sordidum se clamabit. Omni tempore quo leprosus est, & immundus, solus habitabit extra castra.*

Hæc quinque de damnatis peccatoribus exprimuntur. Primo enim peccatores, quoniā stolam innocentiae sibi in baptismo concessam per peccata sua lacerauerunt & inquinauerunt, nec eam acu pœnitentiæ reconsuerunt, nec eam suis lacrymis abluerunt: propterea semper laceata & immunda in inferno deferent indumenta: nec dabitus eis illa vestis nuptialis, qua omnes filii Dei vestientur. Secundo, quia omnes peccatores propter scelera sua coronam regni cœlestis perdiderunt, propter hoc habebunt caput nudum. Vnde & ipsi dicunt in Thren. 5. *Cecidit corona capitii nostri, & nobis, quia peccauimus.* Tertio damnati peccatores os veste coniectum habebunt: quia non admittentur ad concutum Angelorum & omnium electorum, vbi *Gloria in excelsis Deo: & Alleluia: & Sanctus, Sanctus, Sanctus: & Te Deum,* perpetuo coacinetur. Quarto, miseri peccatores clamabunt se sordidos & contaminatos. Crudelitas enim æterni ignis faciet eos protestari cum dolore, quod sordidi sunt & immundi. Quinto etiam peccatores à Deo reprobati soli habitabunt extra castra filiorum Israël: quia tunc non habebunt spem, quod ad electorum consortium admittantur. Propter hæc, quæ prædicta sunt, Dominus dicit ad damnatos Isa. 65. *Ecce serui mei comedent, & vos esurietis:*

# De Circumc. Domini. Serm. XVIII. 43

*Ecce servi mei bibent, & vos sitietis: Ecce servi mei letabuntur, & vos confundemini: Ecce servi mei laudabunt pre exultatione cordis, & vos clamabitis pre dolore cordis, & pre contritione spiritus vnlabilis.* Ecce quatuor in una auctoritate, quæ patientur illi, qui extra electorum consortium electi fuerint. Patientur enim famis acerbitateim, fatis intolerabilitatem, æternam confusionem, & cordis ac spiritus contritionem.

Igitur quia leprosus, id est, peccator, tot damnata patietur ac mala, nisi à peccatorum sordibus fuerit emendatus: propter hoc debet ire in occursum Domini, quamdiu est in campo misericordiae. Debet, inquam, ire per iugem memoria mortis suæ. Ille namque vadit in occursum Domini, qui mortis sua iugiter recordatur. In morte etenim nostra præsentabimur æterno iudici, prout in corpore gessimus, recepturi siue bonum siue malum fuerit. Debet etiam leprosus, id est, peccator occurrentis Domino, sic orare: *Domine si vis, potes, me mundare.* Quasi dicat. Domine, ego miser peccator tam grauiter te offendit, quod non audeo te pro emundatione mea interpellare: veruntamen scio, quod si vis, potes per tuam misericordiam me mundare.


De Quarto nota, quod ad hoc, ut leprosus, id est, peccator quilibet emundetur, tria sunt principaliter necessaria. Primurn est, ut manu Domini contingatur. Secundum est, ut Sacerdoti se ostendere non vereatur. Tertium est, ut ab ipso hoc munus, quod præcepit Moyses, offeratur. Per primum notatur vera contritio. Per secundum exprimitur pura confessio. Per tertium intelligitur pœnitentialis satisfactio.

Primo itaque necesse est peccatori, ut manu Domini contingatur. Vnde dicitur in præsenti Euangeli: *Extendens Iesum manum tetigit eum, dicens: Volo, mundare.* Tunc Iesus manu misericordiae tangit peccatorem, quando immittit ei veram contritionem. De hoc tactu dicitur in Ps. 103. *Qui respicit terram, & facit eam tremere: qui tangit montes, & fumigant.* Nota, quod per terram intelliguntur peccatores. Ipsi enim per frequentem multitudinem dæmonum quasi teruntur. Ipsi etiam tanquam montes contra Deum per peccata sua ausu temerario eriguntur. Respiciens ergo Dominus terram misericordiae oculis, facit eam tremere tremore pœnitentiae. Tangens etiam montes manu gratiæ, facit eos fumigare per lacrymas compunctionis intimæ. Secundo necessarium est peccatori, ut ostendat se Sacerdoti per puram confessionem. Vnde Dominus dixit leproso: *Vade, ostende te Sacerdoti.* Ille ostendit se Sacerdoti qui omnia peccata sua pure ac integre confitetur. Omnia enim peccata, quæ commisimus ambulando, stando, sedendo, discreto confessori plenarie sunt confitenda.

Tertio præcipitur pœnitenti, ut offerat pœnitentialis satisfactionem. Hinc est, quod Dominus ait leproso: *Vade & offer pro emundatione tua munus, quod præcepit Moyses in testimonium illis.* Nota, quod iuxta præceptum Domini, quod dedit Moysi in Letit. 14. Nullus leprosus adeo pauper erat, quin pro emundatione sua offerre deberet agnum unum, & oleum sextarium, aut par turturum, aut duos pullos columbarum, & decimam similæ oleatae. Per agnum, quod animal est innocens & innocuum, hoc significatur, quod ille, qui vult

vere pœnitere, resumere debet agnina innocentiam. Omne quippe damnum, quod alicui intulit homini, siue verbo, siue facto, ad plenum ei debet restituere, secundum omne posse suum. Præterea deinceps cauere debet, ne aliquem dampnificet aut contristet. 2. Per sextarium olei sex opera misericordiae, videlicet, panem præbere esurienti, & potum sitiensi, nudum vestire, viatorum in hospitium recipere, infirmum visitare, & incarcerauti angustias subleuare. Et bene misericordia oleo comparatur. Sicut enim oleum lenificiatum est dolorum: ita etiam Deus per elemosynas & opera misericordiae placatur, & peccatrici animæ propitiatur. 3. Per par turturum signatur duplex ieunium à cibis materialibus, & ieunium à mundalibus gaudijs atque voluptatibus. Turtur enim amissio compare suo ieunat ab omnibus gaudijs, in quibus aliæ aues deliciari consueuerunt. 4. Per duos pullos columbarum notatur oratio plena gemitibus. Dupli quippe de causa gemere debet pœnitens ut columba. Tum quia Deum grauiter exacerbavit: tum quia semetipsum pluribus bonis spoliauit. 5. Per decimam similæ oleatae figuratur deuota adimpleti decem præceptorum Domini. Sicut enim panis similagineus cor hominis confortat, & sicut oleum ardens in lampade domum illuminat, & etiam omnibus alijs liquoribus superfertur: sic etiam decem præcepta Domini quemlibet Christianum in terris contra diabolum roborant & confortant ipsumque in cælis clarificant, & super thronos regales exaltant.

Rogate ergo Dominum, ut sic nos à peccatorum lepra purificare dignetur, ne beatorum societas nobis in posterum denegetur. *Quod nobis præstare, &c.*



## IN DOMINICA IV. Post Epiphaniam

### S E R M O X V I I I .

*Domine salua nos, perimus.*

Matth. 8.

Quatuor sunt hic principaliter notanda.

- I. *Quis sit ille, à quo saluatio postulatur?*
- II. *Quid per Discipulos, qui se saluari petierunt intelligatur?*
- III. *In quibus casibus bono indigeat, ut ei subsidium saluationis afferatur?*
- IV. *Quibus aeterna saluatio Scriptura testimonio promittatur?*



E primo nota, quod Iesus est ille, quem omnis homo pro saluatione sua solicite debet inuocare. Vnde ipse dicit Isa. 43. *Ego Dominus Deus tuus, Saluator tuus.* Dicit etiam Ioa. 3. ipse Dei Filius de seipso: *Non misit Deus Filium suum,*

*suum, ut iudicet mundum: sed ut saluetur mundus per ipsum.* Hunc Saluatorem petierunt omnes Patriarchæ & Prophetæ, propter quod Isaías in persona eorum sic ait 45. *Rorate celi desuper, & nubes pluant iustum: aperiatur terra & germinet Saluatorem.* Per celos intelliguntur Pater, & Filius, & Spiritus sanctus. Per nubes autem misericordia, & veritas figurantur. Per terram quoque notatur Beata Virgo Maria. Orant igitur sancti patres, ut cœli rorare dignentur, id est, ut Pater & Spiritus emittant Filium: quia paratus erat ad mittendum. Rogant etiam, ut nubes pluant iustum, id est, ut misericordia & veritas è cœlo deducant Dei Filium. Misericordia quippe inuitauit Filium, ut promitteret se venturum. Veritas vero compulit eum, ut exsolueret promissum. Decet enim ut in Dei Filio veritas inueniatur. Precantur etiam sancti Patriarchæ, ac Prophetæ, ut Beata Virgo, quæ est terra gratia plena, aperiat per deuotionem, & per consensum fidei, ad verba Angeli, qui dicturus erat, quod conceptura esset Filium Dei, ut sic germinet, id est, pariat Saluatorem tortius mundi.

De secundo nota, quod per Discipulos Iesu intelliguntur boni Christiani. Sicut enim boni Discipuli magistrum suum sequuntur, eiusque præceptis obediunt: ita etiam Christiani debent Iesum sequi, ac mandatis eius obedire. Sed quorsum debemus sequi Iesum? Certe in Ecclesiæ. Vnde dicitur in præsenti Euangeliō, quod, *ascendente Iesu in nauiculam, secuti sunt eum Discipuli eius.* Per nauiculam sancta Ecclesia figuratur. Sicut enim nauicula in principio & in fine stricta est & angusta, in medio spatio, & magis extensa: ita etiam sancta Ecclesia in principio sui paucos habuit viros fideles; paucos etiam in fine sui, qui Deum vere colant, habebit. Multorum enim charitas in fine seculi refrigerescet. Veruntamen sicut prima pars nauicula, & posterior eminentior est, quam sit media: ita etiam sancti Apostoli & Martyres, qui Ecclesiæ in suo sanguine fundauerunt, per veram charitatem corda sua ad Deum habebant. Habebit etiam Ecclesia in fine sui gloriosos Martyres, qui feruenti charitate cor suum ad Deum erectum habebunt. Igitur Iesus carnem assumens etiam corporaliter ingressus est sanctam Ecclesiæ, ut videlicet factis & verbis formam viuendi Ecclesiæ suæ daret. *Cepit enim Iesus facere & docere.* Quilibet ergo Christianus debet sequi Iesum gressibus suis bona vita.

Et nota, quod multi nomine sunt in Ecclesia, pauci vero in ea sunt merito bona vita. Multi enim dicunt Iesu, Domine Domine; & tamen non faciunt ea, quæ dicit Iesus. Quid prodesset homini, quod tantum ore esset in naui, sed manibus & pedibus, reliquaque parte corporis sui esset extra nauim in magna tempestate? multum de submersione talis hominis esset timendum: sic etiam multi Christiani sunt, qui tantum solo ore sunt in nauicula Ecclesiæ. Christiani quippe vocantur, & se in Deum credere profitentur: pedibus tamen & manibus sunt extra Ecclesiæ: non enim vivunt ut Christiani, quia nec circa Deum per veram dilectionem afficiuntur, nec etiam fidem, quam ore loquuntur, bonis operibus exequuntur.

Tales certissimi debent esse, quod nisi nauiculam manibus & pedibus intrauerint, id est, nisi bona opera faciant, & Deum ex corde diligant,

in abyssum perpetuæ damnationis demergentur. Debent etiam Christiani, tanquam boni Discipuli, mandatis Dei obedire, & in ipsis iugiter meditari, vnde dicitur in Ps. *Meditabar in mandatis tuis, que dilexi nimis.* Dedit autem nobis Dominus duo mandata, quæ factis adimplere debemus. De istis mandatis Dei in Psal. 23. *Dinerte à malo, & fac bonum.*

Nota, quod triplex est malum, à quo est diuertendum: & est triplex bonum, quod est faciendum. Diuertendum enim est à malo malitiosæ auaritiæ, à malo lutoſæ luxuriæ, & à malo ambitionisæ superbie. Diuertendum, inquam, est ab hoc triplici malo, ut videlicet per malitiosam auaritiam nec corpori, nec rebus proximi noceamus: ut per lutoſam luxuriam animas nostras nec corpora polluamus: & ut per ambitionisæ superbiam Deum, qui diligit humiles, non offendamus. Debemus etiam triplex bonum facere: primum bonum est, ut per pias eleemosynas pauperibus assistamus: secundum est, ut per veram pœnitentiam animarum nostrarum maculas abluamus: tertium est, ut diuino cultui deoꝝ orationibus insistamus.

De tertio nota, quod sex genera hominum indigent Salvatorem. Primi sunt quibus imminet fluctuum sauitia. Secundi sunt, quos premit famis & fœtus angustia. Tertiū sunt, quos vexat infirmitatum molestia. Quarti sunt, qui multititudinem hostium inciderunt. Quinti sunt, qui periculosa deuia errantes intrauerunt. Sexti sunt, qui iam per ignis incendium perire coeperunt.

Primi igitur indigent Salvatorem, quibus imminent fluctuum sauitia. Vnde dicitur in præsenti Euang. quod *cum mox magnus factus esset in mari, ita ut nauis operiretur fluctibus: accesserunt Discipuli, & suscitarerunt Iesum, dicentes: Domine, salua nos, perimus.*

Nota, quod hodie in mari huius mundi fluctus sunt vitiorum, quibus nauim sancta Ecclesiæ diadolum mirabiliter infestat & impugnat. Vnde Oleæ 4. *Non est veritas, & non est misericordia, & non scientia Dei in terra. Maledictum, & mendacium, & homicidium, & furtum, & adulterium inundauerunt, & sanguis sanguinem tetigit.* Non est veritas in terra: quia pauci sunt, qui veritatem verbis & factis exequuntur. Et non est misericordia in terra: quia pauci sunt, qui sicut tenerunt, pauperum misereantur. Et non est scientia Domini in terra: quia pauci sunt, qui passionem Iesu compassionis oculis intueantur. Vnde dicitur in Psal. 53. *Non proposuerunt Deum ante conspectum suum.* Quod autem vera scientia sit cum deuotio ne reminisci passionis Iesu, testatur Apostolus ita scribens 1. Cor. 2. *Non indicavi messeire aliquid inter vos, nisi Iesum Christum, & hunc crucifixum.* Cum igitur veritas, & misericordia, & scientia Domini non sint in terra, quid est in terra maledictum: Maledictum enim in tantum inualuit in mundo: ut homines iumentis suis, & ancillis, & etiam pueris suis in die multoties maledicant. Et quid de pueris dicam etiam ipsis Creatori suo quampluries maledicunt. Vnde ipse dicit per Ierem. 15. *Omnes maledicunt mihi.*

*Mendacium.* Veritate quippe derelicta mendacium pene omnes hodie complectuntur. Vnde dicit Ierem. 9. *Docuerunt lingnam suam loqui mendacium.* Ibi dicit Glossa. *Vsus reddit magistrum, consuetudo altera natura est.*

6. *Homicidium* etiam abundat in terra, & licet *homicidium* non fiat ab omnibus manu, fit tamen ab infinitis ore & corde. Ille manu committit *homicidium*, qui corporaliter hominem interimit & occidit. Ille lingua perpetrat *homicidium*, qui proximo suo detrahit, & bona opera eius inuerit. Ille corde homicida existit, qui fratrem suum odit. Vnde dicitur i. Ioan. 3. *Omnis qui odit fratrem suum homicida est.*

*Furtum* etiam inundat in terra. Per *furtum* intelligitur omnis contrectatio rei alienæ inuitio Domini rei. Istud *furtum* prohibuit Dominus. Exo. 20. vbi dicit: *Non furtum facies.* vbi dicit Glos. ex August. *Furti nomine intelligitur omnis contrectatio rei alienæ.* *Furtum* igitur inundat, quia simoniæ, rapinæ, usurpatione, & multiplices dolii sive fallaciae nimis excreuerunt in terra.

*Adulterium* etiam inundat in terra. Per adulterium vero notatur luxuria quibuscumque modis expleatur, sive cum soluta sive cum coniugata, sive consanguinea, vel fœmina Deo dicata, sive naturaliter peccetur, sive etiam peccatum innaturaliter attentetur. De tam multiplici adulterio dicitur Ierem. 23. *Adulteriis implera est terra.*

*Sanguis sanguinem tetigit.* *Sanguis* etiam hodie sanguinem tangit in terra: quia peccatores super eum iniquitatem aliam apponunt iniquitatem, & ita exaggerauerunt iniquitates suas: quæ sicut onus granæ granantur super ipsos. Conuenienter autem per sanguinem intelligitur iniquitas, quia sicut per sanguinem vestis inquinatur, ita etiam per iniquitates anima maculatur. Cum igitur fluctus iniquitatis inundet in terra, & grauiter nauiculam Ecclesiæ concutiat: necesse habemus, ne ab his fluctibus in profundum inferni detrahamur, ut Dominum deuotis precibus & assiduis excitemus, ut videlicet ipse in adiutorium nostrum exurgens imperet ventis & mari, & sic fiat tranquillitas magna.

Per ventos, dæmones intelliguntur, & per mare tentationum aduersitas figuratur. Sicut enim per ventos mare inquietatur, & per dæmones tentationes contra animam sive Ecclesiam agitantur. Si igitur Dominus lacrymosis precibus nostris excitatus dæmonibus imperauerit, & tentationes sedauerit, fieri intus in anima nostra tranquillitas magna. Ut autem Dominus Ecclesiæ nauiculam a dæmonibus & temptationibus absoluat & defendat, propterea in cuiuslibet horæ canoniceæ inceptione, hocque septies in die dicimus: *Deus in adiutorium meum intende.* Rogate ergo Dominum, ut sic nos a dæmonibus & a peccatis tueatur, ut quilibet nostrum eum in gloria sua lætanter intueri mereamur.

\*\*  
\*\*

## IN EADEM DOMINICA SERMO XIX.

*Domine, salua nos, perimus.*  
Matth. 8.

Duo principaliter sunt hic notanda.

I. *Qui sunt illi, quibus Saluator necessarius estimatur?*

II. *Quibus aeterna saluatio promittatur?*



E Primo nota, quod sex generibus hominum Saluator necessarius estimatur. Primi sunt illi, quibus imminet fluctuum saevitia. Hunc articulum in præcedenti sermone prosecuti sumus. Secundi sunt, quos premit famis angustia. Vnde legitur Gen. 47. quod in toto orbe panis deerat & opprimerat fames terram: vnde venientes Ægyptij ad Ioseph dixerunt: *Salus nostra in manu tua est, respiciat nos tantum Dominus noster, & lati seruiemus regi.* Dedit itaque Ioseph alimenta eis, qui famem patiebantur. Per famem intelligitur defecus veri & æterni boni. Per Ioseph vero, qui interpretatur accrescens, signatur Filius Dei, qui sicut Lucas dicit, proficiebat gratia, & ætate, & sapientia apud Deum & homines. Ad hoc ergo omnes, qui recognoscunt se habere defectum veri & æterni boni, debent accedere per iuge desiderium & pium affectum, rogantes & dicentes: *Salus nostra in manu tua est, respice nos pie Iesu,* vt des nobis in præsenti panem gratiæ tuæ, & panem sacrosanctæ Eucharistia, & da nobis in futuro panem sempiternæ gloriæ.

Sed heu multi plus esuriunt & desiderat siliquas porcorum. Vnde legitur Luc. 15. quod filius ille prodigus, qui omnem substantiam suam consumperat viuendo luxuriose, cupiebat ventrem suum replere de siliquis, quas porci manducabant: & nemo etiam easdem siliquas in copia sibi dabat. Per siliquas porcorum intelliguntur immunda desideria carnalium voluptatum, in quibus porci, id est, dæmones delectantur. Multi quippe sunt, qui libidinem carnis ipsi dulci Deo & omnibus gaudijs cœlestibus anteponunt, id est, magis desiderant & laborant carnis explorare voluptatem, quam Dei facere voluntatem. Legitur tamen quod ille filius famelicus tandem in se reuersus, & miserabil inopiam suam considerans, reuersus est ad patrem penitentiam agens. Vtinam & isti per veram penitentiam ad Dominum reuertantur, ut vide-licet substantiam suæ animæ, quam amiserunt per luxuriam & gulam, recuperent per continentiam & penitentiam.

Tertij indigent Saluatorem, quos vexat infirmitatis molestia. Vnde & ipse Dominus dicit Luc. 5. *Non egent qui sani sunt, medico: sed qui male habent.* Nota, quod tunc homo in anima langore

langorem & infirmitatem incurrit , quando Deum , qui vera salus nostra est , per peccatum amittit. Necessarium est ergo peccatori , vt per veram contritionem animam suam offerat summo medico priusquam mortem incurrat æternam, vt sic ille manum misericordiae imponat animæ , eamque saluam à peccati ægritudine ac vita restituat sempiternæ. Vnde legitur Luc. 4. quod omnes , qui habebant infirmos variis langoribus , ducebant illos ad Iesum. At ille singulis manus imponebat curabat eos. Legitur etiam Matth. 9. Ecce mulier , quæ sanguinis fluxum patiebatur duodecim annis , accessit retro & tetigit fimbriam vestimenti Iesu. Dicebat enim intra se: Si tetigero tantum vestimentum eius , salua ero. Et Iesus conuersus videns eam dixit : Confide filia , fides tua te saluam fecit : & salua facta est mulier ex illa hora. Per mulierem istam quælibet anima figuratur, quæ tunc fluxum sanguinis patitur , cum peccati immunditia ab ipsa committitur. Per supremum vestimentum Christi misericordia designatur , quæ misericordia est super omnia opera eius. Hoc vestimentum si peccatrix anima credendo , confitendo, & vere pœnitendo tetigerit , sine dubio salua erit. Vnde dicit Glossa super prædictum locum: *Mulier tradidit*, dicit. *Tetigit*: quia his tribus , fide , verbo , opere , omnis salus acquiritur.

Quarto Saluatore indigent, qui ab hostibus opprimuntur. Vnde legitur Iud. 3. *Fecerunt filii Israël malum in conspectu Domini, & obliti sunt Dei sui seruientes Baalim & Astaroth. Iratusque contra Israël Dominus, tradidit eos in manus Chusian Rasathaim regis Mesopotamia serueruntque ei octo annis. Et clamauerunt ad Dominum , qui suscitauit eis Saluatorem , & liberauit eos*, Othoniel videlicet , filium Cenez: *fuitque in eo Spiritus Domini , & iudicauit Israël*. Israel interpretatur vir videns Deum , vel princeps cum Deo. Igitur per filios Israel Christiani figurantur, qui bonis operibus mercari debent in hac vita , vt post hanc vitam Deum videant, & principes sint cum Deo suo. Chusian Rasathaim interpretatur tenebrosa iniquitas , & significat diabolum , qui tenebrose iniquitatē dominatur. Iniquitas enim semper tenebras querit.

Igitur Christiani tradunt semetipſos in manus diaboli , propter tres præcipue causas. Prima est, quia Dei obliuiscuntur per sitibundam auaritiam. Auari quippe tam audi siunt res temporales , quod Dei penitus obliuiscuntur. Secunda causa est , quod seruant Baalim per vanam superbiam , quæ commoratur in illis , qui ad dignitates sunt ascendentes , & qui in hoc mundo superiores esse laborant. Tertia causa est , quod seruant Astaroth per gulofam luxuriam. Astaroth enim interpretatur præsepe vel cubiculum , & significat gulofam luxuriam. Omnes enim ei seruientes primo cogitant , qualiter ventrem quasi quoddam præsepe cibis adimpleant , & deinde quomodo opus luxuriæ in cubiculo peragant.

Talibus ergo Christianis necesse est, vt per veram contritionem clament ad Dominum, vt mittat eis Saluatorem , qui liberet eos , videlicet Othoniel. Othoniel interpretatur signum Dei , & signat Filium Dei , qui signum sanctæ Crucis portauit in humeris suis , qui etiam, vt daret nobis signum misericordiaæ Dei Patris, suspendi vo-

luit in patibulo , quod prius erat super humerum eius. Tunc autem Filius Dei saluat peccatores de manu diaboli , quando per recordationem sua Passionis facit eos dignos fructus agere pœnitentiaæ.

Quinto , necesse habent Saluatorem , qui periculorum deum intrauerunt. Vnde dicitur in Ps. 106. *Errauerunt in solitudine in iniquo. Viam cunctatis habitaculi non inuenierunt*. Dicitur in Ps. 118. *Errauisicut ouis , qua perierat*. Nota , quod ille errat , & in infernale deum incidit , qui à via virtutum recedit. Errantes ergo continuis precibus debent rogare Christum qui reducat eos de via vitiorum , in viam virtutum. Vnde & ipse dicit Luc. 19. *Venit Filius hominis querere , & saluum facere , quod perierat*. Ipse enim reduxit Zachæum de via iniquitatis , & impietatis , in viam misericordiaæ & iustitiae. Vnde & Zachæus dixit ad Dominum : *Ecce dimidium bonorum meorum Domine do pauperibus*. Ecce , quod est in via misericordiaæ. Sequitur : *Et siquid aliquem defrandaui , reddo quadruplum*. Ecce , quod est in via iustitiae , quæ reddit vnicuique quod suum est.

Sexto indigent Saluatorem , qui iam ardore ignis perire cœperunt. Vnde legitur Num. 16. quod cum Iudæi contra Moysen & Aaron murmurarent pro morte Dathan , & Abyron, & Core & sociorum eius , & dicerent: *Vos interfecistis populum Domini*, misit Dominus ignem in populum , qui grauiter consumpsit eum. Quod cum vidisset Aaron , ad monitionem Moysi cucurrit ad medium multitudinem , quam iam vastabat incendium , & obtulit thymiam : & stans inter mortuos & viuentes pro populo deprecatus est, & plaga cessauit. Aaron interpretatur montanus , & signat Filium Dei , qui habitat cum Patre in montibus æternis. Iste Aaron olim cum ignis iræ Dei desauiret in populum , stans in cruce inter viuos & mortuos obtulit thymiam corporis sui pretiosi , & sic ira Patris cessauit. Ipse etiam quotidie assit paterno vultui , representans ei Passionem suam , quam pro nobis in cruce sustinuit ; vt mitiget iram Patris , quam frequenter peccatis nostris contra nosmetipſos grauiter irritamus. Hinc est quod legitur Luc. 9. cum dixissent Iacobus & Ioannes ad Dominum: *Domine , vis dicemus , ut ignis descendat de celo , & consumat Samaritanos*: quia non receperant illos. Respondit Iesus. *Filius hominis non venit animas perdere , sed salvare*. Quasi dicat , Non veni ad hoc , vt homines exuram igne , sed potius vt saluem eos , & ex igne eripiam,

De secundo nota , quod duodecim generibus hominum promittit Scriptura , quod in æterna beatitudine saluabuntur. Primi sunt recte cœdentes. Vnde dicit Dominus Mar. 16. *Qui crediderit & baptizatus fuerit , saluus erit : qui autem non crediderit , condemnabitur*. Secundi sunt innocentes. Vnde dicitur in Job 22. *Saluabitur innocens , saluabitur autem in munditia manuum suarum*. Ille est vere innocens , qui nulli homini nocet vel verbo , vel facto. Tertiij sunt Deum timentes. Vnde dicitur in Psalm. 144. *Voluntatem timentium se faciet , & depreciationem eorum exaudiet , & saluos faciet eos*. Ille vero timet Deum , qui mandata eius custodit.

Quarti sunt sapienter gradientes. Vnde dicitur Proverib.

Prouerb. 28. *Qui sapienter graditur, ille saluabitur.*  
 Ille sapienter graditur, qui quotidie cauet sibi de  
 præcipitio gehennali. Quinti sunt luxuriam fu-  
 gientes. Vnde dicitur in Prouerb. 9. de muliere  
 stulta & clamosa, plenaque illecebris, per quam  
 luxuria figuratur. Et sequitur ibi: *Qui applicabi-  
 tur illi, descendet ad inferos: qui autem abscesserit  
 ab ea, saluabitur.* Sexti sunt boni pauperes. Vnde  
 dicitur in Psalm. 33. *Saluos faciet filios pau-  
 perum.* Dicitur etiam in Psalm. 71. *Animas pau-  
 perum saluas faciet.* Ille est bonus pauper, qui  
 castus, & fidelis, & patiens est in paupertate sua.

Septimi sunt spiritu humiles. Vnde dicitur in  
 Psal. 17. *Quoniam tu populum humilem saluum fa-  
 cies, & oculos superborum humiliabis.* Dicitur etiam  
 in Ps. 33. *Humiles spiritu saluabuntur.* Dicit etiam  
 Iob 22. *Qui inclinauerit oculos suos, ipse saluabitur.*  
 Octaui sunt rectum cor habentes. Vnde dicitur  
 in Psal. 7. *Qui saluos facit rectos corde.* Nota, quod  
 cor nostrum debet esse rectum per lineam alcen-  
 dentem, & descendantem, & per lineam trans-  
 fuersalem. Tunc est cor nostrum rectum per li-  
 neam ascendentem, cum in Deum extenditur per  
 intimam dilectionem. Tunc est rectum per li-  
 neam descendantem, cum extendit se homo ad  
 filiorum suorum correctionem. Tunc autem cor  
 nostrum rectum est per lineam transuersalem,  
 cum extendimus, & expandimus nos ad elec-  
 mosynarum erogationem. Ad dexteram quippe  
 & ad sinistram pauperes habemus, quibus sub-  
 uenire debemus.

Noni sunt mansuetudinem amplectentes. Vnde  
 dicitur in Psalm. 25. *Cum exureret in iudicio  
 Deus, ut saluos faceret omnes mansuetos terra.* Decim-  
 i sunt in Deo sperantes. Vnde dicitur in Psalm.  
 16. *Mirifica misericordias tuas, qui saluos facis spe-  
 rantes in te Domine.* Undecimi sunt simpliciter  
 ambulantes. Vnde dicitur Prouerb. 28. *Qui am-  
 bulat simpliciter, saluus erit.* Ille ambulat sim-  
 pliciter, qui sine cordis duplicitate Deum  
 amat & proximum. Duodecimi sunt in  
 bono perseverantes. Vnde dicit Dominus  
 Matth. 24. *Qui perseveraverit usque in finem,  
 saluus erit.* Rogate ergo Dominum, ut sic in bo-  
 no opere persistamus, ut ad cælestis salua-  
 tionis beatitudinem pertingamus.

Quod nobis præ-  
 stare, &c.

\*\*

IN DOMINICA V.  
 post Epiphaniam

S E R M O   X X.

*Simile est regnum calorum homi-  
 ni, qui seminavit bonum se-  
 men in agro suo. Matth. 13.*

In præsenti Euangeli quatuor prin-  
 cipaliter sunt notanda.

- I. *Quid per hominem seminatorem, &  
 eius inimicum figuretur?*
- II. *Quid per bonum semen, & quid per  
 Zizaniam designetur?*
- III. *Quando utrinque seminis messis  
 expectetur?*
- IV. *Quis locus Zizaniis, & quis locus  
 tritico depuretur?*

**D**E primo nota, quod per ho-  
 minem illum, qui bonum se-  
 men seminavit, Dei Filius in-  
 telligitur. Per inimicum autem  
 eius, diabolus exprimitur. Vnde  
 & ipse Dominus, roga-  
 Discipulorum suorum, præsen-  
 tis Euang. parabolam exponens, ita dicit Matth.  
 13. *Qui seminat bonum semen, est Filius hominis.*  
*Ager autem est hic mundus. Inimicus autem, qui  
 zizaniam seminavit, est diabolus.* Igitur homo  
 iste, qui seminat bonum semen, est Filius ho-  
 minis, id est, Filius Virginis Iesus Christus,  
 quem Maria Virgo concepit, Virgo peperit, Vir-  
 go quem genuit, adoravit. Inimicus eius est  
 diabolus, qui statim post creationem suam ad-  
 uersus Creatorem suum inimicitias erexit. Pro-  
 pterea dicitur de diabolo Isa. 14. *Quomodo ce-  
 cidiisti de celo lucifer, qui mane oriebaris, qui dice-  
 bas in corde tuo: In celum ascendam, super astra  
 cœli exaltabo solium meum, similis ero Altissimo?*

Quod autem diabolus esset inimicus Filij Dei,  
 satis patenter declaravit: videlicet, quod per-  
 suasit Iude, quod Dominum ac magistrum suum  
 Iudeis tradere non vereretur: & quia hoc pro-  
 mouit, ut Iesus caperetur, colaphizaretur, alapis  
 feriretur, velaretur, conspueretur, flagellare-  
 tur, spinis coronaretur, illuderetur, in cruce  
 suspenderetur, aceto & felle potaretur, lancea  
 transfigeretur. Hæc autem omnia Iesus inno-  
 center, patienter, & sapienter sustinens: per  
 innocentiam, sapientiam, ac patientiam, suum  
 ac totius humani generis inimicum vicit ac pro-  
 strauit, ac de potestate eius multorum sancto-  
 rum animas diu iniuste detentas eripuit.

De secundo nota, quod per bonum semen  
 boni Christiani, & per zizaniam nequam &  
 mali homines figurantur. Vnde & in exposi-  
 tione huius Euangeli Dominus ait Matth. 13. *Bo-*  
*num*

num semen sunt filii regni : zizania vero sunt filii nequam. Igitur semen bonum , quod seminat Filius Dei , sunt homines boni , quos seminat in agro huius mundi. Tunc vero primo cœpit seminare semen suum , cum creauit Adam & Euam , vt ex eis magna populorum messis oriatur. Quod videns diabolus , Dei & hominum inimicus , semen Domini pessima persuasione corruptit. Dominus etiam quotidie bonas seminat animas in humana corpora , quæ diabolus per peccata corruptit , & in naturam zizaniorum conuertit. Sunt itaque boni homines bonum triticum. Vnde dicitur in hodierno Euang. quod venit inimicus , & seminanit Zizania in medio tritici.

Et nota , quod tria considerari possunt in grano tritici. Est enim exterius rubicundum , & interius candidum , & est in una parte diuisum : sic etiam boni Christiani debent esse rubicundi , per Dominicæ passionis recordationem. Debent etiam esse candidi per castitatis ac munditiæ conseruationem. Debent nihilominus esse diuisi per piam compassionem. Propter haec tria dicit Ioan. in Apoc. 7. *Vidi turbam magnam, quam dinumerare nemo poterat ex omni gente, & tribu, & populo, & lingua : & stantes ante thronum, amicti stolis albis, & palme in manibus eorum.* Per illam turbam magnam omnes electi figurantur , qui propter tria triplex præmium acceperunt. Quia enim olim Iesum in doloribus crucis intuebantur , propterea stant ante thronum , vt eum in diuinitatis suæ gloria dulciter intueantur. Et quia olim se candidos & mundos per castitatem conseruarunt , propter hoc stolis albis & candidis sunt amicti. Quia etiam olim ad miseras pauperum per piam compassionem cor & manus aperiebant , propterea modo palmas in manibus eorum portant ; fructus enim quidam dulcissimus crescit in palma , qui fructus dactyli nuncupatur. Quia igitur misericordes olim pauperes per dulces eleemosynas refecerunt , ob hoc & ipsi dactylos cælestium palmarum habentes in manibus , stantes coram Agno suauiter reficiuntur.

Nota etiam , quod per zizaniam sive lolium , mali & nequam homines figurantur. Sicut enim per zizaniam triticum premitur & suffocatur : ita & mali bonis hominibus per suam nequitiam sunt infesti in hoc mundo. Sunt enim eos corde odientes , ore lædentes , & operibus persequentes. Vnde potest dicere quilibet bonus homo hoc , quod dicitur in Ps. 34. *Muli persecuntur me, & tribulant me.* Hic etiam dicit Apostolus 2. Tim. 3. *Omnes , qui pie volunt vivere in Christo, persecutionem patientur.*

De tertio nota , quod messis zizaniorum , & tritici est finis seculi. Vnde etiam ipse Dominus exponens istud Euangelium ait : *Messis est consummatio seculi : meffores autem Angelis sunt.* Dominus igitur , quia patiens & misericors , & quia peccatorum penitentiam desiderat : propterea peccatores non statim cum peccant , exterminat , sed finit eos crescere usque ad messem in malitia , id est , quousque falx mortis naturalis eos absindat. Dominus itaque propter hoc peccatorum expectat , vt à malis suis peniteat. Peccator vero , quia patienter expectatur à Domino , propter hoc de die in diem magis ac magis delin-

quit , & peccat. Vnde dicit Eccl. 8. *Quia non profertur cito contra malos sententia , absque ullo timore filii hominum perpetrant mala.*

De quarto nota , quod locus ille , in quem zizania , id est , mali & nequam homines mittentur , est caminus ignis ardantis. Vnde Dominus in expositione præsentis Euangelij sic ait : *Sicut zizania colliguntur , & igni comburuntur : sic erit in consummatione. Mitteret Filius hominis Angelos suos , & colligent de regno eius omnia scandala , & eos qui faciunt iniquitatem , & mittent eos in caminum ignis. Ibi erit fletus & stridor dentium.* Ecce quis est locus impiorum. Per caminum signatur gehenna , in qua sunt tria mala , videlicet , ignis , & fletus , & stridor dentium. Ignis exprimit penæ atrocitatem , quæ semper desuetus in miseros peccatores. Fletus demonstrat damni irrecuperabilitatem. Haec est enim quasi causa præcipua fletus eorum , quod nunquam recuperare poterunt gaudia illa , à quibus exciderunt. Stridor dentium notat odij immanitatem : quilibet enim alterum grauiter odiet in inferno , & propter hoc dentibus stridebit in ipsum. Et qualiter reprobri mittentur in gehennam , certe ipse Dominus dicit Matth. 13. *Colligite primum zizania , & alligate ea in fasciculos ad comburendum.* Propter hoc reprobi simul alligati mittuntur in infernum , vt qui similes & pares fuerunt in malitia , similes etiam & pares fiant in pena , vnde Glosa : *In fasciculos dicit , non in unum fascem : quia pro modo peruerstatis sua unusquisque punietur.*

Quem etiam locum debeat habere triticum Domini , Dominus ipse declarans in Euangeliō , ait : *Triticum congregate in horreum meum.* Per horreum intelligitur gloriosum regnum ; vnde ipse Iesus ait Matth. 13. in fine expositionis præsentis Euangelij : *Tunc iusti fulgebunt sicut sol in regno Patris eorum.* In his verbis Dominus promittit tria bona tritico suo , videlicet , incomparabilem claritatem , regiam dignitatem , & suauissimam charitatem. Primum notatur ibi , vbi dicit : *Tunc iusti fulgebunt.* Soli quippe nullum terrenum lumen comparari potest. Secundum notatur ibi , vbi additur : *In regno.* Quilibet enim electus erit rex magnæ dignitatis. Tertium notatur ibi , vbi subiungitur : *In regno Patris eorum.* Sicut enim pueri in conspectu charissimi patris collocati : ita etiam electi in sinu Dei congregati , suauiter se adiuuicem diligent & amabunt. Rogate ergo Dominum , vt sic bonum semen inueniamur , vt in æternam gloriam transferamur. Quod nobis præstare , &c.



## IN DOMINICA Septuagesimæ SERMO XXI.

*Cum sero factum esset, dicit Dominus vineæ procuratori suo: Voca operarios, & redde illis mercedem suam. Matth. 20.*

Quatuor possunt hic notari.

- I. Quid per sero intelligatur?
- II. Quid per Dominum vineæ exprimitur?
- III. Quis per procuratorem patrisfamilias accipiatur?
- IV. Quæ sit merces, quæ operariis datur?

**D**E primo nota, quod per sero intelligitur finis mundi, quando quilibet in qualibet ætate mundi laborans, mercedem plenam recipiet sui laboris. Per sero etiam inrelligitur finis vita cuiuslibet hominis. Mane quippe, sicut dicit Glossa, intellectus nostri pueritia est. Hora tertia est adolescentia, quia sol iam in altum ascendit. Sexta, iuuentus, cum plenitudo roboris solidatur. Nona, senectus, quando sol, id est, calor ætatis descendit. Undecima, decrepita ætas. In omnibus autem prædictis horis, id est, ætatis, quilibet homo inuitatur ad opus bonum. Et certe, vñ homini illi, quem non solum otiosum, imo perniciose opere occupatum inuenerit hora mortis. vnde Eccl. 9. *Quodcumq; potest manus tua facere, instanter operare; quia nec opus, nec ratio, nec sapientia erunt apud inferos, quo tu properas. Nec opus alicuius remunerationis, nec ratio callidæ excusationis, nec scientia manualis defensionis erunt apud inferos, quo tu properas.*

De secundo nota, quod per Dominum vineæ exprimitur Deus Pater, Dominus Ecclesiæ militantis ac triumphantis. Per vineam sancta Ecclesia figuratur. Vnde Is. 5. *Vinea Dominum exercituum domus Israel est. & Isa. 5. Vinea facta est dilectio meo in cornu filio olei. Et sepinxit eam, & lapides elegit ex illa, & plantavit vineam electam, & edificauit turrim in medio eius, & torcular extruxit in ea: & expectauit ut faceret vuas, & fecit labruscas.* Per vineam electam, sicut testatur fidelis anima in Cantico suo, Ecclesia fidelium figuratur, quæ facta est dilecta filio olei, hoc est, Iesu Christo, qui castæ animæ super omnia est dulcis: qui etiam filius olei, id est, filius misericordiae figuratur.

Facta est, inquam, ei haec vinea in cornu, id est, in eminentia spiritualis dilectionis. *Et sepinxit eam munimine decem præceptorum, & elegit, id est, asportauit ex illa lapides, id est, impedimenta bonarum operationum, & edificauit in medio eius*

*D. Alberti Magni Serm.*

turrim angelicæ protectionis, & extruxit in ea torcular suæ passionis. Ecce quatuor, quæ à quolibet Christiano requiruntur. Primum est, ut præcepta decalogi fideliter custodiat. Secundum est, ut impedimenta bonorum operum fugiat: vt pote comedationes, & ebrietates, choreas, spectacula mimica, & alias seculi voluptates & vanitates. Tertium, ut semper imploret angelicam protectionem. Quartum, ut iugiter in corde circumferat Dominicam passionem. Sed heu multi, qui dicuntur esse de Ecclesia, non faciunt vuas, id est, opera iustitiae & pietatis: sed potius labruscas, id est, opera iniquitatis, & impietatis.

De tertio nota, quod per procuratorem patrisfamilias accipitur Dei Filius, quem constituit Pater super omnem hæreditatem suam: sicut ipse Filius testatur Matth. 11. *Omnia, inquit, mihi tradita sunt à Patre meo: & nemo non uit Filium, nisi Pater: & nemo non uit Patrem, nisi Filius, & cui Filius vulnerit renelare.* Vnde & Philippus dicit ad Iesum Ioan. 14. *Domine, ostende nobis Patrem, & sufficit nobis.* Quasi diceret, Domine, tu habes Patrem sub tua potestate, quem petimus, ut ostendas nobis. Itaque Filius procurator huius magni patrisfamilias, qui per tubam nouissimam, sicut dicit Apostolus 1. Corinth. 15. vocabit operarios, & reddet illis mercedem suam.

De quarto nota, quod merces haec, quæ dabitur operariis, est denarius: sicut ipse patrisfamilias dicit: *Nonne ex denario conuenisti mecum?* & dicit Glos. quod denarius habet imaginem Regis, qui pro decem numis olim nuncupabatur. Per denarium ergo intelligitur diuina conformitas, quæ consistit in decem. Primum est formosa claritas. Secundum angelica subtilitas. Tertium cælestis agilitas. Quartum felix impassibilitas. Quintum dulcis Sanctorum societas. Sextum cognitio plena iucunditatis. Septimum ardentissimus feruor charitatis. Octauum visio speciosæ humanitatis, videlicet, Iesu Christi. Nonum fruitio suauissimæ Trinitatis. Decimum æternitas inenarrabilis felicitatis.

Prima quatuor notantur Matth. 13. *Tunc iusti fulgebunt sicut sol, in regno Patris eorum.* In sole enim notatus claritas; noctem enim abigit, & diem illuminat. Item agilitas; cum enim exit in Orientem, in momento apparet in Occidente. Item subtilitas: penetrat enim vitrum sine sui laſione. Item impassibilitas: à nullo enim laedi potest.

Quintum innuitur Matth. 16. vbi Petrus, cum vidisset Iesum Christum transformatum, & societatem Moysi & Eliæ cum eo, dixit ad Dominum: *Domine, bonum est nos hic esse: si vis, faciamus hie tria tabernacula, tibi unum, Moysi unum, & Eliæ unum.* Si igitur desiderabilis erat societas, vbi duo apparuerunt cum Christo, quam incomprehensibiliter dulcis erat illa societas, vbi millia milium, & decies centena millia electorum cum non minori numero Angelorum aggregabuntur in gloria cum Deo viuo.

De sexto 1. Cor. 13. *Videmus nunc per speculum & in enigmate: tunc autem facie ad faciem. Nunc cognoscimus ex parte: tunc cognoscimus sicut & cognitus sumus.* Ibi sciet homo omnia quæ inter ipsum vel alium quemlibet sunt, omnia quæ extra ipsum vel circa ipsum sunt, omnia quæ supra ipsum sunt.

E

De septi

De septimo Isa. 9. *Et erit lumen in sensili igne,*  
*& factus est in flamma.* Hæc auctoritas sic expo-  
 nitur, quod Filius Dei, qui est lumen omnium fi-  
 delium, erit in igne, id est, totus erit igne charita-  
 tis accensus, & quilibet sanctus eius erit in flam-  
 ma, id est, inflammabitur, ab hoc igne.

De octauo dicit Bern. Plenum prorsus omni  
 suavitatis dulcedine est videre hominem homi-  
 nis conditorem.

De nono cantatur in quadam Sequentia: *Illuc*  
*cives angelici sub Hierarchia triplici terne gaudent,*  
*& simplici se monarchia subditi mirantur: nec defi-*  
*ciunt in illum, quem prospiciunt, fruuntur, nec fasti-*  
*dunt, quo frui magis suunt.*

De decimo Matth. dicitur: *Ibunt hi, qui à sinis*  
*regis erunt, in supplicium eternum: iusti autem*  
*in vitam eternam: per vitam eternam intelligi-*  
*tur aeternitas felicitatis: Quam nobis præstare*  
*dignetur.*

IN DOMINICA  
Sexagesimæ  
SERMO XXI.

*Exit, qui seminat, seminare se-  
men suum. Luc. 8. Matth. 13.*

Mar. 4.

Quatuor hic occurunt notanda.

1. *Quis sit sator, à quo semen semi-  
natur?*
- II. *Quod sit semen, quod sic seminatur?*
- III. *Quæ sit terra, in quam seminatur?*
- IV. *Quis fructus ex hoc semine oriatur?*



OT A ergo, quod multiplex  
 est sator. Primus est Deus Pa-  
 ter. Secundus, Dei Filius. Ter-  
 tius, bonus homo. Quartus,  
 malus homo. Quintus, diabo-  
 lus. Sextus, est ipsa mors, &  
 quilibet horum habet suum  
 semen, quod seminat, & terram, in quam seminat,  
 & quilibet eorum fructum sui seminis expectat.

Primus sator fuit Deus Pater, qui quando tem-  
 pus misericordiæ aduenit, Filium suum vnigenitum  
 seminavit in Virginis vterum: hæc enim fuit illa  
 benedicta terra, de qua Psal. *Benedixisti Domine*  
*terram tuam.* Vnde & Gabriel Archangelus dixit  
 ad illam: *Benedicta tu in mulieribus.* Hoc semen,  
 id est, Dei Filius, seminatum in Annuntiatione,  
 & mortuum in Passione, multum fructum attulit  
 in Resurrectione, & Ascensione. Ioan. 12. *Nisi*  
*granum frumenti cadens in terram, id est, in Virgi-*  
*nem, fuerit mortuum, scilicet in cruce, ipsum solum*  
*manet: si autem mortuum fuerit, multum fructum*  
*affert.* Hoc granum, quod è sinu Patris ceciderat  
 in vterum Virginis, in Ascensione reuersum est  
 ad dextram Patris, multum fructum referens se-  
 cum. Fructus autem illi erant fideles animæ, quas  
 de limbo inferni eripuerat, & secum reuechens, in  
 regalibus sedibus collocauit. Vnde Isa. 4. *In die*  
*illa erit germin Domini in magnificencia, & gloria*

*& fructus terra, id est, Beatae Virginis, sublimis, &*  
*exultatio his, qui salvati fuerint de Israel.*

Secundus seminator est Dei Filius Christus  
 Iesus. Vnde exit? *Glossa, de sinu Patris in men-*  
*dum: semen autem suum, scut ipse met testatur, est*  
*verbum Dei.* Hoc autem perit tripliciter, videli-  
 cet, iuxta viam, supra petram, & inter spinas. Per  
 viam intelliguntur chorizatores, saltatores, & lu-  
 fores ad metum cum globis. Hi enim frequen-  
 tant vias, & in his perit verbum Dei. Per petram,  
 quæ humore caret, intelliguntur potatores in  
 tabernis, quorum fauces semper siccæ sunt, igne  
 infernali inflammatæ: & in his perit verbum Dei.  
 Per spinas accipiuntur luxuriosi seminarum fre-  
 quentatores, qui punctiones patiuntur luxuri-  
 osas: per spinas etiam notantur auari homines,  
 qui quotidie cupidatum punctionibus stimu-  
 lantur, & in his utrisque verbum Domini suffo-  
 catur. Per terram bonam signatur boni Chri-  
 stiani, in quibus verbum Dei vita fructum affert,  
 & vt dicit Matth. 13. *Facit aliud centesimum, aliud*  
*sexagesimum, aliud trigesimum.* Vnde etiam Mar. 4.  
*Et aliud cecidit in terram bonam.* Glossa, fidelem  
 mentem, & dabat fructum ascendentem, & crescen-  
 tem, & afferebat unum 30. Glossa, in coniungatis,  
 & unum 60. Glos. in viduis, & unum 100. Glos.  
 in virginibus. Coniugati igitur gaudebunt de  
 fructu trigesimo, viduae de sexagesimo, virgines  
 de centesimo.

Tertius seminator est quilibet bonus homo,  
 qui triplex seminat semen. Primum est opus mun-  
 ditiae. Secundum opus iustitiae. Tertium opus mi-  
 sericordiae. Et certe trium horum laborum glo-  
 riösus erit fructus. De semine munditiae ad Ga-  
 lat. 6. *Quæ seminauerit homo, hac & metet.* *Quoniam*  
*qui seminat in carne sua, subaudi, voluptatem, de*  
*carne & metet corruptionem.* *Qui autem seminat*  
*in spiritu castitatem, de spiritu metet vitam ater-  
 num.* De semine iustitiae 2. Corinth. 9. *Qui admi-*  
*nistrat semen seminanti, augebit incrementa frugum*  
*iustitiae nostræ.* Semen autem iustitiae seminari  
 debet & opere, & ore: vt sit veritas in ore, &  
 æquitas in opere.

De semine misericordiae 2. Corinth. 9. *Qns*  
*parce seminat, parce & metet: & qui seminat in be-*  
*nedictione, de benedictione & metet.* Item Gal. 6.  
*Bonum facientes non deficiamus.* Tempore enim suo  
 metemus non deficiente. Ergo dum tempus habemus,  
 operemur bonum ad omnes, maxime autem ad do-  
 mesticos fidei. Domestici fidei sunt veri Prædicato-  
 res, qui & ore prædicant, & opere, & qui iugiter  
 fidem in uiolatam circumferunt in hospitio  
 cordis sui. Circa eos opera misericordiae debent  
 à fidelibus spiritualibus exerceri.

Quartus sator est peccator quilibet. Et nota,  
 quod est semen vanitatis, & iniquitatis. Semen  
 vanitatis seminant humanæ laudis audi, & lu-  
 xuriosi. Semen autem iniquitatis projiciunt superbi & auari. De primo Olea 8. *Ventum semi-*  
*nabunt, & turbinem metent.* De secundo Eccl. 7.  
*Non semines mala in fulcis iniusticie, & non metes*  
*ea in septuplum.* Glossa, in gehenna. Item Glossa  
 signat perfectam vltionem: septenarius enim  
 perfectionem signat.

Nota ergo, quod fures, & raptiores, usurarij, &  
 falsarij, iniqui iudiccs, & iusta cause oppres-  
 sores, & omnes aliorum in quoconque negotio  
 deceptores seminant iniquitatis semen: & hi me-  
 tent

tent vindictam septuplicem. Prima est ignis inclemensia. Secunda frigoris vehementia. Tertia fames inenarrabilis. Quarta sitis intolerabilis. Quinta morborum seu infirmitatum diuersitas. Sexta fatigationum seu laborum sempiternitas. Septima mortis aeternitas.

Quintus sator est diabolus, de quo dicit Dominus Matth. 13. *Cum dormirent homines, venit inimicus, & superseminauit zizania in medio tritici. & infra: Inimicus autem, qui seminauit ea, est diabolus.* Igitur libero arbitrio dormiente, & defensione rationis non obstante, diabolus in corda hominum, ubi Deus seminauerit triticum virtutum, superseminat zizania vitiorum, scilicet, superbiæ, iræ, inuidiæ, avaritiæ, acediaæ, gulæ, luxuriæ, & prauitatis hereticæ; & ex ipsis seminibus reportabitur aeterna pœna gehennæ.

Officium etiam satoris habet ipsa mors, per quam corpora istorum hominum reuertuntur in puluerem; sed ex pulueribus iterum suscitabuntur in gloriam. Vnde 1. Corinth. 15. *Seminatur corpus in corruptione multiplicis infirmitatis: surget in corruptione aeternæ & deliciosa sanitatis. Seminatur in ignobilitate abiecta vilitatis: surget in gloria regiae dignitatis. Seminatur in infirmitate paupertatis: surget in virtute opulentæ felicitatis. Seminatur corpus animale per conditionem bestialis necessitatis: surget corpus spirituale per dignitatem angelicæ pietatis.* Quod corpus in die iudicij nobis praestare dignetur, &c.

## IN DOMINICA Quinquagesimæ SERMO XXIII.

*Stans autem Iesus iussit cæcum adduci ad se. Matth. 18.*

In verbis præmissis tria sunt notanda.

- I. *Quomodo Iesus stare dicatur?*
- II. *Per quos cæcus ad Iesum ducatur?*
- III. *Quis sit cæcus, qui à Domino illuminatur?*

**D**E primo nota, quod stat in Cruce, & è cruce vocat nos ad se, dicitur Cant. 6. *Reuertere, reuertere Suna. &c.* reuertere per passionis meæ recordationem, reuertere per lacrymosam confessionem, reuertere per voluntariam satisfactionem. Prou. 1. *Vocauisti & renuisti: extendi manum meam, & non fuit, qui aspiceret, despexit istis omne consilium meum, & increpationes neglexisti, ego in interitu vestro ridebo, & subsannabo, cum vobis, quod timebatis, aduenerit.*

De secundo nota, quod per duos cæcū ad Iesum dicitur. Primus est timor seruile: secundus est amor finalis: timor timet, ne in gehennam mittatur: amor sitit, ut ad dextram statuatur. Hi sunt illi duo discipuli, quos Dominus misit Matth. 21. *Ut adducerent ei asinam & pullum eius.* Per asinam antiqui peccatores: per pullum iu-

*D. Alberti Magni Serm.*

uenes peccatores intelliguntur, quorum conversionem dominus desiderat, & in eis requiescere cupit.

De tertio nota, quod per cæcum, qui à Domino illuminatur, peccator exprimitur, qui indiget, ut per veram fidem illuminetur, & per bonum opus Deum imitetur. Vnde & Iesus dixit isti cæco: *Respice, fides tua te saluum fecit. Et confessim vidit, & sequebatur eum magnificans Dominum.*

Et nota, quod spiritualis cæcitas ex sex causis contingit. Prima contingit per rerum cupiditatem. Secunda per gloriæ siue iactantiæ fatuitatem. Tertia per luxuriæ volupratem. Quarta per iracundiæ grauitatem. Quinta per vanam mundi lætitiam. Sexta per stultam sibi ipsius placentiam.

Prima cæcitas, quæ contingit per rerum cupiditatem, notatur in Tobia, qui stercore hirundinum excæcatus fit. Per hirundinem, quæ volatu leuis est, & aërem colit, intelliguntur viri contemplatiui, quorum conuersatio in cælis est. Et certe isti temporalia reputant, ut stercora. Vnde Apost. ad Phil. 3. *Existimo omnia detrimentum esse, propter eminentem scientiam Iesu Christi Domini nostri: propter quem omnia detrimentum feci, & arbitror ut stercora: ut ipsum lucrificiam, & inneniar in illo, subaudi, per bonam conuersationem: quia beati mortui, qui in Domino moriuntur.* Igitur per amorem & cupiditatem temporalium bonorum multi excæcantur, ne videant, & concupiscant aeternum bonum. Et certe isti neceſſe habent, ut felle pīcis curentur: sicut etiam Tobias ad consilium Raphael felle pīcis illius, qui iuniorum Tobiam deuorare voluit, illuminatus fuit. Per pīcem istum intelligitur diabolus humani generis inimicus, cuius fel est illa inæstimabilis infernalis amaritudo, quam impiis & auaros in supplicio propinabit. Job 20. *Panis eius in utero illius vertetur in fel aspidum intrinsecus.* Omnia enim, quæ modo pauperibus per violētiā auferuntur, in fel amarissimum draconis conuersa, & cordibus impiorum & auarorum principum infusa eos perpetuo cruciabant. Hoc itaq; felle linire debent per recordationem auari oculos suos: ut videant, & illuminati auaritiæ renuntient, & ablata restituant.

Secunda cæcitas, quæ contingit per gloriæ siue iactantiæ fatuitatem, notatur in illo cæco à nativitate Ioan. 9. Quis enim cæcus à nativitate, nisi ille, quem vana gloria excæcat? Et maxime ille, qui de nativitate sua, hoc est, de nobilitate gloriatur. Et certe stultum ac fatuum est de huiusmodi gloriari. Vnde Boëtius in libro de consolatione:

*Quid genus & proanos perfrepitis?  
Si primordia vestra,  
Authoremque Deum spectetis,  
Nullus degener extat.*

Et certe tali cæcitate pressi neceſſe habent, ut luto ex sputo confecto liniantur, & in natatoriis Siloe lauentur, & sic videbunt. Quid est terram per sputum Dominicum madefactam oculis supponere, nisi considerare plasmatum ex terra, cui Deus per peccatum hominis maledixit? Et quid est se in natatoriis Siloe lauare, nisi attendere se emundatum, & nobilitatum fonte baptismatis Christi sanguine rubricati? Hoc enim considerans & attendens illuminatur, ne vel in se; vel in suis parentibus glorietur. Non baptizentur diuites in vino, & pauperes in aqua.

Tertia cæcitas, quæ prouenit ex luxuriæ volutate, notatur Apoc. 3. Angelo Laodiceæ Ecclesiæ scribe: *haec dicit, Amen teſtis fidelis & verus, qui est principium creature Dei. Utinam frigidus esſe, per caſtitatem: aut calidus, per charitatem: ſed quia tepidus es, per luxuriæ voluptatem; incipiam te euomere de ore meo: & ideo ſuadeo tibi, ut induaris vefimentis albis, & non appareat confufio nuditatis tue, & collyrio inunge oculos tuos, ut videas.* Hoc collyrium confici debet ex pice, & sulphure, ex igne, & grandine, ex serpentibus, & bufonibus. Haec enim præparata ſunt luxuriosis, vt per ea puniantur. Hoc itaque præponere debent oculis cordis ſui, vt luxuriam fugiant, & ſic videant claritatem Dei. Haec etiam cæcitas, quæ prouenit ex voluptate luxuriæ, manifeſte notatur in Samſone, qui (ſicut legitur *Iudic. 16.*) dormiuit ſuper genua Dalilæ: quæ etiam abraſit eum. Abrasum vero rapuerunt Philiſthini, id eſt, dæmones, & excæcauerunt eum.


Quarta cæcitas, quæ prouenit ex iracundiæ grauitate, notatur Act. Apostolorum 9. vbi legitur, quod Saulus spirans ignem minarum & cadens in Discipulos Domini, ibat furiiſ inuenitus, & dirum toto corpore virus efflabat. Vbi ſequitur, quod inuaſit eum cæcitas, & cadens in terram nihil videbat. Vbi etiam ſubiungitur, quod per impositionem manum Ananias viſum recepit. Saulus in hoc loco signat iracundos, qui, vt viſum recipiant, neceſſe habent, vt ſint Ananias, quod nomen interpretatur donum gratiæ Domini, & signat manuſtudinem patientiæ. Hic enim gratiam Domini meretur, vt manus eius imponat.

Quinta cæcitas contingit per mundi vanam lætiā, quæ multos excæcat uſque ad ſenectam & ſenium; & hoc notatur in cæco præſentis Euangeli, quem Dominus respicere iuſſit, & ſic vidit. Et ſi neceſſe eſt hiſ, qui per præſentes Ierichontiæ regiones, hoc eſt, instabiles mundi vanitates excæcati ſunt, vt respiciant, id eſt, retro aſpiciant æternos cruciatus & luſtus, qui ſequuntur. Qui modo ſaltat & ludit, respicere debet, quod cito in feretro portabitur ad ſepulchrum.

Sexta cæcitas contingit ex stuſta ſuiipsius placentia. Quidam enim homines, quia ex ſua iuſtitia nimis præſumunt, ſibimetipſis placere incipiunt, & alios quoſlibet despiciunt, & propter hoc vere coram Domino cæci fiunt. Iſtos præfigurat cæcus ille, de quo legitur Matth. 8. vbi ſic dicitur: *Venient Bethſaidam, & adducunt ei cæcum; & rogarunt eum, ut illum tangeret. Et apprehenſa Iesu manu cæci eduxit eum extra vicum, & expuens in oculos eius, imposuit manibus suis, interrogauit eum, si aliiquid videret. Et aſpiciens, ait: Video homines, velut arbores, ambulantes. Deinde iterum imposuit manus ſuper oculos eius, & caput videre, & reſtitutus eſt, ita ut clare videret omnia.* Bethſaida, ſecundum quod dicit Glosſa interlinearis, domus vallis interpretatur. Ille ergo habitat in Bethſaidā, qui hoc putat, quod ad ipsum ſolum, tanquam ad vallem sanctitatis, omnes gratiæ confluxerint. Hoc autem putans decipitur, & vere cæcus eſſe ostenditur. Vnde dicit Glosſa de iſto cæco: *Non videt quod eſt, quod fuit, quod erit.* Taſles ſibimetipſis placentes non vident quod ſunt. Credunt enim ſe eſſe bonos & iuſtos: & non ſunt. Et ponatur, quod ſint boni & iuſti; tamen non vident, quod olim fuerunt. Fuerunt enim &

ipſi peccatores. Dauid continuo vidit, quod fuſt: ait enim: *Peccatum meum coram me eſt ſemper.* Non vident etiam quod erunt: quia licet non arbitrentur ſe eſſe immunes à peccatis, poſſit etiam & ipſi fieri peccatores. Cum enim Angelus olim peccauerit in cælo, poſſunt & ipſi peccare adhuc existentes in mundo.

Talibus autem, vt illuminentur & videant, tria ſunt neceſſaria; vt videlicet extra vicum ſuæ maniſtis educantur, vt oculis corum manus Domini ſupponantur, & vt etiam à Domino conſpuantur. Tunc extra vicum Bethſaidæ educuntur, cum ſe virtutibus & bonis operibus pauperes reputant & mendicos, dicentes cum Psal. 80. *Miferere mei Domine, quoniam inops & pauper sum ego.* Tunc in oculis eorum manus Domini ſenſi & iterum ſupponuntur; cum opera Chriſti & sanctorum Patrum attendunt. Tunc quoq; conſpuuntur, cum omnia opera ſua ſordida & vilia reputant quaſi pannum menstruatæ. Propter hoc legitur, quod iſte cæcus illuminatus vidit alios homines, velut arbores, ambulantes. Glosſa: Ideo omnes existimat ſe ſuperiores, ſe indignum iudicans, vt Dauid iudicans ſe indignum vocari hominem, ſed canem mortuum, & pulicem viuum. Rogate ergo Dominum, vt ſic in præſenti illuminari mereamur, vt in futuro ad aspectum eius admittamur.



## IN DIE CINERVM in capite ieunij.

### S E R M O XXIV.


*Conuertimini ad me in toto corde veftro, in ieunio, & in fleſtu, & in planctu. Et ſcindite corda veftra, & non vefimenta veftra, & conuertimini ad Dominum Deum veftrum: quia benignus & misericors eſt, patiens & multa misericordia, & præſtabilis ſuper malitia.* Ioelis 2.



T nota, quod in his verbis præmissis primo peccator ex parte Domini per Prophetam ad pœnitentiam vocatur. Secundo, ne peccator desperet, Dominus ex benignitate multiplici commendatur. Primum notatur ibi: *Hec dicit Dominus: conuertimini ad me, &c.* Hec autem conuersio vel pœnitentia in ſeptem conſiftit, quæ in conſequentiis exprimentur. *Conuertimini, in qua in ieunio, id eſt, per mali operis diuinationem.* Quia non eſt ieunium tantum à cibis; ſed etiam à malis operibus. Vnde

*Isa. 58. Nonne hoc est magis ieunium, quod elegi? Dissolute colligationes impietatis, solue fasciculos deprimentes, videlicet peccatorum, & in fletu, propter boni operis omissionem. Et in planctu, propter peccati multiplicis cōmissionem. Et scindite corda vestra, tripli scissura, contritionis, confessionis, compassionis. Et lacrymæ profluant per contritionem, ut peccata reuelentur per confessionem, ut miseriis proximi subueniatur per compassionem. Et conuertimini ad Dominum Deum vestrum per opera satisfactionis.*

Secundum ostenditur ibi, *Quia benignus est peccatoribus, & ingratis, multa beneficia largiendo. Et misericors est, tempus ad pœnitentiam sufficiens concedendo. Patiens irritatoribus & exacerbatoribus pie parcendo. Et multæ misericordie, conuersos ad se misericorditer recipiendo. Et prestabilis super malitia peccata eis commissa paternæ ignoscendo, & nunquam deinceps obijciendo. Quod nobis, &c.*



## EODEM DIE CINERVM

## SERMO XXXV.

*Conuertimini ad me in toto corde vestro, in ieunio, & in fletu, & in planctu. Et scindite corda vestra, &c. Iocelis 2.*

In verbis istis duo sunt consideranda.

I. *De conuersione peccatorum ad pœnitentiam.*

II. *De modo conuersionis eorum.*



R I M V M notatur, cum dicit: *Conuertimini ad me.* Modus cum dicit, *In ieunio & in fletu.* Sed in primis sciendum est, quod triplex est conuersio: prima est simplex, secunda per accidēs, tertia per compositionem. Prima est pœnitentium & verorum religiosorum: secunda est hypocitarum sive falsorum religiosorum, & carnalium, & dissolutorū: tertia est peccatorum. Prima est bona, secunda est mala, tertia est pessima.

Ista vltima est per peccatum, quando anima misera derelinquit suum Creatorem dulcissimum, & conuerit se ad creaturam. Certe ista conuersio fit per peccatum mortale: quia dicit beatus August. *Peccatum est auersio ab incommutabili bono ad commutabile bonum.* Et quando anima conuerit se ad creaturas, obtenebratur, peioratur, & corruptitur. Obtenebratur per suam malitiam, quando *malitia eorum excocauit eos* Sap. 2. Peioratur, per bonorum naturalium vulnerationem, quia per peccatum vulneratur anima in ratione, in memoria, & in intellectu. Corruptitur, per bonorum gratuitorum expoliacionem. Vnde Luc. *Homo quidam descendebat de Ierusalem in Iericho, & incidit in latrones, id est,*

D. Alberti Magni Serm.

dæmones, qui vulnerauerunt eum in naturalibus, & spolierunt eum in gratuitis. Iste in fine auertuntur in infernum. Vnde Psal. *Connuantur peccatores in infernum omnes gentes, que obliniscuntur Deum.*

Secunda est particularis, sicut conuertuntur religiosi dissoluti, carnales, & otiosi, qui non cessant domos circuire, sicut mulieres: de quibus dicit Apostolus 1. Timoth. 5. *Adolescentiores viduas denita: quia primam fidem irritam fecerunt.* Similiter & otiosi dicuntur circuire domos, non solum otiose, sed verbose, & curiose loquentes, quæ non oportet. Iste sunt similes garrulae mulieri, de qua dicitur Proverb. 6. *Mulier garrula, vaga, inquieta, impatiens, non valens in domo confidere pedibus.* Iste habent exterius habitum religionis, sed interius nullam habent religionem. De ipsis dicit Dominus Ierem. 2. *Conuerterunt ad me tergum, & non faciem.* Et ideo talibus dicit Ierem. 3. *Conuertimini ad me filij reuertentes, ego sum vir uester, & ideo assumo vos.* Et hic, *Conuertimini ad me in toto corde vestro, non in parte.*

Tertia conuersio est simplex, & bona, & ista est, quando omnia nostra desideria & cogitationes ad Deum conuertimus, & eum totis visceribus diligimus. De hac dicitur Isa. 12. *Conuertimini ad me in toto corde vestro.* Sed sunt tria, quæ debent nos monere ad istam conuersionem.

Primum est appropinquatio mortis. Vnde Eccl. 5. *Non tardes conuerti ad Dominum, & ne differas de die in diem,* dicendo: *cras cras conuertar:* sicut clamat cornix. Sed audi quid sequitur: *Subito veniet ira Domini,* id est, mors. Vere subito veniet, & nescis ubi, vel quando. Vnde Bernardus: *Certum est quod morieris: sed nescis ubi, neque quando.* Vbiique enim expectat te mors, & si tu es sapiens, vbiique eam expectabis. Et Eccl. 14. dicitur: *Memor esto quoniam mors non tardat, & testamentum inferiorum quia demonstratum est tibi.* Illud debemus habere maxime in isto tempore in memoria nostra, & ideo cineres hodie ponuntur super capita nostra: & dicit Sacerdos quilibet: *Memento homo, quia cinis es, & in cinerem reuertaris.*

Secundum est consideratio maximæ benignitatis nostri Creatoris, de qua dicitur Iocel. 2. *Conuertimini ad Dominum, quia benignus est, & misericors, & patiens, & multæ misericordia, & prestabilis super malitia.* Et Zach. 1. *Conuertimini ad me,* dicit Dominus, per pœnitentiam, & ego conuertar ad vos per misericordiam: & Isa. 40. *Derelinquat impius viam suam, & vir iniquus cogitationes suas, & reuertatur ad Dominum: & miserebitur eius, quoniam multus est ad ignoscendum.*

Tertium est recordatio Dominicæ passionis. Vnde in Isa. 40. dicit Dominus: *Serue meus Iacob noli timere, sed conuertere ad me, quia ego redemi te.* Et certe non auro, non argento; sed pretioso sanguine agni immaculati Iesu Christi, redempti estis de vana uestra conuersatione. Istam redemptionem debemus semper ad memoriam reducere. Vnde Eccl. 29. *Gratiam fidei usoris tui, scilicet, Christi, ne obliniscaris: dedit enim animam suam pro te.* Et certe sicut dicit Hieron. *Iesu bone, quanto cunque propinat nobis præsens tribulatio mala; parua patimur, si recordamur, quid biberit ad patibulum, qui nos inuitat ad calum, dicens: Venite qui laboratis, & onerati estis: & ego reficiam vos,*

Matth. 11. Sed ipse conqueritur per Dauid, dicens : *Oblivioni datus sum, tanquam mortuus à corde.* Certe ipsam Passionem non debemus obliuioni tradere , sed s̄epe ad memoriam reducere. Ista tria cito debent nos ad Deum conuertere.

Dicit ergo , *Conuertimini ad me* , qui sum medicus , qui solo sermone sanat omnia. Vnde Eccl. 43. *Medicina omnium in festinatione nebulae.* & Sap. 16. *Quod neque herba, neque malagma sanavit eos: sed sermo tuus, Domine, qui sanat omnia.* Ps. 106. *Misit verbum suum, & sanavit eos, scilicet peccatores.* Item dicit adhuc : *Conuertimini ad me* , qui sum veritas & via : & ideo non poteritis deuiare. Item *conuertimini ad me* , quia vestra stipendia sunt vita æterna. Vnde Ioan. 16. *Ego sum via, veritas, & vita.* Via in exemplo , veritas in promissio, vita in præmio. Ioan. 17. *Hæc est vita eterna, ut cognoscant te solum Deum, & quem misisti Iesum Christum.*

Sequitur : *In toto corde vestro* , scilicet per amorem. Sed sicut dicitur Exod. 7. *Si reuertemini ad Deum in toto corde vestro, dicit Dominus: auferite de medio vestri Baalim & Astaroth.* Baalim superior interpretatur , & significat superbiam. Astaroth interpretatur prælepe. In præsepio enim duo sunt , cibus , & fimus. In cibo notatur gula, in fimo notatur luxuria. Isti sunt duo dij alieni , quos debemus auferre de cordibus nostris, scilicet superbiam , gulam , & luxuriam : si volumus ad Deum conuerti in toto corde nostro per dilectionem. Quia conuerti ad ipsum in toto corde , nihil aliud est, quam diligere ex toto corde : sicut dicitur Deut. 6. *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & ex tota anima tua,* id est, dulciter , fortiter , & ardenter , vt dicit.

Bene sequitur : *In ieunio* , & in hoc notatur satisfactio. De hoc dicit Isidor. *Sicut equis frana sunt ponenda: ita corda nostra ieuniis sunt restrigenda: quia immundi spiritus ieunio fugantur.* Sed sciendum est , quod duplex est ieunium : vnum est corporale , & aliud est spirituale. Corporale ieunium est à cibis & potibus superfluis , & delicijs abstinere. Illud ieunium, sicut dicit B. Isidorus , *macerat corpus, sed cor impinguescit: carnem debilitat, & animam confortat.* Itso ieunio conuerti debemus ad Dominum.

Illud enim multa bona facit. Primum est, quod suggestionem diaboli destruit. Vnde Iudith 13. dicitur, quod ipsa Iudith caput Holofernis amputauit , id est , suggestionem diaboli eneruauit. Secundum est , quod lasciviam carnis domat , & reprimit. Ideo Confessores & Prædicatores , qui tota die sedent iuxta mulieres , quæ sunt sicut ignis , debent libenter ieunare. Vnde Matth. 7. & 9. *Hoc genus demonij non ejicitur, nisi in ieunio.* Dicit Hieronymus , quod ieunio sanantur pestes corporis , & oratione pestes mentis. Tertium est, quod pœnam æternam vitare facit , & ad misericordiam Dei facit peccatores peruenire: Vnde Iona 3. dicitur , quod factō ieunio misertus est Dominus. Quartum est , quia intellectum subtilem tribuit. Vnde Daniel & socij eius post ieunium ditati sunt super omnes in scientia & intellectu visionum , vt habetur Dan. 1. Quintum est , quod ad contemplationem caelestium hominem ducit. Vnde Rom. 19. dicitur , quod Elias post ieunium 40. dierum venit ad montem Dei Horeb , & ibi vidit Dominum. Vere post ieunio

venit homo ad montem Dei Horeb contemplationis. Et ibi reficitur anima fidelis : quia ibi videt Deum , qui est panis vitæ æternae. Sed certe animalis homo , scilicet , carnalis, non vult illuc venire : quia quando homo totus repletur cibarijs delicatis , tunc ascendunt fumoflates in cerebrum , & non vult tunc , nisi dormire, sicut porcus. 1. Cor. 3. *Animalis homo non permit ea, que Dei sunt, id est, quam dulcia sunt & quam pretiosa, & quam gloriofa.*

Secundum ieunium spirituale est , & illud est abstinere à vitijs , id est , ab omnibus illicitis , & ab omni specie mali. Vnde Gregorius : *In vanum caro atteritur.* Et Glossa super Matth. 17. dicit quod ieunium generale est non solummodo ab escis ; sed ab omnibus vitiis , & illecebris carnalibus abstinere . Apostolus Theſſ. 5. *Abstinete vos ab omni specie mala.*

Sequitur : *In stetu. & planctu.* In hoc notatur cordis contritio. Sed sciendum , quod quinque sunt , pro quibus debent pœnitentes lugere. I. De bonis omissis. Vnde Iudic. 9. dicitur , quod filia Iephre virginitatem suam fleuit duobus mensibus. Per virginitatem sterilitas bonorum operum significatur , pro qua debet anima fidelis flere. Per duos menses significatur defectus bonæ voluntatis , & defectus bonæ operationis in homine. Vere pro bonis omissis debet anima fidelis flere , quando videt , quod tempus suum amisit sine recuperatione , quando videt , quod oportet mori , & tamen nihil boni fecit. Vnde If. 38. dicitur , quod cum Ezechias ægrotasset , conuertit se ad parietem , & fleuit , & orauit Dominum , vt elongaret vitam suam, videns , quod pauca bona fecisset.

II. Pro malis commissis. Vnde Ierem. 6. *Actingere cilicio, conspergere cinere, luctum viuendi facio tibi quasi planctum amarum valde.* Luctum & planctum debet facere fidelis anima pro malis commissis. Iacob. 5. *Miseri estote & lugite* Glossa. memores estote delictorum vestrorum , & lugete in animo pro commissis.

III. Pro peccatis alienis. Vnde Lucas 19 dicit, quod *videns Iesus civitatem Ierusalem fleuit, &c.* Ierem. 19. *Quis dabit aquam capiti meo, & oculis meis fontem lacrymarum, & plorabo super interfectos filia populi mei.*

IV. Pro morte Ionathæ & Saul, id est , deuotæ orationis. Vnde 2. Reg. 1. dicitur, quod *Dauid planxit planctum huicmodi super Saul & Ionathan filium eius, & præcepit, ut docerent filios Iuda planctum huicmodi,* & ait : *Considera Israel pro his, qui mortui sunt super excelsa tua.* Saul interpretatur peritio , & signat deuotionem, quæ oritur in oratione. Certe super mortem Saul & Ionathæ debent filii Israel flere hodie , id est , religiosi super mortem deuotæ orationis : quia deuotæ orationes mortuæ sunt in montibus Gelboe , id est , abundantia diuitiarum & carnalium concupiscentiarum : quia Gelboe interpretatur acerius pluuiarum , & significat abundantiam diuitiarum & carnalium concupiscentiarum.

V. Pro spirituali & etiam corporali lapidatione & prophanatione Ecclesiæ Dei & religionis. De hoc 1. Machab. 4. vbi dicitur, quod filii Israel Iudæi ascenderunt in montem Sion , & viderunt sanctificationem desertam, id est , religionem , & altare prophanatum , id est , Sacerdotes , & portas existas

# In Eodem die Cinerum. Serm. XXVI. 55

exustas, id est, prælatos, & in atriis virgulta nata, id est, malas personas, & pastoforia diruta, id est, Doctores, & sciderunt vestimenta sua, & planxerunt planctu magno. Sequitur.

*Scindite corda vestra.* Hic notatur confessio, quæ est nouacula, quæ debet scindere malas cogitationes, furta, homicidia, adulteria, & alia peccata, quæ ommnia exeunt de corde: sicut dicitur Matth. 15. Et certe modo tempus putationis aduenit, secundum quod dicitur Cant. 1. Ad istam satisfactionem monet nos Dominus Ierem. 4. Circumcidimini viri Iuda, & auferite preputia cordium vestrorum, scilicet, per confessionem. Confessio est porta, per quam intrant animæ ad Paradisum. Psal. 99. Introite portas eius in confessione. Sine confessione non possunt animæ ad misericordiam Dei peruenire, post perpetrationem peccati mortalis, si contemnunt confiteri, dum possunt copiam Sacerdotis habere. Vnde Proverb. 28. *Qui ascondit scelerá sua, non dirigetur: qui autem confessus fuerit ea, misericordiam consequetur.*

Rogate Iesum Christum, ut faciat nos ita ad ipsum conuersti in toto corde nostro, in ieiunio, & fletu, & planctu, & ita etiam per confessionem corda nostra scindere: ut post hanc vitam ad misericordiam eius possimus peruenire.



## IN EODEM DIE Cinerum

### SERMO XXVI.

*Ecce nunc tempus acceptabile.*  
z. Cor. 3.

**P**ostolus in verbis prædictis modo bonum tempus esse describit. In quibus tria ponuntur, propter quæ quilibet homo debet bene, & indilate operari.

I. *Propter temporis opportunitatem, quod notatur ibi, tempus acceptabile.*

II. *Propter optimi temporis brevitatem, quod notatur ibi: Nunc.*

III. *Propter utriusque aptam cognitionem, quod notatur ibi: Ecce.*



LIQVANDO enim aliquis habet aliqua facere, & videt quod tempus opportunum, & tempus breue, & modicum est, & quando hoc attendit: si est sapiens, non differt operari.

I. Est tempus opportunum ad tria, quæ signant tria, quæ modo pœnitentes facere debent. Est enim tempus terrænascentibus ad germinandum, id est, ad bene operandum; infirmis

ad medicandum, id est, peccata per pœnitentiam expellendum: vinitoribus ad vineas putandum, id est, ad nocuos socios repellendum. Ista tria debent pœnitentes modo specialiter facere. Debent enim bona agere, mala deponere, malorum consortium declinare. Primo enim est tempus terrænascentibus ad germinandum, id est, nobis omnibus ad bene faciendum. Ps. Tempus benefaciendi, &c.

Sicut enim non est radix ita misera vel herba in terra, vel planta, quæ non conetur proferre folium, vel germen, vel aliquam viriditatem: sic nec homo alicuius sexus, conditionis, vel status qui modo plus solito non debeat orare, elemosynas dare, & alia opera misericordiae & bona facere. Gen. 1. *Germinet terra herbam virentem,* id est, homo terrenus bonam conuersationem, quæ visum aliorum confortet; viror enim confortat & delectat visum, & ostendit radicem interiorum esse viuam. Sicut enim herba, quæ modo non germinat, signum est, quod mortua est radix: sic qui non germinat opus bonum, signum est, quod non viuat spiritualiter. Apoc. *Nomen habes, quod vinis, & mortuus es: non enim inuenio opera tua plena coram Deo meo.* Sit ergo tempus faciendi: sed quia multi bona faciunt modo, & parum sibi proficiunt, quia in peccatis ea faciunt: ideo non solum sufficit facere bona, sed etiam oportet expellere mala. Vinum enim bonum in vas non ponitur, nisi prius à fôrdibus abluatur, & hoc significatur per hoc, quod tempus est aptum modo infirmis ad medicandum, id est, peccata, per confessionem, contritionem, satisfactionem, medicandum; ut enim mali humores per medicinam, ita peccata per confessionem, contritionem, & satisfactionem expelluntur.

Sunt autem tria, quæ oportet facere accipientem medicinam. Primum, quod eam propter amaritudinem non dimittat. Secundum, quod eam coopertam deglutiat. Tertium, quod dietam medici seruet aut teneat.

I. Propter amaritudinem eam accipere non recusat; quia licet amara, tamen utilis, & necessaria. Sic enim confessio licet sit puderosa, contritio angustiosa, sarifactionis laboriosa: non tamen propter hoc sunt hæc dimittenda, quia sine his non est animæ sanitas. Eccl. 38. *Altissimus de terra creavit medicinam.* Bene dicit de terra. Dominus enim de ipsa terra fecit fossatum: cum caro, quæ peccauit, se affligit; os quod sollicitauit ipsum, constendo recognoscit: cor quod concupiuit, dolet: quod commisit, punitur ad Rom. 6. *Sicut exhibuitis membra vestra seruire immunitatem & iniquitati ad iniquitatem:* ita nunc exhibete membra vestra seruire iustitiam in sanctificationem & honorem. Præterea bene dicit: *Vix prudens non abhorrebit;* quia melius est unam angustiam habere quam 20. Vnde habens spinam in pede, vel telum in corpore, mauult habere angustiam ad horam, ut extrahatur, quam ut diutius affligatur: sic & parum in confessione confundi, & satisfactione angustiari multum est melius, quam in inferno in æternum puniri, & cruciari. Eccl. 14. *Ante langorem adhibe medicinam.* Langor enim in inferno erit: quia ibi non poterit quis accipere sanitatem.

II. Medicinam non masticer, sed coopertam nebulam

nebulam translutiat : ne eius amaritudinem sentiens eam reiiciat. Sic qui vult pœnitere, non debet pœnitentia confusione cogitare, nec pœnam, sed præmium æternum attendere. Hoc est nebula pulchra visu, & suavis gustu. Eccl. 20. *Medicina omnium in festinatione nebula.*

III. Dietam medici debet obseruare, vt non vadat ab tabernam pro oculo sanando. Arctam dietam tenet quis pro corpore, multo plus pro anima. Eccl. 38. *Da locum medico. Est enim tempus quando egeas eius opera.* Glossa, *Fac consilium eius.* quia modicum fermentum totam massam corrumpit: Sed non sufficit bene facere, mala expellere, nisi malorum consortia cuitentur; quia cito reciduam pateretur; & hoc significatur per hoc, quod modo est tempus ad putandum vineas, id est, malos socios remouendum. Can. 2. *Tempus putationis aduenit.* In putatione enim inutilis ramus absceditur, ne bonum rimum impedit fructificare: sed si habes aliquem consiliarium, vel proximum, aut socium, qui tibi sit occasio ad malum, vel boni impedimentum; deuita cum. De vinea enim tua ramos nocuos refecares: vel minus te diligis, quam vineam, vel socios tibi nocuos refecabis. Matth. 5. *Si oculus tuus scandalizat te, &c. Si manus vel pes scandalizat te, &c.*


Sed quia multi ad prædicta facienda expectant tempus & diem, ideo dicit Apostolus *Nunc, &c.* Nunc autem debemus bona facere propter tria. 1. propter temporis breuitatem. 2. propter lucri magnitudinem. 3. propter monitorum multitudinem. Primo ergo debemus nunc bona facere propter temporis breuitatem: quando enim quis habet, quæ faciat, si magnum tempus habet, non est mirum, si dormiat diu: sed cum viator habet magnam viam conficiendam, & parum temporis, si sapiens est, & vult venire ab bonum hospitium, antequam ostia claudantur; mane arripit iter. Sic si diu victuri essemus, & hoc sciremus, eo minus esset mirum, si aliqui diu in peccatis morarentur, & bene facere different; sed magnam dietam habemus faciendam, quia usque in cælum. Reg. 4. *Grandis enim tibi restat via:* & parum temporis, quia breves dies hominis sunt. Ideo cito debemus iter arripere. Tunc autem iter ad cælum arripimus, cum peccata reliquentes bona facere incipimus. 1. Ioan. 7. *Hoc itaque dico fratres, tempus breve est.* Et mirum est, quod peccatores plus sibi longam vitam promittunt, quod boni: cum tamen è conuerso esse debeat. Siquis habet in horto suo arborem fructificantem, & aliam non fructificantem; citius abscedit non fructificantem. Timere ergo debent mali, quos per plures annos permisit Deus in hoc mundo, expectans fructum, nisi fructificant, quod cito extirpentur. Luc. 13. de fico: *Ecce iam anni tres sunt, quod venio querens fructum in ficalnea hac, & minime inuenio: succide ergo eam, ut quid terram occupat?* quia ergo modicum tempus habemus, & de nobis non sumus securi, maximè peccatores, ideo cito bene facere non differamus, ad Gal. 6. *Dum tempus habemus, operemur bonum ad omnes.*

II. Debemus bona facere propter lucri magnitudinem. Libenter enim locant se homines ad operandum in die lucrosa. Et quidem modo plus lucratur unus ieiunator, eleemosynarius, boni operator, quam solebant quinque; qui

antiquitus non lucrabantur, nisi bona terrena. Isa. 1. *Si volueritis, & audieritis me, bona terra comedetis.* At modo bene faciendo lucratur homo vitam æternam. Matth. 20. *Facta autem conueniente cum operariis ex denario diurno, id est vita æterna, dicit Glossa, quæ in centuplum plus valet.* Psal. *Melior est dies una in atris tuis, super millia:* parum tamen post hoc tempus, id est, post mortem lucrabuntur, quia tunc claudetur ianua regni cælestis, vt dicitur Matth. 25. Vnde Eccl. 9. *Quodcumque posset manus tua, instanter operare: quia nec opus, nec ratio est apud inferos, quo tu properas,* scilicet alicuius valoris apud inferos.

III. Debemus bona facere propter monitorum multitudinem. Vinea enim inulta si non fructificat, non debet sibi imputari; sed quando magnis expensis colitur, si non fructificat, culpanda est: sic non multum arguendi erant antiqui, si non bene fecerunt: quia paucos cultores habebant, id est, monitores; sed modo sunt plures, quam unquam fuerunt, ideo arguendi sunt, qui modo non bene operantur. Hebr. 6. *Terra sape venientem super se bibens imbre, &c.* Proferens autem spinas & tribulos, reproba est, & maledictioni proxima. Quia dicitur: *Ite maledicti in ignem eternum, &c.* Quia omnis arbor, que non facit fructum bonum, excidetur: cuius consumatio in combustionem veniet. Vnde sequitur & in ignem mittetur.

Sed quia possent se excusare aliqui per ignorantiam, si nescirent temporis opportunitatem; Ideo dicit Ecce. Quasi diceret, patens est de re praesenti.



## IN DOMINICA I.

### Quadragesimæ

### S E R M O XXVII.

*Ductus est Iesus in desertum à Spiritu. Matth. 4.*

Quatuor occurunt hic notanda.

- I. *Quis per Iesum incelligatur?*
- II. *Quid per desertum exprimatur?*
- III. *Quare Iesus in desertum à spiritu ducatur?*
- IV. *Quid per ministerium Angelorum accipiatur?*



E primo nota, quod per Iesum quilibet Christianus, qui membrum Christi est, intelligitur. Sicut enim Christus primo in Jordane baptizatus fuit, & super ipsum baptizatum Spiritus sanctus in specie columbae descendit, & tertio diebus, & 40. noctibus ieiunauit: sic etiam Christianus

# In Eadem Dominica Serm. XVIII. 57

Christianus ministerio Sacerdotis in fonte baptismatis emundatur. Postquam autem emundatus fuerit, templum & habitaculum S. Spiritus efficitur. Vnde & toto tempore vita à virtutis & concupiscentijs huius mundi, quibus in baptismo renuntiauit, ieunare debet. Et bene per quadragenarium numeruin omne tempus vita nostræ accipitur. Per totam enim vitam nostram decalogum legis diuinæ quadriformiter amplecti debemus, & adimplere, videlicet, dilectionem, locutionem, operationem. Quem enim aliquis sincere diligit, libenter de eo cogitat, & loquitur, & seruit aut obsequitur ei.

De secundo nota, quod per desertum mundus iste exprimitur. Sicut enim in deserto materiali pauca sunt mansueta animalia, id est, mansueta: sic etiam in mundo isto pauci sunt, qui sequuntur Dominum: cum tamen ipse manum suam aperiat, & impleat omne animal benedictione. Plures enim sunt in mundo, quos Dominus *de rore celi & de pinguedine terræ* diuites fecit: qui tamen eum sicut mansueta animalia non sequuntur, imo potius sicut fere bestia persequuntur. Induerunt enim naturam leonum per superbiam, vrsorum per luxuriam, luporum per avaritiam, & vulpium nequitiam.

De tertio nota, quod sicut Iesus ductus est, &c. Sic etiam nos, qui sumus membra Iesu Christi, propter hoc expulsi sumus in hanc vallem misericordiae: ut tentemur a dæmonibus, quibus cum adiutorio septiformis spiritus resistere debemus, ut resistentes vincamus, & vincentes gloriose coronemur in cælis. Vnde legitur Mar. 2. *Quod Spiritus expulit Iesum in desertum. Et erat ibi quadraginta diebus & quadraginta noctibus, & tentabatur a satana, eratque cum bestiis.* Ibi dicit Glossa, quod quadragenarius numerus totum tempus signat, quo membra eius diabolus tentat.

Nota igitur, quod hostes nostri & tentatores sunt dæmones, quorum officium est Christianos perturbationes exercere. Vnde ad Ephes. 6. *Non est nobis colluctatio aduersus carnem & sanguinem tantum: sed aduersus principes & potestates, aduersus mundi rectores tenebrarum, contra spiritualia nequitia in celestibus.* Ductor autem noster & defensor est Spiritus sanctus, cui commissi sumus in baptismo. Vnde ad Rom. 8. *Quicunque Spiritu Dei aguntur, hi sunt filii Dei.*

Item nota, quod diabolus primum Adam per tria via superauit, videlicet, per gulam, avaritiam, & superbiam. Per eadem etiam secundum Adam, id est, Iesum Christum tentans superatus est: vnde dicit Glossa: Nota, diabolum in his vinci, in quibus Adam vicit, quem de gula tentauit, dum de ligno vetito gustare rogauit. De vana gloria, cum dicit Gen. 3. *Eritis sicut dij.* De avaritia cum ait: *Scientes bonum & malum.* Item dicit alia Gloss. in his tribus, gula, avaritia, superbia, omnia via sibi foederata sunt perempta. In his tribus omnia genera temptationum comprehenduntur.

Nota igitur, quod diabolus tentauit Dominum per tria, quæ sunt radices & origo omnium peccatorum. I. Tentauit eum per gulam, dum dixit: *Si Filius Dei es, dic ut lapides isti panes fiant.* Fugiamus & nos itaque gulam, ne prosterneatur per luxuriam, quæ nascitur de gula. Vnde Gloss. Orig. *In pugna Christi prius agitur contra gulam ieuniam-*

*do, per quam vietus est primus homo. Gula libidines inflammat, concupiscentiam nutrit, que repugnat legi mentis. Hec nisi prius refranetur, frustra contra alia laboratur.*

Et nota, quod tria mala oriuntur ex gula. Primum est abominabilis fornicatio. Secundum est tumultuosa altercatio. Tertium secretorum reuelatio. De primo nota, quod illi homines Sodomitæ: qui nimis erant gulosi, effecti fuerunt abominabiliter luxuriosi. Vnde Ezech. 16. *Ecce haec fuit iniqitas Sodoma fororis tuae, superbia, saturitas panis, & abundantia, & otium ipsius & filiarum eius.* Item de primo & secundo Proverb. 20. *Luxuriosa res, vinum, & tumultuosa ebrietas. Qui cuncte his delectatur, non erit sapiens.* De secundo Proverb. 23. *Cui rixa? cui sine causa vulnera?* Nonne his, qui commorantur in zino, & student calicibus epotandis? De tertio Proverb. 30. *Nullum secretum, ubi regnat ebrietas.*

II. Diabolus tentauit Dominum per avaritiam, cum ostenderet ei omnia regna mundi, & gloriam eorum, & dixit ei: *Hec omnia tibi dabo, si cadens adoraueris me.* Et nota, quod propter tria fugienda est avaritia. Per avaritiam enim Deus, qui est summum bonum, amittitur, anima pretiosa venditur, homo proprius diaboli efficitur. De primo Dominus Matth. 6. *Non potestis Deo servire & mammona.* Item ad Ephes. 5. *Hoc scilicet intelligentes, quod avarus, quod est idolorum servitus, non habet hereditatem in regno Christi & Dei.* De secundo Eccl. 10. *Nihil est iniquius, quam pecuniam amare.* Hic enim animam suam habet venalem. De tertio Dominus ipse loquitur ad serpentem Gen. 3. *Terram comedes omnibus diebus vita tuae.* Per terram intelligitur avarus, qui terram cælo proponit, & propterea diaboli proprius efficitur, vt ab eo semper comedatur.

III. Diabolus Dominum tentauit per superbiam, cum Domino ducto super templi pinaculum dixit: *Si filius Dei es, mitte te deorsum.* Vnde etiam superbia propter tres causas est fugienda. Per hanc enim superbi Deo odibiles efficiuntur, per hanc omnia bona opera disperguntur, per hanc omnes elati in inferni precipitum demerguntur. De primo Eccl. 10. *Odibilis est coram Deo & hominibus superbia. Quid superbis terra & nis?* De secundo dicit Orig. *Qui ceteras virtutes sine humilitate congregat, quasi qui puluerem in vento portat.* De tertio Dominus Luc. 14. *Omnis qui se exaltat, humiliabitur.* Item Luc. 10. *Videbam satanam quasi fulgur de cælo cadentem.* Item Ibidem: *Tu Capharnaum usque ad calum exaltata, usque ad infernum demergeris.*

De quarto nota, quod per ministerium Angelorum accipiatur gloriofa remuneratio victorum, in qua Angeli ministri existent. Vnde dicitur Matth. 4. *Tunc reliquit eum diabolus, & ecce Angelii accesserunt, & ministrabant ei.* Item dicit Glossa: *Sicut in hoc agone militia nostra præinstruitur: Ita in obsequio Angelorum gloriofa remuneratio edocetur.*

Rogate ergo Dominum, vt sic imitatione sui det nobis omnem temptationem euincere, vt coronam gloriae, Angelis ministrantibus, assequamur. Quod nobis, &c.

IN DOMINICA I.  
Quadragesimæ.

## SERMO XXVIII.

*Cum ieunias let Iesus quadraginta diebus, & quadraginta noctibus, postea esuriit.*

Matth. 4.

In verbis prædictis de duobus edocemur.

I. Quid sit agendum?

II. Quid sit credendum?



Rimum notatur ibi : *cum ieunias let*. Glos. quia ieunavit, exemplum nobis ieunandi dedit. Greg. *Omnis Christi actio nostra est instructio*. Secundum, scilicet, quid sit credendum, notat ibi : *40. diebus, & 40. noctibus*. Et nota, quod duo credenda sunt de Christo : scilicet, potentia diuinitatis, quæ notatur ibi : *40. diebus, & 40. noctibus*, quod tantum ieunavit, diuinæ potentiae fuit. 2. Infirmitas nostræ carnis, quæ notatur ibi : *postea esuriit*. Glos. *Esuries signum est infirmitatis, & nostra humilitatis, & sic instrumentum in moribus, & in fide*, dicit ergo : *Cum ieunavit 40. diebus, & 40. noctibus, postea esuriit*.

Primo edocemur, quid sit agendum. Notandum, quod tribus de causis ad ieunium nos inuitauit. Propter opportunitatem, propter eruditio nem, propter vtilitatem.

I. Propter opportunitatem : conueniebat enim refranare gulam, scilicet, ieunando, per quam vietus fuit primus homo in paradiſo : portæ enim & fenestræ, per quas solitus est latro intrare, clauduntur, id est, loca infirma, per quæ aliquando patuit aditus aduersarijs, muniuntur. Ps. 68. *Operui in ieunio animam meam*, ne hostes inueniant aditum intrandi ad eam.

II. Propter eruditionem. Dicit enim Glossa : *ieunat ut tentetur : & quia ieunat, tentatur : & ideo docet nos, ut qui aliqua bona incipiunt, ut ieunium, &c. huiusmodi, statim à diobolo impugnantur*. Vnde Tob. 4. *Bona est oratio cum ieunio & eleemosyna, magis quam thesaurum auri condere*. Bene dicit : *Bona est oratio cum ieunio & eleemosyna* : quia ieunium sine oratione & eleemosyna non est in tuto loco : peregrinus enim non tute vadit solus per talia loca, vbi scit esse latrones : dæmones enim impugnant ieunantem, vel ut superbiat per vanam gloriam, vel ut auaritia incendat, ut que sibi subtrahit, in bursum ponat, & ideo *bona est oratio cum ieunio*, quæ vetat pestes mentis, & eleemosyna pestes cupiditatis.

Quod autem diabolus impugnet ieunantes, patet ex hoc, quod Christum statim post ieunium

impugnauit. Vnde sicut qui habet inimicitias, & inducæ ruptæ sunt inter ipsum & aduersarium eius, solcite se custodit, auxilium ab amicis suis querit: sic diabolus inducias habet cum discipulis, & aliquantulam pacem, quasi confederatis suis: sed cum quis peccatum dimittere, & bona facere incipit, tunc ruptæ sunt inducæ, & ex tunc potest se habere pro diffidato. Vnde Gen. 1. *Initiicias ponam inter te & mulierem, tu infidaberis calcaneo eius*, id est, si bonum incipiat, infidaberis, ne ad finem perducat : calcaneum enim finis hominis est, & significat finem bonæ operationis & perfectionis, ideo debet se bonis operibus munire, orationibus auxilium Sanctorum implorare, ne ex aliqua parte ruat in peccatum.

III. Propter vtilitatem, quæ est aduersarij expulsuum, Dei reconciliatiuum. Primo enim est dæmonis expulsuum, maxime illius, qui tentat de luxuria ; sicut famæ, quæ eiecit lupum de sylua. Mat. 17. *Hoc genus demoniorum non eiicitur, nisi in oratione & ieunio*. Hospes enim delicatus non diu moratur in hospitio, vbi non recipitur iucunde, imo scienter, non ingreditur. Luxuria vero delicata est, & ideo odit hospitium & societatem ieunantium. Matth. 17. *Cum immundus spiritus exierit ab homine, ambulat per diuersa loca, querens requiem, & non inuenit*. Sicut enim pisces in arido cito moriuntur : sic etiam luxuria in au steritate vita & ieunio moritur. Isa. 1. *Putrefacent pisces sine aqua, & morientur in secco*. Terentius : *Sine Cerere & Baccho friget Venus*.

Secundo est Dei reconciliatiuum : qui enim alium offendit, si emendam soluit delicti, pacem habet. Ieunium autem, quia penale est, satisfacit de peccato. Ioan. 3. *Comminatus est Dominus Niniuitis*, dicens : *Aduic quadraginta dies, & Niniue subvertetur*. Et crediderunt Niniuitæ Domino, & predicanterunt ieunium. Et postea sequitur : *Vidit Dominus opera eorum, &c. & misertus est, &c.* 1. Et nota quod dicit : *conuersti sunt à via sua mala*. Ieunium in peccatis non placet Deo, nec ferculum lutosum oblatum principi. Isa. 58. *Quare ieunauimus, & non aspexisti? &c. Respondet Ecce in die ieunij vestri inuenitur voluntas vestra, &c.* Diabolus non comedit, sed semper ieunat, & à peccatis non cessat : ieuna igitur sine peccatis, vel sicut diabolus ieunabis. Isidor. *Qui se à cibis abstinet, & mala agit, dæmones imitatur*. Melius est abstinere à peccatis, quam à pane, & comedere in quadragesima : ieunant à pane, & carnes serpentes comedunt, id est, peccatum, quia veneno, delectationis animam occidunt. Luc. 18. *Ieunabis in sabbato*, dicebat Pharisæus, qui superbiam & indignationem respectu aliorum habebat : vnde *institutus in dominum suam non descendit*. Isa. 58. *Nolite ieunare sicut usque ad hanc diem*.

Et nota, quod non sufficit debili & infirmo, dietam medicinæ per diem & horam seruare, & postea cuilibet se exponere : sic in quadragesima ieunare, & post Pascha peccatis obedire. Eccl. 3. *Qui ieunat in peccatis suis, & iterum faciens eadem quid proficit humiliatio eius?* Ideo Dominus Ose 2. *Sanctificate ieunium*. Et post sequitur : *Et mittam vobis frumentum & oleum, & replebitini in eis*.

Terra enim otiosa spinas & tribulos profert, laboriose vero exculta fructum bonum : sic caro Eccl. 20.

# In Eadem Dominica Serm. XXIX. 59

*Eccl. 20. Qui operatur terram suam, saturabitur, &c.*  
Subige tuam ipse carniem, quæ exactor pessimus, hominis inimicus, facit sibi spiritum alioquin ad libitum subiugari; sicut equus lascivius, & bene habitus recalcitrat, & Domino suo ascendentis contradicit: afflictus vero labore & ieiunio pacifice se habet, & ad libitum Domini sui duci & onerari permittit. *Psal. 34. Cum mihi molesti essent, scilicet motus carnales, in duebar cibicio, ut contra tela aduersari resistere: humiliabam in ieiunio animam meam.*

Quadriga enim non onerata facilius ab equo trahitur, & nauis lœuigata citius à vento & remigo ducitur; sic caro ieiunio attenuata in suis actibus expeditur. *4. Reg. 19. Elias ieiunavit quadraginta diebus, & quadraginta noctibus, & iuit ad montem Dei Horeb.* Castellanus enim fame subactus, castrum tradit ad libitum impugnantis: sic luxuria per famem domita, corpus ad libitum hominis & rationis tradit. *Luc. 15. Luxuriosus, qui à patre superbe recessit, fame & ieiunio afflatus ad patrem humiliter est reuersus.* Magna ergo est utilitas ieiunij, quæ hæc facit. Magnum enim commodum infert homini, qui de domo sua expellit hominem homicidam, vel latronem; & qui amicum optimum sibi iratum reconciliaret, & qui terram suam sterilem fœcundatam sibi ficeret: & ideo Christus merito exemplo suo ad ieiunium nos vocauit.

Sequitur: *Poſtea esuriit.* Legimus Christum tripliciter esuriisse, scilicet, reputatione, nuncupatione, affectione. Reputatione, ut in pauperibus, quia quicquid pauperibus impenditur, Christo fieri reputatur. *Matth. 25. Esuriui, & dedisti mihi manducare.* Sequitur: *Quod uni ex minimis meis fecisti, mihi fecisti.* Et ideo non sunt contempnendi pauperes. Siquis enim ita familiaris esset Regi, ut quicquid sibi fieret, Rex sibi fieri reputaret, & talis ad domum tuam veniret, honorifice reciperes, & eum non despiceres. Ideo Eccl. 3. *Animam esurientem ne despexeris.* Q.D. ne vilipendas, quia pauper est. Sæpe enim in vili sacco reconditur bonum frumentum, & in concha fragili lapis pretiosus, & è conuerso sub auro fulgenti lignum putridum; sic sub paupere habitu anima pretiosa.


I I. Nuncupatiue, ut dicitur in Psal. 49. *Si esuriero, non dicam tibi.* Et sequitur: *Nunquid manducabo carnes tantorum?* Quasi diceret: Cibus Christi non est, nisi cōuersio peccatorum. *Ioan. 4. Rogabant Discipuli eius eum, ut manducaret: ille autem dixit: Ego habeo cibum manducare, quem vos nescitis.* Quasi diceret: Non quæro cibum materialē, sed spiritualem, scilicet, animas: & ideo, si tu vis Christum ad hospitium cordis invitare, & gratanter reficere, conuersione tuam & aliorum diligenter studeas procurare. *Genes. 27. Dixit Rebecca filio suo Iacob: Affer mihi duos boados optimos, ut faciam patri tuo ex eis escas, quibus libenter vescitur: quos cum comedelerit, benedicat tibi priusquam moriatur.* Hœdi, qui factent, sunt peccatores: sed optimi sunt, quando in igne contritionis & pœnitentiae parati sunt, & sic faciens obtinuit benedictionem.

III. Legimus Christum etiam esuriisse affectiu, salutem scilicet animatum. *Matthæi 12. Esuriit, & videns dici arborem secus viam, venit ad eam querens fructum: & nihil innenit in ea, nisi folia.*

Esuriit, scilicet, animarum salutem ardenter appetiuit. Sicut enim ardenter esuriens nullum genus panis respuit: sic Christus nullum iuuenem, senem, homicidam, latronem. *A&t. 10. Cum esuriuit Petrus, cecidit super eum mentis excessus, & vidit celum apertum, & vas quoddam, ubi erant animalia quadrupedia, & animalia serpentina terre, & volatilia celi, & facta est vox ad eum dicens: Surge Petre, accipe.* Quasi nullam differentiam faciendo Dominus ad modum querentis panem ostiatim stat ad ostium, & pulsat. *Apocal. 3. quoniam multi eum abire ieiunum permittunt. Psalm. 63. Operui in ieiunio animam meam.* Glossa exponit de Christo, &c. Rogate ergo Dominum charissimi, ut sic à vitiis ieiunemus, &c. Quod nobis, &c.

## IN EADEM DOMINICA SERMO XXIX.

*Hæc est voluntas Dei, sanctificatio vestra.* I. *Theſſ. 4.*

 Lim David orabat dicens: *Doce me facere voluntatem tuam,* &c. & misericors Deus per Apostolos Petrum & Paulum, & per semetipsum docuit nos suam voluntatem.

Considera ergo, quod voluntas Dei est

- I. *Vt à peccato sanctificemur.*
- I I. *Vt in bono exercitemur.*
- I I I. *Vt in utroque confirmemur.*
- I V. *Vt in celo glorificemur.*

 RIMO enim voluntas Dei est, ut à peccato sanctificemur. Vnde habetur I. *Theſſal. 4. Hæc est voluntas Dei, sanctificatio vestra, ut abstineatis vos à fornicatione,* &c. Sanctificatur, qui à peccatis mundatur. Munda enim debet esse dilecta sponsa Christi. Ad Ephes. 5. *Christus dilexit Ecclesiam, & tradidit semetipsum pro ea, ut illam sanctificaret mundans lauacro aqua,* &c. Mundat autem Deus animam non solum lauacro baptismi primi, sed etiam secundi, scilicet lacrymarum. Isidorus: *Lacryma pœnitentis apud Deum pro baptisme reputantur.* Sed quid prodest homini, si balneatur, & statim sordidis uestibus induatur? Sic quid prodest animæ, si etiam mundetur, & statim in vitiosam consuetudinem relabatur? Propter hoc præcipitur Exod. 19. *Vade ad populum, & sanctifica eos hodie, & cras: lauentque uestimenta suis, id est, mores suos.* Eccl. 9. *Omni tempore uestimenta tua sint candida.* Stultus esset, qui etiam in ipso balneo sordidas uestes non deponeret; sic est, qui peccata sua plangit, & non relinquit. Greg. *Qui fleribus suis vite munditiam substrabit ante Dei oculos, sordidas etiam ipsas lacrymas facit.*

II. Voluntas Dei est, ut in bono exercitemur. I. *Pet. 2. Sic est voluntas Dei, ut bene facientes obmutescere faciatis,* &c. Si ergo bene facitis, voluntatem Dei impletis, immo ex Deo nati estis. *Ioan. 4.*

*Qui*

*Qui benefacit, ex Deo est : qui male facit, non vidit Deum : imo nec videbit in æternum. Deus enim bene facit benefacientibus. Psal. 124. Benefac Domine bonis & rectis corde, &c. Sed attende, quid ait Petrus, obmutescere faciatis. Magna virtus bonorum sanctorum, qui nos ipsos apud Deum crescere, & obmutescere aduersarios, & amicos non erubescere faciunt. August. Qui nos amant, querunt quid laudent in nobis : qui autem oderunt, detrahunt nobis : nos autem in utroque iudicio constituti vitam nostram sic custodire debemus & famam, ut erubescant de detractoribus laudatores. Sed certe, qui modo detractionibus, & contentionibus, & conspirationibus, & aliis peruersis locutionibus nolunt in mundo obmutescere; obmutescerent in iudicio. Matth. 22. At ille obmutuit.*


**I**II. Voluntas Dei est, ut in utroque confirmemur. Scilicet ut à peccato sanctificemur, & in bono exercitemur. Ioan. 7. Hæc est autem voluntas eius, qui misit me Pater: ut omne, quod dedit mihi Pater, non perdam ex eo. Sola perseverantia facit, ut non perdamur. Vnde Matth. Qui autem perseverauerit usque in finem, hic saluus erit. Bern. Absq[ue] perseverantia nec qui pugnat, victoriam: nec palmarum victor consequetur. Illi autem perduntur, qui non perseverando à Deo separantur. Psal. 72. Perdidisti omnes, qui fornicantur abs te: mihi autem adhædere Deo bonum est. Fornicantur, qui derelicto Deo vero sponso in mundo luxuriantur. Si ergo non vis perdi, adhæreas Deo, voluntatem eius semper & perseveranter implendo. 1. ad Hebr. 5. Semper, quod bonum est, sectamini inuicem & in omnes: semper gaudete, sine intermissione orate: hæc est enim voluntas Dei in omnibus nobis in Christo Iesu. Isidorus: Tunc Deo placet nostra conuersatio, quando bonum, quod inchoamus, sine perseveranti complemus.

Et nota, quod de triplici voluntate Dei praedicta, dicitur ad Rom. 12. Reformamini in nouitate sensus uestris, ut probetis, quæ sit voluntas Dei bona, beneplacens, & perfecta. Voluntas Dei bona est, ut à malo sanctificemini: beneplacens, ut bonum opere emini: perfecta, ut in utroque confirmemini.

**I**V. Enim voluntas Dei est, ut in calo glorificemur. Ioan. 6. Hæc est autem voluntas Patris mei qui misit me, ut omnis, qui videt Filium, & credit in eum, habeat vitam eternam. Bene dicit, & credit in eum: si autem scire desideras, vtrum vere credas in Christum, attende, quod dicit Marc. 16. Signa autem eos, qui in me credunt, hæc sequentur: In nomine meo dæmonia eiicient, linguis loquentur nouis, serpentes tollent; & si mortiferum quid biberint, non eis nocebit: super agros manus imponent, & bene habebunt. 1. Dæmonia sunt peccata, quæ de corpore eiicere debemus. Vnde de Maria Magdalena cœcta sunt septem dæmonia, id est, secundum Gregor. vniuerſa vita atque peccata. 2. Linguae nouæ sunt verba ædificatoria & bona. Linguae enim antiquæ fuerunt verba nocua & prava. 1. Reg. 2. Recedant vetera de ore vestro. 3. Serpentes sunt motus seu concupiscentia sensualitatis. Væ ei, qui serpenti consentit, quia paradisum perdit ut Eva. Serpentes tollimus, quando concupiscentias restringimus. 4. Mortiferum autem est quodlibet scandalum, quælibet iniuria, quæ non solum facta, sed dicta nobis infertur, vnde Iac. 4. de lingua dicitur: Est enim inquietum malum plena veneno mortifero. Si ergo accepta iniuria

non inflamur per superbiam, non suffocamur per inuidiam, non disrumpimur per iracundiam: tunc vtique mortiferum bibimus, & non nobis nocet: bibe pro Christo, quod pro te babit Christus. Matth. 20. Potestis bibere calicem, quem ego bibiturus sum? &c. Sed quicquid afflictionis terrena propinat aduersitas, leue erit, si inspiciamus, quid biberit ad crucis patibulum, qui nos invitauit ad cælum. 5. Manus imponent, sunt adiutoria charitatis, remedia pietatis, ex quibus saepe conualescant, vel qui spiritualiter, vel corporaliter aegri sunt.

Vides ergo, quod dæmonia sunt vitia voluntatis, linguae nouæ sunt verba utilitatis, serpentes sunt concupiscentia sensualitatis, mortiferæ sunt iniuria aduersitatis, manus imponentes sunt adiutoria charitatis. Voluntas ergo Dei est, ut qui sic per signa praedicta credit in Filium Dei, habeat vitam æternam. Ioan. 10. Oves meæ vocem meam audiunt, & ego do eis vitam eternam. Ad quam nos perducat, &c.



## IN DOMINICA II Quadragesimæ

### S E R M O. XXX.

*Miserere mei Domine fili Dauid, filia mea male à dæmonio vexatur.*

Matth. 15.

Quatuor possunt hic notari.

- I. Quid per mulierem Chananaam intelligatur?
- II. Quid per filiam eius exprimatur?
- III. Quare Dominum filium Dauid nominet?
- IV. Quam misericordiam ab eo exposuet?

**D**E primō nota, quod per mulierem Chananaam intelligatur anima cuiuslibet peccatoris, quæ tamen se in malo statu esse recognoscit, & propter hoc Dei misericordiam implorat. Hanc mulierem Chananaam appellat Mat. 7. Syrophænissam. Syrophænissa intel pretatur alte conuersa mulier, vnde signat animam ad Deum conuerti desiderantem. Chananaea etiam interpretatur æmulatrix, & exprimit animam, quæ Dominum per patientiam æmulatur, id est, sequitur.

De secundo nota, quod per filiam mulieris exprimitur cuiuslibet animæ peccataris conscientia. Et certe, quandiu anima peccatis est subdita, male à dæmonio vexatur conscientia. Et nota, quod filia, id est, conscientia eorum, qui in peccatis,

# In Dom. II. Quadragesimæ Serm. XXX. 61

peccatis, male vexatur per spinosam criminum remorsionem: sed si in peccatis decesserint, vexabuntur peius & pessime: peius in amara carnis ac animæ separatione, pessime in vermis & ignis fæuissima contritione. Igitur quælibet peccatrix anima, quæ filiam, id est, conscientiam suam per aculeum peccatorum vexari sentit à dæmonie, per pium saluationis desiderium currere debet post Dominum, eique debet magno contritionis clamore supplicare, vt velit conscientiam suam à vexatione dæmonis liberare.

De tertio nota, quod ideo Dominum filium Dauid appellat, quia eum de genere Dauid descendisse recognoscit. Vnde in Psal. 131. promissum fuerat ei: *De fructu ventris tui pones super sedem tuum!* Dixerat etiam Luc. 1. Gabriel ad Mariam: *Ecce concipies, & paries filium, & vocabis nomen eius Iesum*, &c.

De quarto nota, quam misericordiam ab eo expostulet: recognouit eum esse filium Dauid, & petiuit, vt miseretur sui, velut Dauid quondam Saulis fuit misertus, quando tactu citharæ dæmonium ab eo expulit. Legitur 1. Reg. 16. quod cum spiritus Dei recessisset à Saul, & spiritus nequam exagitaret eum, ad consilium seruorum Saul vocatus fuit Dauid, qui sciebat psallere in cithara. Igitur *quandocunque spiritus malus arripiebat Saul, Dauid tollebat citharam, & percutiebat citharam manu sua: & refocillabatur Saul, & lenius habebat, recedebatque ab eo spiritus malus.*

*NOTA*, quod mathematici dicunt, secundum quod testatur Magister in historiis, quod quidam dæmones odiunt & fugiunt harmoniam citharæ. Vnde dicit etiam Glossa super locum prædictum, quod refert Boëtius Philosophum quendam tactu citharæ dæmonium ab obfesso corpore depulisse. Igitur notandum est, quod sicut Dauid vocatus fuit, vt à Saul tactu citharæ dæmonium expelleret; ita & Christus venas & arterias venerabilis corporis sui extendi permisit in ligno crucis, vt ab humano genere, imo à quolibet peccatore dulci harmonia septem verborum, quæ protulit in cruce, septiforme dæmonium, quod suggerit septem principalia crimina, potenter ciiceret. Vnde Isa. 16. *Venter meus ad Moab: quasi cithara sonahat:* Moab interpretatur de parte, vel ex patre. Ergo per Moab uniuersum genus humanum, vel quilibet homo significatur, qui ex primo patre Adam descendit.

Et nota, quanto fortius chorda extenditur, tanto dulcius resonat; sic & Christus usque ad dinumerationem omnium ossium extensus fuit in cruce vt dulcius resonaret. Prima igitur vox huius citharæ fuerunt verba Domini Luc. 23. *Pater dimittit illis*, &c. Hæc harmonia expellit dæmonium iræ. Ira enim non dimittit iniuriam, sed potius vindictam expedit. Admonet nos igitur hæc cithara, vt omni iræ ex corde renuntiemus, & debitoribus nostris dimittamus. Vnde Matth. 7. *Si non dimiseritis hominibus, nec Pater meus dimittet vobis peccata vestra.*

Secunda vox huius citharæ fuit verbum Dei. Luc. 23. *Amen dico tibi, hodie tecum eris in paradiſo.* Hæc harmonia expellit dæmonum inuidiæ. Inuidia enim nulli communicat sua. Vnde docet nos Dominus per hoc, quod latroni

paradisum comunicauit & dedit, vt inuidiam ab hospitio cordis nostri expellamus: omnia enim bona opera per inuidiam putreficiunt. Proverb. 14. *puredo ossium inuidia.*

Tertia vox citharæ fuerunt verba Domini, Ioan. 19. *Mulier, ecce filius tuus: deinde dicit Discipulo, Ecce mater tua.* Hæc vox expellit dæmonium luxuriæ: casta enim fuit Virgo, quæ hac verba audiuit: Ecce filius tuus. Castus fuit Discipulus, cui dictum est: Ecce mater tua. Sicut enim infantulus inhabitator est materni uteri, sic etiam Christus inhabitator est mundorum corporum & castarum animarum; è conuerso diabolus inhabitat in fœdis corporibus & animabus immundis. Sicut mater diligit Filiū, sic etiam casti & mundi diligunt Chistum, & semper præ oculis habent corpus suum sanguine cruentatum. Matrem suam & Dei Filius matrem afferunt continentium & castorum.

Quarta vox huius citharæ habetur Matth. 27. *Eli, eli, lamaz abattani, hoc est, Deus meus, Deus meus, ut quid dereliquisti me?* Hæc harmonia expellit dæmonium auaritiae. Auari enim numos, & pecuniam, sive alia bona colunt pro Deo. Vnde & ab Apostolo idololatræ nuncupantur. Docet igitur nos Filius Dei per hoc, quod auxilium querit à Deo Patre, non sperare in aceruo diuinitarum, sed in Deo viuo. Non enim bona per auaritiam conquisita possunt subuenire animæ in tempore ultimæ necessitatis, sed solus Deus Pater, qui est Deus noster per creationem, & Deus noster per redemptionem.

Quinta vox huius citharæ fuit hoc verbum *Sitio* Ioan. 19. Hæc harmonia expellit dæmonium gulæ. Gula enim semper exardescit siti, & instigat hominem ad superfluum potum: studet enim calicibus epotandis. Dominus autem vt sitim gulæ extinguat in nobis, docet nos sua siti sitire fontem consolationis æternæ, de quo qui biberit, non sitiet in æternum.

Sexta vox Dominicæ citharæ habetur Ioan. 19. *Consummatum est.* Per hanc harmoniam expellitur dæmonium acediae, quæ nihil bono fine consummat, sed potius eos, qui circa principia in seruitio Dei seruentes spiritu fuerunt, postmodum segnes reddit & pigros. Ut autem Dominus acediā à nobis extrudat, & ad feruorem boni operis nos accendat, dicit se bene omnia consummasse.

Septima vox huius citharæ fuerunt verba, quæ Dominus clamauit in cruce. Luc. 23. *Pater, in manus tuas commendabo spiritum meum.* Hæc harmonia excludit dæmonium superbiae: Dominus enim, vt doceret nos semper per humilitatem spiritum nostrum & animam in manus Domini commendare, cum prædicta verba pronuntiasset, *inclinato capite emisit spiritum.* Superbi enim non subiiciunt se manibus Domini; sed potius erecto collo contra eum currunt, ipsumque, quantum possunt impugnant.

Rogate igitur charissimi Dominum, vt sic à nobis per citharam corporis sui omne dæmonium expellat, vt tandem Spiritu Dei repleti in regnum suum recipi mereamur.

IN DOMINICA III.  
Quadragesimæ.

## SERMO XXXI.

*Cum immundus spiritus exierit de homine, ambulat per loca inaquosa, quærens requiem, & non inueniens, dicit: Reuertar in domum meam unde exiui. Tunc vadit, & assument alios septem nequiores se: & ingressi habitant ibi.*

Luc. 11.

Quatuor hic occurunt notanda.

- I. *Quid per immundum spiritum accipiat?*
- II. *Quid per loca inaquosa sumatur?*
- III. *Quid per domum, quam immundus spiritus repetit, exprimatur?*
- IV. *Quid per septem nequiores spiritus intelligatur?*

**D**E primo nota, quod per immundum spiritum diabolus significatur, qui propter hoc immundus dicitur, quia delectatur habitare in immundis corporibus. Vnde sicut in Luc. 8. legitur, dæmonia ab obsesto homine expulsa per Christum, intrauerunt porcos, qui sunt immunda animalia. Dicitur etiam diabolus *immundus spiritus*, quia hominem, qui deberet mundum habitaculum esse Spiritus sancti, per peccati immunditiam inquinare laborat. Ipse enim suggerit homini superbiam, iram, inuidiam, auaritiam, gulam, & luxuriam, per quæ septem peccata mortalia & capitalia inquinantur corpus, & anima: vbi deberet munda esse sedes Spiritus septiformis.

De secundo nota, quod per loca inaquosa significantur religiosi & vere pœnitentes, qui bene dicuntur *inaquosa*, quasi non aquosa, id est, arida. Arefaciunt enim se per carnis mortificationem, & sunt, sicut dicit Glossa, ab omni humore libidinis immunia. Possunt etiam dici inaquosa, id est, intus aquosa per lacrymosam compunctionem. Irrigantur enim aquis gratiarum, sicut virentia ligna paradisi. Igitur *immundus spiritus*, id est, diabolus, cum ab homine *expulsus fuerit*, vel per baptismalem innocentiam, vel per quadragesimalem veram pœnitentiam: *ambulas per sanctos inaquosos*, id est, minime aquosos per omnis voluptatis aerationem, vel inaquosos, id est, intus vel

intime aquosos per salubrem lacrymarum perfusionem. *Ambulat*, inquam, per eos quærens requiem, id est, sicut dicit Glossa, callide tentans eos explorat, siquos ibi suæ nequitiae gressus figere possit. *Et cum non inuenierit receptaculum, dicit: Reuertar in domum meam, unde exiui. Vnde.*

De tertio nota, quod domus, quam immundus spiritus, id est, diabolus repeatit, & in quam reuertitur, sunt illi, à quibus electus fuit in baptismō per collatam sibi virtute baptis̄matis innocentiam: vel sunt illi, à quibus exiuit in quadragesimali ieiunio per pœnitentiam. Hæc autem domus, id est, conscientia pœnitentium, licet scopis mundata fuerit, vel ab ipsis pœnitentibus per nudam confessionem, vel à Sacerdotibus per solicitam criminum inquisitionem; licet etiam ornata fuerit à Sacerdotibus per bona exempla Sanctorum, quæ quasi cortinas quasdam Sacerdotes suis doctrinis in corda pœnitentium appenderunt, tamen quia immundus spiritus, sicut dicitur Matth. 12. *eam vacantem inuenit ab executione satisfactionis*, quæ iuncta fuerit confitenti, *vadit & assument septem alios spiritus nequiores se*, & ingressi per reciduationem habitant ibi.

Modo viuendum. Quartum, quid per septem nequiores spiritus intelligatur? Et nota, quod dici possunt hi septem nequiores spiritus. Primus est de peccato stulte se iactare, quod certè multi faciunt. Multi namque se de hoc iactant, quod sero inepti fuerunt: multi etiam de hoc gloriantur, quod tales virginem vel puellam cognoverunt. Multi etiam se de hoc iactant, quod sic & sic luserunt, & sic de multis aliis. Et certè grauius est de quocunque peccato commisso se iactare, quam illud simpliciter perpetrare, de talibus dicitur Proverb. 2. *Qui latantur, cum male fecerint, & exultant in rebus pessimis.* De his etiam dicit Apostolus ad Phil. 4. *Multi ambulant, quos sape dicebam vobis. Nunc autem & flens dico inimicos crucis Christi, quorum finis interitus, quorum Deus venter est, & gloria in confusione ipsorum.* Alia litera habet in pudendis, quia videlicet fortes sunt ad opus fornicationis exercendum.

Secundus est, peccatum commissum iuramenti negare: sicut faciunt, qui aliis tenentur in debitibus. Et cum ab eis fuerint debita requisita, iurant per Deum, & in reliquiis Sanctorum, quod in nullo eis teneantur. Nequam igitur spiritum habent, qui res aliorum iniuste detinent. Nequiores vero spiritum habent, qui, quod res aliorum non habeant vel possideant, iurant falso: hi enim furto & rapinæ etiam periculum superaddunt.

Tertius est, de peccato, quod ipse commisit, alium, qui innocens fuerit infamare; sicut multi faciunt, qui peccata, quæ ipsi commiserunt, impingunt innocentibus, ut sic excusentur ab ipsis. Sic fecerunt illi senes presbyteri in Daniele, qui de crimine adulterij, de quo ipsi rei fuerunt, Susannam innocentem infamaverunt, quam tamen Dominus per sapientiam Danielis mirabiliter liberavit. Nequam igitur spiritus est peccatum quaecunque committere. Nequior autem est de hoc innocentem quemlibet infamare.

Quartus est, causam peccati in Deum retor quer

quere. Iste nequior spiritus locutus est ex ore Adam & Eva in Paradiso. Per hoc enim, quod dixit Adam: *Mulier, quam dedisti mibi sociam, dedit mihi, & comedi:* quasi retorquet culpam peccati sui in Deum, qui ei dederat mulierem. Per hoc etiam, quod dixit Eva: *Serpens dedit mihi, & comedi:* & ipsa quodam modo peccatum suum obliquauit in Deum. Quasi diceret: Nisi tu serpentem creasses, per eum decepta non fuissim; & propterea non mihi debes imputare, sed tibi. Sic & hodie multi lingua huius spiritus nequioris loquiuntur, & dicunt: Si Deus noluisset, ego tale & tale peccatum non fecissem: dicunt etiam, si mihi immutabiliter præordinatum non fuisset, tale quid mihi non accidisset. Spiritus igitur nequam est, peccare: nequior autem spiritus est culpam peccati, quasi ineuitabile fuerit, in Deum retorquere.

Quintus est, peccati grauединem annullare: sicut multi faciunt, qui simplicem fornicationem & lascivas choreas, & grauem & inconsuetam exactionem in subditos suos, & similia, quasi nullum dicunt esse peccatum. Et certe pro leuiore peccato, id est, pro comedione vetiti pomi ipsum Dei Filium oportuit crucifigi. De talibus dicit Dominus in Ierem. 8. *Attendi & auscultavi; nemo quod bonum est loquitur. Nullus est, qui agat penitentiam de peccatis suis, dicens: Quid feci? Quasi dicat: Omnes peccata sua leuia reputant, & propterea vero dolore de eis non penitent, ut deberent. Spiritus ergo nequam est, peccata perpetrare: nequior est, ea contra conscientiam, quasi nulla sint, vel leuia defensare.*

Sextus est, peccati detestatores impugnare, sicut multi faciunt, qui bonos viros, qui in prædicationibus suis peccata detestantur, odiunt & impugnant. De quibus dicitur Sapient. 2. *Dixerunt impij, circumueniamus virum iustum, quoniam inutilis est nobis, & contrarius est operibus nostris: grauis est nobis etiam ad videndum, quoniam abstinet se à viis nostris, tanquam ab immunditiis, & prefert nouissima iustorum.* Spiritus itaque nequam est, peccata committere: nequior autem est, eos qui contra peccata prædicant, & homines ad conuersionem admonent, odire & persequi.

Septimus est etiam, ut pro se oretur, refutare. Multi enim ita delectantur in peccati dulcedine, & ita absorpti sunt à vanitate huius mundi: quod etiam molestum esset eis, ut oraretur pro eis, ut conuerterentur ad Dominum. Et tales certe dicunt Deo. *Recede à nobis, quorum fundamenta, id est, seculi prosperitatem ac corporis sanitatem fluuius mortis, & æternæ damnationis cito subuertet.* De istis dicitur in Iob. 22. *Fluuius subuertit fundamentum eorum, qui dicebant Deo. Recede à nobis; & quasi nihil posset facere Omnipotens, estimabant eum, cum ipse implesset domos eorum bonis: quorum sententia procul sit à me.* Igitur nequam spiritus est peccare, sed nequior est, ne à peccatis eximatur etiam orationes bonorum refutare.

Rogate ergo Dominum, ut ita ab his nequioribus spiritibus liberemur, ut tandem consortium Angelorum adipisci mereamur. Quod nobis, &c.

D. Alberti Magni Serm.

IN DOMINICA IV.  
Quadragesimæ

S E R M O   X X X I I .

*Accepit Iesus panes, & cum gratias egisset, distribuit discubentibus.*

Ioan. 6.

In præsenti Euangelio tria principaliter sunt hic notanda.

I. *Quid per quinque millia virorum detur intelligi?*

II. *Quid per quinque panes hordeaceos & duos pisces figuretur?*

III. *Quid per duodecim cophinos intelligi affirmetur?*



E primo nota, quod per quinque millia virorum quilibet Christianus intelligitur. Per piam enim animi compassiōnem, quantum ad proximum, & per deuotam in Deum affectionem seu dilectionem, & per sanctam cogitationem, & per utilē & mundā locutionem, nec non & per bonam ac iustam operationem, quilibet homo hic quinque millia repræsentat: sicut enim millenarius ex multiplice numero surgit & consistit; sic etiam multiplex pia compassio. Multiformis etiam est deuota dilectio: similiter multimoda est sancta cogitatio: multiplex est etiam utilis locutio, similiter & multiformis bona operatio. Et nota, quod haec quinque millia dicuntur viri fuisse, non mulieres. Sicut enim viri sunt fortiores ad laborandum: ita quilibet in quinque prædictis se debet strenue exercere, ut per ea retributionem perpetuam mercetur.

De secundo nota. quod per illos quinque panes hordeaceos haec quinque figurantur, videlicet, penitentialis satisfactio, sancta prædicatio, mortis recordatio, Sanctorum imitatio, & Domini corporis & sanguinis participatio. Duo pisces sunt, spes diuinæ pietatis, & dulcedo charitatis.

Primus itaque panis, qui necessarius est peccatori, ut per eum resumat vires gratiæ Dei, est penitentialis satisfactio. De isto pane legitur in Danielē, vbi dicitur, quod Habacuc intruerat panes in alueolo, quosque dictu ange-

F 3 lico

lico detulit Danieli in Babylonem, qui erat in lacu in medio septem leonum. Et nota, quod in loco isto per Danielem peccator potest intelligi. Per lacum vero Babylonicum intelligitur ergastulum, sive captiuitas huius mundi. Per septem vero leones septem principalia peccata figurantur, videlicet, superbia, ira, inuidia, acedia, auaritia, gula, & luxuria: à quibus vix aliquis potest esse tutus, nisi per diuinam gratiam custodiatur. Et nota, quod sicut panis frangibilis est in frusta, ita ad minus ex quinque consistit vera pœnitentia, videlicet, contritione, confessione, oratione, carnis maceratione, & eleemosynarum largitione.

Secundus panis est sancta prædicatio, sive verbum Dei. De hoc pane Dominus dicit Matth. 4. *Scriptum est, non in solo pane vivit homo, &c.* Iste etiam panis diuisibilis est in qnatior frusta, per Dei enim verbum virtutes commendatur, & virtus reprobantur. Item per verbum Dei supplicia peccatoribus ostenduntur, & iustis æternæ gaudia promittuntur. De hoc pane dicit Apost. 2. Tim. 3. *Omnis Scriptura diuinitus inspirata, utilis est ad docendum, ad arguendum, ad corripiendum, ad erudiendum.* Ad docendum per virtutem & bonorum operum commendationem, ad arguendum per vitiorum reprobationem, ad corripiendum per æterni supplicij peccatoribus ostensionem, ad erudiendum per sempiterni gaudiis iustis promissionem.

Tertius panis est mortis & incinerationis recordatio. De isto pane dicitur in 3. Reg. 19. *Cum enim dormiret Elias sub umbra iuniperi, excitatus ab Angelo innenit ad caput suum panem subcineritum, & vas aquæ.* 1. Ad admonitionem vero Angeli panem illum comedit, & ambulauit in fortitudine cibi illius 40. diebus & 40. noctibus usque ad montem Dei Horeb. 2. Per iuniperum quæ spinas habet pro foliis, & tamen proiicit umbram, intelligitur pungitum seculi delectatio. 3. Ille igitur dormit sub umbra iuniperi, qui putat quietem & delectationem inuenire in spinosis gaudiis huius seculi. 4. Huic ergo necesse est, ut excitatus gratia Dei inueniat panem subcineritum & vas aquæ ad caput suum, in quo est memoria, id est, ut recogitet se cito in cinerem reuersurum. 5. Consideret etiam, quod omnia gaudia huius seculi pertransiunt more fluentis aquæ, & sic confortatus hac consideratione peruenire poterit ad mensam Domini, ubi est vera requies. 6. Horeb enim interpretatur mensa. De hoc etiam pane dicit Psal. 101. *Cinerem tanquam panem manducabam, &c.*

Quartus panis est sanctorum imitatio. Exempla enim Sanctorum fideliter inspecta, mirabiliter confortant hominem contra aduersa & prospera huius mundi. Accipit etiam homo ab exemplis Sanctorum spem veniæ & desiderium gloriæ. Ipsi enim fortes erant in aduersis huius mundi sustinendis, & in prosperis præsentis seculi contemnendis. Ipsi quoque vere pœnitentes, ut pote Maria Magdalena, & multi alii suorum criminum veniam obtinuerunt. Ipsi nihilominus ad coronam gloriæ obtinendam fortiter exarserunt. De hoc pane habetur Num. 14. ubi legitur, quod cum Iosue & Caleph terram promissionis explorassent, reuersi dixerunt: Si-

cut panem populum terræ deuorabimus. Et nota, quod sicut legitur in Leuit. Olim in lege tria genera panum habebantur, videlicet, panes oleo liniti, & panes in sartagine frixi. Item panes similaginei simpliæ iter in clibano cocti. Per primos intelliguntur Apostoli, quos Dominus uinxit in Pontifices huius mundi. Per secundos figurantur Martyres, qui frixi fuerunt in sartagine passionis. Per panes azymos & similagineos intelliguntur Virgines & Continentes, quorum studium erat, ut essent corpore & anima mundi.

Quintus panis est corporis & sanguinis Dominici participatio. De hoc pane dicit Dominus Ioan. 6. *Ego sum panis, qui de cælo descendit: si quis manducaverit ex hoc pane, vivet in æternum; & panis quem ego dabo, caro mea est pro mundi vita.* Ad hunc panem digne sumendum requiritur munditia cordis, oris, & operis.

Duo pisces sunt spes diuinæ pietatis, & dulcedo charitatis: sicut enim pisces semper sursum nititur, ita spes & charitas niti faciunt animam ad superiora.

De tertio nota, quod per duodecim cophinos figurantur duodecim præmia, seu gaudia, quæ ex prædictis panibus & duobus piscibus reportantur. 1. Ex pane enim pœnitentiæ colliguntur duo cophini. Primus est baptismalis innocentia. Secundus fructuosa iustitia. Qui enim vere pœnituerit, recipit baptismalem innocentiam, & venit ante Deum cum multo fructu iustitiae & bonorum operum. 2. Ex pane verbi Dei colliguntur duo cophini, quorum unus est auditus angelicæ modulationis, alter plenitudo cognitionis. Qui enim libenter audit verba prædicatorum, tandem audiet cantum Angelorum, & videbit ibi, & cognoscet omnia, quæ hic audiuit. 3. Ex pane tertio, id est, memoria incinerationis colliguntur duo cophini, videlicet, animæ glorificatio, & corporis dotatio. Qui enim ex se memoria sicut mortis emendauerit, & animæ & corporis glorificationem assequetur. 4. Ex quarto pane reportantur duo cophini: unus est Sanctorum societas, alter Angelorum æqualitas. Qui enim sanctos fuerit imitatus, Sanctis in in cælo sociabitur, & Angelis æquabitur. 5. Ex pane Eucharistiae colliguntur duo cophini: unus est iucundæ visionis, alter suauissimæ fruitionis. Qui enim digne nunc sumperit corpus & sanguinem Iesu Christi, tunc eum facie ad faciem videbit iucundissime, & fruetur etiam eo suauissime.

1. Ex pisce spei colligitur unus cophinus, id est, corona gloriæ. Qui enim se per spem infatigabiliter extendit ad supercælestia, apprehendet coronam gloriæ sempiternæ. 2. Ex pisce charitatis colligitur unus cophinus, id est, plena possessio supercælestis curiæ. Qui enim veram habuerit charitatem, cum ipsa sit regina mundi, per ipsam omnium bonorum Domini plenus possessor constituetur.

Rogate ergo Filium Dei, ut sic panibus prædictis cibari mereamur in terris, ut cophinos plenos totius gaudiæ inueniamus in cælis. Quod nobis praestare dignetur, &c.



IN DOMINICA V.  
Quadragesimæ

S E R M O   X X X I I I .

*Abraham pater vester exultauit, ut videret diem meum: vidit & gaudius est. Ioan.8.*

In verbis præmissis tria principaliter sunt hic notanda.

- I. *Quis sit dies Domini, de cuius visione Abraham gratulatur?*
- II. *Quando diem istum vidisse credatur?*
- III. *Quid à nobis, qui diem hunc expressè vidimus, requiratur?*



E primo nota, quis sit dies, de cuius visione Abraham gratulatur. Et nota 1. quod secundum Glossam Abraham in spiritu vidit diem incarnationis Christi, vidit etiam diem æternitatis eius, & ex hac visione mirabiliter exultauit. Vnde Glossa, Incertum est, an diem temporalem, quo erat venturus in carne, an diem æternitatis: sed utrumque Abraham vidit. Vnde ineffabile gaudium illi: quanti enim est videre verbum apud Patrem, & quod ipsum caro factum est? Et licet testimonio Glossæ hos dies viderit, dici etiam salua fide potest, quod vidit etiam in spiritu, & vero intellectu diem redēptionis, diem videlicet Passiōnis Iesu Christi, per quam redēptum fuit omne genus humanum: nihil enim nasci profuit, nisi redimi profūisset.

De secundo nota, quando diem Domini, scilicet, diem redēptionis vidisse credatur, & dici potest, quod tunc, cum nūs fuit proprium filium immolare. Legitur enim in Genes. 22. quod Dominus ad manifestandam obedientiam Abrahæ, imo ad ostendendam ipsi Passiōnem Iesu Christi præcepit ei, ut filium suum, quem diligebat Isaac in monte Moria immolaret. Igitur *Abraham de nocte consurgens nemini, quod facturus erat, indicans, stravit aspernum suum, dicens secum duos iuuenies, & filium, & init iter duorum dierum.* Tertio die relictis iuuenib[us] infra cum asperno, & acceptis lignis & igne solus cum filio montem ascen-dit: cui cum filius in mortem propriam consen-sisset, & pater extracto gladio iam filium esset immolatus, clamans Angelus inhibuit ei puerum occidere. Et cum post tergum respiceret, vidit arietem inter vepres hærentem cornibus, quem arripiens immolauit. Et tunc Dominus creditur ei reuelasse redēptionem totius generis humani faciendam per Passiōnem dilectissimi Filii Iesu Christi, supra qua redēptione ultra, quam dici potest, exultauit.

*D. Alberti Magni Serm.*

Et nota, quod *Abraham* interpretatur *pater multarum*, & subintelligitur Gentium, & signat Deum patrem, qui per creationem pater est totius generis humani. *Isaac* interpretatur *risus vel gaudium*, & figurat Iesum Christum, qui risum fecit matri sua in nativitate; quia ipsa eum peperit absque dolore. Quando etiam natus fuit, gaudium fuit Angelis, suscitatum ab Angelis etiam tunc gaudium fuit pastoribus, imo omni fideli populo nuntiatum.

Nota etiam, quod sicut tradunt Hebræi, in monte Moria postea à Salomone templum factum fuit, & in eodem loco, ubi Abraham aram erexerat, altare fuit constitutum. 1. Tunc igitur verus Abraham in montem Moriam ascendit immolare filium suum, quando Deus Pater Iudeis & Gentibus potestatem permisive dedit, ut filium suum unigenitum Iesum Christum in monte Caluariæ, qui erat conterminus ciuitati Ierosolymitanæ, crucifigerent. 2. In hoc autem, quod filius non fuit Iesus, sed aries immolatus, notatur, quod non fuit passa diuinitas, sed anima & caro Christi, quæ quodammodo inter vepres habet: quia licet non esset peccatrix, tamen videbatur similis carni peccatri. 3. Vepres enim vel spinæ signant aculeos peccatorum: signant etiam punctiones poenitutatum, in quibus Virginis Filius secundum carnem verissime habet, quamdiu in hoc seculo antequam crucifigeretur, vixit.


De tertio nota, quod à nobis, qui diem Passiōnis Iesu Christi, & redēptionis humanæ expressius vidimus, quam viderint Patriarchæ, tria specialiter requiruntur. Primum est, ut ab illis vitiis, pro quibus diluendis passus est Dei Filius, caueamus. Secundum est, ut ei iugiter gratias agamus. Tertium est, ut ei etiam vices bonorum operum repandamus.

Et nota, quod quatuor fuerunt peccata Adam & Euæ, videlicet 1. inobedientia, qua præcepta Dei non seruauerunt. 2. superbia, qua similitudinem Dei perperam appetierunt. 3. auaritia, qua boni & mali scientiam sicutierunt. 4. gula, qua de fructu vetito gustauerunt.

Vnde ab his 4. prædictis cauere debemus, quia sunt radices & originalia omnium peccatorum. 1. Contra inobedientiam loquitur Dominus Luc. 18. *Amen dico vobis, quicunque non accepit regnum Dei, sicut puer, non intrabit in illud.* Q.d. sicut bonus puer obedit patri & matri, obedit etiam magistro suo; sic quilibet Christianus debet obedi-re mihi; debet etiam obedi-re plebano suo in omni salutari mandato, alioquin non intrabit in regnum meum. 2. Contra superbiam dicit Dominus Luc. 13. *Omnis qui se exaltat, humiliabitur, &c.* Eadem verba dicit Luc. 18. legitur etiam Luc. 10. quod cum Discipuli dixissent: *Domine, etiam demonia subiiciuntur nobis in nomine tuo.* Respondit illis: *videbam satanam sicut fulgur de calo cadentem.* Q. d. Cauete vobis à vana gloria, ne à gratia & gloria sicut satanas excidatis. 3. Contra auaritiam dicit Luc. 12. *Videte & cauete ab omni auaritia:* quia non in abundantia cuiusquam vita eius est ab his quæ possidet. 4. Contra gulam ait Luc. 21. *Attende vobis, ne forte grauentur corda vestra in crapula, & ebrietate, & curis huius vitiæ, & superueniat in vos repentina dies.* Item gratias agere debemus Domino pro eo, quod nobis sanguinem suum fudit: vnde Sacerdos quotidie di-

cit in Missa: *Gratias agamus Domino Deo nostro, & responderetur ei: dignum & iustum est.* Vnde legitur Apoc. 5. quod exercitus cæli magnificas gratias egit agno, quoniam occisus erat, & redemerat eos Deo in sanguine suo.

Tertio requiritur à nobis, quod Filio Dei etiam vices bonorum operum rependamus, quia per sanguinem suum redempti sumus, vnde Petr. in Can. 2. *Christus passus est pro vobis, vobis relinquent exemplum, ut sequamini vestigia eius.* Consequemur vestigia eius, si corde, ore, & opere, & rebus nostris, sanguini suo fideliter seruiamus. Quod nobis præstare dignetur, &c.



## IN DIE PALMARVM

### S E R M O   X X X I V .

*Adduxerunt pullum ad Iesum, & imposuerunt illi vestimenta sua, & sedis super eum. Multi autem strauerunt vestimenta sua in via: alij autem frondes cædebant de arboribus, & sternebant in via, & qui praibant, & qui sequebantur, clamabant dicentes: Osanna, benedictus qui venit in nomine Domini.*

Matth. 21.

In verbis præmissis sex breuiter sunt consideranda.

- I. *Qui sunt Discipuli, à quibus pullus in binio soluitur?*
- II. *Quis sit pullus vel asellus, qui Christo adducitur?*
- III. *Quis sit ornatus vestimentorum, qui pullo supponitur?*
- IV. *Quæ sunt vestimenta, quæ in via prosternuntur?*
- V. *Qui sunt frondes, qui in via proiecuntur?*
- VI. *Quid significant laudes, quæ à præcedentibus, & subsequentibus proferuntur?*



E primo nota, quod Discipuli Domini, per quos pullus a finē soluitur, sunt misericordia & veritas. Misericordia, quæ Dominum, vt pro nobis crucigeretur, induxit. Veritas, qua hoc, quod patribus nostris promiserat, ad effectum perduxit. De istis duobus

Discipulis dicitur in Psal. 88. Misericordias Domini, &c. Misericordia & veritas præcedent faciem tuam.

De secundo nota, quod per asellum sive pulkum asinæ intelligitur crucis patibulum, propter tres rationes, quarum prima est, quia & asellus portat in humeris suis signum crucis. Secunda ratio est: quia asellus est animal natum ad labores, & ad onera portanda, sic & crux Domini tulit peccata mundi. Vnde dicit Apostolus ad Collof. 2. quod Christus chirographum decreti, id est, peccatum Adæ, quod erat contrarium nobis: tulit de medio, & affixit illud cruci. Tertia ratio est, quod hoc vocabulum pullus sive asellus sonat infirmitatem sive debilitatem: virtus enim & potestas Christi, quasi infirmata videbatur in cruce. Infirmitatem suam sive debilitatem ostendit Christus in Psal. 21. vbi dicit: *Dens Deus meus respice in me, &c. & infra: Ego sum vermis & non homo, opprobrium hominum, & abiectio plebis.*

1. Hic asellus ergo stabat in biuio, vt per hoc innueretur, quod gentiles & Iudei, qui diuersis contrariis viis ibant, per sanguinem Filij Dei, & per fidem crucis forent redimendi, & Christo qui est lapis angularis, per crucem essent adunandi. 2. Stabat etiam iste asellus ante ianuam, vt per hoc figuraretur, quod sancta crux esset apertura ianuam regni cælestis. 3. Stabat autem pullus ligatus, quia nullus inueniebatur in terris adeo innocens & mundus, quod per mortem suam posset saluare genus humanum. 4. Vnde venerunt duo Discipuli Domini, videlicet, misericordia & veritas, & soluerunt hunc pullum, id est, ostenderunt Dei Filio referuatam mortem crucis, & adduxerunt asellum ad Iesum, & Iesum ad asellum. Quia per misericordiam & veritatem Iesus invitatus baiulauit sibi crucem, exiens in eum, qui dicitur Caluariæ locus, sicut testatur Ioan. 19.

De tertio, quod vestimenta, quæ pullo supponuntur, antequam Iesus super eum sedeat, signant fructum redemptionis, & gloriam Resurrectionis. Vnde dicit Apostolus ad Heb. 12. *Iesus proposito sibi gaudio sustinuit crucem, confusione cõtempcta.* Vestimenta igitur asello superposita, sunt duplex gaudium, quod Christo, antequam pateretur, propositum fuit & ostensum, videlicet, gaudium quod erat habiturus ex fructu redemptionis generis humani; & aliud gaudium, quia erat cum gloria resurrecturus, & cum carne, qua passus fuerat, ad Patris dexteram reuersurus. Hæc igitur gaudia intuens confidenter ascendit in crucem.

De quarto nota, quod vestimenta, quæ à turba prosternuntur in via, signant corpora nostra. Dicitur enim in Psal. 101. quod *omnes sicut vestimentum veterascent.* Et nota 1. quod olim sancti Martyres prostrauerunt in via Christi vestimenta coccinea, quoniam corpora sua tradiderunt ad supplicia. Coccus namque sanguinei coloris est. 2. Confessores autem miserunt in via Christi vestimenta hiacynthina, quoniam vigiliis & jeuniis macerauerunt corpora sua, & cor semper eleuatum habebant ad supercælestia. Hiacynthus siquidem aërei coloris est. 3. Virgines vero & Continentes prostrauerunt in via Christi byssina vestimenta. Obtulerunt enim corpora sua candida & immaculata Filio Dei, qui est candor lucis aeternæ. Byssus namque est quoddam genus lini candidissimi, quod nascitur in Ægypto.

Sic &

Sic & nos ad imitationem nostram debemus offerre Deo pro nobis Crucifixo corpora nostra per martyrij desiderium, vel saltem per aquanum tolerantiam infirmitatum. Debemus etiam ea offerre tanquam confessores per carnis maccrationem, & sicut virgines & continentes per castitatis & continentiae conseruationem. Sed heu multi faciunt è conuerso. Multi enim sunt, qui omne incommodum carnis fugiunt, & in suis infirmitatibus murmurant & blasphemant. Item multi sunt, qui libentius vadunt ad tabernas, ut ibi vident potationibus, quam eant ad Ecclesias, ut illuc instent orationibus. Item plurimi sunt, qui offerunt corpora sua meretrici, & student fornicationi.


Nota etiam, quod vestimenta nostra munda & noua debemus prosternere in via Dei: sed aliqui sunt, qui corpora sua toto tempore vita suæ polluta, cum fuerint inueterata & emortua, tunc primo volunt ea mitti in viam Christi. Cum enim mortui fuerint, & subter eos sternetur tinea, & experimentum eorum vermes erunt: tunc primo se in claustris faciunt sepeliri: contra quod dicit Apost. ad Rom. 12. *Obsecro vos fratres per misericordiam Dei, ut exhibeatis corpora vestra hostiam viuentem, sanctam, Deo placentem. Viuentem, ut sancti & iuuenes Deo seruiatis: sanctam, ut in bono opere iugiter persistatis.* Sanctus enim est, qui firmus Deo placet: & quicquid agitis, simplici & recta intentione faciatis.

De quinto nota, quod frondes, qui sternuntur in via, signant sanctas eleemosynas, quas quilibet Christianus ab arbore iusta sua hereditatis, vel ab arbore proprij laboris decerpere debet, & iactare in viam Crucifixi. Et nota, quod vereissimum est, quod quidam horum frondium fuerunt frondes oliuarum, quia transitus Domini tunc erat per montem oliueti. Oliua vero profert oleum, dolores lenificans. Vnde per frondes oliuarum signantur eleemosynæ, quæ dantur ex possessione talis hereditatis, quæ bona conscientia possidetur. Ioan. etiam dicit 12. quod cum ramis palmarum processerunt obuiam Christo; sed palma corticem habet asperam & amaram. Vnde per ramos palmarum exprimuntur eleemosynæ, quæ ex iustis laboribus manuum offeruntur.

Et nota, quod quidam offerunt frondes aridos, tales videlicet, qui tunc dant eleemosynas, quando bona sua non possunt diutius possidere. Alij offerunt ramos veneno infectos, qui putant redimere animas suas talibus eleemosynis, quas per usuras & alias iniquitates conquerierunt.

De sexto nota, quod illi, qui laudes Deo obulerunt, precedentes & subsequentes significant bonos Christianos, qui gratias puotidie agunt super omnibus beneficiis exhibitis. Qui etiam per deuotas orationes satagunt digni inueniri diuinis beneficiis in patria exhibendis.

*Quod nobis præstare dignetur, &c.*



## IN COENA DOMINI

### SERMO XXXV.

*Vos vocatis me, Magister & Domine: & bene dicitis: sum etenim. Ioan. 13.*

Duo occurunt hic notanda.

- I. *Quare Iesus Magister vocetur?*
- II. *Quare etiam Dominus appelletur?*



E primo nota, quod ideo Magister vocatur, quia docet nos exemplis & verbis. Vnde dicitur de eo Act. 1. quod cœpit facere & docere. Et ut perfectius nos doceat, semetipsum nobis exhibit quasi librum legendum. Hinc est, quod dicitur Apoc. 5. *Vidi in dextera sedentis super thronum librum scriptum intus & foris, & signatum sigillis septem.* 1. Iste liber, quem vidi ille verax Discipulus, est Iesus Christus. Ipse enim sedet ad dexteram Patris super thronum eius. 2. Iste liber scriptus est intus literis multiplicitis bonitatis: scriptus est etiam foris literis multiplicitis asperitatis, videlicet, flagellis, spinis, clavis, & lancea. 3. Iste etiam liber ab æternō signatus fuit 7. sigillis, quia ab initio & ante secula præordinatum fuit, quod Filium Dei oportet pro nobis nasci, circumcidiri, mori, sepeliri, resurgere, ad celos ascendere, & inde ad iudicium redire. 4. Ista autem sigilla successiue fuerunt aperta, septimum aperietur.

Et nota, quod in isto Magistro tria principali sunt notanda. Primo enim exemplum admirandæ humilitatis. Secundo cum Discipulis suis Pascha facit eximia charitatis. Tertio vocat nos vocatione quadriformis utilitatis.

De I. videlicet, de exemplo admirandæ humilitatis, legitur Ioan. 13. *Surgens Iesus à cœna, ponit vestimenta sua, & cum accepisset linteum, præcinctus se. Deinde misit aquam in petuum, & cœpit lauare pedes Discipulorum suorum, & exterit linteum, quo erat præcinctus. Sequitur: Postquam ergo lauit pedes eorum, accepit vestimenta sua: & cum recubuisse, iterum dixit eis: Scitis, quid fecerim vobis? Si ergo ego laui vestros pedes, Dominus & Magister; & vos debetis alter alterius lauare pedes. Exemplum enim do vobis, ut quemadmodum ego feci vobis, ita & vos faciatis.*

Nota igitur ad literam, magnum hic humilitatis exemplum exhibetur; vnde dicit Glossa super locum illum, *sciens quia omnia dedit ei Pater in manus, & quia à Deo exiit, & ad eum vadit: surgit de cœna, & ponit vestimenta. &c.* Glossa. Præmisit altitudinem suppositurus humilitatem; ut perfecte commendetur humilitas homini, cum tam altus sic se humiliavit, ut pedes traditoris lauaret. Bonum igitur est, prædictum sequamur humilitatis exemplum. Dicit enim Glossa super verbum illud: *Exemplum dedi vobis. Qui ad pedes*

inclinatur humiliatus, ei in corde excitatur, vel si iam est, confirmatur humilitatis affectus.

Nota. Prædicta verba sic potes moraliter exponere. *Surgit Iesus à cœna*, id est, de sinu & contemplatione paterna, vt nos ad cœnam refectionis æternæ vocaret. Et ponit vestimenta sua, videlicet immortalitatis indumenta, factus pro nobis mortalibus, vt nos stola immortalitatis indueret. *Et cum accepisset linteum, præcinxit se*, carnem mundam assumens de Virgine, vt nos ad bellandum virtute & gratia præcingeret. *Deinde misit aquam in peluum*, sanguinem pretiosum effundens in mundum, vt nos ab infectione vitiorum mundaret; & cœpit lauare pedes Discipulorum suorum, affectus nostros videlicet purificans, vt nos dignius ad consortium suum, esunque sui compararet. Quod cum Discipulis Pascha celebrat charitatis, dicit Luc. 22. *Venit dies azymorum, in qua necesse erat occidi Pascha, & misit Petram & Ioannem*, dicens: Euntes parate nobis Pascha, & manducemus. At illi dixerunt, ubi vis, paremus? & dixit ad eos: Ecce introeuntibus in ciuitatem, occurret vobis homo amphoram aquæ portans, sequimini eum in domum, in quam intrat, & dicetis patremfamilias domus: Dicit tibi Magister, Vbi est diuersorium, ubi Pascha cum Discipulis meis mæducem? Et ipse vobis ostendet cœnaculum magnum stratum, & ibi parate.


Nota, quod Pascha intelligitur quotidiana recordatio Passionis Iesu Christi. Quotidie enim necesse est, vt ore animæ manducemus illum verum Agnum paschalem, videlicet, Iesum Christum, assum igne Passionis in veru sive craticula sanctæ crucis. Et certe ipse tunc Pascha manducat nobiscum, quando ei cor nostrum in igne sue Passionis assum, per martyrij desiderium propinquimus ad edendum. Sed nota, quod Petrus & Ioannes missi fuerunt, vt Pascha præpararent, quos tamen homo amphoram aquæ baiulans introduxit in domum ad patremfamilias, apud quem in magno cœnaculo strato Pascha fuit præparatum. 1. Per Petrum, qui interpretatur agnoscens, intelligitur fidei intellectus. 2. Per Ioanneum, qui interpretatur gratia, notatur operis effectus. 3. Per hominem amphoram aquæ porantem significatur deuotionis affectus. 4. Deuotio enim lacrymas portat in domum mentis. 5. Per patremfamilias interpretatur spiritus cuiuslibet Christiani; in cuius cœnaculo, id est, corde, quod magnū debet esse, per extensionem sanctorum desideriorum, & stratum per sanctarum virtutum ornatum mysterio intellectus, & effectus, ductu affectus: Magister Iesus Pascha facit per suæ Passionis quotidianâ recordationem, per quam charitatem in nobis mirabiliter accedit & confirmat.

De III. videlicet, quod vocat nos vocatione quadriformis utilitatis, habetur in Ioan. 11. vbi Martha dixit sorori suæ Mariæ: *Magister adeſt, & vocat te*. Per Martham, quæ interpretatur provocans, exprimitur gratia Dei, quæ semper provocat animam ad conuersionem, & ad bonam operationem. Per Mariam vero, quæ interpretatur Domina, intelligitur fidelis anima, quam Dominus ad hoc condidit, vt Domina esset cæli & terræ.

Vocat igitur Magister Iesus Mariam, id est, animam. Primo vt operetur; vnde Cant. 2. *Surge propera amica mea, columba mea, formosa mea, & veni*. Iam enim hyems transiit, imber abiit & recessit,

*flores apparuerunt in terra nostra, tempus puracionis aduenit*. Q.d. O anima, quæ debes esse amica mea per charitatem, columba per simplicitatem, formosa per castitatem; surge à lecto corporis: propera & veni, vt opereris. *Hyems enim*, id est, tempus inertiae recessit, & tempus putat ionis, hoc est, tempus laboris aduenit. Secundo vocat eam, vt in ipso quasi in quodam libro meditetur; vnde Cant. 2. *Surge propera amica mea, speciosa mea, & veni columba mea in foraminibus petra, & in cauerinis macerie, ostende mihi faciem tuam*. Foramina petrae sunt vulnera pedum, & vulnera manuum Domini; cauerna maceria est ostium lateris Iesu Christi. In hæc ergo foramina, & in hanc maceriam debet anima se transferre, vt ibi beneficia Domini meditetur, vt columba. Quandoque enim anima in hac vita debet operari, quandoq; contemplari. Tertio vocat eam, vt coronetur: vnde Cant. 4. *Veni de Libano sponsa mea, veni, &c.* Q.d. O anima, quæ dupliciter es in Libano: & per cordis puritatem, & per corporis castitatem: *veni per fidem, veni per spem, veni per charitatem: coronaberis enim corona gloriae & ferro exultationis*. Quarto vocat eam, vt secum delicietur. Vnde Canticorum 5. *Veni in hortum meum, foror mea sponsa: messui myrrham meam cum aromatibus meis. Comedi fauum cum melle meo, bibi vinum meum cum lacte meo*. Quasi diceret: O anima, quæ cohæres mihi eris, tanquam sis foror: quæ etiam consors eris regni mei, tanquam sis sponsa mea: *veni in horrum deliciarum mearum. Messui enim myrrham meam cum aromatibus meis*, id est, congregauit illic electos meos, qui tanquam myrrha propter me dure passi fuerunt. Qui etiam tanquam aromata bonum odorem suorum operum mundo diffaderunt; vbi etiam comedo, & ad comedendum exhibeo fauum meæ diuinitatis cum melle humanitatis meæ: ibi etiam bibo cum electis meis vinum exultationis cum lacte maternæ consolationis.

Modo dicendum esset, quare Iesus Dominus appelletur, sed hoc ad præfens prosequi non possumus. Rogate ergo prædictum Magistrum pium Iesum, vt sic simus imitatores suæ humilitatis, ac eximiæ charitatis, vt tandem nos participes faciat suæ claritatis. Quod nobis præstare dignetur, &c.



## IN DIE SANCTO PASCHÆ

### SERMO XXXVI.

*Pascha nostrum immolatus est Christus. Itaque epulemur in azymis sinceritatis & veritatis.*



OT A, quod ille agnus typicus, quem olim Iudei cum azymis & laetucis agrestibus comedebant, Pascha vocabatur; vnde dicunt Discipuli ad Iesum Matth. 26. *Vbi vis, paremus tibi comedere Pascha?* Vnde etiam Iesus ait Discipulis suis Luc. 22. *Desiderio*

# In die sancto Paschæ Serm. XXXVI. 69

Desiderio desideravi hoc Pascha manducare vobis, antequam patiar. Nota etiam, quod Apostolus hoc loco Pascha appellat Iesum Christum. Ipse enim verus est agnus, qui abstulit peccata mundi. Ipse est ille agnus, quem in figura tunc obtulit iustus Abel, sanctum sacrificium, immacularam hostiam. Ipse est agnus, de quo dicit Isa. 53. *Sicut ovis ad occasionem ducetur, & quasi agnus coram tondente se obmutescet, & non aperiet os suum.* Dicit igitur Apostolus: Pascha nostrum immolatus est Christus. Itaque epulémur in azymis sinceritatis quantum ad dulcem affectionem, & veritatis, quantum ad bonam operationem. Et nota, quod olim ad esum agni typici multa requirebantur, quæ spiritualiter intellecta requiruntur etiam à nobis, qui verum agnum Iesum Christum, ab origine mundi occisum, sacramentaliter manducamus. Primum est, quod mandatum fuit eis, ut sumerent agnum absque macula, masculum anniculum. Vnde Exod. 3. *Erit agnus absque macula, masculus anniculus.* Per quod innubatur, quod non per feminam aliquam, sed tantum per Iesum masculum de immaculata Virgine immaculatè conceptum & natum, & sine omnī macula, tam originali, quam actuali existentem, saluari nos oportet: propterea cum annus per duodecim menses labatur, & mensis dicatur à mene, quod est effectus, propterea agnus ille erat anniculus, quia & Christum oportuit suscipere duodecim defectus pœnalitatum nostrarum. Ipse enim vere esuriit & sitiuit, vere frigus patiebatur & aestum, vere doluit, & mortuus fuit. Secundum est, quod alienigena non vescebatur ex eo, vnde dicitur Exod. 12. *Hec est religio Phæ: Omnis alienigena non comedet ex eo.* Per hoc innuitur, quod illi, qui per sententiam excommunicationis quasi ethnici & publicani sequestrati sunt ab Ecclesia & à fidelium confortio, non debent accedere ad communionem & participationem sacrosancti corporis Iesu Christi; & si accesserint, peccant mortaliter.

Tertium est, quod oportuit eos circumcisos esse, qui vescebantur ex eo; vnde Exod. 12. *Si quis circumcisus non fuerit, non vesetur ex eo.* Per hoc innuitur, quod corpus Christi sumpturi circumcidere cor, linguam, & manum debent: cor ab odio & rancoris veneno, linguam à periurio & turpiloquio, manum à malis operibus, & ab immundis attackibus.

Quartum, quod renes accingebant; vnde Exod. 12. *Renes vestros accingeris.* Per hoc intelligitur, quod corpus Domini sumpturi renes suos, in quibus est seminarium luxuriae, debent accingere cingulo castitatis. Hunc autem cingulum confidere debemus ex fune, quo Dominus ligatus fuit ad columnam; vnde Iob 12. *Baltheum regum dissoluit, & præcinxit fune renes eorum.* Per baltheum intelligitur iactantia corporalis fortitudinis, quem Dominus dissoluit, & fune spiritualis roboris, hoc est, castitatis præcinctus renes electorum suorum.

Quintum est, quod calceos in pedibus habebant: vnde Exod. 12. *Calceamenta habebitis in pedibus.* Per hoc innuitur, quod corpus Domini sumpturi corio, id est, recordatione mortis suæ, & exemplis Sanctorum pedes affectuum suorum munire debent ac vestire contra auaritiam & inquinamenta secularium delectationum.

Sextum est, quod baculos in manibus tenebant. Sequitur Exod. 22. *Tenentes baculos in manibus.* Per quod datur intelligi, quod corpus Domini accepturi debent recordari, se peregrinos esse super terram, & quod baculum S. Crucis oportet eos in manibus operationum suarum iugiter deportare.

Septimum est, quod festinanter comedebant. Sequitur Exod. 12. *Et comedetis festinantes.* Per hoc innuitur, quod communicaturi debent sumere corpus Domini cum festinantia, id est, cum ardore sancti desiderij: qui enim ardenter esuit, comedit festinanter.

Octauum est, quod os ex eo non confringebant; vnde Exod. 12. *Os illius non confringetis.* Per hoc innuitur, quod ad corpus Domini accessuvi Sacramentum Eucharistiae non nimis subtiliter debent perscrutari, sed simplici fide oportet eos esse contentos. Perscrutator enim maiestatis opprimetur à gloria. Os enim confringit, quod vult ad medullam peruenire, quod ad plenum hic non potest fieri. In patria vero videbimus medullam, eaque fruemur.

Nonum est, quod de carnis eius nihil effrebat foras; vnde Exod. 12. *Nec efferetis de carnis foras.* Hic euidenter ostenditur, quod nihil de hostia in ore vel in peplo efferti debet de Ecclesia, quod multoties fecerunt sortiariae mulieres à Domino condemnandæ.

Decimum est, quod carnes agni non aqua coctas, sed igni assas edebant; vnde Exod. 12. *Et edent carnes nocte illa assas igne.* Per hoc notatur, quod non aqua luxuria feruentes, sed igne sancti Spiritus & charitatis ardentes debent accipere corpus Domini.

Vndecimum est, quod nihil ex eo crudum sumebant: vnde Exod. 12. *Non comedetis ex eo crudum quid.* Per hoc exprimitur, quod nullus sine deuotione saltem mentali sacrofæctam hostiam debet accipere. Ille enim quasi crudum sumit corpus Domini, qui illud pruni deuotionis non assūt audet accipere.


Duodecimum est, quod caput cum intestinis & pedibus comedebant; vnde Exod. 12. *Caput cum pedibus eius & intestinis vorabitis.* Per hoc ostenditur, quod communicaturi fidem integrum de diuinitate & humanitate Iesu Christi debent habere: quasi enim caput manducat, qui credit diuinitatem: sed non confitetur humanitatem. Pedes autem comedit & non caput, qui Iesum tantum hominem, & non Deum confitetur. Caput vero & pedes sine intestinis manducat, qui licet Christum credat Deum & hominem, tamen infirmitates eius & miseras abhorret, & confiteri reformat, sicut quidam hæretici, qui credebat Iesum sine dolore passum, sicut sagitta traicitur per aerem.

Tredecimum est, quod si quid residuum fuerit, igni comburebant. Vnde Exod. 12. *Si quid residuum fuerit, igne comburetis.* Per hoc innuitur, quod subtilitates fidei, quæ supra nos sunt, igni quem Dominus venit mittere in terram, id est, sancto Spiritui, debemus committere.

Quartundecimum est, quod cum azymis & lactucis aggressibus agnum comedebant; vnde Exod. 12. *Et edent azymos panes cum lactucis aggressibus.* Per hoc ostenditur, quod communicaturi sine fermento tumidae & male conscientiae, sed

cum azymis mundæ & humilis conscientiæ, & cum lactucis, id est, contritionis amaritudine ad sumendam sacrosanctam hostiam debent accedere.

Quintumdecimum est, quod luna quartadecima, hoc est, quod in plenilunio agnum typicum comedebant. Per hoc innuitur, quod nullis pueris, nisi eis qui ad annos discretionis peruererunt, in quibus videlicet, quasi plena luna est, id est, quorum fides & ratio à vero sole, id est, Christo Iesu, sufficienter est illuminata, dari debet à Sacerdotibus corpus Christi. Sæpe enim ex hoc negligentia contigerunt, quod pueris indiscretis, & virtutem huius sacramenti ignorantibus datum fuit corpus Christi. Rogate ergo Deum Patrem, ut ad corpus Filii sui sumendum tam mente & reuerenter accedere mereamini, ut per hoc & corporis & animæ salutem consequamini sempiternam. Quod nobis præstare dignetur, &c.



## ITEM IN DIE PASCHÆ

### S E R M O   X X X V I I .

*Iesum queritis Nazarenum  
crucifixum; surrexit non est  
hic: sed ite, dicite Discipu-  
lis eius & Petro, quia præce-  
det vos in Galilæam, ibi eum  
videbitis, sicut dixit vobis.*

Marc. 16.

In istis verbis quatuor sunt notanda.

- I. *Quis sit ille, qui queritur?*
- II. *Quæ sint personæ, à quibus queri-  
tur?*
- III. *Cum quibus aromatibus queritur?*
- IV. *Vbi inueniendus per Angelum  
ostendatur?*



E primo nota, quod secundum Angeli testimonium queritur *Iesus Nazarenus crucifixus*. Nota igitur, quod querens niti debet, ut sit similis ei, quem querit. Omnis enim Christianus, qui dictus est à Christo spiritualiter debet esse *Iesus, Nazarenus, & crucifixus*.

I. Itaque bonus Christianus debet esse *Iesus*, quod interpretatur Saluator. Quilibet enim Christianus salvare debet proximum suum tricliniter, videlicet, eleemosynarum largitione, mutui collatione, consilij & auxilij communicatione.

II. Christianus debet esse verus *Nazarenus*. Et nota, quod sicut testatur Liber Numeri, quintuplex erat lex Nazarenorum.

Prima erat, quod nouacula non ascenderat super capita eorum: per nouaculam accipitur dolus & malitia. Cauere ergo debet Christianus, ne sicut nouacula acuta faciat dolum. Psal. 51. & ne per malitiam & nequitiam gratiam Spiritus septiformis præcidat à capite mentis suæ. Qui enim amiserit gratiam Spiritus sancti, amisit capillos, id est, ornatum anime suæ.

Secunda erat, quod quicquid inebriare poterat, non bibebant. In quo innuitur, quod ab ebrietate cauere debet quilibet Christianus. Contra ebrietatem dicit Eccl. 31. *Multos extermi-  
nauit vinum. Vinum corda superborum arguet  
in ebrietate portatum.* Ibi dicit Glossa: *Ebrietas  
multos subuertit, quæ sensum minuit, iram excitat,  
libidinem inflamat, animi secreta reuelat.*

Tertia fuit, quod quicquid de vinea erat, non comedebant: in quo significatur, quod quilibet Christianus fugere debet fotnicationem & luxuriam. Luxuria enim vua est, quæ crescit in vinea Sodomorum: & certe *vua hec vua erit fellis, & botrus iste amarissimus. Malitia quippe  
vnius horæ, in inferno videlicet, obliuionem facit luxuriae maxima: sicut ait Eccl. 11.*

Quarta fuit, quod ad omnem mortuum non ingrediebantur: per quod edocemur, quod verus Christianus debet vitare eos, & eorum societatem fugere, qui vacant operibus mortuis. Non enim debet se consociare talibus, qui libenter sedent, & studient calicibus epotandis. Qui etiam solent ludere cum globis & taxillis, & qui lasciue saltant in choreis. Dicitur enim in Psalm. 17. *Cum sancto sanctus eris, & cum peruerso peruerteris.* Dicit etiam Philosophus, quod sæpe candido innocentio socio malignus comes rubiginem suam affrictit. Debet etiam bonus Christianus societatem eorum declinare, qui libenter vadunt impie agere & furari. Vnde Proverb. 1. *Fili mi, si te  
lascauerint peccatores, ne acquiescas eis. Si dixerint:  
Veni nobiscum, insidiemur sanguini, omnem  
pretiosam substantiam reperiemus, implebimus domos nostras spoliis: sortem mitte nobiscum, marsupium sit unum omnium nostrum: fili mi, ne ambules cum eis. Pedes enim illorum ad malum currunt, subaudi, æternum.*

Quinta fuit, quod si aliquis coram eis morieretur, & maximè si occidebatur, polluebantur: per quod datur intelligi, quod bonus Christianus cauere debet, ne aliquis coram eo per detractionem feriatur, ut videlicet nec ipse detrahatur, nec confessio detrahenti. Contra detractionem Proverb. 23. *Noli esse in conviuis potatorum, nec in comeditionibus eorum, qui carnes ad conuescendum conferunt.* Hic prohibetur detractione, quia detractiones Deo odibiles carnes humanas conferunt ad vescendum.

III. Christianus debet esse quasi crucifixus. Debet enim affigi cruci pœnitentiæ quadruplici clavo. Primus clavus est timor mortis, secundus timor iudicis, tertius timor carceris, quartus timor tortoris. Debet etiam esse quasi transfixus lancea charitatis.

De secundo nota, quod personæ, quæ Dominum quæsierunt, erant Maria Magdalena, & Maria Iacobi, & Maria mater Iacobi minoris, & Maria Salome, id est, filia Salomone, quæ fuit vxor Zebedæi. Et signant hæ tres Mariæ tres vires animæ, per quæ


# In Dom. I. post Pascha Serm. XXXVIII. 71

quas anima Deum querit. *Maria Magdalena*, quæ interpretatur Domina in turri, significat vim rationabilem. Anima enim in ratione sedens, quasi in turri eminenti ex ipsa prospicit omnes insidias inimici. *Maria Iacobi*, quæ interpretatur Domina luctatrix, exprimit vim irascibilem, per quam anima vanis & immundis peccati illecebris siue delectationibus irascitur, easque abijcit & conculcat. *Maria Salome*, quæ interpretatur Domina pacifica, figurat vim concupisibilem, per quam anima pacem veram, quæ exuperat omnem sensum, hoc est, summum bonum vehementer concupiscit, & querit.

De tertio nota, quod licet Marcus dicat, quod *emerunt aromata, ut venientes vngarent Iesum*; non tamen exprimit, quæ fuerunt aromata, quo circa fana fide dici potest, quod ad minus emerunt myrrham & aloë, nardum & balsamum, & ex istis confecerunt vnguentum, quo vngarent Iesum. Per myrrham & aloë, quæ vermes arcent, & corpora conseruant, ne corrumpantur, intelligitur virtus castitatis, quam vermis luxuriae non audet contingere. Per nardum, quæ herba humilis est, sed multum odorifera, notatur odor humilitatis. *Cum enim Rex esset in accubitu diuinitatis suæ, nardus humilitatis Beatæ Virginis spargens odorem suum, traxit eum in terram ad consortium nostræ humanitatis.* Per balsamum, quod mirabiliter est calidum, significatur feroꝝ charitatis. Aquæ enim multa cupiditatis non possunt extinguerre feroꝝ veræ charitatis.

De quarto nota, quod Dominus per Angelum ostenditur inueniendus in Galilæa in monte, vbi confisit Discipulis suis Iesu, sicut dicitur Math. 28. Galilæa interpretatur rota vel reuelatio: mons autem stabilis est & firmus, igitur Dominus inuenitur, & videbitur in Galilæa, hoc est, in patria supercælesti; vbi est æternitatis indeficientia, quod notatur per rotam: vbi etiam est omnis scientia, quod notatur per reuelationem: vbi nihilominus erit omnipotentia, quæ notatur per montem. Mons enim est multarum partium sola aggregatio.

Rogate ergo Dominum, vt sic Iesu Nazareni crucifixi veri imitatores esse mereamur, eumque vt sic omnibus animæ nostræ viribus conferat beatæ æternitatis indeficientiam, omnem scientiam, & plenam super omnia bona sua potentiam. Quod nobis præstare dignetur, &c.



## IN OCTAVA PASCHÆ

### S E R M O   X X X V I I I .

*Quia vidisti me Thoma, credisti: beati qui non viderunt, & crediderunt.* Ioan. 20.

 Ota, quod sicut dicit Glossa, Dominus fidem hic mirabiliter commendat. Æternam enim beatitudinem credentibus reprobavit. Cum etiam dicat Apostolus Hebr. 11. quod *sine fide impossibile est placere*. Duo in præsenti loco principaliter sunt notanda.

- I. Quid summopere credere debeamus?
- II. Quæ sit beatitudo, quam si crediderimus, reportamus?

De primo nota, quod licet in Apostolico simbolo duodecim articuli fidei distinguantur, & licet in libris & scriptis Sanctorum & orthodoxorum Patrum multa inueniantur, quæ credi oporteat; sex tamen ad minus credenda sunt à quolibet Christiano, quæ breuiter prosequamur. Primo enim credere debes Vnigenitum Dei Filium secundum carnem, quam assumpsit ex Virgine, in cruce mortuum esse, & die tertia resurrexisse. Secundo credi oportet, ipsum Dei Filium claves Ecclesiæ Petro, suisque successoribus concessisse. Tertio credere debes te certissime mortutum. Quarto credere debes te rationem de omnibus actibus tuis redditum. Quinto credere debes impios cum dæmonibus æterna tormenta passuros. Sexto credere debes, electos cum Deo perpetuo regnatoꝝ. Si autem ista sex credideris, fidemque bonis operibus confirmaueris, sine dubio reprobiam à Deo beatitudinem consequeris.

I. Credere debes, Deum vere mortuum fuisse, & vere resurrexisse. Vnde & Dominus ad ostensionem suæ passionis & mortis, quæ præcesserat, & resurrectionis quæ subsecuta fuerat, dixit Thomas Ioan. 20. *Infer digitum huc, & vide manus meas, & affer manum tuam, & mitte in latus meum, & noli esse incredulus, sed fidelis.*

I. Nota igitur, quod Christus pro peccatis nostris mortuus est, vt & nos peccata tota mente fugiamus, & ea mortificemus in nobis: cum oportuerit pro ipsis Filium Dei mori. Vnde 1. Pet. 3. *Christus semel pro peccatis nostris mortuus est, iustus pro iniustis: ut nos offerret Deo, mortificatos quidem carne, vivificatos autem Spiritu.* Vnde etiam dicit Apostolus ad Coloss. 3. *Mortificate membra vestra, quæ sunt super terram, fornicationem, immunditiam, libidinem, concupiscentiam malam, & auaritiam, quæ est idolorum seruitus: deponite & iram, indignationem, malitiam, blasphemiam, turpem sermonem de ore vestro non proferatis, nolite mentiri inuicem.* Glossa, describit delicta, que membra appellat. Fornicatio est omnis concubitus præter legitimum connubium. Immunditia est contra naturam libido, scilicet, ardor per quaslibet turpitudines discurrens. Concupiscentia mala, id est, de aliena vxore, vel de aliena re: & auaritia, quæ est idolorum seruitus, id est, tam fugienda sicut idolatria, cui simile & par vitium est: quia rebus pro Deo seruit. Deponite & iram, quæ est subitus animi motus: indignationem de alio sublimato. Malitia est, quando quis molitur damnum alicui. Blasphemia in fratrem vel Deum. Reliqua duo patent.

2. Nota etiam, quod ideo Christus resurrexit, vt & nos cum ipso spiritualiter resurgamus, & ea quæ sursum sunt, appetamus. Vnde Apostolus ad Coloss. 3. *Si consurrexistis cum Christo, quæ sursum sunt querite, vbi Christus est in dextera Dei sedens: quæ sursum sunt sapientia, & non quæ super terram.* Cum ergo Christus resurrexerit, & ad cælos ascenderit, spretis bonis transitorii, id est, immundis delectationibus huius mundi: querere debemus eum in dextera Dei Patris, quasi summum bonum, & ipso vero gusto iugiter delectari.

II. Credere

**II.** Credere debes Filium Dei Petro, aliisque Apostolis & eorum successoribus claves huius Ecclesiæ concessisse. Vnde Ioan. 20. dicitur, quod cum Iesus post resurrectionem suam staret in medio Discipulorum suorum, insufflauit, & dixit eis: *Accipite Spiritum sanctum: quorum remiseritis peccata, remittuntur eis: & quorum retinueritis, retentantur.* Super locum istum: *Quorum remiseritis: Glossa, vel per vos, vel per successores.* Item alia Glossa: *Quorum remiseritis, scilicet, quos dignos remissione iudicaueritis, duabus videlicet clavis, scilicet potestatis, & discretionis.* Cauere igitur debet quilibet Christianus, ne propter opera immunditiae & iniustitiae ligetur sententia excommunicationis: sed potius per veram contritionem & sinceram confessionem mereatur absolvi ab omni peccato ministerio Sacerdotis.

**III.** Credere debes te certissime moriturum. Vnde dicitur in collationibus sanctorum Patrum, quod *hoc est omnium vitiorum peremptorium, ut credas te quotidie de hoc seculo migraturum.* Dicit etiam Augustinus in libro de spiritu & anima: *Velimus, nolimus, omnes moriemur. Nihil enim morte certius, & nihil hora mortis incertius.* Nam nescimus, quando, & quomodo, aut ubi moriemur: quoniam mors ubique expectat nos. Idcirco semper debemus esse parati, ut cum corpus reuertetur ad terram de qua sumptum est, spiritus redeat ad Deum qui dedit illum. Ut autem recordemur mortis nostræ, admonent nos mortui, quorum ossa videamus in cœmiteriis. Quilibet enim mortuus sic viaum alloquitur Eccl. 38. *Memor esto iudicij mei: sic enim erit & tuum: mibi heri, & tibi hodie.* Abstinebit igitur à peccatis si sapiens fuerit, qui credit se quotidie moriturum.

**IV.** Debes credere te rationem redditum de omnibus tuis actibus. Vnde 2. ad Corinth. 5. *Omnis nos manifestari oportet ante tribunal Christi: ut recipiat unusquisque propria corporis, prout gessit, sive bonum, sive malum.* Et nota, quod fortissimus, sapientissimus, & iustissimus iudicio præsidet. Fortissimus est, ut per nullius potentiam opprimatur. Sapientissimus, ut nullius allegationibus circumveniatur. Iustissimus, ut nullius pecuniis corrumpatur. Necesse ergo est cuilibet iusto, ut sermones suos, quos profert in iudicio, mature disponat, & quotidie per veram pœnitentiam culpas suas diluat, ne iudex eum pollutum peccatis inueniat.

**V.** Credere debes impios æterna tormenta passuros. De hoc dicitur Ecclesiast. 39. *Sunt spiritus qui ad vindictam creati sunt, & in furore suo consummaverunt tormenta sua: & in tempore consummationis effundent virtutem: & furem eius qui fecit illos, confundent.* Hæc dicuntur de dæmonibus, qui tota vi fortitudinis suæ, totaque malignitate furoris sui impios cruciabunt. Sequitur de tormentis: *Ignis, grando, fames, sis, & mors, omnia haec ad vindictam creati sunt: bestiarum dentes, & scorpions, & serpentes, & romphaea vindicantis in exterminium impios.* Item Matth. 25. *Tunc dices Rex his qui à sinistris eius erunt: Discedite à me, maledicti in ignem aeternum, qui preparatus est diabolus & angelus eius.*

**VI.** Credere debes electos cum Deo perpetuo regnato. Vnde Math. 25. *Tunc dices Rex his qui à dextris eius erunt: Venite benedicti Patris mei, possidete vobis paratum regnum à constitutione*

*mundi.* Item Apocal. 20. *Erunt Sacerdotes Christi & Dei, & regnabunt cum eo mille annis, id est, æternaliter.* Per mille enim notatur æternitas. Si igitur credis gloriosum esse regnum Dei, necesse est, ut bonis operibus illuc peruenire labores.

De secundo membro in diafione thematis supra posito nota, quod sicut dicit Boëtius: *Beatiudo est status omnium bonorum congregatio perfectus.* Quam beatitudinem nobis præstare dignetur, &c.



## IN DOMINICA II. post Pascha

### S E R M O   X X X I X .

*Ego sum pastor bonus, & cognosco oves meas, & cognoscunt me meæ.* Ioan. 16.

Quatuor principaliter sunt hic notanda.

- I. *Quæ sit causa quod Dominus se bonum pastorem protestatur?*
- II. *Quid per oves eius intelligatur?*
- III. *Ad quæ pascua gressuuarum ouium deducatur?*
- IV. *Quis sit lupus, qui Domini ouibus infidatur?*



E primo nota, quod ad hoc, quod pastor irrationalium ouium vtilis sit patrifamilias, quatuor requiruntur, videlicet 1. ut sit fortis, ut lupo & latrunculis obsistere possit. 2. quod sit sapiens, ut videlicet inter pascua salubria & nociva discernere sciatur. 3. quod sit vigil, ne videatur eo dormiente gressu sibi commissus diripiatur. 4. quod sit benignus, ne videlicet oves extravagantes baculo suo projiciant, sed eas ad viam cum modestia rruocet & lenitate, earumque debilitatem pie supportet. Et certe propter has quatuor causas Dominus se bonum, id est, vtilem pastorem appellat.

De primo, hoc est, de fortitudine pastoris huius dicit Iob 9. Sapiens corde est, & fortis robore: quis resistit ei, & pacem habuit? Si fortitudo queritur, robustissimus est. Ille est ille David manu fortis, qui contra Goliath, hoc est, diabolum, cum baculo sanctæ crucis procedens, pro castris Israël singulare certamen iniit, eumque triplici lapide, hoc est, innocentia cordis, oris, & operis in cruce moriens prostrauit & occidit. Ille est pastor bonus, qui quotidie contra dæmones assistit pro ouibus suis, pugnatque pro eis. Vnde dicit Isa. 63. *Ego qui loquor iustitiam, & propugnator sum ad saluandum.*

De secundo, hoc est, de sapientia pastoris huius dicit Eccl. 1. *Omnis sapientia à Domino Deo est, & eum illo fuit semper, & est ante aum: fons sapientie verbum*

*verbum Dei in excelsis.* Verbum Dei, id est, Filius Dei. 1. Iste ergo pastor, cuius sapientia non est numerus, ostendit, quae pascua salubria sint ouibus suis, & quae nocua. 2. Docet enim verbo & exemplo, perniciosa esse Christianis pascua diuitiarum, deliciarum, & bonorum, & quod salubria sint pascua paupertatis, asperitatis, ac humilitatis. 3. Vnde & ipse apud Bethlehem in diuersorio natus elegit paupertatem, asperitatem, ac vilitatem. 4. Eadem etiam pati voluit in loco Caluariae apud stratum publicam. 5. Hæc autem fecit propterea, ut secus vias prædictas pascua quererent oues Domini. Vnde Augustinus in libro de cathechizandis rudibus: *Omnia bona terrena contempnit homo factus Christus Dominus, ut contemnenda monstraret: & omnia terrena mala sustinuit que sustinenda præcipiebat, ut neque in illis quereretur felicitas, neque in ipsis infelicitas timeretur.*

De tertio, videlicet quod vigil sit Dominus, 1. dicitur in Psal. 120. *Non dormitabit neque dormiet, qui custodit Israel.* 2. Vnde & ipse de se dicit Isa. 21. *Super custodiæ meam ego sum, stans totis noctibus super speculam Domini: ego sum stans iugiter per diem.* 3. Licet ergo ipse vigilet salutem nostram custodiens; docet tamen & nos vigilare pro salute nostra. Vnde dicit Matth. 26. *Vigilate & orate, ut non intretis in tentationem.* Item Marci 13. *Videte, vigilate & orate:* quod autem vobis dico, omnibus dico, vigilate.

De quarto, videlicet, quod sit patiens & benignus, dicitur in Psal. 144. *Suavis Dominus uniuersus, & miserationes eius super omnia opera eius.* Item Isa. 40. *Sicut pastor gregem suum pascit: in brachio suo congregabit agnos, & in sinu suo leuabit, factas ipse portabit.* Patiens igitur est in peccatorum nostrorum diurna dissimulatione. Benignus est in multimoda beneficiorum collatione. Ipse enim quod perierat, requisiuit, carnem induendo & in mundum veniendo, quod abiectum fuit, reduxit, pro nobis ascendendo, & in brachia crucis ouiculas suas colligendo, & postea in ascensione animas, quas de limbo eripuerat, in cælum reuehendo: quod fractum fuerat, alligat per veram satisfactionem: ipse enim quasi verus Samaritanus purgat vulnera peccatorum, infundens vinum acerrimæ contritionis, & superfundens oleum internæ consolationis; & sic alligat vulnera panniculis præceptorum, quod infirmum est; consolidat per adiutricis gratiæ transfinissiōnem, quod forte & pingue est, custodit per Angelicam protectionem. De prædictis dicit Ezechiel. 34. *Quod perierat, requiram: & quod abiectum erat, reducam: & quod fractum fuerat, alligabo; & quod infirmum erat, consolidabo; & quod pingue & forte est, custodiam.*

De secundo nota, quod per oues Domini intelligitur genus humanum, & præcipue Christiani. Vnde dicitur in Psal. 78. nos populus eius, & oues pascuae eius. Dicit etiam Petrus in 1. Canon. 2. *Eratis sicut oues errantes; sed conuersi estis nunc ad pastorem & Episcopum animarum vestiarum.* Debet igitur quilibet ouem imitari in vngulæ fissione, & in ruminatiōne, in munditia & in obedientia, in simplicitate & lenitate, & multiplici vilitate, & in com-

D. Alberti Magni Serm.

passionis coniunctione.

Primum igitur est, quod sicut ouis vngulata findere debeamus per discretionem boni & malii, ut videlicet, sicut dicitur in Psal. 36. *Declinamus a malo, & faciamus bonum.*

Secundum est, quod & nos sicut oues ruminare debemus per iugem recordationem omnium beneficiorum Dei. Omnia enim beneficia, quæ contulit nobis Dominus, siue sunt corporalia, siue spiritualia, iugiter in fauces memoriae reuocare debemus, & de singulis Domino gratias agere. In honestum enim & in urbanum est, quod sicut porci beneficia Domini deuoremus, & de eis Domino gratias non agamus. Vnde quotidie canitur: Benedicamus Domino.

Tertium est, quod à sordibus luxuriæ ouium imitatione nobis cauere debemus. Oues enim inuitissime inquinant pedes suos. Vnde 2. Cor. 6. *mundemus nos ab omni inquinamento carnis & spiritus, perficientes sanctificationem spiritus in timore Dei.*

Quartum est, quod sicut oues obediunt suo pastori; ita & quilibet Christianus debet obediēre Deo, & etiam Sacerdoti suo in omnibus, quæ sunt secundum Deum. Vnde ad Phil. 2. *Charissimi mei sicut semper obedistis, cum metu & tremore vestram salutem operamini.*

Quintum est, quod sicut oues simplices esse debemus, omnem dolum nequitia contemnentes. Vnde Petrus 1. Can. 2. *Christus passus est pro vobis, vobis relinquens exemplum ut sequamini vestigia eius: qui peccatum non fecit, nec invenitus est dolus in ore eius.* Item ad Phil. 2. *Omnia facite sine murmuratione, & sitis simplices sicut filii Dei.*

Sextum, quod deberimus esse lenes & mansueti sicut oues. Vnde Isa. 53. dicit de Domino: *Sicut ouis ad occisionem ducetur, & quasi agnus coram tondere se obmutuit, & non aperuit os suum.* Item Ierem. 11. *Ego quasi agnus mansuetus, qui portatur ad victimam.*

Septimum est, quod sicut ouis utile est animal: ita quilibet utilis debet esse proximo suo. Ouis enim lanam exhibet ad indumentum, & carnem & lac ad nutrimentum. Sic igitur bonus Christianus pauperibus se debet utili exhibere: ut videlicet nudos cooperiat, esurientes cibet, ac potet sitiens: ut etiam si necesse foret, paratus esset corpus suum in mortem tradere pro salute proximi sui.

Octauum est, quod oues in feroce meridie coniunguntur: ita & boni Christiani in tribulationibus suis concordes esse debent & compatientes, ut quilibet portet onus alterius.

De tertio nota, quae sunt pascua ouium Christi, ipse Dominus ostendit in Ezech. 34. *Inducam, inquit, oues meas in terram suam, & pascam eas in montibus Israel, in riuis, & in cunctis sedibus terre.* 1. Terra ouium Christi est terra uiuentium: ibi inuenient pascua, id est, gaudia uberrima in monte Patris, in monte Filij, in monte Spiritus sancti. 2. Pascentur etiam in riuis potentiae, qui fluunt a monte Patris: in rivo sapientiae, qui fluit a monte Filij. 3. Pascentur

G etiam

etiam à riuo charitatis suæ bencuolentiæ qui fluit à monte Spiritus sancti. 4. Pascentur etiam in cunctis sedibus illius terræ , hoc est, in sede cuiuslibet Angeli, & Archangeli, & in cunctis sedibus Virtutum, Potestatum, Principatum, Dominationum, Thronorum, Cherubin, & Seraphin. Specialia gaudia in sede cuiuslibet Patriarchæ & Prophetæ, Apostoli, Martyris, Confessoris, Virginis, Vidue ac Coniugati spiritualia gaudia reperient. Quæ gaudia nobis præstare dignetur, qui cum Deo Patre & Spiritu sancto viuit & regnat Deus , per omnia secula seculorum. Amen.



## IN DOMINICA III.

post Pascha

## SERMO XL.

*Iterum video vos, & gaudebit  
cor vestrum, & gaudium ve-  
strum nemo tollet à vobis.*

Ioan.16.

Tria occurunt hic consideranda.

- I. *Qui sunt illi, quos iterum Dominus est visurus?*
- II. *In quo tempore se eis sit offendurus?*
- III. *Quid sit gaudium, quod nemo deinceps est ablaturus?*

**D**E primo nota, quod Dominus consolabiliter illos est visurus, qui modo plorant, flent, & tristantur. Vnde ipse dicit in praesenti Euangelio: *Amen, amen dico vobis, quia plorabitis & fletis vos, & contristabimini.*

Plorare igitur debemus propter multorum bonorum operum omissionem. Flere etiam debemus propter multorum criminum commissiōnem. Debemus etiam contristari propter diuturnam nostræ peregrinationis ac exilij prolongationem. Igitur cum dicat Eccl. 3. *Quod est tempus flendi & tempus ridendi.* Modo flere debemus, ut postea rideamus.

Primo itaque plorare nos oportet propter multorum bonorum operum omissionem. Et nota, quod stultus esset mercator, qui propter pigritiam suam & breue commodum corporis sui negligenter forum trium hebdomadarum, quod esset à parte regis clamatum, in quo posset lucrari bonum multorum annorum. Et certe Rex cœli Christus Iesus tempus vitæ nostræ instituit, quasi quasdam nundinas, in quibus laboribus nostris & bonis operibus mercari debe-

mus æterna bona , sicut fecerunt quondam SS. Martyres , qui in flore inuentutis existentes pro regno Dei acquirendo corpora sua tradiderunt ad supplicia , & quasi prudentes negotiatoriæ pellem corporis corruptibilem, pro pelle quæ resument gloriosam , dederunt. Omnia etiam quæ habuerunt pro anima sua dare non dubitauerunt. Vnde Job 2. Pellem pro pelle, & omnia, quæ habet homo, dabit pro anima sua. Et nota, quod ipse Dominus merces suas gloriofas exhibet nobis venales pro vilibus mercibus nostris. Ita enim clamat teste B. Aug. *Venale habeo, venale habeo. Quid? Regnum celorum. Quo emitur? paupertate & elemosynis regnum, labore quies, ignorinia gloria, morte vita æterna.*

Ipsé etiam petit à nobis, vt res nostras quas ab eo gratis accepimus, iterum ei ad usuram centuplicem commodare velimus: sed & hoc ipsum pauci facere volunt, quod conqueritur Ier. 15. *Væ mihi mater mea, quare genuisti me virum rixæ, virum discordie in vniuersa terra? Non feneravi, nec fenerauit mihi quisquam. Omnes male dicunt mihi. Virum rixæ se nominat, quia multi per peccata sua rixantur cum eo, & impugnant eum. Virum etiam discordie se appellat, quia pauci concordant cum sua voluntate: pauci etiam fenerant ei, vt sicut dicit Glossa, in pauperibus confouendis eum sibi faciant debitorem. Multi vero maledicunt ei, vel in sciplo, vel in membris suis. Multi enim blasphemant Dominum, creaturas suas vel opera vituperando, vel etiam iuramentis illicitis nequitas suas confirmingo, id est, bonis hominibus detrahendo. Igitur quicunque recognoscit, se bona opera omisisse, & tempus vitæ suæ iutiliter expendisse, dignum est, vt propter hoc ploret & doleat, vt aliquid de bonis neglectis recuperet per lacrymas & dolores.*

Secundo flere debemus propter criminum commissionem. Vnde & Dominus fleuit super peccata nostra , vt doceret quod nosipsi multo fortius ea deflere debeamus. Legitur enim sic in Luc. 19. *Vt appropinquauit Iesus Ierosolymam, vidit ciuitatem, & fleuit super illam, dicens: Quia si cognouisses & tu, supplendum est, fleres. Quilibet igitur flere debet propter peccata, quæ commisit.*

Et nota 1. quod propter quædam peccata Deus specialiter exacerbatur. 2. Per quædam etiam corpus & anima propria sordidatur. 3. Per quædam etiam dilectio proximi violatur.

De primo nota, quod licet Deus per omne peccatum offendatur: tamen per quatuor specialiter exacerbatur. Primo per veræ fidei corruptionem. Fides enim hæreticos, & sortiarias, & pythonissas, & diuinatrices, & incantatrices corruptitur. Secundo per assiduam & falsam iurationem. Multi namque absque ulla necessitate, imo se peiorare scientes, iurant per crucem & vulnera Iesu Christi , & multis aliis modis. Tertio Deus exacerbatur per vindictarum ab ipso postulationem: sicut multi in ipsa hora, quando corpus Domini Iesu Christi eleuatur, petunt se vindicari, & imprecantur eis qui eos offenderunt, mortem æternam. Quarto Deus exacerbatur per viduarum & pauperum oppressionem. Dicitur enim in Psalm. 10.

quod

quod Deo derelictus est pauper. Vnde qui tangit pauperes, tangit pupillam oculi sui: sicut dicit Zach. 2.

De secundo nota, quod per peccata gulae & luxuria corporis & nobilis anima hominis inquinatur. Fit enim homo per gulam & luxuriam quasi vile stabulum & foetens cloaca.

De tertio nota, quod per quædam peccata dilectio proximi violatur, videlicet per fursum & rapinam, per fraudes & usurpas, per detractiones & conuicia, per homicidia & falsa testimonias, per iram & inuidiam, per alia plura peccata. Qui igitur recognoscit se per peccata commissa Deum exacerbasse, seipsum inquinasse, & sanctam charitatem in proximo violasse: conueniens est eum flere, & super hoc Deo dignam pœnitentiam exhibere.

Tertio contristari debemus propter diuturnam nostræ peregrinationis ac exilij prolongationem: vnde dicit Psal. 119. *Heu mihi, quia incolatus meus prolongatus est; habitavi cum habitabibus, &c.* Propter hoc etiam 1. Pet. 2. cap. *Obscuratos tanquam aduenas peregrinos, abstineatis vos a carnalibus desideriis.*

Et nota, quod triplices sunt peregrini Domini. Primi transiunt de mundo ad religionem & claustrum. Secundi transmigrant quotidie de vitiis ad virtutes, & vadunt de virtute in virtutem. Tertij per contemplationem transeunt de regione corporum ad regionem spirituum. Primi rapiuntur in celum aereum, ut quasi aues de beneficiis suis Domino gratias agant. Secundi ferruntur in celum sidereum, ut quasi sidera luceant in firmamento cœli. Tertij cum Paulo etiam rapiuntur in celum empyreum, ut cum sanctis Angelis Dei faciem contemplentur.

Contristari vero oportet istos peregrinos propter diuersam & hominum & dæmonum inquietationem, sed tristitia eorum conuertetur in gaudium. Vnde 1. Pet. 2. *Modicum nunc oportet vos contristari in variis temptationibus: ut probatio vestrae fidei, multo pretiosior sit anno, quod per ignem probatur.*

III. Modo videndum est, quando Dominus se plorantibus, lamentibus, & contristatis fit ostensurus. Et est dicendum, quod hoc faciet tunc, quando anima uniuscuiusque electi, vel hic vel in purgatorio ab omni sorde peccatorum sufficienter emundata, ab Angelis ei fuerit praesentata.

IV. Videndum est, quale sit illud gaudium, quod electis suis nullus deinceps est ablaturus. Et nota, quod electi triplex habebunt gaudium de triplici stola animæ. Habebunt etiam quadruplex gaudium de quadruplici corporis stola. De his septem dicitur Isa. 51. *Gaudium & latitia inuenietur in ea, propter omnimodam cognitionem, & insatiabilem dilectionem: gratiarum actio & vox laudis, propter plenissimam Dei fruitionem. Sequitur: Venient in Sion laudantes, & latitia semperna super capita eorum, propter corporis claritatem: gaudium & latitiam tenebunt propter corporis subtilitatem & agilitatem: fugiet dolor & gemitus, propter beatam immortalitatem. Rogate ergo Dominum, ut haec gaudia nobis largiri dignetur. Qui viuit & regnat, &c.*



## IN DOMINICA IV. post Pascha

### S E R M O X L I.

*Cum venerit Paracletus, ille arguet mundum de peccato, & de iustitia, & de iudicio.*  
Ioan. 16.

Duo occurunt hic notanda.

- I. *Quis sit Paracletus, quem Dominus missurum se protestat?*
- II. *Qualiter mundus de peccato, & de iustitia, & de iudicio arguendus intelligatur?*



E primo nota, quod per Paracletum Spiritus sanctus exprimitur. Paracletus enim idem est, quod aduocatus, vel consolator, sicut testatur interlinearis Glossa super locum illum Ioan. 14. *Et ego rogabo Patrem, & alium Paracletum dabit vobis, ut maneat vobiscum in aeternum, Spiritum veritatis.* Igitur circa hunc Paracletum tria sunt notanda. 1. Ipse enim aduocatus est reorum. 2. consolator mæstorum. 3. & redar-gutor obstinatorum.

De primo dicitur ad Roman. 8. *Spiritus adiunat infirmitatem nostram. Nam quid oremus sicut oportet nescimus: sed ipse Spiritus postulat pro nobis gemitibus inenarrabilibus.* Glossa hunc locum sic exponit: *Spiritus sanctus postulat pro nobis, quia nos postulare facit, nobisque interpellandi & gemendi inspirat affectum.* Tali ergo modo Spiritus sanctus dicitur esse aduocatus reorum, quia ipsis reis hoc inspirat, ut pro delictis suis orent, & gemitus emittant inenarrabiles.

De secundo cantatur in quadam Sequentia: *Veni sancte Spiritus. & infra: Consolator optime, dulcis hospes anime, dulce refrigerium. In labore requies, in astu temperies, in fletu solarium.*

De tertio, videlicet quod ipse arguet incorrigibiles & obstinatos, dicitur in Ioan. 16. *Cum venerit Paracletus, ille arguet mundum de peccato, & de iustitia, & de iudicio.* Et nota, quod Spiritus Domini non solum arguet impios in iudicio & reprobos, imo & interficiet ipsos: vnde Isa. 11. *Percutiet terram virga oris sui, & spiritu labiorum suorum interficiet impium.* Vnde & Paulus de Antichristo dicit 2. ad Thess. 2. *Tunc reuelabitur ille iniquus, quem Iesus interficiet spiritu oris sui.*

De II. videndum est, qualiter mundus de peccato, & de iustitia, & de iudicio arguendus intelligatur. Et nota, quod glossulæ locum istum sic exponunt: *Arguet mundum de peccato*

**G 2** infideli

infidelitatis, quod videlicet peccatum mundus habet: & de iustitia, quam non imitatur: & de iudicio, quod non timet. Igitur hæc est vna causa, quare Dominus Spiritum sanctum paracletum mittit, ut videlicet arguat mundum, id est, mundi amatores arguendos ostendat, de peccato, quo Dominum offenderunt: de iustitia, quam operari neglexerunt: de iudicio, quod non timuerunt.

I. Igitur Paracletus docet esse mundum arguendum de peccato, quo Dominum offendrunt, & maxime de peccato infidelitatis: vnde & ipse Dominus ita exponit: *De peccato quidem, quia non crediderunt in me.* Et nota, quod secundum Sanatos aliud est credere Deum, aliud est credere Deo, aliud credere in Deum. Credere Deum, est credere ipsum esse creatorem, & principium omnium creaturarum, & iudicem esse viuorum & mortuorum: hoc etiam demones credunt & contremiscunt. Vnde Iacob. 2. *Tu credis quoniam Deus est, bene facis: & demones credunt, & contremiscunt.* Credere Deo, est credere vera esse, quæ ipse dicit. Credere in Deum, est cum charitate tendere in ipsum, vt pote in summam delectationem, in sumnum bonum, & in summum honorem. Nota igitur, quod peccatum infidelitatis, videlicet quod homo non credit in Deum, est origo & causa omnium peccatorum. Omne enim peccatum, quod committitur in mundo, aut committitur propter carnis delectationem, aut propter rerum dilectionem, aut propter gloriae & honoris ambitionem. Si ergo per veram fidem & charitatem non fictam tenderes & transmigrares in Dominum, tanquam in summam & mundissimam suavitatem, tanquam in summum & verissimum bonum, tanquam in summam & æternam gloriam: sine dubio contemneres feedam carnis delectationem, & transibilium rerum dilectionem, vanæque gloriae & honoris ambitionem.

II. Paracletus docet mundum arguendum esse de iustitia, quam imitari neglexerunt. Quæ autem sit hæc iustitia, Dominus exponit, ita dicens: *De iustitia vero, quia ad Patrem vado, & iam non videbitis me.* Quasi diceret: Ego ad Patrem vado, & si vultis venire illuc, ubi ego sum, oportet vt illam iustitiam imitemini, quam & ore docui & opere exhibui. Et quæ est ista iustitia? certe vt reddat quilibet quæ sunt hominis, homini: & quæ sunt Dei, Deo: vnde cum Iudæi Matth. 22. Dominum commendarent, *quia verax esset, & viam Dei in veritate doceret,* & quærerent, si liceret celsum dari Cæsari, an non respondit: *Reddite quæ sunt Cæsar, Cæsari: & quæ sunt Dei, Deo.*

Conemur igitur exequi triplicem iustitiam, quam requiret à nobis Deus. Primo, vt corpus proprium disciplinis continentiae subigamus. Hoc enim est, quod homo sibi homini debet. Secundo, vt proximis nostris sua fideliter restituamus, & nostra dum egerit, misericorditer tribuamus. Hæc enim sunt, quæ homo tenetur homini proximo. Tertio, vt Deo cor & omnem actum nostri corporis offeramus. De primo, videlicet quod corpus nostrum disciplinis continentiae subigamus, monet nos Spiritus sanctus in Psal. 2. dicens: *Apprehendite disciplinam, ne quando irascatur Dominus, & perire sis de via iusta.*

De secundo, videlicet quod ablata restituamus, & nostra egentibus tribuamus, dicit Dominus Luc. 6. *Dimitte, subaudi, bona quæ iniuste abstulisti, & dimittetur vobis,* dicit Glossa, peccatum. Sequitur: *Date, Glossa, beneficia: & dabitur vobis,* Glossa, vita æterna. De tertio, videlicet quod Deo corde & omni actu corporis seruamus, dicit Apostolus ad Coloff. 3. *Omne quodcunque facitis in verbo, aut in opere, onnia in nomine Domini nostri Iesu Christi facite. Quodcunque facitis, ex animo operamini, sicut Domino, & non hominibus: scientes, quod à Domino recipietis retributionem hæreditatis.*

Et nota, quod hæc triplex iustitia reportat homini triplex bonum. Primum est vita gloriosa, secundum est merces fructuosa, tertium est cognitio Domini gratiosa. De his tribus Sap. 6. *Iusti in perpetuum vivent, &c.* Hæc authoritas sic intelligitur, quod videlicet, qui modo iusti sunt, vitia corporis mortificando, illudque disciplinis continentiae subigendo, vivent in perpetuum. Secundum, qui modo iusti sunt proximis ablata restituendo, & sua egentibus tribuendo, mercedem copiosam consequentur à Domino. Præterea qui iusti sunt corde, & omni tempore Domino seruiendo, dignum est, & quod Dominus eos semper habeat in memoria suæ benedictionis, eisque ex delicatissimis ferulis suæ mensæ transmittat.

III. Docet Paracletus mundum arguendum de iudicio, quod videlicet timere noluerunt. Quod autem iudicium Domini timendum sit, probat ipse Dominus, ita dicens: *De iudicio autem, quia princeps huius mundi iudicatus est.* Q.d. Cum Dominus ita fortis sit & potens, quod etiam ipse princeps mundi, id est, diabolus, ei resistere nequiuferit, sed iam iudicatus sit & condemnatus: multo minus illi, qui sunt sub principe mundi, vt pote debiliores, resistere poterunt diuinæ potentiae, quando venerit iudicare fines terræ. Vnde 2. Pet. 2. cap. *Si Deus Angelis peccantibus non pepercit, sed rudentibus inferni detractos in tartarum tradidit cruciandos in iudicium reservari: nouit Dominus prius de tentatione eripere, iniquos vero in diem iudicii reservare, cruciandos.*

Timendum vero est iudicium Domini propter tria. Primo, quia aduentus eius occultus erit, vt fur de nocte gradiens, & non præficietur. Secundo, quia tunc per ignem omnis peccati materia dissoluetur. Tertio, quia qui tunc in bona conuersatione inuentus non fuerit, punientur. Vnde Petrus in 2. Can. 3. *Adueniet dies Domini ut fur. Ecce primum, in quo cali magno imperio transiunt, elementa vero calore soluentur, terra autem, & quæ in ipsa sum, exurentur. Ecce secundum. Quales igitur oportet vos esse in sanctis conuersationibus & pietatis, expectantes & properantes in aduentu diei Domini. Ecce tertium.*

Rogate ergo Dominum, vt sic ad extremum iudicium præparemur, vt tunc cum electis saluari mereamur. Quod nobis præstare dignetur idem Iesus per sec. &c.

## IN DOMINICA V. post Pascha

### SERMO XLII.

*Exiui à Patre, & veni in mundum : iterum relinquo mundum, & vado ad Patrem.*  
Ioan. 16.

Duo sunt hic notanda.

- I. Quare Dominus in mundum venerit?
- II. Quare ad Patrem redierit?



IC ET multæ causæ possint assignari, quare Filius à Patre egressus venerit in mundum, & quare relinquens mundum venit ad Patrem: propter duo tamen venit in mundum, & propter duo reueritus est ad Patrem. Venit enim in mundum, 1. vt nos, quomodo viuere debeamus, instrueret. 2. Item vt nos ab externa seruitute redimeret. De primo dicit Apostolus ad Titum 2. *Apparuit gratia Dei Saluatoris nostri omni homini, erudiens nos, ut abnegantes impietatem & secularia desideria, sobrie, & iuste, & pie viuamus in hoc seculo.*

Doctrina igitur Iesu Christi consistit in tribus: in sobrietate, in iustitia sive æquitate, & pietate. Sobrietas, prout Glossa testatur, est attendere circa temetipsum. Iustitia sive æquitas circa proximum, & pietas circa Deum. Primo igitur sobrij esse debemus: sed quid est sobrietas? Sobrietas est pura ab illecebris vtriusque hominis temperantia. Sobrietas igitur monet nos, ut omnitudinem mentis & corporis fugiamus luxuriam, & à gula & ebrietate nobis caueamus. Secundo iusti esse debemus. Iustitia vero est, per quam communitatis gratia tenetur, & sua dignitas cuique non denegatur. Monet nos igitur iustitia, ut gratiam omnium secundum Deum teneamus, id est, nullum indebit vel verbis vel operibus lèdamus & offendamus, & ut vnumquemque secundum dignitatem sibi debitam veneremus, videlicet Patrem ut patrem, Sacerdotem ut Sacerdotem, militem ut militem, & quoslibet alios secundum officia vel status Episcoporum. Hinc dicit Apostolus ad Rom. 13. *Reddite omnibus debita: cui tributum tributum, cui timorem timorem, cui honorem honorem.*

Tertio pietatem exequi debemus. Est autem pietas, ut dicit Bern. *In igitur Dei memoria & indefessa affectio in amorem eius.* Et nota, quod ipse Dominus precatur, ut memores sui esse velimus. Ita dicit in Thren. 3. *Recordare paupertatis & transgressionis meæ, absyntij & fellis. Transgressionis, id est, maximæ vilitatis.* Hæc itaque tria in memoria cordis nostri iugiter habere debemus, videlicet Dominicam paupertatem, vilitatem, & acerbitudinem eorum quæ passus est. Vnde etiam re.

*D. Alberti Magni Serm.*

spondet ei immediate in Thren. fidelis anima sic inquiens: *Memoria memor ero, & vilescer in me anima mea, hac recolens in corde meo.* Monet etiam Ioannes in 1. Can. 3. ut Deum amemus. *Filioli mei, non diligamus verbo, neque lingua, supple tantum, sed opere & veritate.* Omnia etiam elementa mundi, & cuncta beneficia Christi monent nos, ut Dominum diligamus. Venit etiam Dominus in mundum, ut nos à potestate diaboli redimeret. Vnde Isa. 19. *Clamabunt ad Dominum à facie tribulantibus, & mittet eis Salvatorem & Propugnatorem, qui liberet eos.* Item Apostolus ad Timoth. 2. *Qui dedit semetipsum pro nobis: ut nos redimeret ab omni iniustitate, & munda ret sibi populum acceptabilem, sectatorem bonorum operum.*

Redemptori igitur nostro tenemur in duobus ad minus. Primum est, ut ad ipsum per veram pœnitentiam reuertamur. Vnde Isa. 44. *Reuertere ad me, quoniam redemi te.* Reuertere, Glossa, pœnitendo, quod si feceris, cælum & terra & omnia elementa in salute tua lætabuntur. Debet igitur quilibet peccator fideliter pœnitere, ne perdatur in ipso fructus passionis Dominicæ. Secundum est, ut intimas ei gratias agamus. Vnde scribit Ioan. in Apoc. 5. *quod quatuor animalia & viginti quatuor seniores ceciderunt coram agno, habentes singuli citharas & phialas aureas plenas odoramentorum, & cantabant canticum nouum dicentes: Dignus es Domine accipere librum, & aperire signacula eius, quoniam occisus es, & redemisti nos. Deo in sanguine tuo ex omni tribu & lingua & populo & natione, & fecisti nos Deo nostro regnum & Sacerdotes, & regnabimus super terram, subaudi, viuentium.* Per quatuor animalia, & per viginti quatuor seniores intelliguntur omnes electi, qui iam sunt, vel erunt in patria: qui omnes cum citharis bonorum operum, & cum phialis cordium per sanctas affectiones suauiter redolentium gratias agunt Filio Dei, qui redemit eos per sanguinem suum fusum in ara crucis, & quoniam redempti tanquam Reges & Pontifices cum Domino regnabunt in æternum.

De secundo nota, quare Dominus redierit ad Patrem, & est dicendum, quod ad minus propter duo. Primum est, ut sobriis, iustis, & piis mansiones delectabiles præpararet. Secundum est, ut pro redemptis Deo Patri signa vulnerum suorum quotidie repræsentaret. De primo dicit Dominus Ioan. 14. *Vado parare vobis locum: & si abiiero & preparauero vobis locum, iterum venio, & accipiam vos ad meipsum: ut ubi sum ego, & vos sitis.* Et nota, quod locus electorum erit mundus, firmus, & in omni bono repletus. Sobrietas mereatur munditiam & claritatem, iustitia firmitatem, pietas vero bonorum omnium virtutem. De secundo dicit Glossa super locum illum Luc. 24. *Ostendit eis manus & latus.* Dominus vulnerum cicatrices seruavit, ut Patri pro nobis supplicans, quale genus mortis pro homine pertulit, semper ostendat. Hinc etiam dicit Ioan. in 1. Can. 2. *Aduocatum habemus apud Patrem Iesum Christum iustum, & ipse est propitiatio pro peccatis nostris.*

Bonum est ergo charissimi, ut vulnera Iesu Christi veneremur, & peccata totis viribus fugiamus. Conqueritur etiam Dominus in Ps. 68. quod multi mali Christiani per peccata tur-

F 3 pissima

pissima & pessimas iniquitates, rursus recentem dolorem *super dolorem vulnerum suorum addiderunt*: & certe ad damnationem ipsorum cicatrices vulnerum suorum ostendet in judicio.

Rogate ergo filium Dei qui ad Patrem iam dudum rediit, ut ipso donante sic sobrie & iuste & pie viuamus in hoc seculo, ut cum hinc nos migrare contigerit, in loco ab ipso præparato recipi mereamur. Quod nobis præstare, &c.



I T E M  
IN ROGATIONIBVS  
SERMO XLIII.

*Petite, & dabitur vobis. Matt. 7.*

Hic principaliter quatuor sunt notanda.

I. *A quo sit petendum?*

II. *Qualiter sit petendum?*

III. *Quid sit petendum?*

IV. *Quando sit petendum?*



E primo nota, quod ab eo est petendum, à quo cuncta procedunt: vnde Iacob. 1. *Omne datum optimum, & omne donum perfectum desursum est, descendens à Patre luminum, apud quem non est transmutatio,* &c. A Deo igitur, qui optima dona dare potest & vult, est petendum.

De secundo videndum est, qualiter petere debeamus: multi enim, quia ita non petunt, sicut petere deberent: ideo non accipiunt id, quod petunt: vnde Iacob. 4. *Petitis & non accipitis, eo quod male petatis.* Igitur ut dentur nobis ea, quæ petimus: petere debemus corde, ore, & opere. Sicut enim avis aërem petitura nidum habet, vnde se leuat, & ex foramine vel ostio nidi euolat, & alas habet, quibus volat: sic & oratio nostra procedere debet ex nido cordis, & euolare per ostium oris. Debet etiam volare pennis & aliis boni operis. Hæ autem alæ præcipuae sunt ieuium & eleemosynæ. Hoc autem ieuium non solum consistit in abstinentia ciborum, sed potius in abstinentia vitiiorum, videlicet rancoris & inuidiæ. De oratione & duabus suis aliis scribit Augustinus in sermone quodam de penitentia, ita dicens: *Mitte orationem, habebit alas duas, geminas eleemosynas videlicet, dimittit & dimittetur vobis.* Raphael etiam Archangelus docet, quod oporteat orationem habere duas alas, videlicet ieuium & eleemosynas. Dixit enim Tobiae & vxori sue: *Bona est oratio cum ieuiu & eleemosyna.*

Et nota, quod oratio significari potest per columbam illam, quam Noe emisit de arca, quæ etiam ramum oliuæ virentibus foliis retulit ad arcum: sicut legitur Gen. 8. Noe interpretatur requiescens, & significat spiritum, siue animam fidelis hominis Christiani, qui requiescere debet in Christo. In mundo enim pressuras habet ani-

ma fidelis hominis: in Christo vero pacem, sicut dicitur Ioan. 16. Per arcum intelligitur cor nostrum, fenestra arcæ est os nostrum. Tunc autem columbam ex arca dimittimus, quando orationem nostram in cælum ad Deum dirigimus: quæ tamen indiget, ut habeat pennas deargentatas, id est, mundis & bonis operibus fulciatur: & sic reportare poterit hominum pacem & gratiam Dei, quæ per virentem ramum oliuæ figuratur. Ad hoc vero ut orationem nostram adiutorio bonorum operum feramus ad Dominum, monemur in Thren. 3. *Leuenmus corda nostra cum manibus ad Dominum in celos.*

De tertio nota, quod illa præcipue sunt petenda, quæ Dominus ipse nos admonet petere. Matth. 6. & Luc. 11. Ibi enim ipse Dominus format petitionem Christianorum, dicens: *Sic orabis: Pater noster, &c.* Et nota, quod tres virtutes Theologicae, scilicet, fides, spes, & charitas: & quatuor virtutes cardinales, videlicet, fortitudo, iustitia, temperantia, & prudentia, septem petitionibus adaptantur, quæ in oratione Dominica continentur.

Dicimus ergo, *Pater noster, qui es in celis.* Ibi, dicit Glossa: *monetur nibilis & diues non superbire, contra minores:* non enim vere possunt dicere *Pater noster*, nisi fratres sint: cauendum est etiam cuicunque à fratribus, ne tanto Patre sit indignus. Nullus igitur pauper propter paupertatem desperet, cum non solum diuites, sed pauperes videantur dicere: *Pater noster, qui es in celis.* Nota, quod per celos non solum Angeli intelliguntur, sed & omnes Christiani, qui sunt sine peccato mortali. In his enim Dominus nunc per gratiam inhabitat, & postea inhabitabit per gloriam.

*Sanctificetur nomen tuum.* Hæc est prima petitio. Et nota, quod per fidem nomen Dei sanctificatur, id est, firmatur in nobis. Fides enim est quoddam nobile gluten, quo nomen Dei agglutinatur animæ nostræ. Per hanc quippe primo efficimur Filii Dei.

*Adueniat regnum tuum.* Hæc est secunda petitio. Nota, quod duplex est regnum Dei: supra nos, & intra nos. Hoc duplex regnum aduenit, id est, conuenit per spem. Spes enim per regenerationem & desiderium regnum Dei supercælestis defert in cor nostrum, quod etiam si mundum fuerit, vocatur regnum Dei. Per spem etiam corda nostra & animæ post hanc vitam transfruentur in regnum Dei, quod supra nos est. Spes enim est certa expectatio futuræ beatitudinis, ex meritis & gratia proueniens. Sequitur tertia petitio.

*Fiat voluntas tua, sicut in celo, & in terra, hoc est, sicut Angeli faciunt voluntatem tuam in celo, sic & nos mereamur facere voluntatem tuam in terris.* Ad hoc autem necessaria est charitas. Charitas enim est, quæ cauere nos facit, ne offendamus charissimum & optimum, id est, Deum viuum. Sequitur quarta petitio.

*Panem nostrum quotidianum, vel substantiale, da nobis hodie.* Hic non solum cibum petimus & alimentum corporis: sed potius animæ nutrimentum, videlicet, panem diuinæ gratiæ. Hic igitur petimus, ut vera fortitudo diuinæ gratiæ nobis conferatur, ut videlicet omnem voluntatem Dei eo fortius impleamus. Petimus etiam hic, ut in virtute illius supercælestis panis,


panis, id est, beneficio Dominici corporis in omni bono opere roboremur. Quinta petitio.

*Et dimitte nobis debita nostra, sicut & nos dimittimus debitoribus nostris.* Quantumcunque enim aliquis innocens sit, indiget tamen sibi à Domino sua debita relaxari. Omnes enim iustitiae nostrae diuinæ munditiæ comparatae sunt quasi pannus menstruatæ. Vnde etiam dicit Apost. 1. Cor. 4. *Nihil mibi conscient sum, sed non tamen in hoc iustificatus sum.* Qui ergo desiderat sibi dimitti debita sua, debet & ipse dimittere primo debitoribus suis: hoc enim requirit vera iustitia. Vera itaque iustitia confertur ei, qui in se peccatibus ex corde dimittit. Sequitur sexta petitio.

*Et ne nos inducas in temptationem,* id est, auxiliare nobis, ne in aliquam temptationem per consensum inducamur, & sic à te, qui es vera delegatio animarum nostrarum, æternaliter abducamus. Ad hoc autem, ut in libidinosas tentationes non inducamur, adiutorio temperantiae indigemus. Temperantia siquidem est quoddam nobile frænum animæ, per quod eam Dominus retrahit à temptationibus & delectationibus prætius & nocuus. Septima petitio.

*Sed libera nos à malo.* Nota, quod malum neutri generis accipitur pro peccato & pro poena peccati, id est, pro poena gehennali. Malus igitur masculini generis accipitur pro quolibet malo homine, & pro ipso diabolo, qui verus malus est; Ad hoc autem, ut æternum malum, id est, infernum & diabolum euadamus, necessaria est nobis prudentia, quæ est quarta virtus cardinalis. Prudentia enim docet hominem fugere æternum malum:

III. Videndum est quandos sit petendum. Et nota, quod quamdiu aures Dei Sabaoth apertæ sunt, consultum est nobis, ut sollicite petamus. Si enim tunc homo primo petere voluerit, quando ab hac vita transmigraverit, petitio eius nullatenus audietur; vnde dicit Dominus Isa 49. *In tempore placito exaudi me.* Tempus placitum est tempus huius vitæ, quando misericordia homini denegatur. Rogate ergo Dominum, ut sic modo petamus, ut quæcumque perierimus, assequamur. Quod nobis præstare dignetur, qui vivit, &c.



## IN LITANIIS.

### SERMO LXIV.

*Quarite, & inuenietis. Matth. 7.*

Tria sunt hic notanda, videlicet.

I. *Quis,*

II. *Et ubi,*

III. *Et quando sit querendus?*

**D**E primo nota, quod ille est quærendus, sine quo nullus potest esse beatus, & certe hic est Deus noster. Ipse enim salus & thesaurus est beatitudinis omnium electorum.

De secundo nota, quod Dominus est quæ-

rendus in tribus locis. Primo in Bethlehemano præsepio, secundo in crucis patibulo, tertio in paterno gremio.

De primo, videlicet, quod quærendus sit in Bethlehemano præsepio, testatur Angelus Luc. 2. vbi dicitur, quod Angelus Domini apparuit pastoribus vigilantibus & custodientibus vigilias noctis super gregem suum, & annuntiavit eis natum Saluatorem Christum Dominum, & subiunxit: *Et hoc vobis signum: Inuenietis infante pannis inuolutum, & positum in præsepio.* Nota igitur, quod Dominus primo quærendus est in præsepio, vbi eum & pastores & reges quæsierunt iacens in paupertate, in vilitate, in asperitate; ut videlicet fallaces diuitiae respuantur, ut honores transitorij contemnuntur, ut carnis deliciae fugiantur. Redde singula singulis.

Secundo quærendus est in crucis patibulo. Vnde dicit Bernar. *Domine, circuire possum mare & aridam, nusquam te inuenio nisi in cruce: ibi cubas, ibi dormis in meridie.* Per meridiem intelligitur feroz passionis, in quo Dominus expirauit, & sic anima eius paucauit. Nota igitur, quod Dominus stans in crucis patibulo, docet nos, ut iniuriis renuntiemus, ut res nostras pauperibus erogemus, ut de parentibus nostris curemus, ut Deum in nostris necessitatibus inuocemus. Docet etiam nos æternis donis sitienter inhiare, omnia opera nostra in bono consummare, animam nostram Deo Patri quotidie recommendare.

Primo itaque docet nos iniuriis renuntiare. Vnde legitur Luc. 23. quod cum eum crucifixissent, dicebat: *Pater dimitte eis, non enim scunt quid faciunt.* Debemus igitur ad imitationem Domini odiis & rancoribus renuntiare, & pro nostris inimicis Deum fideliter exorare; vnde etiam monet nos Matth. 5. *Orate pro persequentibus & calumniantibus vos, ut sitis filii Patris vestri, qui in celis est.*

Secundo docet nos res nostras pauperibus erogare. Vnde scribit Luc. 23. quod cum latro dexter dixisset ad Iesum: *Domine, memento mei, dum veneris in regnum tuum.* Respondit ei Iesus: *Amen dico tibi: hodie tecum eris in paradyso.* Ibi dicit Glossa, *Dominus semper plus tribuit, quam rogetur.* Ille rogauit: *memento mei, &c.* Dominus ait: *Hodie tecum eris in paradyso.* Monet ergo nos Dominus exemplo suo, ut & nos indigentibus bona nostra communicemus, vnde etiam Luke 6. *Omnipotenti te, tribue.*

Tertio docet nos parentum nostrorum curam habere. Vnde scribit Ioan. 19. quod Iesus cum vidisset Matrem & Discipulum stantem, quem diligebat: dixit Matri sue: *Mulier, ecce filius tuus;* deinde dicit Discipulo: *ecce mater tua.* Sequitur: *Et ex illa hora accepit eam Discipulus in suam, scilicet matrem.* Super locum prædictum dicit Glos. *Docet, ut à pius filii impendatur cura parentibus.* Vnde Apostolus: *Siquis curam suorum non habet, fidem negavit, & est infideli deterior.* 1. ad Tim. 5. Igitur Dominus per hoc, quod matrem Discipulo commendat, docet nos, ut parentes nostros honoremus, eisque fideliter necessaria subministremus; vnde Eccl. 3. *Qui timet Dominum, honorat parentes, & quasi dominis seruet his, qui se generunt, in opere, & sermone, & in omni patientia.* Sequitur infra: *Quam male famæ*

fama est, qui relinquit patrem: & est maledictus à Deo, qui exasperat matrem.

Quarto docet nos Deum in omnibus necessitatibus nostris inuocare, non fortiaris & pytho[n]issas; vnde scribit Matth. 27. quod Iesus stans in cruce clamabat voce magna, dicens: *Eli Eli lama zaba astani, hoc est, Deus meus, Deus meus, ut quid dereliquisti me?* Per hoc, quod dicit bis, *Deus meus, Deus meus*, ostendit, quod in omni necessitate corporis & animæ auxilium à Deo debemus implorare. Contra quod faciunt, qui in infirmitatibus suis confidentiam habent in destabilibus benedictionibus & præstigiis mulierum.

Quinto docet nos æternis bonis sitienter inhiare; vnde scribit Ioan. 19. quod Dominus stans in cruce, dixit: *Sitio.* Dicit etiam Matth. 27. quod dederunt ei vinum bibere cum felle mixtum. *Et cum gustasset, noluit bibere.* Nota igitur quod Dominus, licet in corpore magnam sitim pateretur, multo tamen maiorem in anima patiebatur. Ipse enim sitiebat salutem totius generis humani. Bonum igitur est, vt & nos sitiamus ad Dominum Deum nostrum, apud quem semper salui erimus, & bene; vnde dicitur in Psal. 14. *Situit anima mea ad Deum fontem viuum;* quando veniam, & apparebo ante faciem Dei mei.

Sexto docet nos omnia opera nostra bono fine consummare. Vnde scribit Ioan. 19. quod Iesus, postquam acceperat acetum, dixit: *Consummatum est,* videlicet, quod ante mortem fieri oportebat. Docet itaque nos in bonis operibus usque ad finem perseuerare; vnde etiam dicit Matth. 24. *Qui perseuerauerit usque ad finem, salvus erit.*

Septimo docet nos, animam nostram Deo Patri quotidie recommendare. Vnde scribit Luc. 23. quod Iesus clamans voce magna, ait: *Pater, in manus tuas commendō spiritum meum:* & hoc dicens expirauit. Necessarium igitur est nobis, vt animas nostras quotidie scuto diuinæ protectionis commendemus. Vnde dicit Bern. super illum locum: *Scuto circumdabit te veritas eius.* Necessaria plane insuperabilis protectio veritatis, non modo interim in carne degenti, sed postmodum exeundi. Nunc quidem ob periculosos conflictus; tunc vero ob monstruosos occursum spirituum immundorum. Denique & sanctissimæ illi glorioi Martini animæ voluit pars inimica nocere, ino vero ad ipsum etiam Regem gloriae accedere impudentissima temeritas illa præsumpsit, sicut ipse testatur: *Venit etiam princeps mundi, & in me non habet quicquam.*

Tertium, videlicet, quomodo querendus sit in gremio Patris alia vice, si Dominus dederit, prole quemur. Modo videndum est, quando Dominus sit querendus? Et est sciendum, quod in tempore huius vitæ; vnde dicit Propheta Isa. 55. *Querite Dominum, dum inueniri potest: inuocate eum, dum prope est.* Hinc dicitur Sapient. 1. *In simplicitate cordis querite Dominum, quoniam inuenitur ab his, qui non tentant eum:* appareat autem eis, qui fidem habent in illum. Rogate ergo Dominum, vt sic eum, quamdiu facilis est ad inueniendum, toto corde queramus, vt tandem eum in regno suo læta facie videamus. Quod nobis præstare, &c.



## IN LITANIIS

### SERMO LXV.

*Pulsate, & aperietur vobis.*

Matth. 7.

Tria principaliter sunt hic notanda, videlicet.

I. *Ad cuius ostium,*

II. *Et qualis modo,*

III. *Et quando nos pulsare oporteat?*



E primo nota, quod ad ianuam Regis regum, & Domini dominantium pulsare debemus. 1. Ipse enim est opulentissimus ad possidendum. 2. Ipse est largissimus ad distribuendum. 3.

Ipse est speciosissimus ad videndum. 4. Ipse nihilominus non est amarus ad coniuandum. De primo dicit ipse Dei filius Pro. 8. *Mecum sunt diuitiae, & gloria, & opes superbae,* id est, excelsæ, dicit Glos. De secundo dicit Iacob. 1. *Qui dat omnibus affluentes, & non improprietates.* Vnde etiam sponsa testatur sponsum habere manus tornatiles, id est, volubiles & paratas ad dandum, sicut dicitur Can. 5. *Manus illius tornatiles, aureæ, plena hyacinthis.* De tertio Sap. 7. *Candor est lucis aeterna, & speciosior sole.* Item Pet. 1. Can. 1. *In quem desiderant Angeli prospicere.* De quarto. Sap. 8. non habet amaritudinem conuersatio illius, nec tedium conuictus illius, sed lætitiam & gaudium.

De secundo videndum, quali modo pulsare debemus? Et est dicendum, quod manu oportet nos pulsare, haec autem manus est vera pœnitentia. Haec autem manus consistit ex quinque digitis, videlicet, 1. ex feruenti contritione, 2. ex pura confessione, 3. ex eleemosynarum largitione, 4. ex carnis maceratione, 5. ex deuota oratione. Qui hac manu pulsauerit ad ostium diuinæ misericordiæ, & in pulsando non defecerit, qualisunque etiam peccator fuerit, sine dubio aperiet ei Deus.

Primus igitur digitus in humana manu appellatur pollex. Per pollicem intelligitur feruens contritio, quæ bene dicitur pollex, eo quod præ cæteris digitis virtute polleat. Sola enim contritio sine omnibus aliis, quæ requiruntur ad pœnitentiam, in necessitate sufficit ad salutem. Ita tamen, quod homo libenter confiteretur, si haberet copiam Sacerdotis & usum linguae, & quod libenter exequeretur alia satisfactionis opera, si debilitas corporis pateretur.

Et nota, quod grauiter doleret homo, cuius parentes & filii, cognati & amici omnes una die morerentur, & nulli ei alij, nisi inimici grauissimi relinquerentur; grauius autem doleret, si super hoc sequenti die omnibus bonis tam mobilibus

# De Ascensione Domini Serm. XLVI. 81

bilibus, quam immobilibus forti manu iniunctorum, vel per ignis incendium priuaretur: grauisime vero doletet, si tertia die omnimodam corporis infirmitatem incideret, ita quod oculos, aures, nasum, linguam, os, & manus & pedes amitteret, & nihilominus intrinsecus in omnibus vitalibus cruciatetur, & nullus esset, qui tam misero solatium aliquod exhiberet. Sic sine dubio dolere debet miser peccator. Per peccatum enim mortale ipsius dulcis Dei & Beatae Virginis, & omnium supercaelestium amicorum gratia amittitur. Per peccatum etiam mortale & corpus & anima aeternis doloribus & perpetuis inferni cruciatibus obligantur.

Secundus digitus index vocatur, vel demonstratorius, eo quod per eum ea, quae videre volumus, demonstramus. Et per hunc intelligitur pura confessio, per quam quilibet confessori suo debet omnem conscientiam suam demonstrare. Vnde & Dominus Luc. 17. dixit decem leprosis: Ite, ostendite vos Sacerdotibus.

Tertius digitus appellatur medius, quia consistit in media manu, & per hunc notatur eleemosynarum largitio. Eleemosyna enim quædam mediatrix est inter Deum & animam. Ipsa siquidem reddit Deum animæ propitium. Animam enim coniungit amplexibus Dei. Præterea cum secundum Philosophum virtus consistat in medio: eleemosyna quasi consistens in medio, & amicos respicit & inimicos. Danda est enim eleemosyna & iustis, & iniustis. De primo dicitur Ecclesiast. 12. *Benefac iusto, & inuenies retributionem magnam, & si non ab ipso, certe à Domino.* De secundo dicit Dominus Matth. 5. *Diligite inimicos vestros, benefacientes his qui oderunt vos.* Item in Proverb. 25. *Si esurierit inimicus tuus, ciba eum: si sitierit, da ei aquam bibere.* Prunas enim congregabis super caput eius. Per prunas intelligitur feruor charitatis, quæ per beneficia etiam in inimicorum mentibus excitatur. Præterea medius digitus altior & longior est alii digitis, quod etiam eleemosynæ congruit, & pie-tati: misericordia enim est super omnia opera Domini, ut testatur Psalm.

Quartus digitus appellatur medicinalis, quia eo digito à medicis collyria teruntur & commiscentur; & per istum digitum signatur carnis maceratio. Legitur enim quod Galenus interrogatus à discipulis suis, quæ esset summa medicina? Respondit, Abstinencia. Vnde dicit Eccl. 31. *Vigilia & cholera & tortura viro infrunto, somnus sanitatis in homine parco.* Glossa, salubrior est somnus in parco vietu. Sequitur infra: *Sanitas est anime & corporis sobrius potus.* Item Eccl. 37. *In multis escis erit infirmitas, & aniditas appropinquabit usque ad cholera: propter crapulam, multi obierunt: qui autem abstinent est, adjicet vitam.* Sanat igitur ieiunium pestes & corporis & mentis.

Quintus digitus vocatur auricularis, quasi colens aurem; & per hunc deuota oratio figuratur quæ quotidie colit aurem Dei. Docet autem Dominus nos orare Matth. 24. ita dicens: *Orate, ut non fiat fuga vestra in hyeme vel sabbato.* Erit enim tribulatio magna, qualis nunquam fuit ab initio mundi usque modo, nec fiet. Nota, quod orationibus continuis oportet nos fugere iram Dei, quamdiu viuimus. Post hanc enim vitam non

erit conueniens tempus fugæ. Tunc quippe erit hyems & sabbatum, id est, tale tempus, quando nec homo dignos fructus facere poterit pœnitentia, nec etiam ei tunc operari licebit; quia tunc peccatores tantam tribulationem sustinebunt, quantam & lingua humana non poterit explicare.

Et nota, quod ut efficacius possis pulsare, debes prædictam manum vel petram, vel ferreo malleo, vel etiam baculo roborare. Per petram intelligitur ipse Christus, qui virga lancea percussus in ara crucis profudit aquam & sanguinem. Per ferreum malleum intelligitur crux Dominica, quæ contruit aereas potestates. Per baculum etiam figuratur Virgo Maria. Per hanc enim in via huius seculi sustentamur, ne deficiamus.

De tertio nota, quod modo est tempus, quando ad ostium diuinæ misericordiæ pulsare debemus. Legitur enim Matth. 25. quod *cum venisset sponsus, quæ parata erant, intrauerunt cum eo ad nuptias, & clausa est ianua.* Super locum illum dicit Bern. *Venient homicide, & admittuntur: venient Publicani & meretrices, & recipiuntur; venient Sodomita, molles, adulteri, fures, & qualescumque sunt peccatores, & patens ianua eius non negatur.* Multus est enim ad ignoscendum, & praefabilis super malitia quali aut quamvis acunque. Tunc autem quid clausa est ianua? Ianua pectoris & misericordiæ Christi, quæ lacrymis, suspiriis & gemitibus, & precibus pœnitentium tam facile patet, clausa est; nullius oratio, nullius gemitus amplius admitteatur.

Rogate ergo Dominum, ut tam fortiter ad ianuam diuinæ clementiæ nunc pulsemus, ut post hanc vitam in aulam aeternæ beatitudinis recipi mereamur. Quod nobis præstare dignetur, &c.

## DE ASCENSIONE Domini

### S E R M O   X L V I .

*Dominus quidem Iesus, postquam locutus est eis, assumptus est in celum, & sedet à dextris Dei. Marc. vlt.*

Duo occurunt hic notanda.

- I. *Quare Deus in celum assumptus esse dicatur?*
- II. *Quare etiam à dextris Dei sedere referatur?*

E primo nota, quod Dominus propter septem causas assumptus est in celum. Prima est ut nobis ad celum iter pandaret & monstraret. Secunda, ut animas, quas de limbo eriperat, in regalibus sedibus collaret. Tertia, ut ad interpellandum pro nobis Deo

Deo Patri signum suæ victoriae repræsentaret. Quarta, vt naturam nostram super omnes Angelorum ordines exaltaret. Quinta, vt mansiones & loca delectabilia nobis præpararet. Sexta, vt corda nostra post se eo vehementius excitaret. Septima, vt septem sigilla & referata & referanda fore omnibus publicaret.

Prima igitur causa assumptionis in cælum hæc est, vt videlicet nobis iter ad cælum panderet ac monstraret; vnde Micheæ 2. Ascendet pandens iter ante eos, & transibit Rex eorum coram eis. Nota, quod plusquam quinque millia annorum transierant, quod nullus ascenderat in cælum; vnde quasi ignota erat via: & propter hoc oportuit, quod Dei Filius primus eam panderet, & notam ficeret animabus electorum.

Secunda causa est, vt animas, quas de limbo eripuerat, in regalibus sedibus collocaret. Vnde legitur in Isa. 63, quod cum Dominus cum gloriose comitatu Angelorum & sanctorum animarum, Incarnationis, Passionis, & Resurrectionis, occurrerit, Domino dixerunt: *Quis est iste, qui venit de Edom, tintis vestibus de Boſra, iste formosus in stola sua, gradiens in multitudine fortitudinis sue? De Edom, Glosa, de mundo: tintis vestibus de Boſra, Glosa, sanguine scilicet in cruce. Iste formosus in stola sua, habitu humanitatis.*

Tertia causa est, vt ad interpellandum pro nobis Deo Patri signa suæ victoriae repræsentaret, videlicet cicatrices suas. Vnde dicit Glosa super Luc. 24, quod Dominus cicatrices referauit, vt Patri pro nobis supplicans, quale genus mortis pro homine pertulerit, semper ostendat. Hinc etiam dicit Paulus ad Hebr. 7. *Iesus eo quod maneat in eternum, sempiternum habet sacerdotium; unde & saluare in perpetuum potest accedens per semetipsum ad Deum, semper vivens ad interpellandum pro nobis.* Ibi dicit Glosa, quod Christus in humana natura, quam cælis intulit, interpellat pro nobis.

Quarta causa est, vt naturam nostram super omnes Angelorum ordines exaltaret. Vnde super illum locum Apostoli ad Hebr. 2. *Nusquam Angelos apprehendit, dicit Glosa, Reuera magnum & mirabile & stupore plenum est, carnem nostram sursum sedere, & adorari ab Angelis & Archangelis.* Hoc ergo saepius in mente versans excessum patior, magna de generc humano imaginans. Cum ergo Dominus sorori nostræ, hoc est, humanae naturæ tantum honorem contulerit, dignum & iustum est, vt & nos ea, per quæ soror nostra inhonorificetur, non agamus, id est, vt imunde & iuste nos habeamus, & peccatis corpus nostrum & animam non polluamus.

Quarta causa est, vt mansiones nobis & loca delectabilia præpararet. Vnde Dominus dicit in Ioan. 14. *Vado preparare vobis locum. Et si abierto, & preparauero vobis locum: iterum venio, & accipiam vos ad meipsum, ut vobis sum ego, & vos sitis.* Et nota, quod mansiones electorum erunt pulchrae, securæ, & opulenta. De his tribus dicitur in Isa. 31. *Sedebit populus meus in pulchritudine pacis, & in tabernaculis fiducie, & in requie opulenta.* E contrario in mansionibus damnatorū erit fætor, & immunditia: erit etiam in eis perturbatio semiperna, & omnis boni irrecuperabilis inopia.

Sexta causa est, vt corda nostra post se eo vehementius excitaret; vnde Matth. 6. *Vbi est the-*

*saurus tuus, ibi est & cor tuum.* Item Matth. 24. *Vbicunque fuerit corpus, ibi congregabuntur & aquila.* Cum ergo Filius Dei sit & corpus, & thesaurus, id est, refectio animarum nostrarum; dignum est, vt ipsum quotidie omni desiderio nostrorum cordium prosequamur, sine ipso enim inops est, & deficit omnis homo. Et nota, quod Dominus sicut aquila sursum eleuatus est, & in arduis posuit nidum suum. Vnde & nos post ipsum sicut filij aquilæ per desideria volare debemus. Vnde Iob. cap. 39. *Nunquid ad preceptum tuum eleuabitur aquila, & in arduis ponet nidum suum?* In petris manet, & in præruptis silicibus commoratur, atque inaccessis rupibus. Pulli eius lambunt sanguinem. 1. Attende, quod per aquilam, de qua hic agitur, Dei Filius figuratur, qui ad preceptum Patris eleuatus est in Ascensione, & in arduis cælorum posuit nidum suum: vbi manet in petris, id est, in animabus electorum, quæ tentationibus dæmonum fortiter restituerunt. 2. Commoratur etiam in silicibus, hoc est, in sanctis Angelis, à quibus apostolæ Angeli per superbiam abrupti deciderunt. 3. Nihilominus & inaccessis rupibus commoratur, hoc est, in eminentia sanctæ & inuiduæ Trinitatis. 4. Nos igitur, qui quasi filii huius aquilæ sanguinem lambimus Iesu, post hanc aquilam eleuari debemus.

Sed heu hodie multi imitantur coruum illum, qui illeactus cadavere noluit redire ad Noe, Gen. 7. Ita enim corda multorum irretiuntur desideriis voluptatum carnalium & concupiscentiis bonorum temporalium, & ambitionibus honorum, quod nec volunt nec possunt migrare post Dominum.

Sextimam causam altera die prosequimur, quia ipsa per se sola sufficit ad sermonem.

De secundo videndum est, videlicet, quare Dominus à dextris Dei sedere referatur. Et nota, quod per hoc, quod dicitur à dextris Dei, innuntur tria, videlicet 1. quod collata est Christo homini à Deo Patre potestatis æqualitas. 2. honoris paritas. 3. & omnis boni identitas. De I. dicit Matth. 28. *Data est mihi omnis potestas in celo & in terra.* De II. dicit Dominus Ioan. 8. *Si ego glorifico meipsum, gloria mea nihil est. Est Pater mens, qui glorificat me.* Item Ioan. 7. *Pater, quos dedisti mihi, volo ut vobis sum, & illi sint mecum: ut videant claritatem meam, quam dedisti mihi.* Matth. 6. *Filius hominis venturus est in gloria Patris sui cum Angelis suis.* De III. dicit Dominus Ioan. 17. *Pater, mea omnia tua sunt, & tua measunt.*

Et nota, quod Christus Iesus eleuari meruit ad dexteram Patris, videlicet in potestatis æqualitatem, honoris paritatem, & omnis boni identitatem, pro eo quod se humiliauerit usque ad carnis nostræ infirmitatem & abiectissimam vilitatem, nec non ad altissimam paupertatem. Nos igitur, charissimi, si volumus aggregari Filio Dei, oportet quod & nos carnem nostram per labores pœnitentiæ puniamus, & quod contemptum, & æquanimiter opprobria hominum sustineamus. Præterea quod res nostras in vobis pauperum misericorditer expendamus. Rogate ergo Filium Dei, vt sic in hac vita in ipsum suspiriemus, vt post hanc vitam cum Christo regnare mereamur. *Quod nobis præstare dignetur, &c*

ITEM

ITEM DE EADEM  
Ascensione

## SERMO XLVII.

*Dominus quidem Iesus postquam locutus est, ascendit in cælum, & sedet à dextris Dei. Mar. vlt.*

**N**O T A , quod Dominus assumptus est in cælum , vt se ptem sigilla libri referata & referanda monstraret. Vnde scribit Ioan. in Apoc. 5. *Vidi in dextera sedentis super thronum , Librum scriptum imus & foris, signatum sigillis septem , & infra : Et vidi, & ecce in medio throni & quatuor animalium, & in medio seniorum , agnum stantem tanquam occisum, habentem cornua septem, & oculos septem ; qui sunt septem spiritus missi in omnem terram. Et venit, & accepit de dextera sedentis in throno Librum.*

Nota 1. quod liber, quem Ioannes in dextera sedentis super thronum vidi , erat propositum Dei Patris, quod de saluatione ac redemptione prædestinatum conceperat ab æterno. 2. Quod autem liber iste scriptus erat intus , hoc significat quod quædam arcana diuinitatis numquam vel ad Angelorum , vel etiam Archangelorum notitiam peruererunt. 3. Quod autem foris videtur scriptus , hoc significat quod multa de redemptione & statu Ecclesie Dominus quibusdam supremis Angelis reuelauerat ab antiquo. 4. Hic autem liber signatus erat 7. sigillis, quæ nec ab Angelo, nec ab homine aliquo, nisi à solo agno in ara crucis immolato, hoc est, à Dei Filio poterant referari. Primum sigillum apertum fuit in nostræ carnis assumptione. Secundum in Dei Filij passione. Tertium in sancti Spiritus transmissione. Quartum aperitur in corporum nostrorum maceratione. Quintum aperitur in spirituum nostrorum requiacione. Sextum aperietur in diuini iudicij districione. Septimum aperietur in beata electorum glorificatione.

De primi igitur sigilli apertione dicitur Apoc. 6. *Et vidi quod aperuisset agnus unum de septem sigillis. Et ecce equus albus ; & qui sedebat super illum , habebat arcum , & data est ei corona: & exiuit vincens , ut vinceret. Per album equum intelligitur immaculata caro , quam Dominus assumpit de Virgine Maria, in qua carne Dei Filius congressus est cum humani generis inimico, eumque vicit ac superauit. Dominus autem, qui equum nostræ carnis ascendit , arcum portauit & coronam. Corda siquidem luxuriosorum, qui carnem suam per luxuriam coinquinant, sagittis infernalibus traiicit & perforabit. Vnde dicitur in Psal. 119. quod sagitta potentis acuta : & ha sagittæ magno effectu vindictam Dei defen-*

rent in ardentes miseris & damnatos. Vnde Psal. 7. *Sagittas suas ardenter effecit. Quod autem coronam defert, hoc significat quod Dominus electos suos, qui carnem suam mundam & immaculatam custodiunt, coronis æternæ gloriæ coronabit.*

De secundi sigilli apertione dicitur Apocal. 6. *Et cum aperuisset secundum sigillum , exiuit alius equus rufus : & qui sedebat super eum, datum est ei, ut sumeret pacem de terra , & ut inuicem se interficiant : & datus est illi gladius magnus. Per rufum equum intelligitur corpus Christi proprio sanguine rubricatum. In hoc autem equo Dominus sedens monet nos exemplo passionis sue , ut pax carinalis affectus rumpatur , & propter Deum temporale comodum contemnatur. Tunc pax sumitur de terra , quando filii patres & matres relinquentes se transferunt ad seruitutem Dei. Tunc etiam se inuicem interficiunt , quando quilibet electus alterum hortatur , ut carnem suam crucifigat cum viitiis & concupiscentiis. Hæc autem omnia efficit magnus gladius charitatis. De peccatis dicit Dominus Matth. 10. *No-lite arbitrari quia veni pacem mittere in terram : non veni pacem mittere, sed gladium. Veni enim separare hominem aduersus patrem suum , & filium aduersus matrem suam.**

De tertij sigilli apertione Apocal. 6. *Et cum aperuisset sigillum tertium , ecce equus niger : & qui sedebat super illum , habebat stateram in manu sua. Per nigrum equum intelliguntur sancti Apostoli & Martyres , qui æstimū diuersarum tribulationum ac persecutionum pro Domino fortiter sustinuerunt. Dominus autem in Apostolis sedens & Martyribus stateram gestat in manu , vt ostendat quod quantum quisque laboris ac tribulationis pro Domino sustinuerit, tantum & ipsi præmij refundetur. Dominus etiam appendet corpora , quæ pueri & puellæ propter Dominum tradiderunt ad supplicium, vt nos senes & barbati hoc videntes confundamur & reuereamur , cum propter Dominum nil pati velimus. Sequitur : Et audiui tanquam vocem in medio quatuor animalium , dicentium ; *Bilibris tritici denario uno, & tres bilibres hordei denario uno , & vinum & oleum ne laferis. Hæc verba sic intellige , quod videlicet bilibres tritici, hoc est, castitas mentis & corporis oblata Domino , remunerabuntur denario retributionis æternæ. Qui etiam bilibres tres hordei Domino obtulerit , id est , qui per geminam charitatem in exilium missus amicos reliquerit , & rerum damna pertulerit , & cruciatus corporis sustinuerit , recipiet à Domino denarium mercedis æternæ. Qui etiam exhibuerit Domino vinum pœnitentiaæ , & oleum misericordiaæ , euadet læsionem æternam.**

De apertione quarti sigilli dicitur Apocal. 6. *Et cum aperuisset sigillum quartum , ecce equus pallidus : & qui sedebat super eum , nomen illi mors , & infernus sequebatur eum. Per pallidum equum intelliguntur sancti Confessores , & viri claustrales , nec non & omnes illi, qui ieiuniis, vigiliis, & orationibus , & aliis spirituajibus exercitiis se pallidos efficiunt , & pro desiderio supernæ patriæ dissolui cupiunt, & esse cum Christo. Vnde & Christus, qui sedet in eis, mors vocatur. Ipse enim dicit in Osea 13. O mors, ero mors*

*mors tua, morsus tuus inferne, &c.* Christus igitur est vita perpetua vita, & mors mortis æternæ. Ipse quippe mortis destruxit imperium: & quia momordit infernum in unctione animarum fidelium, propterea adhuc infernus sequitur eum, id est, desiderat recuperare damnum suum, devorare cupiens pœnitentes, in quibus ipse feder.

De apertione quinti sigilli, Apocal. 6. *Et cum aperuisset quintum sigillum, vidi subitus altare animas interfectorum propter verbum Dei, & propter testimonium quod habebant. Et dare sunt illis singulæ stole albe: & dictum est illis, ut requiescerent adhuc tempus modicum, donec compleantur conseruie eorum.* Altare est desiderabilis visio Iesu Christi, sub cuius protectione electorum animæ feliciter requiescent, que iam stolam primam, hoc est, doctes animæ receperunt, secundum quod recipient in suorum corporum glorificatione.

De apertione sexti sigilli dicitur Apoc. 6. *Et vidi cum aperuisset sigillum sextum, & ecce terre motus factus est, id est, omnes terreni & terram amantes in die iudicij mirabiliter trepidabunt. Et sol factus est niger tanquam saccus cilicinus, id est, qui modo splendent in gloria mundi, ut saluari possent, libenter saccis ciliciniis induerentur. Et luna tota facta est sicut sanguis, id est, hypocritæ, qui modo in apparentia hominum sancti videntur & iusti, tunc confundentur & erubescunt. Et stelle cœli de calo ceciderunt super terram, id est, clerici, qui propter literarum scientiam modo tanquam sint cœli sidera, sunt elati; tunc simplices & stulti reputabuntur ut rustici. Et cœlum recessit sicut liber in uoluntate, id est, omnia, quæ modo celata sunt & occulta, vniuersi cœlestis exercitus notitia publicabuntur: & quilibet rationem reddet de peccatis omnibus, quæ commisit. Et omnes montes & insule de locis suis moti sunt, id est, omnes, qui modo super alios eminent per potestatem, & qui forti amicorum adiutorio nunc vnde sunt vallati: tunc omni præterita potestate, cunctoque cognatorum adiutorio inuenient se priuatos. Et reges terre, & principes, & tribuni, & diuites, & fortes, & omnis seruus, & liber absconderunt se in speluncis & petris montium: & dicunt montibus & petris: Cadite super nos, & abscondite nos à facie sedentis super thronum, & ab ira agni, quoniam venit dies magnus ire ipsorum: & quis poterit stare? Hæc verba sic intellige, quod omnes peccatores, cuiuscunque sint officijs, vel dignitatibus, vel etiam conditionis, in die iudicij coram præsentia Christi in tantam peruenient anxietatem, si possibile esset, quod etiam ad literam in speluncis montium tunc libentissime latitarent; vel etiam tunc de criminibus suis seram pœnitentiam agentes, frustra tunc Sanctorum auxilium inuocabunt, quos cum poterant imitari nolebant.*

De reservatione septimi sigilli dicitur Apoc. 8. *Et cum aperuisset sigillum septimum, factum est silentium in celo, quasi media hora.* Peracto quippe iudicio Dominus electos suos perducet in regnum quietis æternæ, ubi ab omni perturbatione inimicorum, & ab omni infirmatum ac molestiarum incommodo silentium celebratur sempiternum. Quod dicitur *silentium factum in celo, quasi media hora,* hoc signat, quod tam insatiabile erit gaudium illius supernæ patriæ,

quod electi cum mille millibus annorum cum Deo suo regnauerint, vix se ibi per dimidiam horam fuisse reputabunt. Nunquam enim tandem illius gaudij patientur. Illi vero, qui erunt in inferno, præ nimis cruciatibus iugiter clamabunt, & tandem afficientur æterno; unde dicitur Isa. 65. *Ecce serui mei laudabunt præ exultatione cordis: & vos clamabitis præ dolore cordis, & præ contritione spiritus vñlabitis.* Rogate ergo Dominum, ut sic nunc Dei Filio seruimus, ut electis aggregati coram ipso postmodum ab omni gemitu fileamus. Quod nobis præstare, &c.



## I T E M DE ASCENSIONE Domini S E R M O X L V I I I .

*Hic Iesus, qui assumptus est à vobis, ita veniet, quemadmodum vidistis eum euntem in cœlum. Act. i.*

**N**ota, quod Dominus ascendit, 1. in tubæ concrepatione, 2. cum nubis susceptione, 3. cum Discipulorum exultatione, 4. cum dulci benedictione, 5. cum manuum eleuatione, 6. cum cicatricum retentione. De primo dicitur in Psal. 46. *Ascendit Deus in tubo, & Dominus in voce tubæ.* De secundo dicitur Act. 1. *Videntibus illis eleuatus est, & nubes suscepit eum ab oculis eorum.* De tertio dicitur Luc. 24. *Ipse adorantes regressi sunt Ierusalem cum gaudio magno.* De quarto & quinto dicit Luc. 24. *Eleuatis manibus suis benedixit eis.* Et factum est, dum benediceret illis, recessit ab eis. De sexto dicit Glossa super Luc. 6. quod cicatrices suas propter hoc calo iniulit, ut perpetuum victoriae sue circumferat triumphum.

Sic itaque secundum testimonium Angelorum reuerlurus est ad iudicium. 1. Tunc enim cum tubis Angeli mortuos suscitabunt. 2. Tunc electorum animæ de resumptione corporum suorum exultabunt. 3. Tunc nubes, id est, angelicæ virtutes Deum ad iudicium deportabunt. 4. Tunc Filius Dei statutos ad dextram dulciter benedicet. 5. Tunc eleuatis manibus ad sinistram positos & feriet & maledicet. 6. Tunc vniuersæ carni vulnerum suorum cicatrices ostendet.

De primo, videlicet, quod Angeli cum tubis mortuos suscitabunt, dicit Paulus 1. ad Corinth. 15. *Omnes quidem resurgent, sed non omnes immutabimur. In momento, in ictu oculi, in non issima tuba: canet enim tuba.* Item 1. Thess. 4. *Ipse Dominus in iussu, & in voce Archangeli, & in tuba Dei descendet de celo, & mortui qui in Christo sunt, resurgent primi.*

De secundo, videlicet, quod electorum ani-

mæ de resumptione suorum corporum exultabunt , dicitur in Psal. 149. *Exultabunt sancti in gloria, letabuntur in cubilibus suis.* Hanc auctoritatem sic intellige, quod electorum animæ modo exultant existentes cum Domino in gloria; tunc autem etiam letabuntur in cubilibus suis, id est, propter receptionem cubilium, hoc est, corporum suorum. Corpus enim quasi cubile est animæ, in cuius receptione nimis tunc felix anima letabitur: quia corpus, quod modo seminatur in ignobilitate, tunc surget in gloria, sicut dicit Apost. 1. ad Cor. 15.

De tertio, videlicet, quod nubes, id est, Angeli ad iudicium Deum deportabunt, dicit ipse Dominus Matthæi 24. *Videbunt Filium hominis venientem in nubibus celi in virtute magna, vel multa, & maiestate.* Item de hoc dicitur in Apoc. 1. *Ecce venit cum nubibus, & videbit eum omnis oculus, & qui eum pupugerunt. Et tunc plangent se super eum omnes tribus terræ, etiam, Amen.*

De quarto videlicet, quod ad dexteram constitutos dulciter benedicet. Dicit etiam ipse Dominus Matth. 25. *Cum venerit Filius hominis in maiestate sua, & omnes Angeli cum eo: tunc sedebit super sedem maiestatis sua, & congregabuntur ante eum omnes gentes, & separabit eos ab inimicis, sicut pastor segregat oves ab hædis: & statuet oves quidem à dextris, hædos autem à sinistris. Tunc dicet Rex his qui à dextris eius erunt: Venite benedicti Patris mei, possidete patatum vobis regnum à constitutione mundi. Esuriui enim, & dedistis mihi manducare: sitiui, & dedistis mihi bibere: hospes fui, & collegistis me: nudus, & cooperiuitis me: infirmus, & visitasti me: incarceratus eram, & venisti ad me.* Ecce gratias ager Dominus fidelibus suis de omnibus beneficiis eorum, quæ membris suis, hoc est, pauperibus suis impenderunt.

De quinto, videlicet, quod manibus eleuatis ad sinistram positos feriet & maledicet. Dicit etiam ipse Dominus Matth. 25. *Tunc dicet & Rex his, qui à sinistris eius erunt: Discedite à me maledicti in ignem æternum, qui paratus est diabolo & Angelis eius: Esuriui enim & non dedistis mihi bibere: hospes eram, & non collegistis me: nudus, & non cooperiuitis me: infirmus & carceratus, & non visitasti me.* Super locum istum dicit Glossa. Quid moratur qui aliena rapit, si æternaliter damnatur qui de suo non dedit?

De sexto, videlicet, quod cicatrices suas in iudicio cunctis ostendet. Dicit Glossa super Luc. 6. *Dominus cicatrices suas in iudicio seruaturus est, ut suam morte redemptis, quod misericorditer sint adiuti, præpositis eiusdem mortis intimæ indicis, & ut in iudicio quam iuste damnentur impi, denuntiet.* Iusti igitur tunc cicatrices Domini respicient cum exultatione; mali vero eas inspicient cum gemitibus & tremore. Rogate ergo Dominum, ut modo ei tam fideliter seruamus ut eum in districto iudicio cum gudio videamus.



## IN DOMINICA post Ascensionem

### SERMO XLIX.

*Cum venerit Paracletus, quem ego mittam vobis à Patre, Spiritum veritatis qui à Patre procedit, ille testimonium perhibebit de me. Ioan. 15. & 16.*



OTIA quod Dominus prædicens fidelibus suis, quod propter ipsum essent ex synagogis, id est, ex hominum collectionibus eiiciendi, & quod, etiam forent variis cruciati bus interficiendi; promittit se eis transmissurum spiritum veritatis, qui eos, ut pote Paracletus in diuersis tribulationibus consoleretur, & qui testimonium perhibeat Filio Dei, quod militibus suis, qui bene certauerint, præmium gloriosum sit datus. Perhibet igitur Spiritus sanctus testimonium Filio Dei, quod fidelibus suis septemplicem hostem vincentibus septiforme præmium largietur. Vnde in Apoc. 2. & 3. cap. vbi Dominus ponit præmia, quæ dabit victoribus suis, præmit titur semper præmio, vel subiungitur: *Qui habet aures audiendi, audiat quid Spiritus dicat Ecclesiis.*

I. Igitur de præmio illius qui vicerit gulam dicit Filius Dei Apocal. 2. *Vincenti dabo edere de ligno vitæ, quod est in Paradiso Dei mei.* Quid autem sit gula, dicit diffinitio. Gula est illecebrosus & auditus, causa solius corporis, ciborum appetitus. Qui igitur vicerit gulam testimonio sancti Spiritus, comedet de ligno vitæ, hoc est, satiabitur diuina dulcedine, quæ est in paradiso Dei Patris.

II. Sequitur præmium illius, qui vicerit inuidiam. Apocal. 2. *Qui vicerit non lœdetur à morte secunda.* Nota, quod inuidia est dolor ex aliena felicitate nascens, animam torquens. Inuidia igitur est quasi prima mors animæ propriæ: qui hanc vicerit, non lœdetur à morte secunda, id est, euadet mortem æternam, & vitam inueniet sempiternam.

III. De præmio, quod dabatur illi qui vicerit iram, dicitur Apoc. 2. *Vincenti dabo magna absconditum, & dabo illi calculum candidum, & in calculo nomen nouum scriptum, quod nemoscit, nisi qui accipit.* Nota, quod ira est structus feruor animi concitati ylscendi libidine feruens. Nota etiam, quod aufert homini dulcedinem mentis, & obscurat rationem eius, & ascribit eum perpetua damnationi. Qui igitur vicerit iram, dabatur ei in regno Dei delicata, & mortalibus inexperita dulcedo mentis, quæ per manna absconditum figuratur. Dabitur etiam ei claritas diuinæ cognitionis, & vocabitur hæres Dei: quæ duo per calculum candidum, & nomen nouum exprimuntur.

IV. De præmio, quod ille accipiet qui vice-

rit

rit acediam, dicitur Apoc. 2. *Qui vicerit & custodierit usque in finem opera mea, dabo illi potestatem super Gentes, & reget illas in virga ferrea, & tanquam vas figuli confringentur: sicut & ego accepi à Patre meo: & dabo illi stellam matutinam.* Nota, quod acedia est torpor animi, quo quis aut negligit bona inchoare, aut inchoata fastidit perficere. Qui igitur vicerit acediam, & usque ad finem custodierit opera Dei, dabitur ei magna potestas super Gentes, id est, super dæmones & malos homines, qui eum olim in Dei seruitio, & in bonis operibus impediuerunt; & virginis ferreis percutiet eos, & percussi, tanquam vas figuli conterentur. Dabit etiam eis Dominus stellam matutinam, hoc est corporis, & animæ dotes. Qui libenter ad matutinas surrexit, & ad alias horas audiendas canonicas aduenit, tanquam stella matutina lucebit in regno Dei.

V. De præmio, quod ille accipiet qui vicerit luxuriam, dicitur Apoc. 3. *Qui vicerit, vestietur vestimentis albis, & non delebo nomen eius de Libro vite, & confitebor nomen eius coram Patre meo, & coram Angelis eius.* Nota, quod luxuria est ex immundis descendens desideriis, lubrica & effrænata mentis prostitutio. Qui igitur vicerit luxuriam vestietur à Filio Virginis candidis indumentis, & laudabit eum Filius Dei coram Patre suo, & coram Angelis suis omnibus.

V I. De præmio, quod dabitur ei qui vicerit avaritiam, dicitur Apocal. 3. *Qui vicerit, faciam illum columnam in templo Dei mei: & foras non egredietur amplius: & scribam super eum nomen Dei mei, & nomen ciuitatis Dei mei noua Ierusalem, que descendit de celo à Deo meo, & nomen meum nouum.* Nota, quod avaritia est gloriæ, siue quarumlibet terum insatiabilis & inhonesta cupidio. Qui igitur vicerit avaritiam, quæ hominem vagum facit mente, & corpore instabilem, quasi columna per pulchra statuetur in templo Dei mei, & foras amplius non egredietur, id est, extra regnum Dei nihil inuenietur, quod concupiscat, sed semper delectabit eum manere in præsentia summi boni, & nomen Dei Patris, & nomen nouum Ierusalem, & nomen Filii scribetur super eum, id est appellabitur, & erit filius Dei, & concius Sanctorum, & frater Iesu Christi.

VII. De præmio, quod ille assequetur qui vicerit superbiam, dicitur Apocal. 3. *Qui vicerit, dabo ei sedere tecum in throno meo; sicut & ego vici, & sedi cum Patre meo in throno eius.* Nota, quod superbìa est vitiosa mentis elatio, quæ superiorum despiciens, inferioribus & paribus satagit dominari. Qui igitur vicerit superbiam, exaltabitur super thronum Filii Dei, & superbis detrusis ad inferos, ipse sedebit in gloria, in latere Iesu Christi.

Omnis ergo, qui vicerit gulam, iram, inuidiam, acediam, luxuriam, avaritiam, & superbiam, supra scripta præmia consequetur; & de hoc testimonium perhibet Spiritus sanctus Filio Dei, quod ipse prædicta præmia suis victoribus largietur. Vnde septies ponitur in Apocal. 2. & 3. cap. *Qui habet aures audiendi, audiat quid Spiritus dicat Ecclesiis. Vincenti dabo, &c.* Rogemus igitur Dominum, ut sic inimicos exilij vincamus, ut præmia supernæ patriæ consequamur. Quod nobis præstare dignetur.



ITEM

## IN DIE PENTECOSTES

## SERM O L.

*Paracletus Spiritus sanctus, quem mittet Pater in nomine meo, ille vos docebit omnia, & suggeret vobis omnia, quæcunque dixero vobis.*  
Ioan. 14.

Duo principaliter sunt hic notanda.

- I. *Quomodo Spiritus paracletus docere & suggerere intelligatur?*
- II. *Quid sit, quod à Spiritu sancto docetur & suggeratur?*

 E primo nota, quod Spiritus sanctus docet per internam inspirationem, & suggerit per æterni præmij promissionem. Quod doceat inspirando, dicit Dominus Ioan. 3. *Spiritus ubi vult, spirat, & vocem eius audis: sed nescis unde veniat, aut quo vadit.* Quod etiam Spiritus sanctus suggerat æterna præmia pollicendo, testatur Apostolus ad Rom. 8. *Qui sunt secundum Spiritum, que sunt Spiritus sentienti. Ipse Spiritus testimonium reddit spiritui nostro, quod sumus, id est, erimus filii Dei. Si autem filii Dei, & heredes: heredes quidem Dei, coheredes autem Christi.* Docet igitur Spiritus sanctus ea, quæ prius dixerat Iesus. Docet, inquam, ea intrinsecus inspirando, & non solum docet, imo & suggerit æterna præmia promittendo. Omnibus enim qui doctrinam suam opere fuerint profecti, sempiterna gaudia pollicetur. Vnde & sic legitur Act. 2. *Spiritus sanctus in linguis igneis venit super Apostolos.* 1. In linguis ideo venit, ut fideles per eum doceantur. Ipse quippe est magistrorum optimus. 2. In igne propter hoc venit, ut per eum docti ad spem supernorum moneantur. Ignis eternum, ut dicit Dionysius, est fulsum ferens, acute means, & excelsus.

Et nota, quod Dominus monet ad tria. Primum est, ut per arcam viam viriliter incedamus. Secundum est, ut per angustam portam intrare contendamus. Tertium, ut domum nostram super firmam petram construamus. Et hæc tria docet nos Spiritus sanctus adimplere, & nihilominus his qui ea executi fuerint, præmium pollicetur. 1. Docet nos igitur Dominus, ut per arcam viam viriliter incedamus. Vnde Matth. 7. *Lata & spatiosa via, que ducit ad perditionem, & multi sunt, qui intrant per eam: & arcta est via, que ducit ad vitam, & pauci inueniunt eam.* Nota, quod Dominus facit hic mentionem de duplice via, quarum una est via cœli, altera via inferni. Viam cœli demonstrat Spiritus sanctus, vnde & ipse dexter digitus appellatur Dei.

Ips

Ipse enim est index, indicat & demonstrat nobis viam salutis. Hæc autem via arcta est.

Qui enim ambulant in ea, 1. debent immundis & blasphemis cogitationibus repugnare, 2. debent os & linguam non solum à malo, sed etiam ab otioso verbo refrenare, 3. debent, inquam, contra incentiuia carnis quotidie litigare. 4. debent omnia mala mundi aequanimiter tolerare. 5. debent contra omnem delectationis faciem trepidare.

De primo Sapient. 1. *Spiritus discipline effugiet filium, & anferet se à cogitationibus, quæ sunt sine intellectu. In cogitationibus enim impij interrogatio erit.*

De secundo Dominus Matth. 12. *Dico vobis, quod de omni verbo otioso, quod locuti fuerint homines, reddent rationem Deo in die iudicii.* Glossa, de omni verbo otioso, quod sine utilitate loquentis dicitur aut audientis: vt de friuolis & de fabulis. Scurrilia non sunt otiosa, sed criminosa. Iacob. 3. *Lingua constituitur in membris nostris, quæ maculat totum corpus, & inflamat rotam nativitatis nostræ inflammata à gehenna. Omnis enim natura bestiarum, volucrum & serpentium, & ceterorum domantur, & domita sunt à natura humana: linguam autem nullus hominum domare potest. Est enim inquietum malum, & plenum veneno mortifero.* Nota, quod rota nativitatis nostræ est humana natura, quam mala lingua à gehenna, id est à diabolo, qui gehennæ inhabitator est, inflammata, inflamat, id est, inquinat; & hanc nullus hominum domare potest, nisi viueret à Spiritu sancto.

De tertio dicit Apostolus ad Rom. 6. *Non regnet peccatum in vestro mortali corpore, ut obediatis concupiscentiis.* Item ad Rom. 7. *Video aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis meæ. Infelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis huius? Gratia Dei per Iesum Christum Dominum nostrum.* Glossa, fomes peccati, qui est ex carne, & repugnat menti, recte dicitur lex, quia legitime factum est, vt qui non obediunt suo superiori, eis non seruiat suum inferius, id est, caro.

De quarto dicit Iacob. 1. *Omne gaudium extimate, fratres mei, cum in tentationes varias incederitis.* Glossa, ne indignemini, si mali in mundo florent, si vos patimini; quia non est Christianæ dignitatis in temporalibus exaltari, sed potius deprimi. Mali nihil habent in caelo, vos nihil in mundo: sed spe illius boni, ad quod tenditis, quicquid in via contingit, gaude-re debetis.

De quinto dicitur arcta via cœli. Qui in ea ambulant, ad omnem delectationis faciem debent formidare. Timere etiam debent, ne vel in edendo, vel bibendo, vel dormiendo, vel opus coniugale exercendo, vel quocunque opus aliud agendo, plus in eo quam debeant, delectentur. Vnde Iob. 9. *Verebar omnia opera mea, sciens quod non parceres delinquenti.*

Et nota, quod licet via quæ dicit ad cœlum, sit arcta est tamen directa. Vnde Isa. 35. *Erit vobis hec via directa, ita ut stulti non errant per eam.* Vere directa est, quia est signata quadrigiformiter: primo lapidum comportatione. Tulerunt lapides Indæ, vt iacerent in Iesum. Secundo per plectram. Imposuerunt enim Iesu plectentes spi-

neam coronam. Tertio per fixuras clauorum. Foderunt enim manus & pedes Iesu. Quarto per crucem: in cruce quippe Dominus suspensus fuit.

Item nota, quod arcta via dicit hominem ad cœlum, 1. vbi erit ipnumerabilem amicorum dulcis societas, 2. vbi diuinæ erit voluptatis plena satietas, 1. vbi erit summi boni vera proprietas, 4. vbi erit incolamitatis ac vita felix æternitas. De primo dicit Aug. *In illa perfecta charitate innumerabilem beatorum Angelorum & hominum, vbi nullus minus diligit alium, quam seipsum: non aliter gaudebit quisque pro singulis aliis, quam pro seipso.* De secundo dicitur in Psal. 35. *Inebriabuntur ab ubertate domus tua, & torrente voluptatis tua potabis eos.* De tertio super locum Luc. 15. *Fili tu semper tecum es, & omnia mea tua sunt.* dicit Glossa, *In aeterna beatitudine & omnium singula, & singulorum sunt omnia: nostra erunt superiora ad videndum, nostra erunt aequalia ad conuinendum, nostra erunt inferiora ad dominandum.* De quarto dicit Dominus in Ioan. 6. *Ego sum panis viuus, qui de cœlo descendit: si quis manducaverit ex hoc pane, vivet in æternum.*

Modo videndum est, quod via quæ dicit ad interitum, lata à Domino esse dicitur & spatiofa. Qui enim in ea ambulant, in immundis cogitationibus delectantur, in turpibus locutionibus iucundantur, carnis titillationibus collætantur, dura tolerare pro Domino fugiunt & aspernantur, omnia commoda & delectationis facies amplexantur. Nota etiam, quod spatiofa via dicit in infernum hominem, 1. vbi nullus omnino amicus inuenietur, 2. ubi egestas gravissima sustinetur, 3. vbi interminabilis amaritudo biberetur, 4. vbi miser homo morte perpetua morietur. De primo dicitur Eccl. 41. *De patre impio queruntur filii, quoniam propter illum sunt in opprobrio.* Ibi nec pater diligit filium, nec è conuerso. Ibi nec amasius amabit amasiam, nec è conuerso. Sed quilibet alterum, si posset, laceraret libenter, & voraret. De secundo dicitur Luc. 16. quod ille diues epulo in inferno petuit guttam aquæ frigidæ, & non accepit. De tertio dicit Isa. 24. *Conticuit dulcedo cithara. Cum cantico non bibent vinum. Amara erit potio bibentibus eam.* Ierem. 14. *Ecce cibabo eos absynthio, & potabo eos felle.* De quarto dicit August. *Ibi non erunt ante mortem, vel post mortem, sed semper in morte.* Rogate ergo Dominum, vt sic secundum doctrinam sancti Spiritus per arctam viam incedamus, vt Deum nostrum cum omni exultatione in patria videamus.

\* \*

ITEM DE EODEM  
SERMO LI.

*Paracletus Spiritus sanctus, quem mittet Pater in nomine meo, ille vos docebit omnia, & suggeret vobis omnia, quacunque dixerim vobis.*  
Ioan. 16.

**D**iximus supra in alio sermone, quod Dominus monet nos, ut per arctam viam incedamus, ut per anstustam portam intrare contendamus, ut domum nostram supra petram construamus. Et haec tria docet nos exequi Spiritus sanctus. Dictum est supra de arcta via, per quam ire debeamus. Nunc I. De ingressu angustæ portæ. II. & constructione domus prosequamur. Monet igitur nos Dominus, ut per angustam portam intrare condendas. Vnde Luc. 13. *Contendite intrare per angustam portam, quia dico vobis: Multi querunt intrare, & non poterunt.* Glossa, modo tempore misericordiae contendite, quia tempore iudicij reprobis tolletur locus penitentia, qui nunc aperitur cunctis pie pulsantibus. Et nota, quod angusta dicitur porta cœli propter quinque. Nullus enim intrabit 1. sine omnis rei ablata plena restitutione, 2. sine rancoris & odij renuntiatione, 3. sine vestimentorum decenti emundatione, 4. sine capitis inclinatione, 5. sine signi Dei viui representatione.

Nullus itaque intrabit portam cœlestem, nisi rem iniustam plene restituerit. Vnde dicitur in Psal. 117. *Hæc porta Domini iusti intrabunt in eam.* Iustus autem est, qui restituit unicum quod suum est. Hinc etiam Dominus in Luc. 18. *Faecilius est camelum per foramen acus transire, quam diuitem intrare in regnum.* Hæc verba intellige de tali diuite, qui diues factus est per res iniuste conquistas: vel etiam de illo, qui res bene acquistas nimis auare detinet, nec pauperibus miseretur. Item Augustinus ad Macedonium: *Si res aliena cum reddi possit, non redditur, non agitur penitentia, sed singitur. Si autem veraciter agitur, non remittetur peccatum, quin restituatur ablatum.*

2. Item nullus intrabit, nisi rancori & odio renuntiauerit. Vnde Ioan. in 1. Can. 3. *Nos scimus quoniam translati sumus à morte ad vitam, quoniam diligimus fratres. Qui non diligit, manet in morte. Omnis qui odit fratrem suum, homicida est: & scitis quia omnis homicida non habet æternam vitam, in seipso manentem.* Igitur qui odit & intuidet proximo suo non potest intrare illuc, ubi regnat vita æterna, & ubi charitas pessidet principatum. Vnde Boetius in secundo libro

consolationum: *O felix hominum genus, si vestros animos amor, quo cœlum regitur regat.*

3. Item nullus intrabit, nisi vestimenta sua emundauerit. Vnde Apocal. 7. cum vidisset Ioannes turbam magnam amictam stolis albis, stantem ante thonum Dei, dictum est ei: *Hi sunt, qui venerunt ex tribulacione magna & lauerunt stolas suas, & dealbauerunt eas in sanguine agni.* Item Apoc. 22. *Beati, qui lauant stolas suas, ut sit potestas eorum in ligno vite, & per portam intrent ciuitatem.* Debet igitur in lauacro veræ penitentia stolam animæ sua emundare, qui vult in regnum Christi intrare.

4. Item nullus intrabit, nisi caput suum inclinauerit. Vnde super illud Ioan. 10. *Amen Amen dico vobis, qui non intrat per osium in ouile ouium, sed ascendit aliunde: fur est & latro.* Dicit Glossa, *Hæc ianua est humiliis: qui per hanc vult intrare, oportet ut se humiliet, ne si erectus est, offendat in humiliem ianuam.* Debes igitur te per humilitatem & obedientiam inclinare, si vis portam Dei intrare.

5. Postremo nullus intrabit, nisi signum Dei viui in fronte deportauerit, vnde Apoc. 1. *Vidi Angelum ascendentem ab ortu solis habentem signum Dei viui, & clamarem voce magna quatuor Angelis quibus datum est nocere mari & terra, dicens: Nolite nocere terre & mari, neque arboribus, quoad usque signemus seruos Dei in frontibus eorum.*

1. Angelus ascendens ab ortu solis, & habens signum Dei viui, est ipse Iesus Filius Dei, qui signum crucis suæ omnibus repræsentat. 2. Iste vero præcepit voce magna quatuor Angelis, id est, demonibus, qui punient peccata contra admonitionem quadriformis Euangelij perpetrata; qui etiam vindicabunt excessus corporis, quod ex quatuor elementis consistit, videlicet ex aëre & terra, ex igne & aqua. Præcipit, inquam, eis, ne per finalem vindictam noceant terræ, id est, auarici: & mari, id est, luxuriosi: neque arboribus, id est, superbis, nisi prius serui Dei, qui saluandi sunt, signo crucis signentur in frontibus eorum.

Si igitur intrare vis portam aulæ Dei, oportet ut signum sanctæ crucis tripliciter repræsentare, ut videlicet per firmam fidem sit in corde, ut per constantem confessionem appareat in fronte, ut per executionem boni operis deferatur in manu.

II. Videndum est de tertio, videlicet, quomodo domum nostram supra firmam petram debeamus construere. De hoc dicit Matthæi 7. *Omnis qui audit verba mea & facit ea, assimilabitur viro sapienti, qui edificavit domum suam supra firmam petram: & descendit pluvia, & venerunt flumina, & flauerunt venti & irruerunt in dominum illam, & non cecidit. Fundata enim erat supra firmam petram.* 1. Nota, quod firma petra ipse est Filius Dei, Christus Iesus, supra quem piis elemosynis & deuotis orationibus ac bonis operibus, nec non & mundis laboribus domum nobis edificare debemus. Qui enim fide integræ, & spe firma, & charitate perfecta fundamenta animæ suæ iecerit super ipsum, etiamsi descendit pluvia, id est, per voluptates carnis spiritus inquietetur: & etiamsi venerint flumina, id est, per concupiscentiam rerum cor impugnetur: nihilominus etiamsi flent venti, id est, per suggestiones diabolicas anima molestetur: non tam

men cedit domus sua. Per firmat enim petrae bonitatem conseruabitur. 2. nota, quod monet nos Dominus, ne domum nostram super terram, id est, super rerum terrenarum confidentiam construamus. Vnde dicit Luc. 6. *Qui audit verba mea & non facit, similis est homini edificanti domum super terram sine fundamento, in qua illius est fluuius, & continuo cecidit, & facta est ruina domus illius magna.* Qui super terram, id est super huius mundi confidentiam domum sui laboris construxerit, cum venerit fluuius æternæ desolationis, destruetur. Quicquid enim super terram ædificatur, cum terra destructa fuerit, destruetur. Quod autem terra destruenda sit, testatur Isa. 24. *Confractio confringetur terra, contritione conteretur terra, commotione commouebitur terra, agitatione agitabitur terra.* 1. Per petram enim intelliguntur omnes terreni & peccatores, qui confractio confingentur in mundi consummatione. 2. Tunc opera enim omnia peccatorum confingentur contritione, & conterentur in sententiæ prolatione. Sententia enim Domini, quam Dominus profert in iudicio tanquam lapis molaris conteret omnes peccatores. 3. *Commotione etiam commouebuntur in flebili ad inferos detractione.* 4. Cum enim prolata fuerit sententia, peccatores à dæmonibus ad inferos detrahentur. 5. *Agitatione etiam agitabuntur interminabili cruciatuum passione.* Cum enim detracti fuerint ad inferos, de una pena in aliam, & de diuersis tormentis in diuersa interminabiliter agitabuntur.

Rogate ergo Dominum, ut secundum doctrinam Spiritus sancti sic domum nostram super Dei Filium construamus, ut semper cum ipso in cœlesti gloria maneamus. Quod nobis, &c.

## IN FERIA SECUNDA post Pentecosten

### S E R M O   L I I .

*Sic Deus dilexit mundum, ut Filium suum unigenitum daret: ut omnis qui credit in ipsum, non pereat, sed habeat vitam æternam. Ioh. 3.*

Quatuor sunt hic notanda.

- I. *Ad quid Deus Filium suum unigenitum dederit?*
- II. *Qualiter credere debeamus in eum?*
- III. *Quale bonum consequatur, qui credit in eum?*
- IV. *Quod malum incurret, qui non credit in eum?*

**D**E primo nota, quod Deus Filium suum unigenitum dedit, propter tria, videlicet, 1. ut nos ab obsessione dæmonum liberaret, 2. ut nos æternæ vitæ doctrinis illustraret, 3. ut

*D. Alberti Magni Serm.*

formam vivendi nobis semetipsum demonstraret, 3. De primo dicitur Luc. 7. quod Iesus cum à nauicula egressus esset ad terram, occurrit ei quidam vir, qui à legione dæmonum obsessus fuit, & qui vestimento non induiebatur, neque in domo manebat, sed in monumentis: qui etiam vinciebatur catenis, & compedibus, & custodibus custodiebatur, sed ruptis vinculis agebatur à dæmonio in desertam, quem Dominus ab obsessione dæmonum liberavit. Dæmones vero electi accepta prius à Domino licentia porcos intrauerunt, eosque in mare præcipitantes suffocauerunt. Vbi etiam dicitur, quod homines hoc miraculum audientes exiuerunt, & invenerunt hominem vestitum ac liberatum, & sana mente sedere ad pedes Iesu: cui dixit Iesus: *Redi in domum tuam, & narra, quanta fecerit tibi Deus.* Et abiit per universam regionem prædicans, quanta illi fecit Iesus.

Iste vir significat peccatores, qui à dæmonibus mentaliter obsessi, vestimentum baptismale lacerant, ac se se castitate denudant. Et hoc multi incipiunt facere à pueritia, qui & fugiunt dominum orationis, vbi Dei Filius immolatur, & verbum vitæ prædicatur: & libentius habitant in monumentis, id est, in lupanaribus & tabernis, & diligunt consortia scortatorum & potatorum, quorum guttus, sicut sepulchrum patens, exaltat luxuriae foetorem ac putredinem voluptatis: qui etiam licet catenis decem præceptorum, & compedibus sanctorum prædicationum vinciantur, omnia tamen hæc disrumpunt, & à dæmonie in loca deserta ab Angelis agitantur. Loca vero deserta ab Angelis Dei sunt illa loca, vbi choreæ ductuntur, & globis ad signum luditur, & vbi etiam aliae vanitates exercentur. Si tamen Dominus tales per suam gratiam visitaret, & ipsi ei per veram conversionem ac penitentiam occurrerent, procul dubio à dæmonibus liberarentur. Dæmones vero ab homine vere penitente exeuntes intrant in porcos, id est, homines vitam porcorum habentes, à quibus in mare æternæ amaritudinis præcipitabuntur, ac morte perpetua suffocabuntur.

Et nota, quod homo per quatuor deber ostendere, quod vere per Dominum sit à dæmonio liberatus. Primum est, quod deinceps debet innocenter vivere, ac bonis moribus se vestire. Secundum est, quod per mentis tranquilitatem ac corporis stabilitatem debet ad pedes Domini residere. Tertium, quod debet in domum cordis sui redire, & semetipsum, vitum proficiat an deficiat, quotidie discutere. Quartum est, quod debet Domino pro beneficiis gratias agere, eiusque misericordiam per bonam vitam prædicare publice.

Secundo etiam Deus Filium suum unigenitum dedit, ut nos in vitæ æternæ doctrinis illustraret. Vnde Dominus dicit in Euang. hodierno Ioh. 3. *Hoc est iudicium, quia lux venit in mundum: & dilexerunt homines magis tenebras, quam lucem; erant enim eorum mala opera.* Omnis enim qui male agit, odit lucem, ut non arguantur opera eius. Nota ergo, quod homines propter hoc iudicium æternæ damnationis patientur, quia lucem verbi Dei fugiunt, nolentes audire verba salutis æternæ. Hinc etiam

dicitur Ioan. 3. quod Iesus, cum diceret carnem suam vere esse cibum, & sanguinem suum vere esse potum; *Multi audientes ex discipulis suis dixerunt: Durus est hic sermo, quis potest eum audire?* Et multi discipulorum eius abierunt retro. *Dixit ergo Iesus ad duodecim: Nunquid & vos vultis abiire?* Respondit ei Simon Petrus, & dixit: Domine, ad quem ibimus? Verba habes vita aeterna, & nos credimus & cognovimus quia tu es Christus Filius Deivini.

Tertio dedit etiam nobis Dominus Filium suum, ut nobis semetipsum formam bene vivendi demonstraret. Christus enim est forma vitae nostræ. Hæc enim forma repræsentat nobis reformem imaginem munditiae, misericordiae, sive benevolentiae, & imaginem iustitiae, ad quatum imitationem debemus esse mundi, misericordes, & iusti. Ut autem huic reformi imagini conformemur, necesse est, ut credamus in Christum.

De secundo nota, quod in Christum credere, est per charitatem in ipsum fluere. Ut autem anima nostra fluat in Christum sua triformali imagine accepta, necesse est ut liquefaciat eam Spiritus sanctus. Vnde & ipse discipulis suis in specie ignis apparuit. Ignis enim duram materiam dissoluit, & liquefacit, eamque in formam subiectam currere facit. Veruna ut ostenderetur, quod ignis diuinus virtuose liquefaciat animam, propterea tanquam ventus vehemens venit Spiritus sanctus: ventus enim acuit virtutem ignis.

De tertio nota, quod qui in Christum crediderit, id est, per charitatem in ipsum fluxerit, hoc bonum consequetur, quod non peribit, sed vitam aeternam habebit. Et nota, quod non perire, sed vitam aeternam habere, constitit in tribus, videlicet in supercaelestium bonorum vertitate, in felici corporis & animæ suauitate, in diuinæ cognitionis infastidita satietate. Ille enim non perit, qui in aeternis bonis cum amicis innumerabilibus deliciatur. Ille enim non perit, qui nulla infirmitate vel dolore graduatur. Ille etiam habet vitam aeternam, qui beatæ Trinitatis faciem iugiter contemplatur. Vnde ipsa veritas dicit in Ioan. 17. *Hæc est vita aeterna, ut cognoscant te solum Deum verum, & quem misisti Iesum Christum.*

De quarto nota, quod qui in Christum non crediderit, id est, per charitatem in Christum non fluxerit, peribit, & morte morietur aeterna. Peribit, inquam, tripliciter. 1. videlicet aquæ submersione. 2. Ignis combustione. 3. & multiplice infirmitatum oppressione. Peccatores, qui in Christo inuenti non fuerint, tanquam plumbum in aquis vehementibus submergentur, igne aeterno comburentur, & diversis infirmitatum doloribus affligentur. Væ ergo ei, quem sic perire contigerit: vnde Aug. in Enchir. *Perire a regno Dei, alienari a vita Dei, carere tam magna multitudine dulcedinis Dei, tam grandis est pena, ut ei nulla possint tormenta que nonimus comparari.* Morte etiam morientur aeterna, qui non credunt in Christum, id est, qui per charitatem non fluunt in ipsum. Quid autem sit mors aeterna, dicit Bernard. *Mors aeterna est, que omnem tolerantiam excedit, cui nulla consolatio succedit, à qua despe-*

*ratio nunquam recedit.* Rogate ergo Deum patrem, ut igne sancti Spiritus liquefacti, sic per veram charitatem fluamus, ut Filium suum unigenitum, & vitam aeternam cum electis possidere valeamus. Quod nobis præstare dignatur, &c.



## IN FERIA TERTIA post Pentecosten

### S E R M O L III.

*Ego sum ostium, per me quis introierit, saluabitur, & ingredietur, & egredietur, & pascua inueniet. Ioan. 10.*

Quinque sunt hic notanda.

- I. *Quare Iesus seipso teste ostium nominetur?*
- II. *Quis huius ostij ostiarius appellatur?*
- III. *Quis sit qui per hoc ostium ingreditur?*
- IV. *Quis sint, quibus hoc ostium praedetur?*
- V. *Quid per pascua, quæ ingredientes inuenient, intelligi detur?*



E primo nota, quod ideo Christus se appellat ostium, quia sicut nemo clausam vindique domum intrare potest, nisi per ostium: ita & nemo venire potest in Patris regnum, nisi per Filium. Vnde & ipse Dei Filius dicit Ioan. 3. *Pater diligit Filium, & omnia dedit in manus eius.* Solent etiam quædam ostia rubricari, & clavis ornari. Sic & istud ostium fuit proprio sanguine rubricatum & clavis perforatum.

De secundo nota, quod huius ostiostriarius est Spiritus sanctus. Vnde dicitur Ioan. 10. *Qui intrat per ostium, huic ostiarius aperit, Glossa, Spiritus sanctus, qui docet omnem veritatem.* Bonum est ergo, quod quilibet huius ostiarij familiaritatem acquirat, ut cum venerit, ipso intromittente, in caelestes delicias admittatur.

De tertio nota, quod qui sint, qui ostium hoc ingredientur, dicitur in Isa. 33. I. *Qui ambulat in iustitiis.* In iustitiis enim dicit pluriliter, quia quilibet homo, cuiuscunque sit dignitatis, vel ordinis, aut officij, oportet, ut iustitiam comitem habeat, & per hanc saluetur. Iustitia vero est, unicuique reddere & dimittere quod suum est. 2. *Et sequitur veritatem, quia perdentur omnes, qui loquuntur mendacium.*


# In Feria quarta post Pentec. Serm. LIV. 9 f

dacium. 3. *Qui proicit auaritiam ex calunnia,* id est, nullum propter auaritiam calumniatur. Calunnia vero est, falsum crimen intendere. 4. *Et excutit manum suam ab omni munere.* Hic ad minus quatuor prohibentur, videlicet, simonia. 5. *Qui accipit munus à corde, ab ore, & manu.* Prohibetur etiam hic usura, & iusti iudicij, ac linguae in aduocatione venditio. 6. *Qui obturat aures suas, ne audiat sanguinem.* Hic iubetur, ne detractio audiatur. Detractores enim fraudant sanguinem animarum proximorum suorum. Sanguis animæ est bona fama, quæ per detractionem effunditur. 7. *Et claudit oculos suos, ne videat malum.* Malum hic appellatur mulier fornicaria, siue quæcunque fœmina, qua per libidinosam concupiscentiam etiam aspicitur. Malum dicitur omne id, quod nocet animæ, ut pote insania & vanitas huius mundi, qualisunque sit illa. 8. *Iste in excel-sis habitabit.* Quasi diceret. Qui supradicta obseruauerit, ille cœlestis regni ianuam ingredietur.

De quarto nota, quod illis predictum ostium præcluditur, qui tanguntur Apocal. 21. *Timidis,* id est, ad omne opus bonum desidiosis, & *incredulis* verbo Dei, quod iustis gaudia perpetuare promittit: & peccatoribus æterna supplicia comminatur, & execratis, id est, propter iustum causam excommunicatis: & *homicidis*, id est, animarum vel corporum occisoribus & fornicatoribus, quia fornicatores & adulteros iudicabit Deus: & *veneficis*, id est, malis consiliariis, & etiam his, qui ad literam dant vel præparant venena: & incantatoribus & *idololatriis* ad literam: & etiam auaris, quia auaritia est idolorum seruitus: & *omnibus mendacibus*, id est, omnibus his, qui quod Deo, & Sanctis, & hominibus promiserunt, non persoluerunt, si tamen soluere potuerunt, pars illorum erit in stagno ardenti igne, & sulphure, quod est mors secunda. Quasi diceret. Nullus talium per Christum, qui est ostium, intrabit in regnum cœlorum.

De quinto nota, quod per pasca intelliguntur gaudia, quæ habebuntur ex contemplatione sanctæ Trinitatis, & ex delectatione illius beatæ societatis. Qui enim illuc peruenierit, ingreditur ad contemplationem sanctæ Trinitatis, & egreditur ad condelectationem illius beatæ societatis, & pasca inueniet utroque. Rogate ergo Dominum, ut & nos mediante hoc ostio Iesu Christo, illis ingredientibus & egredientibus aggregari mereamur.

\*\*



## IN FERIA QVARTA post Pentecosten

### S E R M O L I V.

*Nemo ascendit in cœlum, nisi qui de cœlo descendit Filius hominis, qui est in cœlo.*  
Ioan. 3.

 Vpple, & nisi ille quem trahit Pater, & Filius, & Spiritus sanctus. Nota ergo, quod Filius hominis ascendit in cœlum in Patris dextera regnaturus, qui de cœlo descendat hominem perditum redempturus; qui tamen semper erat in cœlo per diuinitatem, licet in terris ad tempus ambulanterit per humanitatem. Nota etiam, quod & illi alcedent in cœlum, quos traxerit Pater, & Filius, & Spiritus sanctus. Quod Pater trahat, testatur Filius Ioan. 6. *Nemo potest venire ad me nisi Pater qui misit me, traxerit illum.* Quod Filius trahat, ipse de se loquitur Ioan. 12. *Ego si exaltatus fuerō à terra, omnia traham ad meipsum.* Quod autem trahat Spiritus sanctus, orat prudens anima Cantic. 1. *Trahi me, inquit, post te, curremus in odorem unguentorum tuorum.* Spiritus sanctus, ut dicit Eccl. 38. *Unguentarius est, qui facit pigmenta suavitatis, & unctiones conficit sanitatis.* Vnde & dona sua dicuntur charismata, id est, chara christiana.

Trahit itaque. 2. Pater funiculo potentiae. 2. Filius funiculosapientiae. 3. Spiritus sanctus funiculo charitatis siue benevolentiae. Pater enim largitur potentiam, Filius sapientiam, Spiritus sanctus charitatem siue benevolentiam. Iti sunt tres funiculi, de quibus dicitur Osca 11. *In funiculis Adam traham eos in vinculis charitatis.* Contulerat enim Dominus robur potentiae, & lumen sapientiae, & donum charitatis siue benevolentiae, quibus quasi quibusdam funiculis eum sibi astringeret, & alligaret. Sed miser homo auertit se ab eis ingratus collatori, vnde & à summo bono decidit in baratum multiplicis mali. De tribus predictis dicit Eccl. 17. *Deus creauit de terra hominem, & secundum se vestiuit illum virtute, & dedit illi potestatem eorum que sunt super terram.* Ecce primum, videlicet potentia. Sequitur: *Creatuit illis scientiam spiritus, sensu impletum cor illorum.* Ecce secundum, scilicet sapientia. Sequitur: *Addidit illis disciplinam, & legem vita hereditauit illos.* Ecce tertium, scilicet charitas. Ipsa enim est lex vita. Et nota, quod paterfamilias seruum conducturus, ista principaliter in eo desiderat inuenire, videlicet,

H 4 quod

quod possit, quod sciat, & quod velit opus suum operari. Sic & ipsa tria Deo seruitur sunt necessaria, videlicet quod possint, & quod sciant, & per charitatem velint operari bonum.

I. Trahit igitur primo Pater largiendo potentiam. Vnde dicitur in Psalm. 67. *Deus Israël ipse dabit virtutem & fortitudinem plebi sua benedictus Deus.* Et certe bene indigemus fortitudine & potentia, quia retrahunt nos tria, videlicet caro, mundus, & dæmonia. Caro enim multipliciter spiritui reluctatur, eumque ab omni bono proposito retrahit, sicut quedam grauis massa.

Retrahit enim hominem ne recordetur, & gratias agat domino de singulis beneficiis, quæ nobis exhibuit in septem horis, videlicet, in Matutinis, in Prima, in Tertia, in Sexta, in Nona, in Vesperis, & in Completorio. In Matutinis enim Dominus coram pontificali iudicio consputus fuit, & alapatus, & colaphis cæsus: tunc etiam Petrus amare fleuit, & Dominus ignouit ei reatum suum. Tunc etiam Dominus à sepulchro resurrexit. In hora Prima Dominus iudicio seculari vincitus, traditus fuit, & grauiter coram Pilato iudice accusatus. Tertia hora Dominus flagellatus fuit, & spinis coronatus, & Barraba latrone dimisso, Dominus ad crucem fuit magnis clamoribus postulatus. Circa Terram autem horam transmissus fuit Apostolis Spiritus sanctus. Sexta hora Dominus exurus vestibus suis suspensus fuit in ara crucis. In eadem etiam hora Dominus in die Ascensionis cum Discipulis suis discubuit, & etiam tenebrae factæ sunt super vniuersam terram in die Dominicæ passionis. Nona hora Dominus aceto & felle potatus. In eadem etiam hora Dominus expitauit, & latus eius fuit lancea perforatum. Vespertina hora Dominus de cruce depositus fuit. In eadem etiam hora Dominus in die præcedente cœnauit cum Discipulis suis, eisque sui corporis & sanguinis tradidit Sacramentum. In Completorio autem Dominus sepultus fuit. In eadem etiam hora Dominus præcedente die pro discipulis orans & factus in agonia sudorem sanguineum emisit ex omnibus membris suis. Retrahit igitur caro hominem, ne etiam septem horis canonicis diuinis infest obsequiis. Inuitat autem eum ad fornicationem, immunitiam, impudicitiam, luxuriam, ebrietates, commissiones, & his similia, sicut dicit Apostolus ad Galat. 5.

2. Mundus etiam retrahit hominem à diuino seruitio. Vnde Bernar. *Noli, inquit mundus, præcipitanter agere, diu considera, diligentius intuere, magnum est quod proposis, & opus habes deliberattone, experire quod possis: amicos consule, ne post factum pœnitere contingat.* Hæc est maledicta sapientia mundi, quæ multos supplantat.

3. Dæmonia etiam versuris & fraudulentis persuasionibus multos à Dei obsequio retraxerunt, sicut nullus sanæ mentis ignorat.

II. Trahit nos Filius, largiendo pœnitentiam. Vnde Iacob. 1. *Siquis vestrum indiget*

*sapientia, postulet à Deo, qui dat omnibus affluenter, & non improferat: & dabitur ei. Et certe multum necesse est nobis ut veram sapientiam postulemus: ea namque tripliciter indigemus, videlicet ad præteriti temporis recuperationem, ad præsentis ordinationem, & futuri præmeditationem. Et 1. nota, quod præteritum tempus per veram sapientiam, & per veram contritionem quodammodo recuperatur. Qui enim vere dolet, quod dies præteritos inutiliter expendit, quodammodo recuperat illos. Licet enim non recuperet eos quantum ad hoc, ut pro singulis diebus inutiliter transactis præmium sibi detur, recuperat tamen eos quantum ad hoc, quod pro ipsis perpetua supplicia non patietur. 2. Nota etiam, quod per sapientiam prælens tempus utiliter ordinatur. Qui enim vere sapiens est, ad hoc nititur, ut omnia momenta præsentis temporis in Dei seruitio expendat. Sicut enim capillus de capite, sic etiam momentum de tempore non peribit. Et vere necessarium est, quod prælens tempus in bonis operibus expendatur. Dicit enim Seneca: *Nemo nostrum idem mane est, quod fuit pridie; corpora nostra raspiuntur fluminum more: quicquid vides, currit cum tempore.* 3. Nota præterea, quod per sapientiam futurum tempus præcogitatur, ut videlicet homo præparet se ad orationem reddendam de omnibus, quæ in vita sua commisit cogitatione, locutione, & opere. Vnde Eccl. 12. *Memento Creatoris tui in diebus iuuentutis tue, antequam veniat tempus afflictionis tue, & appropinquant anni, de quibus dicas: Non mihi placent. Item Seneca: Ego certe sicut ille latrus sententiam de omnibus annis meis dies venerit, itame obseruo & alloquor.**

III. Trahit nos Spiritus sanctus conferendo charitatem sive benevolentiam. Vnde ad Roman. 8. super illum locum; *Ipse spiritus reddit testimonium spiritui nostro, quod sumus filii Dei.* Dicit Glos. Charitas unde est, nisi à Spiritu sancto? Igitur Spiritus sanctus est charitas increata, qua se diligunt Pater & Filius: & hæc charitas confert nobis charitatem creatam quæ monet nos ad tria. Primum est, ut per multa collationem indigentibus subueniamus. Secundum est, ut res nostras pauperibus tribuamus. Tertium est, ut ex corde omnes iniurias remittamus. De primo dicit Dominus Luc. 6. *Mutuum date nihil inde sperantes.* De secundo ibidem. *Date, & dabitur vobis.* De tertio ibidem. *Dimitte, & dimittetur vobis.* Rogamus igitur charissimi sanctam ac indiuiduam

Trinitatem, ut ipsius adiutorio trahi mereamur ad perpetuam felicitatem.

\* \*

IN DOMINICA I.  
post Trinitatem  
SERMO LV.

*Pater Abraham miserere mei,  
& mitte Lazarum, ut in-  
tingat extremum digiti sui  
in aquam, ut refrigeret lin-  
guam meam, quia crucior in  
hac flamma. LUC. 16.*

In præsenti loco tria principaliter sunt  
notanda.

- I. *Quis sit Pater Abraham, cui ut Lazarum transmittat, suppli-  
catur?*
- II. *Quis sit ille, qui sibi Lazarum  
transmitti precatur?*
- III. *Quis sit Lazarus, cuius transmissio  
ab Abraham postulatur?*

**D**e primo nota, quod pater Abraham est Deus Pater, in cuius sinu animæ fidelium requiescent. Fidelium enim animæ per sanguinem Filij Dei de potestate dæmonum liberatae, & in angustiis huius mundi per Spiritum paracletum consolatae, post hanc vitam in finum Dei Patris Angelorum ministerio deportantur: vbi in requie sempiterna feliciter collocantur. Vnde dicit August. in lib. confessionum super illum locum: *In pace in idipsum dormiam & requiescam. O in idipsum! Tu es in idipsum valde, qui non mutaris, & in te requies obliniscens laborum omnium.*

De secundo nota, quod ille qui olim diues fuerat, sed modo ad magnam inopiam deuenierat, Lazarum sibi transmitti rogauit. Tria vero circa diuitem istum sunt notanda. Primum est, quæ fuerit eius felicitas. Secundum etiam, quæ fuerit iniquitas. Tertium, quæ nunc sit eius felicitas.

I. Felicitas enim temporalis in quinque attenditur. Primum est, quod multis bonis & diuitiis fulciebatur; vnde dicit Dominus Luc. 16. *Homo quidam erat diues. Secundum est, quod purpura & byssus induebatur: vt videlicet per purpuram eius nobilitas repræsentaretur; byssus vero ei & candore & molitie blandiretur. Olim enim nobiles induebantur purpura. Byssus autem est quoddam genus lini candissimi, & molissimi, vt dicit Glossa. Tertium est, quod quotidie splendide epulabatur. Ergo nunquam incinnavit, si quotidie splendide epulabatur. Quartum est, quod iugis ei sanitas blandiebatur; quod etiam ex hoc colligi potest, quod dicitur, quia*

*epulabatur quotidie splendide. Si enim aliquando fuisset infirmus, vel male sanus propter nauseam stomachi non potuisset epulas quotidie frequenter. Quintum est, quod de multis amicis & magna familia gloriabatur: quia enim diues fuit, & bene quotidie comedit & babit, propterea multi ad eum fluxerunt amici. Vnde dicitur Proverb. 14. Etiam proximo suo pauper odiosus erit. Amici vero diuitum multi.*

2. Iniquitas etiam diuitis in quinque notatur. Primum est, quod mendicum, qui extra ianuam eius iacebat, intra hospitium non recepit. Non enim facit, sicut monet Apostolus 1. ad Theess. 5. *Suscipite infirmos, patientes estote ad omnes.* Secundum est, quod ei nec cibi, nec potus alimentum dedit, quod patet in hoc, quod ei nec micas suæ mensæ transmisit. Tertium est, quod nuditatem suam non cooperuit. Legitur enim, quod canes mendicum linxerunt ylcerorum & nudum. Quartum est, quod inter epulas loquax & garrulus fuit. Vnde etiam propter hoc, sicut dicit Glossa, in lingua specialiter cruciatur. Quintum est, quod in sua felicitate timidus non extitit. Vnde Glossa: *Hoc diuitem inferno tradidit, quia in sua felicitate timidus non fuit.*

3. Infernalis infelicitas ad minus consistit in sex, videlicet in tenebrarum densitate, in factoris intolerabilitate, in luctu continuitate, in clausuræ firmitate, in vermium crudelitate, in ignis acerbitate. Hæc autem sex notantur ibi, vbi dicitur: *Mortuus est autem diues, & sepultus est in inferno.* In hoc enim, quod dicitur, sepultus est, prædicta quinque exprimuntur. In sepulchro siquidem sunt tenebrae, & factio, & circa sepulchrum homines deplorant charos suos. Cadauer etiam hominis in sepulchro vndique clauditur. Præterea vermes in sepulchro inuadunt corpora mortuorum. Sextum, videlicet, ignis acerbitas notatur ibi, vbi diues in tormentis positus dicit: *Pater Abraham miserere mei. & sequitur: quia crucior in hac flamma.*

Considerare charissimi, & cauete, ne in culpis huic diuti similes existatis, ne etiam pœnas eius similiter incurritis. Notate etiam, quod dicit Glossa super præsens Euangelium: *Diues iste non reprehenditur, quod aliena rapuerit, sed quod sua non erogauerit.* Quid ergo illi erit, qui aliena rapit? Si igitur damnatur ille, qui per avaritiam sua non dedit; quid illi erit, qui per rapinas & furta, per calumniam & usurpas, per sacrilegia, mendacia, per ludorum falsitates & traditiones, per iniusta pondera & mensuras iniquas tulit res alienas? Et si damnatur ille, qui superbe se vestiuit, & luxuriose comedit; quid erit de illo, qui multas fornicationes & adulteria, ac alias imundicias verbis commisit & factis? & similiiter de omnibus aliis peccatis & criminibus dici potest.

De tertio nota, quod cuiusdam Lazari mentio hic habetur, qui per graue flagellum magnum præmium est consecutus. Tria etiam circa hunc Lazarum sunt notanda. Primum est, in quibus etiam flagellum attendatur. Secundum est, in quibus virtus eius perpendatur. Tertium est, in quibus præmium eius cognoscatur.

I. Flagellum Lazari attenditur in quinque. Primum est, quod graui mendicitate premebatur. Vnde legitur: *Eterat quidam mendicu-*

*nominis.*

*nomine Lazarus.* Secundum, quod infirmitate seuissima torquebatur: vnde sequitur: *Qui iacebat ad ianuam eius ulceribus plenus:* ita enim infirmus fuit ulcerosus, quod nec stare poterat nec sedere, sed quod oportuit eum cum dolore iacere. Tertium est, quod opulentiam intuebatur; vnde dicitur, quod *iacebat ante ianuam.* Ex hoc enim, quod quotidie vidit fercula diuitis, magis eum angebat sua paupertas. Quartum est, quod magno æstu famis angebatur; vnde sequitur: *Cupiens saturari de micis, que cadebant de mensa dinitis, & nemo illi dabat.* Ita enim famelicus fuit, quod nisi semel cupiebat saturari de contemptibilibus micis, quæ de mensa inter canes cadebant; sed tamen ille immisericors diues ita immisericordes seruos habebat, quod nec micas pauperi dababant. Quintum est, quod acutam linguam canum patiebatur; vnde sequitur: *Sed & canes veniebant, & lingebant ulcera eius.* Nullus enim erat, qui depelleret eos. Et cette acuta lingua canum dolorcm faciebat illi pauperi.

2. Virtus Lazari ex hoc potest perpendi, quod non legitur blasphemasse, nec contra Deum murmurasse, sed ipsius flagellum in patientia tolerasse. Si qua enim ei eleemosyna dabatur, non legitur eum vendidisse, & denarios in suis peciatis vestibus consuisse, sicut quidam mendicantes facere consueuerunt.

3. Præmium Lazari notatur ibi, vbi dicitur: *Factum est autem, ut moreretur mendicus, & portaretur ab Angelis in sinum Abrahæ.* Nota, quod sinus Abrahæ est sinus Dei Patris, in quem Lazarus & quilibet beati pauperes ab Angelis deportati, quintuplex accipiunt præmium.  
1. Ibi enim abstensa omni lacryma feliciter consolantur. 2. Ibi gloriolis vestimentis adornantur. 3. Ibi diuinis ferculis recreantur. 4. Ibi corona gloriae coronantur. 5. Ibi in gata quiete iugiter collætantur. Hæc enim quinque mater charo pueru exhibit in sinu suo. Accipiens enim eum super sinum suum, lacrymas eius abstergit, vestit, & cibat, & etiam fertum capiti suo imponit, cumque in sinu suo dormire facit.

Rogate ergo Dominum, vt si diuites estis, sic in diuitiis pauperum misereamini; si vero pauperes, sic paupertatem vestram lato animo patiamini; vt in sinum Dei Patris post hanc vitam deportari mereamini.

\*

\*

## IN DOMINICA II.

### post Trinitatem

#### SERMO LVI.

*Homo quidam fecit cœnam magnam, & vocauit multos, & misit seruum suum hora cœna dicere inuitatis, ut venirent, quia iam parata sunt omnia.* Luc. 14.

In præsenti loco sex principaliter sunt hic notanda.

- I. *Quis sit homo iste, à quo cœna magna paratur?*
- II. *Quæ sit cœna magna, quæ ab hoc homine preparatur?*
- III. *Quid per horam huius cœna intelligatur?*
- IV. *Quis seruus huius patrisfamilias esse dicatur?*
- V. *Quis ad cœnam hanc magnam recipiatur?*
- VI. *Etiam quis sit, qui ab hac cœna magna repellatur?*



E primo nota, quod homo iste, qui fecit cœnam magnam, est Filius Dei. Hic est homo, de quo dixit Caiphas Ioan. 11. *Expedit vobis, ut unus moriatur homo pro populo, & non tota gens pereat.* Iste est homo, de quo dicit Ioan. 19. quod exiit Iesus portans spineam coronam, & purpureum vestimentum. Et dicit Pilatus Iudæis: *Ecce homo, Glosa, non clarus imperio, sed plenus opprobrio.*

De secundo nota, quod cœna magna est gaudium & societas æternæ & supernæ patriæ, quam electis Dei Filius preparauit. De hac cœna dicitur Apoc. 19. *Beati qui ad cœnam nuptiarum agni vocati sunt.* Et nota quod cœna Filij Dei magna dicitur propter sex causas. Primo magna dicitur propter preparantis diuitias ac dignitatem. Ipse enim Deus Dei Filius, qui hanc cœnam fecit, est diuitiis opulentissimus, & dignitate supremus, vt pote Dominus dominantium, Rex regum, Augustus Augustorum, & trinus & simplex æterni regni monachus. Secundo magna dicitur propter ministrorum nobilium claritatem. Nobiles enim sunt, & præclari sancti Angeli, qui in cœna Dei ministrabunt. Tertio magna dicitur propter coniuuarum excellentiam & qualitatem. Omnes enim, qui cœnabunt in regno Dei, reges erunt & reginæ, sedebuntque vesti

vestimentis gloriae decorari. Quarto magna dicitur propter regalium ferculorum innumerabilitatem. Fercula quippe curiae celestis regalia sunt & innumerabilia, & nunquam à mortali homine prius visa. Vnde 1. ad Cor. 2. *Oculi non vident, nec auris audiunt, nec in cor hominis ascendit, quae preparauit Deus his, qui diligunt illum.* Quinto magna dicitur propter solennis ac securi loci amoenitatem. Securissima namque ac amoenissima est illa gloria ciuitas Dei, in qua cum Deo coenabunt electi. Sexto magna dicitur propter coenandi infastiditatem perpetuitatem. Semper enim electi cum Deo coenabunt; nec tamen eis ferculorum interminabilitas fastidium aliquod generabit: fruuntur enim nec fastidiunt, quo frui magis sitiunt.

De rertia nota, quod hora coenæ est quodlibet huius seculi; hora coenæ est quælibet æras hominis. Nullum enim tempus inquam fuit, in quo non fuissent aliqui vocati ad coenam Dei. In quacunque etiam ætate sit homo, siue sit in infantia, siue in pueritia, siue iuuentute, siue in virili ætate, siue in senio, siue etiam in ætate decrepita vocatur ad coenam Dei. Bonum est igitur, quia quotidie ad deliciosam coenam Dei vocamur, vt festine veniamus, & non de die in diem, de tempore in tempus venire differamus. Vnde Auugustinus in libro de verbo Domini: *Dicunt aliqui, si Deus mihi per Prophetam promisit; quod quacunque die conuersus fuero, omnium iniquitatum mearum obliuiscetur; quare hodie conuertor, & non eras? Vnde quidem gaudes, quod tibi ab iniquitatibus conuerso, Deus indulgiam promisit, sed crastinum diem tibi nemo promisit.*

De quarto nota, quod secundum Glossam seruus huius patris familias est ordo Prædicatorum. Quilibet enim Prædicator, qui verbum Dei ex cordis sinceritate, & propter animarum salutem pronuntiat, & quilibet etiam Sacerdos, & breuiter omnis homo, qui proximum suum ad vitam inuitat æternam, per seruum huius patris familias designatur.

De quinto nota, quod ad coenam huius patris familias quatuor genera hominum recipiuntur, videlicet, pauperes & debiles, cæci & claudi. Vnde dicitur in Euangeliō: *Exi cito in plateas & viros cœnitalis, & pauperes & debiles, cæcos & clados introduc huc.* Pauperes sunt, qui illius pauperis crucifixi vestigia imitantes, nihil in hac mundo contra ipsum volunt vel acquirere vel possidere: pauperes sunt, qui de bonis siue carnalibus siue spiritualibus, si quæ habuerint, non tumescunt, qui de iusto patrimonio, vel de iusto labore suo Deo & pauperibus eleemosynas suas fideliter largiuntur. De ipsis pauperibus dicit Dominus Matth. 5. *Beati pauperes spiritu, &c.* Debiles sunt, qui ad ea, quæ mundi sunt, debiles se exhibent & infirmos, & qui secundum Apostolum 2. ad Corinth. 4. *semper mortificationem Iesu in corpore suo circumferunt,* vt & vita Iesu in eorum operibus manifestetur: & qui ibidem cum Apostolo dicunt: *Licet is qui fortis est, noster homo corrumpatur: tamen is qui intus est, renouatur die in diem.* Cæci sunt, qui cultro timoris Dei oculos desideriorum & cœcupiscentiarum malorum sibi metiatis eruunt, ne videlicet respiciant in vanitates & insanas falsas, & ne mulierem

vel quamcumque aliam rem, contra Dei præceptum videant & concupiscant. Vnde dicit Dominus Matth. 5. *Si oculus tuus scandalizat te, etne eum, & proice abs te:* Claudi sunt, qui uno pede terram tangunt, & alium à terra suspendunt. Illi igitur spiritualiter claudi sunt, qui licet propter curam & necessitatē corporis uno pede affectus terrā tangunt; alterum tamen pedem affectus propter salutem animæ ad cælum semper leuant. Et certe talibus est necessarius baculus sanctæ crucis, vt innitantur: & taliter claudi fiunt, qui imitatione illius Beati Iacob cum Deo, qui est Angelus magni consilij, duobus brachiis orationum ac lacrymarum luctati fuerint, & quorum femur Dominus tangens, neruum carnalis delectationis in ipsis arefecerit.

De sexto nota, quod tria genera hominum excluduntur à coena Christi, videlicet, qui villem comparauerunt, qui quinque iuga boum emerunt, qui vxorem duxerant. Primi sunt superbi, secundi auari, tertij luxuriosi. De his dicitur in Luc. 14. *Quod cum seruus missus esset hora cena dicere innitatis, ut venirent: cœperunt simul omnes excusare. Primus dixit: Villam emi, & neceſſe habeo extre videre illam: rogo te, habe me excusatum.* Glossa August. In empta villa dominatio notatur & superbia, habere enim villam, homines possidere, homines sibi subdere, vitium malum, vitium primum. Primus enim homo dominati voluit, qui Dominum habere noluit. Alter dixit: *Iuga boum emi quinque, & eo probare illa; rogo te, habe me excusatum.* Quinque iugaboum sunt quinque, quæ annexa sunt auaris, qui per boues intelliguntur. Avarus enim sicut bos terram per curas rimatur & versat. Primum iugum est labor in inquirendo: secundum, est difficultas in inueniendo: tertium, est cura in seruando: quartum, anxia delectatio in possidendo: quintum, dolor in perdendo: & quodlibet istorum duplice pressura grauat corpus & animam. De his quinque iugis dicit Prosper in libro de contemplatione vita, eis qui militant Deo: *Fugienda sunt ex toto corde diuitiae, quas qui habere voluerint, sine cura non seruant, sine anxia delectatione non possident, sine dolore non perdunt.* Tertius duxit: *Vxorem duxi, & ideo non possum venire.* Glossa, quia multi non propter fecunditatem, sed propter desideria carnis uxores ducunt: ideo per rem istam carnis voluptas designatur, propter quam ad coenam Dei recusat venire fastidiosus.

Rogate ergo Dominum, vt sic superbiam, auaritiam, luxuriam fugiamus, vt ad coenam suam cum electis omnibus veniamus.



IN DOMINICA III.  
post Trinitatem

S E R M O L V I I .

*Congratulamini mihi, quia inueni ouem meam, que perierat.  
Congratulamini mihi quia inueni drachmam quam, perdideram. Luc. 15.*

In præsenti Euangelio secundum moralem sensum quatuor sunt notanda.

- I. *Quid per centum oues & decem drachmas intelligatur?*
- II. *Quid per ouem centesimam & drachmam decimam, que perditur, exprimatur?*
- III. *Quid per hominem & mulierem, a quibus ouis & drachma quartatur, accipiatur?*
- IV. *Quid significetur per amicos & vicinos, quorum congratulatio postulatur?*



E primo nota, quod per centum oues intelligitur numerus electorum. Centenarius enim numerus multiplici perfectione dicitur esse perfectus. Decem namque de cies ducta faciunt centuum. Et nota, quod propter quatuor causas electi, & boni Christiani ouibus comparantur. 1. Oues enim voci sui pastoris obsequuntur. 2. Oues post suum pastorem gradiuntur. 3. Oues in pastoris sibilo delectantur. 4. Oues in feruore meridiei congregantur adinuicem. De primo dicit Dominus Ioan. 10. *Oues meæ vocem audiunt, Glossa, obediunt præceptis meis.*

Debemus igitur quasi bona oues audire vocem Domini ad bonum nos inuitantem, & à malo reuocantem. Ad bonum nos inuitat Exod. 20. vbi dicit: *Memento, ut diem sabbati sanctifices.* Hic præcipitur omnis celebris dies in sanctitate ac puritate mentis obseruari & corporis. Item inuitat nos ad bonum Exod. 20. *Honora patrem tuum, & matrem tuam, ut sis longaeus super terram.* Hic præcipitur, vt parentes à filiis honorentur, eisque necessaria subministrent. Reuocat etiam nos à malo, & inhibet nobis idem Exo. 20. vbi dicit: *Non habebis deos alienos coram me.* Non assumes nomen Domini Dei tui invanum. Hic prohibetur, ne aliquis periurium faciat, nec etiam sine magna necessitate iuramentum emitat. Sequitur: *Non occides, Glossa, manu vel mente, vel subtrahendo consilium vi-*

*tae ei cui debes dare.* Sequitur: *Non mæchaberis, Glossa, id est, nulli miscearis, excepto fædere matrimonij.* Sequitur: *Non furtum facies.* August. *Furi nomine omnis illicite usurpatio intellegitur rei alienæ.* Sequitur: *Non loqueris contra proximum tuum falsum testimonium.* Hinc mendacium & detractio ac calumnia prohibentur. Sequitur: *Non concupisces domum proximi tui, nec omnia que illius sunt.* Hic etiam mentalis auaritia prohibetur. *Non desiderabis uxorem proximi tui,* Glossa, etiam voluntatem adulterandi vetat.

De II. Nota, quod oues pastorem sequuntur. Vnde dicit Ioan. 10. *Oues meæ sequuntur me, alienum autem non sequuntur, sed fugiunt ab eo.* Dominus enim cum baculo crucis præcedit nos, ostendit nobis pascua vitæ, cuius vestigia sequi debemus. De istis vestigiis dicit Pet. in 1. Can. 2. *Christus passus est pro vobis, vobis relinquens exemplum, ut sequamini vestigia eius, &c.* Qui in choreis circumueniunt, & globos sequuntur, non vadunt post vestigia Christi, sed diaboli.

De III. Oues in pastoris sibilo delectantur. Vnde Dominus in Zach. 10. *Sibilabo eos, & congregabo illos, quia redemi eos.* Per sibulum Domini dulcis remissio regni cælestis intelligitur. De hac promissione dicit Ioan. 10. *Ego vitam eternam do ouibus meis, & non peribunt in aeternum.*

De IV. Oues in feruore coniunguntur & congregantur. Per hoc docemur, quando sumus in æstu alicuius tribulationis, quemæ æstum sustinuerunt olim Martyres Christi, qui in magnis tribulationibus fuerunt, sed modo ad consolationes multiplices, & inuenibiles peruenient, & hoc erit solatium nostræ tribulacionis.

De secundo nota, quod per dragmas intelliguntur omnes electi. Et scias, quod secundum Glos. drachma est numus certæ quantitatis habens imaginem Cæsaris. Vnde versus:

*Drachma genus numi, numos bis quinque valebat.*

Igitur drachmæ vel numo similes esse debemus, propter quatuor: primo propter materiam, secundo propter formam, tertio propter pondus, quarto propter imaginis impressionem. 1. Materia igitur drachmæ, si est aurea, signat patientiam & charitatem. Sicut enim aurum optime sustinet percussionses malleorum, & sicut fiunt ex auro coronæ Regum ac Imperatorum; ita & homo per patientiam vincit tribulationum aduersitatem, & per charitatem ad regiam vel imperiale assūmitur dignitatem. 2. Si vero materia drachmæ argentea est, signat biformem munditiam & vocis claritatem. Sicut enim & argentum candidum est & tinnulum, sic & casti homines in die iudicij mundas animas & lucida corpora repræsentabunt, & in voce exultationis coram Deo suo perpetuo iubilabunt. 3. Forma drachmæ rotunda est, & significat spem æterni boni. Tunc enim in anima nostra rotunditatem repræsentamus, cum ea bona, quæ finem non habent, tota solicitudine desideramus. 4. Pondus drachmæ significat timorem Domini. Timor quippe Domini facit hominem grauem ac ponderosum, ne tanquam pluma, vel palea ab omni vento vanitatis ac voluptatis huius

huius mundi rapiatur, & per indecentem lätiam dissoluatur. *Beatus est qui semper est pauidus.*  
5. Imago huius drachmæ duplex est, videlicet, imago misericordiæ, & imago iustitiae. Et hanc duplēm imagininem habemus ab ipso Deo rege nostro, de cuius moneta sumus. Iple enim exhibet nobis in hac vita imaginem summae clementiæ, per quam recipiet omnes vere pœnitentes. In futuro vero ostendit imaginem summae iustitiae, per quam damnabit omnes sine vera pœnitentia morientes.

Itaque & nos debemus esse misericordes per largam eleemosynarum nostrarum largitionem. Debemus etiam iusti esse per plenam omnis ablatae rei restitutionem. Hanc duplēm imaginem habuit Zachæus, qui dimidietatem bonorum suorum distribuit pauperibus, & si aliquem defraudauerit, quadruplum restituit. De secundo nota, quod per ouem quæ perit, & per drachmam quæ perditur, quilibet peccator intelligitur. Tunc enim homo perit & perditur, dum præcepta Dei contemnens declinat à bono, & facit malum.

De tertio nota, quod per hominem qui ouem perdidit, intelligitur ipse Christus: qui 1. tunc vadit ouem querere, cum hominem per prædicationem vocat. 2. Tunc etiam vadit, cum facit hominem cognoscere & timere, quod venturus est iudicare viuos, & mortuos, & seculum per ignem. 3. Tunc autem inuenit ouem, cum peccator conuertitur ab errore viæ suæ. Sic quoque inuentum peccatorem imponit in humeros clementiæ suæ, & reportat primo in domum militantis Ecclesiæ, & postea in domum triumphantis Ecclesiæ. Nota etiam, quod per mulierem quæ drachmam perdit, notatur diuina bonitas & sapientia, quæ ut peccatorem inueniat, accendit lucernam, id est, facit hominem recordari, quod omnia peccata delinquentium in die iudicij reuelabuntur. Euerit etiam dominum, id est, cum effectu insinuat omnes huius mundi concupiscentias euentandas esse in die iudicialis vindictæ, & sic drachmam inuenit, id est, peccatorem compunit ad pœnitentiam.

De quarto nota, quod per amicos & vicinos sancti Angeli designantur, qui sunt amici per diuinæ voluntatis adimpletionem. Sunt etiam vicini per desiderabilem diuinæ faciei speculationem. Rogate ergo Dominum, ut per ipsius misericordiam sic ab errore peccati reuocemur, vt cum electis in patria congregemur.

\*\*

IN DOMINICA IV.  
post Trinitatem  
SERMO LVIII.

*Estate misericordes, sicut &  
Pater uester misericors est.  
Luc. 6.*

Quatuor sunt hic notanda.

- I. *Quis sit Pater ad cuius misericordiæ imitationem quilibet inuitatur?*
- II. *Quibus modis opus misericordiæ peragatur?*
- III. *Quæ merces operatoribus misericordiæ rependatur?*
- IV. *Quibus suppliciis homo immisericors feriatur?*



E primo nota, quod Pater noster, ad cuius imitationem esse debemus misericordes, est ipse Deus creator noster & redemptor, de quo dicit Psal. 102. *Miserator & misericors Dominus, longanimit & multum misericors.* 1. Miserator fuit in larga pro nobis sui sanguinis effusione. Ipse enim sanguini suo non pepercit, ut nobis fontem suarum miserationum demonstraret. 2. Misericors est in multiplicis beneficij collatione. Innumerabilia quippe sunt beneficia sua, quæ necessitatibus nostris quotidie administrat. 3. Longanimis est in diuturna nostrorum criminum toleratione. Vix enim numerari possunt excessus nostri, quos ipse multis annis patientissime tolerauit. 4. Multum misericors est in clementi pœnitentium susceptione. Clementissime quippe recipit peccatores, dummodo vere pœnitere velint.

De secundo nota, quod ad minus quatuordecim sunt opera misericordiæ; quorum septem sunt spiritualia, & septem corporalia. Primum opus veræ misericordiæ spirituale, est deuote orare pro aduersantibus. Vnde Dominus dicit Matth. 5. *Orate pro perseguientibus & calumniantibus vos, ut sitis filii Patris vestri, qui in celis est.* Qui vero deuote vult pro inimicis orare, non debet contra eos iudicium Domini & condemnationem æterni supplicij postulare. Propter hoc dicit Dominus in hodierno Euangelio: *Nolite indicare, id est, contra malefactores vestros Dei iudicium postulare: & non indicabimini, id est, iudicio Dei non subiiciemini. Nolite condemnare, id est, inimicis vestris condemnationem optare: Et non condemnabimini, id est, æternam condemnationem non patiemini.*

Secundum, ex corde dimittere iniuriantibus. Vnde dicit Dominus in hodierno Euangelio: *Dimitte & dimittetur vobis.* August. *Multa sunt genera eleemosynarum, sed ea nihil est maius, quam cum ex corde dimittimus, quod in nos quisque peccaverit.* Hinc etiam dicitur in Matth. 18. *Accedens Petrus ad Iesum dixit: Domine, quoties peccabit in me frater mens, & dimittam ei? usque septies?* Dicit illi Iesus: *Non dico tibi usque septies, sed usque septuages septies.* Glossa, *septuages septies, id est, toties, quoties ille peccare potest in die, id est, quadringentis & nonaginta vicibus.*

Tertium, est fideliter instruere nescientes. Et nota quod patres antiqui fidelissimi erant in instructione filiorum suorum: ita & nunc patres & matres tenentur instruere filios suos, siue sint carnales siue sint spirituales. Vnde August. *Vos ante omnia tam viros, quam mulieres, qui filios in baptismo suscepistis, moneo ut vos cognoscatis apud Denim fidei successores extirisse pro illis, quos nisi estis de sacro fonte suscipere. Ideoque eos semper admonete, ut castitatem custodian, iustitiam diligent, charitatem habeant: ante omnia symbolum & orationem Dominicam & vos ipsi tenete, & illis, quos accepistis de fonte, ostendite.*

Quartum, est ferire ac corripere delinquentes. Vnde Proverb. 13. *Qui parcit virgis, odit filium suum: qui autem diligit illum instanter erudit.* Item Proverb. 22. *Stultitia colligata in corde pueri, & virga disciplina fugabit eam.* Item Proverb. 23. *Noli subrrahere a pueru disciplinam: si enim perceruerit eum virga, non morietur: tu virga percuties eum, & animam eius de inferno liberabis.*

Quintum, est patienter ferre ferentes ac ludentes. Vnde Dominus in Luc. 21. monet ad patientiam, ita dicens: *Trademini a parentibus, & amicis, & cognatis: & morte afficiunt ex vobis, & eritis odio omnibus hominibus propter nomen meum.* Sequitur; *In patientia vero possidete animas vestras.* Glos. *Patientia radix & custos est omnium virtutum.* Vera autem patientia est aliena mala equanimiter tolerare, & contra eum qui mala irrogat nullo dolore moueri. Item Apost. ad Heb. 10. *Rapinam bonorum vestrorum cum gaudio suscepistis, cognoscentes vos habere meliorem ac manentem substantiam.*

Sextum, est consulere perplexis & delirantibus. Vnde Proverb. 15. *Dissipantur omnes cogitationes, ubi non est consilium; ubi vero plures consiliarij sunt, confirmantur.* Eccl. 6. *Consiliarius tibi sit unus de mille.* Nota, quod beatus Paulus bonus est consiliarius, qui ita dicit 1. Corinth. 7. *De virginibus præceptum Domini non habeo, consilium autem do.* Glos. à Spiritu sancto mihi inspiratum. Do, inquam, consilium non nubendi, sed continendi. Mali igitur consiliarij sunt, qui virginitatem ac alia multa bona dissuadent hominibus. De istis consiliariis dicit Eccl. 37. *Amalo consiliario serua animam tuam.*

Septimum misericordiae opus spirituale, est consolationes afferre mæstis ac plorantibus. Vnde dicit Job de seipso 29. *Benedictio perituri super me veniebat, & cor vidua consolatus sum.* Cumque federem quasi rex, circumstante me exercitu: eram tamen mærentium consolator. Hæc septem spiritualia opera misericordiae notantur in hoc versu:


*Oro, remitto, decens, ferio, ferro, consulo, solor.*

Sunt & alia septem corporalia opera misericordiae, videlicet, Infirmos visitare, Sipientes potare, Esurientes cibare, Captiuos redimere, Nudos vestire, Peregrinos in hospitium colligere, & mortuos sepelire. Prima lex Dominus commendat Matth. 25. vbi dicit: *Efuriui, & dedistis mihi manducare: sitiui, & dedistis mihi bibere: hospes eram, & collegistis me: nudus fui, & copervistis me: infirmus fui, & visitastis me; in carcere eram, & venistis ad me.* De septimo Tobias commendatur. Hæc septem notantur in hoc versu:

*Visito, poto, cibo, redimo, tego, colligo, condo.*

De tertio nota, quod dabatur misericordibus mensura bona, & conferta, & coagitata, & supereffluens, sicut in hodierno Euangelio. 1. Mensura bona dicitur in corporum glorificatione. Corpora quippe misericordium glorificabuntur, & in omnibus membris suis bona erunt & laudabilia. 2. Mensura conferta dabatur in animalium beatificatione. Animæ namque misericordium in omnibus viribus suis confertæ erunt & coadunatae. Habebunt enim intellectum sine errore, memoriam sine obliuione, cogitationes sine euagatione, affectiones sine vitiosarum concupiscentiarum infectione. Mensura coagitata dabatur in cuiuslibet cœlestis gaudijs participatione. Singula quippe gaudia electorum manus charitatis, quæ illic regina existit, coagabantur & infundentur in sinus misericordium animalium. Quælibet enim anima tantum de felicitate alterius lætabitur, sicut de sua. 3. Mensura supereffluens dabatur in ipsis scilicet æternitatis suauissima fruitione; nec tamen eam poterunt epotare, superfluit siquidem omnium beatorum desiderio satiatio.

De quarto nota, quod pœna hominum immisericordium est ille ignis æternus: & quidem satis iuste, quia enim tenaces & auari per ariditatem boni operis & impietatem cordis, naturam illius infernalis ignis induerunt, qui aridus & impius esse dignoscitur: dignum est, ut in æterno igne perpetuo crucientur. Charissimi rogate Dominum, ut sic nunc opera pietatis exerceamus, ut cum electis æterna præmia capiamus.



## IN DOMINICA V.

post Trinitatem

S E R M O L I X.

*Sedens Iesus docebat de nauicula turbas. Luc. 5.*

Duo sunt hic notanda.

I. *Quæ sit nauicula, in qua Dominus sedet?*

II. *Quæ sit doctrina, quam docuit?*

 E primo nota, quod quadruplex est nauicula Domini. Prima est Virgo grata: secunda est Virga pretiosa: tercia est Ecclesia gloria: quarta est Anima virtuosa.

Prima

Prima igitur nauicula est Virgo grata, id est, Beata Maria, quae bene dicitur grata, id est, gratia plena. Vnde salutans eam Angelus Luc. 1. dixit: *Ave gratia plena.* Aliis quippe sanctis diuisiones gratiarum datae sunt; Beata vero Virginis totus fons gratiarum datus est. Hæc est nauicula, per quam Dominus descendit in mundum, qui per ciuitatem munitam & Idumam figuratur. Mundus iste munita ciuitas dicitur; quia ciues, hoc est, amatores suos diuini, delicii, & honoribus munit & armat, quod non possint feriri iaculo verbi Dei ad salutem. Princeps huius ciuitatis est diabolus, sicut testatur ipse Christus Ioan. 12. & 14. Mundus etiam vocatur Idumæa, quæ interpretatur sanguinea, quia hodie in mundo fornicatio, adulterium, homicidium inundauerunt, & sanguis sanguinem tetigit.

Igitur Dominus volens ad nostram redemptionem venire in mundum, dixit in consilio Angelorum suorum, Psal. 59. *Quis deducet me in ciuitatem munitam? quis deducet me in Idumæam?* Respondit Gabriel Archangelus, qui fuit Beatæ Mariæ Virginis paronymphus, id est, custos virginitatis eius: *Facta est,* inquit Virgo Maria, *quasi nauis insitoris de longe portans panem suum.* Cui Dominus: Redreas ergo & dicas ei, quod per eam volo deduci in mundum. Reuersus vero Angelus cum festinatione ad Virginem, ait: *Ave gratia plena, Dominus tecum.* Quasi dicat, Dominus iam paratus est esse tecum, id est, intrabit in uterum tuum mundissimum. Post consensum autem Virginis Dominus statim intravit in eam quem ipsa suo tempore eduxit in mundum. Bonum est charissimi, ut nos peccatores munuscula nostra, id est, orationes, lacrymas, elemosynas, ac ieunia nostra per hanc fidem nauiculam nostro iudici præmittamus, ut cum venerimus, ipsum propitium inueniamus. Ipsa quippe optime aget negotium nostrum.

Secunda nauicula fuit Virga pretiosa, id est, crux Dominica, quæ bene dicitur pretiosa, quasi pretio plena. Preium enim totius mundi pendit in ea. De hac dicitur Matth. 9. *Ascendit Iesus in nauiculam, & transfretauit, & venit in ciuitatem suam.* Ciuitas Domini vocatur hic Capernaum, quod interpretatur ager consolacionis, & significat amaritatem paradisi. Sciens ergo Iesus, quia à Deo exiuit, & ad Deum vadit, ascendit in nauiculam crucis, & per mortem transfretans venit in ciuitatem suam, id est, in paradisum exultationis: in quam etiam confitemtem latronem in una hora secundum suam promissionem perduxit, quam multi electi in multis millibus annorum intrare non potuerunt; quia crucis nauiculam non habuerunt.

Et in hoc patet, quod hæc est velocissima, est etiam securissima: omnes enim, qui inueni fuerint in ea, Deus Pater protegit & defendit. Vnde ipse Filius ait ad Patrem Luc. 23. *Pater manus tuas commendabo spiritum meum.* Loquitur etiam ad Patrem Ioan. 17. *Pater, quos dedisti mihi, volo ut ubi sum ego, & illis mecum.* Si igitur spiritus Filii in manibus Patris, certe & animæ dilectorum suorum erunt in manibus eius.

Tertia nauicula est Ecclesia gloriosa. Quod autem Ecclesia dicitur gloriosa, testatur Apo-

D. Alberti Magni Serm.

stolus ad Ephes. 5. *Christus dilexit Ecclesiam, & tradidit semetipsum pro ea, ut illam sanctificaret, mundans eam lauacro aquæ in verbo vita, ut exhiberet sibi gloriosam Ecclesiam, non habentem maculam nec rugam.* Duo itaque Dominus requirit in eis, qui volunt esse de Ecclesia, videlicet ut non sit in eis macula luxuriæ, neque ruga auaritiae. De hac nave dicitur Luc. 5. *Ascendens in unam nauem, que erat Simonis, & sedens docebat de nauicula turbas.* Vnde igitur Ecclesia dicitur nauicula Simonis, quia Ecclesia primo Simoni Petro commissa fuit à Domino.

Conuenienter etiam Ecclesia similitudinem habet nauiculæ. Nauicula quippe & in principio & in fine est angustior, in medio vero spatiotior. Ita & Ecclesia in principio sui paucos habuit fideles, & in fine paucos habebit. In principio vero Ecclesiæ veri fideles multis tribulationibus & angustiis subiacuerunt, & in fine similiter subiacebunt. Dicit enim Dominus Matth. 24. *Quoniam abundauit iniquitas, refugeset charitas multorum.* Dicitur etiam Luc. 18. *Filius hominis veniet, putas, inueniet fidem super terram.*

Quarta nauicula est anima virtuosa, id est, virtutibus non otiosa. De hac dicitur Marc. 4. *Facta est procella magna venti, & flulus mittebatur in nauem, ita ut impleretur nauis.* Et erat Iesus in puppi super cervical dormiens: & excitant eum, & dicunt: *Magister, non ad te pertinet quod perimus?* Anima igitur nostra debet esse quasi nauicula, in qua etiam Iesus debet pausare in cervicali, siue cussino pacis ac mansuetudinis. Verum quia sæpe insurgit procella tentationum, quas anima sustinet ab importunitatibus dæmonum vel malorum hominum, vel etiam ab inquietatione propriæ carnis, neceesse est ut semper Dei adiutorium imploremus: & ipse compescet ventum temptationum, & sic fiet in anima tranquilitas magna.

Et nota, quod hæc nauicula consistit ex quatuor, videlicet, prora, puppi, rate, & carina. Et per hæc intelliguntur quatuor virtutes cardinales. 1. Prora est prima pars nauis, & significat prudentiam, per quam nobis prouidere debeamus, quorsum scilicet ituri simus. Ibimus enim ante tribunal Christi, ut referat propria corporis unusquisque, prout gessit, siue bonum siue malum, ut dicit Apostolus 2. ad Cor. 5. 2. Puppis est posterior pars nauis, & signat iustitiam, penes quam est nauiculæ gubernaculum; quia iustitia custodit innocentiam, sicut dicitur Proverb. 13. vel Proverb. 11. *Iustitia simplicis diriget viam eius.* Iustitia vero est nullam rem contra mandatum Dei vel concupiscere vel acquirere, & omnem rem iniuste conquirit plene restituere. 3. Ratis vocatur latus nauiculæ, & per hanc intellegitur fortitudo. Dupli vero fortitudine indigemus, ne videlicet prospera in vanitatem cordis nos ducant, & ne aduersa per nimiam modestiam nos confringant. 4. Carina vero dicitur venter vel fundus nauiculæ, & signat temperantiam, quæ necessaria nobis est, ut videlicet ab omnibus illis abstineamus & caueamus, per quæ & Deus conturbetur, & proximus aggrauetur, & propria anima deturbetur.

De secundo nota, scilicet, de doctrina Christi, quod sedens in Virgine, in Cruce, in

I 2 Ecclesia,

Ecclesia, in Anima, docet tria, videlicet *bonitatem*, *disciplinam*, & *disciplinam*. Bonitas pertinet ad proximum, disciplina ad semetipsum, scientia ad Deum trinum & unum. Bonitas in hoc consistit, ut nemo proximum suum vel corde, vel ore, vel opere ledat aut offendat. Vnde dicit Dominus Matth. 12. *Bonus homo de bono thesauro cordis sui profert bonum*. Disciplina in hoc consistit, ne libidini carnis consentiantur, sed ut caro ne lasciuat, cum discreto moderamine corripiatur. Vnde in Psal. 2.. *Apprehendite disciplinam, ne quando irascatur Dominus, & pereatis de via iusta*. Scientia in hoc consistit, ut Deum trinum & unum ex toto corde diligamus, & tota virtute colamus, id est, tota virtute ei seruimus.

Rogate igitur Dominum, ut sic ipsius doctrinam & audiamus & faciamus, ut eum in die iudicij leta facie videamus. Quod nobis praestare dignetur, qui viuit & regnat Deus per omnia secula seculorum.



## IN DOMINICA VI.

post Trinitatem

### S E R M O L X.

*Si offers munus tuum ad altare, & ibi recordatus fueris, quia frater tuus habet quid aduersum te: relinque ibi munus tuum ante altare, & vade prius reconciliari fratri tuo, & tunc veniens offeres munus tuum.* Matth. 5.

Tria sunt hic notanda.

- I. *Quid per altare super quod munus offerri debet, exprimatur?*
- II. *Quale munus offerre quilibet moneat?*
- III. *Qua reconciliatio fratri fieri præcipiatur?*

**D**E primo nota, quod altare super quod munera offerre debemus, Dei Filius intelligitur. De hoc altari dicit Ioan. in Apocal. cap. 6. quod vidit animas sub altari, quibus date sunt singula stola alba: & dictum est eis, ut requiescent. Ibi dicit Glossa, *Christus est altare, quem fideles offerunt, & super quem offerunt, & quem habent sue protectionis monumentum*. Animæ igitur electorum stola claritatis æternæ vestitæ, sub

hoc altari dulciter requiescent. Det nobis Deus, ut & nos ibi requiescere mereamur. Item de hoc altari dicit Ioan. in Apoc. 8. *Venit Angelus, & stetit ante altare, habens thuribulum aureum in manu sua: & data sunt illi incensa multa, ut daret de orationibus Sanctorum omnium super altare aureum, quod est ante thronum Dei*. Glossa Christus est, qui se obtulit, & super quem Ecclesia offert Deo preces. Et nota, quod Angelus huic altari astans est gratia Dei, quæ thuribulum aureum, id est, charitatem habet in manu sua, & omnia aromata orationum ac bonorum operum, quæ fideles imposuerunt charitatis thuribulo, offert ea gratia Dei super altare aureum, id est, super Christum, ut per hoc & peccatis eorum propitietur.

De secundo nota, quod debemus offerre Domino munus à corde, ab ore, & opere. Cor enim, os, & manus sunt tres camerae thesaurorum. Persuadet autem à nobis Spiritus sanctus, ut munera offeramus, ita dicens Proverb. 21. *Munus absconditum extinguit iras: & domum in sinu, scilicet Christi indignationem maximam*. Item Proverb. 24. *Victoriam & honorem acquirere qui dat munera*.

Et nota, quod qui offert munera sua in sinum Christi, tria propter hoc consequitur; videlicet diuinam propitiationem, dæmonum subiagationem, & cælestem exaltationem, sicut per prædictas authoritates probari potest.

Debemus igitur à corde triplex munus offerre, videlicet, bona voluntatis intentionem, sanctæ meditationis deuotionem, & piæ compassionis affectionem. 1. Bonæ voluntatis intentio commendata fuit in Christi natuitate, quando cecinerunt Angeli: *Gloria in altissimis Deo, & in terra pax hominibus, &c.* De bona etiam voluntate sic ait Gregor. *Ante Dei oculos nunquam vacua est manus à munere, si arca cordis repleta fuerit bona voluntate. Nihil quippe offertur Deo ditius bona voluntate.* 2. De deuotione meditationis dicitur in Psal. 18. *Meditatio cordis mei in conspectu meo semper, Domine adiutor meus & redemptor meus.* Debemus itaque fratres charissimi semper faciem meditationum nostrarum versus illam regionem conuertere, vnde nobis Dei beneficia prouenerunt; & hoc faciendum est die ac nocte. Vnde dicitur in Psal. 62. *Memor fui tui super stratum meum, in matutinis meditabor in te, &c.* Et certe in huiuscmodi meditatione mirabiliter exardescet ignis charitatis. 3. De compassionis affectione dicitur in Iob 30. *Flebam quondam super eo, qui afflictus fuit, & compatiebatur anima mea pauperi.* Item i. ad Corinth. 12. *Pro se inueni sollicita sunt membra: siquid patitur unum membrum, compatiuntur omnia membra.* Sed heu quidam sunt ita beluini ac lupini, quod non compatiuntur super miseriis pauperum, pupillorum, ac viduarum.

I I. Debemus etiam ab ore triplex munus Domino offerre. Primum est sinceritas orationis. Dicitur in Psal. 16. *Auribus percipe Domine orationem meam non in labiis dolosis.* Nota, quod haec oratio præcipitur à Domino, quæ profertur labiis non dolosis; quæ vero profertur labiis dolosis, minime auditur. Labia vero dolosa sunt, quæ sibi petunt bonum, & proximo optant malum. Item in Psal. 87.

*Intrep*

*Intret in conspectu tuo oratio mea.* Sed qui vult, ut oratio sua intret in conspectu Dei, oportet ut de corde suo ejiciat fides superbiæ, inuidiæ, auaritiae, atque luxuriæ. Vnde dicitur in Psal. 66. *Iniquitatem si aspexi in corde meo, non exaudiet Dominus.* Secundum de assiduitate gratiarum actionis, Eccles. 51. *Laudabo nomen tuum assidue, & collaudabo illud in confessione.* Assidue accipimus beneficia Christi, unde & dignum est, ut assidue gratias agamus. Hinc est, quod quotidie Presbyter dicit in Missa: Gratias agamus Domino Deo nostro. Tertium, de dulcedine consolationis, Proverb. 31. *Date siceram nærentibus, & vinum his qui animo amaro sunt.* Vel Apostolus 1. ad Thess. 5. *Consolamini pusillanimes.*

III. Debemus etiam à manu sue opere triplex munus offerre. Primum est corporis maccratio. Secundum, decimorum oblatio. Tertium, eleemosynarum erogatio. 1. De maceratione carnis dicitur Apocal. 34. quod *agnus stabat super montem Sion, & cum eo centum quadraginta quatuor millia, quorum vox erat sicut citharædorum citharizantium in citharis suis.* Per citharædos istos intelliguntur boni Christiani, qui carnem suam per ieiunia & alios sanctos labores attenuant, quorum vox in conspectu agni dulciter resonabit.

2. De oblatione decimorum Malach. 3. *Inferete omnem decimam in horreum meum, & sit cibus in domo mea, & probate me super hoc,* dicit Dominus, si non aperuero vobis cataractas cali, & effudero vobis benedictionem usque ad abundantiam. Et increpabo pro vobis devorantem, & non corrumpt fructum terra vestra: nec erit sterilis vinea in agro, dicit Dominus exercituum. Et beatos vos dicent omnes gentes. Ex præmissis verbis colligitur, quod Dominus eis, qui decimas suas fideliter dederint, tria promittit. Primum est, quod dabit frugum & vini abundantiam. Secundum est, quod remouebit ab eis pestilentiam. Tertium est, quod dabit eis in futuro cælestis beatitudinis substantiam.


3. De erogatione eleemosynarum dicit Raphael Tob. 12. *Eleemosyna à morte liberat, & ipsa est qua purgat peccata, & facit innuenire vitam æternam.* Ecce tria bona, quæ prouenient ex eleemosyna, videlicet, quod per eam æterna mors effugitur, omne peccatum diluitur, & vita æterna inuenitur.

De tertio nota, quod quilibet præcipitur, ut fratri suo vel proximo reconcilietur, quem se reminiscitur offendisse. Et hæc reconciliatio tam grata est Domino, ut ei nullius muneric oblatio præferatur: vnde iubet, ut ad reconciliationem faciendam homo reuertatur, antequam etiam munus illud, quod iam ad altare tulit, altari superponat.

Et nota, quod Dominus in hodierno Euangeli ponit triplex genus peccati, quo contra proximum peccatur: quod tamen frequenter ab hominibus committitur, & pro nihilo reputatur. Primum est ira & indignatio; vnde ait: *Ego autem dico vobis, quia omnis qui irascitur fratri suo, reus erit iudicio.* Secundum est iracundia proclamata. Sequitur: *Qui autem dixerit fratri suo, raca: reus erit concilio.* Tertium est derisiva vituperatio. Sequitur: *Qui autem dixerit, fatue: reus erit gehenna ignis.* Si igitur ille, qui proximo suo sine

causa irascitur, & qui raca proclamat, & qui eum fatuum appellat, iudicium diuinæ districcionis, & concilium diabolice congregationis, & gehennam perpetuae damnationis incurrit: quid de illis, qui detractionibus, furtis, calumniis, rapinis, vñris, homicidiis, aliisque perplurimi malis proximos suos offendunt & laedunt?

Rogate ergo Dominum, ut sic uniuicuque quem læsimus, satisfaciamus, ut gratiam & misericordiam suam in die iudicij inueniamus. Quod nobis dignetur, &c.



## IN DOMINICA VII.

post Trinitatem

S E R M O L X I .

*Accipiens Iesus septem panes, gratias agens, fregit: & dabant Discipulis suis, ut apponerent, & apposuerunt turbæ. Et habebant paucos pesciculos: & ipsos benedixit, & iussit apponi.* Marci 8.

Duo sunt hic notanda.

I. *Quid per septem panes & paucos pesciculos intelligatur?*

II. *Quid per septem sportas, que ex fragmentis panum & pescium repelluntur, exprimatur?*



E primo nota, quod per septem panes secundum interlinearem Glos. intelliguntur septem dona Spiritus sancti. Sicut enim *panis cor hominis confirmat:* ita & Spiritus sanctus donis suis hominem interiorum corroborat. Vnde dicit Paulus ad Eph. 3. *Flecto genua mea ad Patrem Domini nostri Iesu Christi, ut dei vobis virtutem corroborari per Spiritum eius in interiori homine.*

Primus panis est donum sapientiae. Dono sapientiae cognoscimus Creatorem nostrum, sine cuius notitia omnis homo pecus est. Iste panis frangitur in tria frusta, quia per donum sapientiae roboramur, ut tria cognoscamus in Creatore nostro, videlicet, perfectam sapientiam, patientiam benignam, & absolutam potentiam. Per sapientiam omnia videt, quæ sub sole fiunt. Per patientiam plurima dissimulat ex his quæ fiunt. Per potentiam puniet omnia quæ in mundo male fiunt. 1. De sapientia Dei omnia vidente dicit Eccl. 23. *Oculi Domini multo plus lucidiores sum super solem, circumspicientes omnes vias hominum, & profundus abyssi, & hominum corda inuientes in absconditas partes.* Domino enim Deo antequam crearetur, omnia sunt cognitæ, sic & post factum respicit omnia. 2. De benigna patientia Dei, ait Apost. ad Rom. 2. *An dinitias bonitatis eius & patientia &*

D. Alberti Magni Serm.

I 3 longa

*longanimitatis contemnis: Ignoras quoniam benignitas Dei ad patientiam te adducit? Bonum est ergo charissimi, ut ad patientiam Dei pedes benigne procedamus, ibique veniam de nostris peccatis contrito corde petamus.* 3. *De potentia Dei enormia omnia puniente dicitur Sapient. 16. Tu es Domine, qui vita & mortis habes potestatem: & tuam manum effugere impossibile est.* Hinc etiam legitur 2. Mach. 6. quod quidam Eleazarus de prioribus Scribarum, qui legem Dei à pueritia optime custodierat. Cum esset octoginta annorum, & iussu Antiochi regis compelleretur carnes porcinas comedere: *Respondit: Non est dignum, ut per hoc maculam atque execrationem mea senectuti conquiram.* Nam etsi in presenti tempore suppliciis hominum eripiar, sed manum Dei omnipotentis, neque viuus, neque defunctus effugiam. Bonum est igitur charissimi ut corrigamus nos, antequam per Dei potentiam puniamur.

Secundus panis est donum intellectus. Iste panis roboret nos ad cognoscendam familiam Domini nostri, videlicet, Angelos & beatas animas quæ sunt in patria, in quibus tria intellectus oculo videre debemus, videlicet, munditiae claritatem, concordia uniformitatem, & pacatissimam charitatem. De primo dicit Apost. 1. ad Corinth. 15. i. *Alia claritas solis, & alia claritas luna, & alia claritas stellarum.* Stella enim differt à stella in claritate, sic & resurrectio mortuorum. De qualibet etiam felici anima quæ cum Domino requiescit, dicitur Sap. 10. *Dedit illi Dominus claritatem eternam.* Item ad Phil. 3. *Saluatorem expectamus Dominum nostrum Iesum Christum, qui reformabit corpus humilitatis nostra, configuratum corpori claritatis sue.*

De secundo, scilicet, de concordia Angelorum & animatum sanctatum dicitur in Iob 25. *Qui facit concordiam in sublimibus suis.* Item Eccl. 25. *In tribus placitum est spiritui meo quæ sunt probata coram Deo & hominibus.* Concordia fratrum, id est, sanctorum Angelorum, & amor proximorum, id est, omnium electorum, & vir & mulier sibi consentientes, id est, spiritus & caro, qui optime sibi consentient in patria.

De tertio, scilicet, charitate Angelorum & animatum sanctorum dicit 1. Ioan. 4. *Deus charitas est: & qui manet in charitate, in Deo manet, & Deus in eo.* Angeli & sanctæ animæ manent in Deo: ergo habent perfectissimam charitatem. Bonum est ergo charissimi, ut & nos in hac vita per mentis & corporis munditiam, per pacis concordiam, & per charitatem mutuam ad Angelorum & sanctorum animarum consortium peruenire laboremus.

Tertius panis est donum consilij. Cognito enim Creatore nostro & familia Creatoris, ut ad eundem Creatorem & suam familiam perueniamus, tria nobis consulit iste panis. Primum est, ut mala fugiamus: secundum, ut bona faciamus: tertium est, ut oculum spei semper in Domino figamus. De his tribus dicitur Psal. 33. *Dinerete a malo, & fac bonum.* Sequitur: *Oculi Domini super iustos, &c.* Debemus igitur primo diuertere ab omni malo, quod committi potest vel corde, vel opere, vel ore. Secundo facere debemus omne bonum, quod scimus Deo gratum existere, & quo possumus animatum nostratum saluti proficere: per quod etiam possimus proximo-

rum nostrorum utilitatem efficere. Tertio debemus oculum spei semper in Deo figere, quia oculi Domini super iustos, ut videlicet reddat eis mercedem laborum suorum. Vnde Eccle. 11. *Benedictio Dei in mercedem iusti festinat.*

Quartus panis est donum fortitudinis. Per hunc panem accipimus robur contra tria impedimenta consilij, diabolum, mundum, & carnem. Roborati igitur pane fortitudinis diabolo resistimus, mundum despiciimus, carnem spiritui subigimus. De isto dicit Iacob. 4. *Resistite diabolo, & fugiet a vobis.* Item 1. Pet. 5. *Aduersari vester diabolus tanquam leo rugiens circuit querens quem devoret: cui resistite fortes in fide.* De secundo, scilicet, de mundi despectu dicit Iacob. 4. *Adulteri, nescitis quia amicitia huius mundi inimica est Deo?* Quicunque ergo voluerit esse amicus seculi huius, inimicus Dei constituitur. Satis sunt tetricilia ista verba mundi amatoribus. Item 1. Ioan. 1. *Nolite diligere mundum, neque ea que in mundo sunt.* *Siquis diligit mundum, non est charitas Patris in eo.*

De tertio, videlicet, de carne subigenda legitur in Genes. 16. quod Abraham dixit ad uxorem suam Sarai: *Ecce, ancilla tua in manu tua est, vtere ea ut liber.* Sequitur: *Affligente igitur eam.* Sara fugam init: cui apparens Angelus ait: *Reuertere ad Dominam tuam, & humiliare sub manibus eius.* Per Abraham intelligitur Deus: per Saram vero anima, quæ est sponsa Dei: per ancillam intelligitur caro. Anima igitur ad Dei iussum carnem superbam affligente, caro fugam init, id est, fingit se esse infirmam: cui Angelus, id est, gratia Dei persuadet, ut ad Dominam reuertatur, eique in Dei seruitio fideliter ac humilietur famuletur.

Quintus panis est donum scientiae. Iste panis, postquam accepimus fortitudinem contra diabolum, mundum, & carnem, docet nos cogitare tria, videlicet, vnde venerimus, vbi nunc sumus, & quo ituri simus. Primo itaque scire debemus, quod certe satis de vili, & per plurimos dolores matris ac solitudines venimus; vnde Sapient. 7. *In ventre matris figuratus sum caro: & natus primam vocem emisi similem omnibus plorans: in inuolumentis nutritus sum, & curis magnis.* Nemo enim ex regibus aliud habuit nativitatis initium.

Secundo scire debemus, quod in medio laqueorum habitamus; vnde Eccl. 9. *Scito, quoniam in medio laqueorum ingredieris, & super dolentium arma ambulabis.* Legitur etiam, quod Beatus Antonius in oratione sua vidi mundum laqueis plenum. Laquei huius mundi sunt arma quibus nos impugnant dolentium, id est, dæmonum, qui de nostra salute dolent.

Et nota, quod inter hos laqueos quasi tres sunt præcipui, videlicet, superbus, auarus & mulier fornicaria. De primo dicitur Eccl. 11. *Sicut inducitur capra in laqueum, sic & cor superborum.* Capræ, quæ exaltata scandunt, sunt superbi, quos diabolus laqueo superbiæ detrahit in profundum. De secundo dicitur Proverb. 11. *Qui cauet laqueos securus erit.* Certe qui cauet laqueos auaritiae, tunc securus erit, quando vnlusquisque reddet rationem villicationis suæ: & quando contra auaros lapis de pariete clamat, & lignum, quod inter iuncturas edificiorum est, respondebit: sicut dicitur Habac. 2. *De tertio dicitur Eccl. 7.*

*Inueni*

*Inueni amariorem morte mulierem, que laqueus venatorum est. Venatorum, id est, dæmonum, qui animas venantur ad mortem. Item Eccl. 9. Ne repicias mulierem multiuolam, ne forte incidas in laqueos illius.*

Tertio scire debemus, quod ituri sumus ad arctissimam examinationem totius vitæ nostræ. De hac examinatione dicit Paulus 1. ad Corinth. 3. *Vniuersusque opus manifestum erit: Dies enim Domini declarabit, quia in igne reuelabitur: & vniuersusque opus quale sit, ignis probabit.* Super hunc locum dicit Glossa: *Hec est dies hominis pro nutu suo agentis, sed in iudicio vel morte cuiusque est dies Domini pro meritis iudicantis.* O quam felix est ille, qui ignem iudicialem sine incendio pertransibit, ut vadat ad refrigerium sempiternum!

Sextus panis est donum pietatis, qui bene sequitur quintum. Necesarium est enim homini, ut per opera pietatis sibi amicos faciat, qui eum & in periculis huius mundi, & in iudicij discrimine tueantur. Igitur per panem pietatis persuadetur nobis, ut pietatem exequatur in tribus, videlicet, in dando, in commodando, & condonando. De primo dicit Eccl. 14. *Ante mortem benefac amico tuo, & secundum vires tuas exporrigens da pauperi.* Item Tobias ad filium suum quartum: *Si multum tibi fuerit, abundantiter tribue: si exiguum fuerit, etiam exiguum libenter impertiri stude.* Quoniam eleemosyna ab omni peccato, & à morte liberat, & non patietur animam ire ad tenebras. De secundo Psalm. 36. *Iustus tota die miseretur, & commodat, & semen illius, id est, opus, in benedictione erit.* Item in Psal. 111. *Incundus homo qui miseretur & commodat, disponet sermones suos in iudicio: quia in eternum non commouebitur.* De tertio, scilicet, quod condonemus siue ignoscamus, monemur Matth. 18. *Pater meus caelestis tradet vos tortoribus, si non remiseritis vniuersusque fratri suo de cordibus vestris.*


Septimus panis est donum timoris Domini. Timor enim est quasi clausura & custodia omnium bonorum operum. Tria vero specialiter timere debemus. 1. Ne videlicet charissimus & optimus offendatur. 2. Item ne beatitudo supercælestis amittatur. 3. Præterea ne infernalis infelicitas incurritur. Timore igitur debemus, ne Creatorem nostrum offendamus, qui est optimus, & propterea debet esse charissimus. Et certe qui Creatorem suum offenderit, ab omni creatura Domini in die iudicij offendetur. Timore etiam debemus, ne cælestem beatitudinem amittamus, & ne infernalem infelicitatem incurramus.

*N O T A* etiam, quod per paucos pesciculos intelliguntur fides, & spes. Fides, inquam, de bonis à Deo paratis, & spes de bonis à Deo promissis. Et bene fides & spes pesciculis comparantur. Quia sicut pescis tunduntur à fluctibus, & tamen semper sursum contra gurgitem nituntur: ita etiam fides & spes, licet diuersis tribulationibus puniantur in hoc mundo, faciunt tamen homines semper niti ad superiora, ubi est illius fontis æterni dulcedo.

De secundo nota, quod per septem sportas reliquias panum ac pescium repletas intelliguntur septem dotes animæ & corporis, quæ dabuntur illis, qui per nutrimentum septem donorum

Spiritus sancti, & per refectionem ac consolationem fidei & spei peruerent ad patriam claritatis æternæ. Sunt autem hæ dotes, claritas, agililitas, subtilitas, impossibilitas, cognitio, dilectio, fruitio. Primæ quatuor glorificato corpori dabuntur. Tres ultimæ felici animæ conferuntur.

Rogate ergo Dominum, ut per dona sancti Spiritus, & per fidem, & spem sic in via huius mundi sustentemur, ut etiam coram Deo de septem dotibus collætemur. Quod nobis præstare dignetur idem Iesus per secula benedictus.



## IN DOMINICA VIII.

post Trinitatem

### S E R M O L X I I .

*Omnis arbor quæ non facit fructum bonum, excidetur, & in ignem mittetur.* Matth. 7.

Tria sunt hic notanda.

- I. *Quid per bonam vel malam arborrem intelligatur?*
- II. *Per quid bona vel mala arbor cognoscatur?*
- III. *Quod premium, vel quod suppli- cium bonis aut malis arboribus promittatur?*



E primo nota, quod quilibet homo arbor appellatur & est. Vnde legitur Marc. 8. quod quidam cæcus illuminatus à Domino, cum interrogaretur, si aliquid videret, respondit: *Video homines velut arbores ambulantes.* Bonus igitur homo est bona arbor, & malus homo est mala arbor. Bonus autem homo est arbor, sub qua sancta Trinitas cum gratia requiescit. Vnde legitur Gen. 18. quod apparuerunt Abraham tres viri: *quos cam vidisset, eucurrerit in occursum eorum, & adorans eos, ait: Domine si inueni gratiam in oculis tuis, ne transcas seruum tuum: sed requiescite sub arbore, preparabitque eis panes de simila subcineritos, & coxit vitulum tenerimum & optimum, & attulit butyrum, & lac, & vitulum quem coixerat, & posuit coram eis.* Per Abraham quilibet fidelis intelligitur. Per tres autem viros sancta Trinitas figuratur, videlicet, Pater, Filius, & Spiritus sanctus. Debet autem quilibet fidelis sanctam Trinitatem ac individuam unitatem iugiter implorare, ut sub cordis sui arbores dignetur requiescere.

Vt autem sancta Trinitas in nobis libentius requiescat, debemus ei quatuor præponere. Primum est panis de simila præparatus, per quem castitatis munditia figuratur. Hic autem debet

esse subcineritius, quia ad hoc, ut homo castitatem seruet, necessarium est ei, quod suæ mortis iugiter recordetur. Secundum est vitulus tenerissimus & optimus, per quem ipsa carnis mortificatio designatur, quia caro est quasi quidam lasciuens vitulus, qui per abstinentiam est occidens, & in aqua lacrymarum decoquendus. Iuuenes propter Deum corpora sua macerantes proponunt Domino vitulum tenerissimum atque optimum. Senes vero sua corpora Deo offerentes proponunt Domino durum bouem, qui aratum seculi diu traxit. Tertio proponendum est Domino butyrum, per quod viscerosa misericordia signatur, vt videlicet butyri vice dulcis eleemosynis nostris interiores & exteriores pauperum angustias petungamus. Quarto debemus Domino lac proponere, per quod subditorum iustitio demonstratur. Pueri quippe lacte aluntur. Ita quilibet debet pueros suos ac reliquam familiam suam fideliter erudire, vt videlicet Deo seruant in omni morum honestate & vita sanctitate; alias redditurus est rationem de omnibus ipsorum coram Deo.

Malus etiam homo est arbor, sub qua dæmones commorantur; unde dicitur Isa. 34. *Ibi cubauit lamia, & inuenit sibi requiem. Ibi habuit foueam ericius, enutriuit catulos, & circumfodit, & fons in umbra eius: illuc congregati sunt milii, alter adulterū.* Lamia, quæ est crudelissima bestia, desæuiens etiam in corpora mortuorum sepulta, signat diabolum, qui desæuiet in animas peccatorum in inferno sepultas. Per ericum, qui multis duris setis & acutis est circumdatus, diabolus etiam figuratur, qui mille tormentis inquietabit iniustos. Per miluos, qui rapiunt pullos & lacerant eos: etiam dæmones intelliguntur, qui impios ad alas Domini fugientes perpetuo lacerabunt. Et certe omnes prædicti dæmones habitant modo in cordibus peccatorum.

De secundo nota, quod quælibet arbor utrum bona sit aut mala, ex fructu suo cognoscitur. Non potest enim, vt dicit veritas in hodierno Evangelio, arbor bona fructus malos facere: neque arbor mala fructus bonos facere. Vnde etiam dicit Dominus Matth. 7. *Ex fructu suo arbor cognoscitur.* Quis autem sit fructus bona arboris, ostendit Paulus ad Galat. 4. ita dicens: *Fruktus autem spiritus, id est, arborum illarum sub quibus requiescit Spiritus, est charitas, quæ de terra cor ad cælum euocat.* Gaudium, id est, puritas scientiæ. Pax, quando se homines inuicem non inquietant. Patientia aduersorum. Longanimitas expectationis de promissis Dei. Bonitas, id est, dulcedo animi. Benignitas, largitas rerum. Munsuetudo, quando homo non est intractabilis, sed potius tractabilis. Fides, de inuisibilibus certitudo. Modestia, quando homo modum in dictis vel in factis seruat. Continentia, quando homo ab illicitis se abstinet. Castitas, quando homo recte vtitur lictio. Eccl. 12. Fructus bona arboris, qui sunt expositi secundum Glos.

Item alij tres boni fructus ponuntur ad Ephes. 5. vbi dicit Paulus: *Fruktus est in omni bonitate, & iustitia, & veritate, vt videlicet homo sit bonus corde, iustus opere, & verax ore.* Non igitur debet gaudere arbor, si tantum habet folia, id est, bona verba, nisi etiam habeat bonos fructus, id est, opera bona; vnde Dominus dicit hodie

in Euangeliō: *Non omnis, qui dicit mihi: Domine, Domine, intrabis in regnum cælorum, sed qui facit voluntatem Patris mei, qui in cælis est, ipse intrabit in regnum cælorum.*

Quis etiam sit fructus, per quem homo mala arbor esse cognoscatur, manifestat Apostolus ad Galat. 5. ita loquens: *Manifesta sunt opera carnis, id est, illorum, qui secundum carnem viuont, & propterea aeterna morte morientur.* Quæ sunt fornicatio, opus scilicet luxuriæ. Immunditia, quæ est contra naturam. Impudicitia, non pudice viuere. Luxuria, quælibet superfluitas, idolorum servitus ad literam, vel avarus. Veneficia, ad literam, vel prava consilia, inimicitiae perseuerantes. Contentiones, in verbis: emulations, quando duo ad malum tendunt. Ire, scilicet, subita tempestas animi. Rixa, quando in inuicem se homines ex ira percutiunt. Dissensiones, quando partes & tumultus faciunt in Ecclesia. Sectæ, id est, hæreses. Inuidia de alienis bonis. Homicidia, ad literam, vel mendosæ detractiones. Ebrietates, assidue comedentes superfluæ, & his similia, quæ prædico vobis, ante iudicem, dum licet pœnitente: *sicut predixi, quia qui talia agunt, regnum Dei non possidebunt:* ergo damnabuntur in inferno. Ecce habes 12. fructus male arboris secundum Glos. expostos.

De tertio nota, quod præmium bonarum arborum erit, quod videlicet transplantabuntur in paradisum Domini. Vnde Ierem. 17. *Benedictus vir, qui confidit in Domino, propter securitatem conscientiæ: & erit Dominus fiducia eius, in separatione corporis & animæ: & erit tanquam lignum, quod transplantatur super aquas, refectionis aeternæ: quod ad humorem consolationis diuinæ mittit radices suas, id est, palatum animæ: & non timebit cum venerit astus, discretionis iudiciorum: & erit folium eius viride, id est, nunquam silebit à Dei laude: nec aliquando desinet facere fructum, id est, semper iucundabitur in fructibus illis, quos attulit ex messe militantis Ecclesiæ.*

Supplicium quoque malarum arborum erit, quod succidentur securi mortis æternæ, quam exacuerunt per peccata sua: succisa vero mittentur in ignem æternum. De hac succione & ignis adiustione dicit Ioannes Baptista Matth. 3. *Facite fructum dignum pœnitentie. Iam enim securis ad radicem arborum posita est.* Omnis arbor quæ non facit fructum bonum excidetur, & in ignem mittetur. O quam infelix erit ille, qui mittetur in ignem æternum, nimia ferocitate in miseros peccatores sequentem. Rogate ergo Dominum, vt tanquam bona arbores, sic modo faciamus fructus honoris & honestatis, vt transferri mereamur in paradisum perpetuæ amoenitatis. Quod nobis præstare dignetur idem Iesus per secula benedictus.

\* \*

IN DOMINICA IX.  
post Trinitatem  
SERMO LXIII.

*Homo quidam erat diues qui qui habebat villicum, & hic diffamatus est apud illum, quasi desipasset bona illius: & vocauit eum, & ait illi: Quid est hoc quod audiui de te? redde rationem villicationis tuae. Luc. 16.*

Quinque sunt hic notanda.

- I. *Quid per diuitem hominem intelligatur?*
- II. *Quid per villicum eius exprimatur?*
- III. *Quae sit vocatio quo villicus vocatur?*
- IV. *De quibus villicanionis ratio requiratur?*
- V. *Per quid Dominus propitiabilis efficiatur?*

**D**E primo nota, quod per diuitem hominem ipse Dei Filius intelligitur. Vnde ipse dicit in Psal. 49. *Meus est orbis terre & plenirundo eius.* Item ipse dicit Proverb. 8. *Mecum sunt diuitiae, & gloria, & opes superbae.* Ipse vero Dei Filius, licet summe diues esset in sinu Patris: venire tamen propter nos voluit in uterum Virginis, ibique se exinanuit formam servi accipiens, ibique se paupertati copulavit, quam tantum adamavit, quod nunquam eam repudiauit, sed stans in cruce inter dilecta paupertatis amplexus expirauit. Vnde 2. ad Corinth. 8. *Scitis gratiam Domini nostri Iesu, quoniam propter vos egenus factus est, cum esset diues; ut illius inopia vos diuites essetis.* Ibi dicit Glossa: *Per illius paupertatem abieccimus pannos iniquitatis, ut indueremur stola immortalitatis.* Nemo autem se contennat: *pauper in cella, diues in conscientia, securior dormit in terra, quam cum auro diues in purpura.*

De secundo nota, quod per villicum quilibet homo intelligitur. Dicit enim Glossa, quod villicus in loco isto, idem est quod dispensator, qui vniuersam substantiam domus dispensat. Nemo itaque est, qui non aliquam gratiam recepit à Domino ad dispensandum. Vnde monet nos 1. Pet. 4. *Vnusquisque sicut accepit gratiam, in alterum illam administrantes, sicut boni dispensatores multiformis gratie Dei.*

De tertio nota, quod tunc homo vocatur ad reddendam rationem de villicatione sibi commissa, quando videlicet ei metus aeterna damnationis incutitur. Vnde Glossa *Vocas quando metum aeternam incutit damnationis.* Metus igitur siue timor aeternæ damnationis est seruus Domini, qui annuntiat nobis ex parte iudicis omnium seculorum, quod rationem simus de nostra villicatione redditur.

Sed multi contra istas vocaciones obturant aures suas, ne audiant vocem eius: more quippe aspidis unam aurem terram, & alteram caudam sua obturant. 1. Illi aurem cordis obturant terra, qui in terrenis delectationibus, vt pote in cantilenis ad Venerem concitatiuis, & tympanis, & citharis, & melodiis, & his similibus delectantur, ut illius tubæ terribilis quæ mortuos ad iudicium euocat, obliuiscantur. 2. Illi vero aurem caudam obturant, qui falso proposito sibi metiis promittunt, quod in fine vita sue peccata sua deserent & emendabunt. Contra tales dicit Eccl. 29. *Repromissio nequissima multos perdit.* Repromissio nequissima est, quod homo promittit sibi 20. vel 60. vel plures annos ad viuendum, qui incertus est, utrum vel annum unum, vel unam hebdodomadam, vel etiam diem integrum sit victurus. Et certe pet talem re-promissionem multi sunt perdit, quia de longiore vita spem habentes ex hac luce sine penitentia sunt subtracti.

De quarto nota, quod rationem reddemus de omni villicatione nostra, videlicet de his, quæ intra nos sunt, & infra nos sunt, & supra nos sunt, & de his quæ circa nos sunt.

Primo itaque rationem reddemus de his, quæ intra nos sunt, videlicet de ipsa anima nostra, & tribus viribus eius. Requirit enim à nobis Dominus animas mundas, vt pote in lauacro sui sanguinis emundatas. Vnde quilibet debet esse sollicitus de anima sua, vt dicat cum Psal. 109. *Animam meam in manibus meis semper.* Quilibet enim animam mundam Domino representare tenet. 2. De tribus etiam viribus animæ nostræ Dominus nobis exigit rationem, videlicet, de vi rationabili, irascibili, & concupisciibili. Per vim rationabilem debemus inter bonum & malum discernere. Per vim irascibilem debemus malum à nobis abiicere. Per vim vero concupisciibilem debemus summum bonum concupiscere, ipsique dulciter inhætere. 3. Reddemus etiam rationem de scientia nobis à Deo per naturale ingenium infusa, vel per studium acquisita, si videlicet per eam & sana & bona consilia dederimus. 4. Similiter & de lingua facundia rationem reddemus, si videlicet propter Deum, & non propter numum, vel aliud temporale emolumentum iustum causam pauperum fuerimus ac viduarum. 5. Rationem quoque reddemus de fortitudine membrorum. Vnde dicitur in Psal. 58. *Fortitudinem meam ad te custodiam.* Hinc etiam dicit Paulus ad Rom. 6. *Sicut exhibuisti membra vestra seruire immunitate, iniquitati ad iniquitatem: ita nunc exhibe membra vestra seruire iustitiae in sanctificationem.*

Heu multi luxuriosi sunt & iniqui, qui incomparabiliter plus lassantur in seruitio diaboli, quam Iesu Christi; & tales miserabiliter in die iudicij clamitahunt, sicut dicitur Sap. 5. *Lassati;*

*Lassati sumus in via iniquitatis & perditionis, per ambulauimus vias difficiles, & in malignitate nostra consumpti sumus.*

Secundo rationem debemus reddere de his, quæ infra nos sunt, videlicet de terra & aqua, & de omni commodo & utilitate quam habemus ab eis. 1. A terra siquidem habemus aurum & argentum, æs & ferrum, stannum & plumbum, & cætera huiusmodi metalla. 2. A terra etiam habemus lapides pretiosos, herbas medicinales, flores & segetes, grana & pascua, & multa alia. 3. Ab aqua habemus lauacrum corporum & vestimentorum nostrorum, & pisces ac natatilia multi generis ad alimentum, & plura alia commoda.

Tertio rationem reddemus de his, quæ supranos sunt, videlicet de sole & luna, aëre & stellis, & de ipsa patientia Dei. 1. Ab aëre siquidem habemus rorem & pluias, quæ ad irrigationem fructuum terræ diffunduntur ex nubibus, quæ per aëra deferuntur. 2. Ab aëre etiam volatilia diuersi generis, quorum & esu confortamur, & concentu suavi delectamur. 3. Aërem ipsum ministerio pulmonis, qui est ventilabrum cordis, intra nos attrahimus, ne nimio calore cor consumatur & dissoluatur. 4. Sol etiam diem distinguit & illuminat, & fructus terræ fouet & maturat. 5. Luna quoque & stellæ noctem clarificant, & dirigunt viatores. 6. Rationem etiam reddemus de ipsa Dei patientia, per quam usque ad canos & senectam graues excessus sustinet peccatorum. Vnde ipse dicit in Isa. 46. *Visque ad senectam ego ipse, & usque ad canos ege portabo: ego feci, & ego feram.*

Quarto rationem reddemus de his, quæ circa nos sunt, videlicet 1. de omnibus bonis temporalibus qualiacunque sint illa, scilicet de domibus, de vestibus, de cibis & pecuniis. Obiciet enim nobis Dominus, quare eum in domos nostras non recepimus, quando hospes fuit & peregrinus. 2. Item, quare eum vestibus nostris non cooperuimus, quando nudus fuit & frigus sustinuit? 3. Item, quare eum cibis nostris non refecimus, quando famem patiebatur? 4. Item, quare cum pecuniis nostris non redemimus, quando in vinculis, & carcere tenebatur? 5. De tempore etiam rationem reddemus. Vnde dicitur in Thren. 1. *Vocavit aduersum me tempus.* Hinc etiam dicit Hieron. *O lignum aridum eternis incendiis aptum, quid responderis in die illa, quando omne tempus tibi impensum requiretur à te, qualiter sis expensum, usque ad momentum & oculi istum?* Modo forsitan aliquis inter seipsum dicere potest: Ego coram Deo rationem vitæ meæ non reddam, quia & procul effugiam, vel alicubi ubi non videbor, me abscondam. Cui sic respondebo. Frater effugere non poteris. Deus enim, qui te iudicabit, ut dicitur in Iob 11. *Cælo est celsior, & inferno profundior, & terra longior, ac mari latior.* Nunquam etiam poteris latitare: sicut enim dicitur in Iob 20. *Reuelabunt cali iniquitatem tuam, & terra aduersum te confurret.*

Quinto igitur notandum, quod districtus iudex per duo propitiabilis fit peccatori, videlicet per synceram misericordiam & per veram penitentiam. Vnde in hodierno Euang. mentione fit olei & tritici. Per oleum, quod lenifica-

tium est dolorum, intelligitur misericordia, quæ ex sinceritate cordis est pauperibus exhibenda. Hinc etiam Dominus dicit. Facite vobis amicos de mammona iniquitatis: ut cum defeceritis, recipient vos in æterna tabernacula. Per triticum vero, quod inter molares teritur, ut à paleis emundetur, accipitur vera penitentia, per quam homo inter duos molares, spei videlicet ac timoris terri debet, ut à peccatorum foribus exuatur. Igitur charissimi, quia in futuro fodere non valemus, & etiam tunc mendicare erubescimus.

Rogate ergo Dominum, ut ipsius gratiam nunc sic queramus, ut tunc de electorum suorum societate gaudeamus. Quod nobis praestare dignetur idem Iesus, &c.



## IN DOMINICA X.

post Trinitatem

### SERMO LXIV.

*Videns Iesus ciuitatem Ierusalem, fleuit super illam, dicens: Quia si cognouisses ē tu. Luc. 19.*

I cognouisses, Glossa, ruinam, quæ imminet; & tu, Glossa, fieres.

In verbis præmissis duo sunt notanda.

- I. *Quid per ciuitatem Ierusalem, super quam Dominus fleuit, intelligatur?*
- II. *Quare Dominus super illam fleuisse dicatur?*



E primo nota, quod per ciuitatem Ierusalem in hoc loco mundus intelligitur, tum propter nominis interpretationem, tum etiam propter malam ciuitatis ipsius actionem. Ierusalem quippe pacis visio interpretatur, & certe mundus iste videt falsam pacem: sed tamen non erit ei pax. Dicunt enim amatores huius mundi: *Quicquid fecerimus, non dannabit nos Dominus: non enim passus esset pro nobis, si nos perdere voluisset.* Ecce pacem promittunt iniquitatibus suis, cum tamen dicat Isa. 48. *Non est pax impiis, dicit Dominus.* Cum etiam dicat Psal. 58. *Non miserearis omnibus, qui operantur finaliter iniquitatem.* Hinc & Dominus loquitur per Ierem. 23. *Nolite audire verba Prophatarum qui decipiunt vos. Dicunt his, qui blasphemant me: Locutus est Dominus, Pax erit vobis: & omni qui ambulat in prauitate cordis sui, dixerunt: Non veniet super nos malum.*

Vocatur etiam mundus iste Ierusalem, propter ipsius ciuitatis malam actionem. *Occidit enim*

enim Prophetas Domini , & lapidauit eos qui ad se missi erant : sicut improperat ei Deus Matth. 23. Ierusalem Ierusalem , quæ occidis Prophetas , & lapidas eos qui ad te missi sunt . Sic & mundus iste occidit gladiis odiorum , & lapidat lapidibus detractionum , Prophetas , id est , prædicatores Domini , qui missi sunt ad correctionem illius ; imo & ipsum Dominum Prophetarum , id est , Iesum Christum quotidie blasphemis & malis operibus crucifigit : sicut testatur Paulus ad Hebr. 6. Rursus crucifigentes fibimeti p̄fis Filium Dei , & ostentui habentes .

De secundo nota , quod ideo Dominus fleuit super Ierusalem , id est , super mundum istum , ut & nos doceret flere super ipsum . Omnis enim Christi actio nostra debet esse imitatio . Nota igitur septem causas , quare quilibet in ciuitate existens merito flere debet . Prima est malitia principum : secunda est discordia ciuium : terria est penuria vietualium : quarta , debilitas murorum ac turrium : quinta , multitudo fortiter impugnantium : sexta , paucitas defendantium : septima , destruictio ciuitatis & incendium .

Et certe propter easdem causas flere debemus , ô homo , qui es in hoc mundo . Prima itaque causa fletus est malitia principum huius mundi , de quibus Dominus dicit Isa. 1. Principes tui infideles , soci furum : omnes diligunt munera , sequuntur retributiones . Pupillo non indicant : & causa vidua non ingreditur ad eos . Hæc pene de omnibus principibus & iudicibus dici possunt hodie huius mundi . Sunt etiam quasi leones rugientes & vrsi esurientes . Vnde Proverb. 28. Leo rugiens & ursus esuriens , princeps impius super populum pauperem . Et nota , quod non solum in se mali sunt principes huius mundi , sed habent etiam impios ministros . Vnde dicitur Proverb. 29. Princeps qui libenter audit verba mendacij , omnes ministros habet impios .

Secunda causa fletus est discordia ciuium , id est , proximorum . Vnde dicit Mich. 7. Periit sanctus de terra & rectus in hominibus non est . Omnes in sanguine insidianter , vir fratrem suum venatur ad mortem , malum manuum suarum dicunt bonum . Sequitur ibidem : Nolite credere amico , & nolite confidere in duce , id est , in eo , qui dicit se esse fidelissimum , sicut duces & ductores de iure deberent esse . Sequitur : Ab ea quæ dormit in sinu tuo , id est , ad vxore tua , custodi claustra oris tui : quia filius contumeliam facit patri , filia consurgit aduersus matrem suam , nurus contra sororem suam , inimici hominis domestici eius , id est , illi , qui quotidie comedunt panem suum . Ecce quam aperte describit Propheta infidelitatem hominum .

Tertia causa fletus est penuria vietualium . Vnde dicitur in Thren. 1. Omnis populus eius gemens , & querens panem : dederunt pretiosa queque pro cibo ad refocillandum animam . Hæc verba sic intellige , quod homines huius seculi , quia non habent panem internæ iucunditatis , querunt panem extrinsecæ voluptatis . Et certe pro hac misera voluptate vendunt pretiosas animas , & tamen voluptate satiari non possunt . Vnde iterum dicitur in Thren. 4. Qui vescebantur voluptuose , interierunt in viis : qui nutriebantur in croceis , id est , cibis croco paratis , amplexati sunt stercora . Quandoque Christiani generaliter ter-

& saepius communicauerunt in anno ; sed quia modo amplexantur stercora voluptatum , indigni sunt etiam semel in anno accedere ad mensam Iesu Christi .


Quarta causa fletus est debilitas turrium & murorum . Per turres & muros huius seculi intelliguntur sapientia & fortitudo & diuitiae , in quibus homines gloriantur & confidunt . Vnde dicit Ierem. 9. hæc dicit Dominus : Non glorietur sapiens in sapientia sua , & non glorietur fortis in fortitudine sua , & non glorietur dives in divitias suis . Hæc enim cito destruicta sunt , quando Dominus voluerit , sicut patet in pluribus Regibus & Imperatoribus , qui olim gloriabantur in prædictis ; vnde dicitur 1. Mach. 2. Gloria viri peccatoris stercus est & vermis ; hodie extollitur , & cras non inuenietur ; quia conuersus est in terram suam , & cogitatio eius periit .

Quinta causa fletus est multitudo impugnantium . Vnde dicitur 4. Reg. 25. Venit Nabuchodonosor rex Babylonis , & omnis exercitus eius in Ierusalem : & circundederunt eam , & extraxerunt in circuitu eius munitiones , & clausa est ciuitas atque vallata . 1. Nabuchodonosor , quod interpretatur sedens in angustia , significat diabolum , qui sedet in infidiis , vt decipiatur homines improuisos . 2. Iste cum omni exercitu vitiorum circumdedit & vallauit mundum istum . 3. Habet autem septem exercitus vitiorum , quorum duces principales sunt : superbia , ira , inuidia , acedia , avaritia , gula , & luxuria . 4. Et certe vix est homo , qui vel effugere possit , vel resistere exercitibus istis , nisi Deum habeat adiutorem . 5. Iacet itaque multitudo dæmonum obsidens ciuitatem mundi , & expectans mortem vniuersitatisque . De hoc dicitur Thren. 2. Aperuerunt super te os suum omnes inimici tui : sibilauerunt & frenduerunt dentibus suis , & dixerunt : Deuoramus : en ista est dies , quam expectabamus . Ita dicent dæmones , quando rapient animam peccatoris .

Sexta causa fletus est paucitas ciuitatem defendantium . Vnde legitur 4. Reg. 25. quod cum obessa esset ciuitas Ierusalem , omnes viri bellatores nocte fugerunt per viana porta , que est inter duplice murum ad hortum regis . Viri bellatores debent esse clerici , monachi , & alij viri religiosi , qui penes omnes fugiunt ; quia pauci ex eis sunt : qui fideliter peruvigilant in excubis Ecclesiæ , & mundum suis orationibus tueantur . Somnus enim avaritiae , & corporales deliciæ , quamplures illorum debilitauit , ne diabolo queant resistere .

Septima causa fletus destruictio est omnimoda ciuitatis ac incendium . Vnde legitur Ierem. 39. Venit Nabuzardan princeps militiae , & incendit domum Domini & domum regis , & omnes domos Ierusalem , & omnem domum magnam igne combussit . Nabuzardan interpretatur prophetia aliena iudicij , & signat iram Dei , quæ prænuntiat nobis quotidie futurum iudicium ; hunc mundum & omnes amatores comburet igne inextinguibili , & destruet omnia quæ desiderantur in hoc mundo . Transibit quippe mundus & omnis concupiscentia eius .

Rogate ergo Dominum , vt sic mundum istum immundum , & si corpore fugere non possumus , saltem anima fugiamus , sicut cum Iesu modo fleamus , vt postea in electorum societate rideamus . Quod nobis præstare , &c.



IN DOMINICA XI.  
post Trinitatem

## SERMO LXV.

*Publicanus à longe stans nol-  
bat oculos ad cælum leuare,  
sed percutiebat pectus suum,  
dicens : Deus propitius esto.  
Luc.18.*



Ota, quod Publicanus iste fi-  
guram gerit veri pœnitentis.  
Cum autem nos omnes pec-  
cauerimus, & pœnitere nos  
oporteat, sex nobis necessaria  
sunt ad veram pœnitentiam,  
quæ ex istius Publicani factis  
cognoscuntur & verbis.

- I. Consideratio diuinæ seueritatis.
- II. Inspectio propriæ fragilitatis.
- III. Dolor admissæ iniquitatis.
- IV. Synceritas confessionis.
- V. Strenuitas satisfactionis.
- VI. Supplicia orationis.

I. Necessaria est nobis consideratio diuinæ seueritatis, quæ innuitur ibi, ubi dicitur : *Publi-  
canus à longe stans.* Serui enim qui delinquunt,  
seueritatem Dominorum suorum considerantes,  
non audent appropinquare, sed à longe stant  
propter metum : & nobis ita utile est, vt seue-  
ritatem districti iudicis attendamus, & sic pro-  
pter timorem eius peccare desistamus. *Timor quippe  
Domini expellit peccatum,* sicut dicitur Eccl. 1.  
Seueritatem istius iudicis considerauerat Iob,  
qui dicit 9. cap. *Deus, cuius ire nemo resistere pos-  
test, quantus sum ego, vt respondeam ei, & loquar  
verbis meis cum eo ? qui etiam si habuerim quip-  
piam iustum non respondebo, sed meum iudicem  
deprecabor.* Si enim fortitudo queritur, robustissi-  
mus est ; si equitas iudicij, nemo audet pro me testi-  
monium reddere. Si iustificare me voluero, os  
meum condemnabit me : si innocentem me voluero  
ostendere, prauum me comprobabit.

II Necessaria est nobis inspectio propriæ  
fragilitatis, quæ notatur ibi, *Nolebat oculos ad  
celum leuare.* Terram & seipsum ex terra as-  
sumptum aspiciebat. Ita & nos propriam fragili-  
tatem humiliter debemus inspicere, ne peccata  
audeamus perpetrare, & tam districtum iudicem  
ad iracundiam prouocare. Quomodo audet ille  
peccare, qui omni incertitudine incertior est,  
vtrum cras sit victurus, & qui nunc forsitan sen-  
tentiam æternæ damnationis est auditurus? Pro-  
priæ fragilitatis nos admonet Dominus ita lo-  
quens Genes. 3. *In sudore vultus tui visceris pane  
tuo, donec reuertaris in terram, de qua sumpsus es.*  
*Quia puluis es, & in puluerem reuenteris.* Sudor

vultus nostri sunt lacrymæ nostræ, & hæc etiam  
nobis debent esse panes die ac nocte, sicut dicitur  
in Psal. 41. vt videlicet, misereatur nostri, qui  
de puluere nos creauit: puluis enim sumus, & in  
puluerem reuertemur. De fragilitate etiam  
conditionis nostra August. in libr. de verbis  
Domini: *Quid fragilis vase vitreo, & tamen  
fernatur & durat per secula ? Nos ergo fragiliores  
& infirmiores sumus, qui inter causas ambulamus,  
& si vitrei essemus, minus casus timeremus.* Cau-  
cas appellat Augustinus quilibet infirmitates,  
quaæ nobis minantur corporis & animæ separa-  
tionem.

III. Necessarius est nobis dolor admissæ  
iniquitatis, qui notatur ibi, ubi dicitur : *Percutie-  
bat pectus suum.* Dolor enim suscitatur ex ve-  
hementi pectoris tensione. Dolere itaque debe-  
mus contritionis dolore, propter peccata nostra,  
sicut dolet parturiens in angustiis parturitionis;  
vnde dicit Mich. 4. ad animam pœnitentem:  
*Dole & satage filia Sion, quasi parturiens.* Et vere  
necessarium est nobis, vt sic doleamus, quatenus  
à monstruoso partu peccatorum quem à diabolo  
concepimus, & qui lacerat & dissecat interiora  
animæ nostræ, quantocius liberemus. Dolere  
etiam debet peccator, quia peccatis suis Deum  
offendit, quemadmodum mater dolere consue-  
uit in morte vnigeniti & dilecti filij sui; vnde  
dicit Dominus Zach. 12. *Afficiant ad me, quem  
confixerunt, scilicet criminibus & peccatis, &  
plangent planctu quasi super vnigenitum; & dole-  
bunt, vt dolore solent in morte primogeniti.*

IV. Necessaria est nobis synceritas confessio-  
nis, quæ etiam innuitur ibi, ubi dicitur: *Percutie-  
bat pectus suum.* Quando enim pectus percutitur,  
quidam sonus elicetur exinde. Monet ergo nos Spi-  
ritus sanctus in Eccl. 17. vt peccata nostra tem-  
pestive confiteamur. *Ante mortem, inquit, con-  
fitere. A mortuo enim quasi nihil sit, perit confessio.*  
*Confiteberis viuens: viuus & sanus confiteberis.* No-  
ta, quod monet nos, vt ante mortem confitea-  
mur, & fani. Multi quippe per hoc decipiuntur,  
quod differunt pœnitentiam suam ad horam  
mortis; vnde dicit August. in quodam serm. de  
pœnit. *Agens pœnitentiam & reconciliatus, dum  
sanus es, & postea viuens securus hinc exit: de sera  
pœnitentia, que raro vera, ego non sum securus: nun  
quid dico. Damnabitur, non dico, sed non dico etiam,  
Liberabitur. Vis quod incertum est euadere: Age  
pœnitentiam, dum sanus es: si sic agis securus es.*  
*Quare securus es, quia egisti pœnitentiam eo tempo-  
re, quo potuisti peccare. Si autem tunc vis age-  
re pœnitentiam, quando iam nequis peccare, pec-  
cata te dimiserunt, non tu illa.* Nota etiam quod  
dicitur Eccl. supra, Confitere, confiteberis. Tria  
quippe genera sunt peccatorum confitenda, vi-  
delicet peccata cogitationum, locutionum, &  
operationum. Quod etiam peccata integraliter  
sunt confitenda, per hoc ostenditur quod dicitur,  
Confitere. Quod etiam simul facere debes, ne  
videlicet honesta peccata confitearis, & inhono-  
sta reticeas; ne etiam confessionem tuam in  
plures sacerdotes diuidas, vt scilicet vni partem,  
& tertio, & quarto, & quinto, & sexto partem  
confitearis.

V. Nobis necessaria est strenuitas satisfactio-  
nis, quæ notatur ibi, ubi dicitur: *Percutiebat  
pectus suum.* Pectus enim percutere non poterat,  
nisi

nisi manum mouisset. Manibus autem operamur. Vnde per motum manus satisfactio designatur, quæ maxime in duobus consistit, vide-licet in corporis afflictione, & eleemosynarum largitione. Corporis afflictio consistit in ieiunio, fletu, & ciliciis, in disciplinis, in genuflexionibus, & peregrinationibus, & huiuscmodi corporalibus exercitiis. De ista afflictione dicit Dominus in Leuit. 23. *Affligetis animas vestras in die expiationis, quia dies propitiationis est. Omnis anima qua afflita non fuerit in die hoc, peribit de populis suis.* Dies expiationis est tempus huius vitæ ad pœnitentiam nobis concessum. Qui se in die isto non afflixerit per pœnitentiam, peribit à numero electorum. Siquis enim impœnitens discesserit, non inueniet gratiam coram oculis Domini. Post hanc quippe vitam non est tempus miserendi, sed potius crimina puniendi. Ad satisfactionem etiam requiritur eleemosynarum largitio. De hac dixit Dan. 4. ad Nabuchodonosor regem, qui multas iniquitates commis-erat. *Consilium meum rex placeat tibi, & peccata tua eleemosynis redime, & iniquitates tuas misericordiis pauperum: forsitan Deus ignoscet delictis tuis.*

VI. Requiritur ad veram pœnitentiam suppli-  
citas orationis, quæ manifeste demonstratur ibi  
vbi Publicanus non alienum peccatum per detrac-  
tionem, sed sui per proprij reatus cognitionem  
percutiens dicebat ad Dominum: *Deus propitius es-  
to mihi peccatori.* Et nota, quod ad orationem,  
vt digna sit exaudiri à Domino, quatuor requi-  
runtur. Primum, quod per fidem orans in  
Deum moueat: secundum est, quod per spem  
de Dei misericordia non diffidatur: tertium est,  
quod per charitatem salutem animæ in oratione  
quæratur: quartum est, quod ab orante humili-  
tas habeatur. Superbia quippe nihil impetrare  
potest à Domino.

Et certe hæc quatuor inueniuntur in oratio-  
ne Publicani. 1. Per fidem namque moue-  
batur in Deum; vnde dixit, *Deus.* 2. Spem  
quoque habuit vt exaudiretur. Si enim de mis-  
ericordia Dei desperasset, propitiationem eius  
non implorasset. Dixit autem: *Deus propitius es-  
to mihi peccatori.* 3. Per charitatem etiam  
animæ salutem quæsivit; vnde dixit: *Deus propi-  
tius.* 4. Quod nihilominus humilitatem ha-  
buerit, per hoc patet, quod se peccatorem ap-  
pellat dicens: *Deus propitius es-  
to mihi peccatori.* Hæc autem & nos charissimi in orationibus  
nostris habere debemus, videlicet fidem, spem,  
charitatem, & humilitatem. Rogate ergo Do-  
minum, vt sic nunc per veram pœnitentiam re-  
missionem nostrorum criminum obtineamus,

vt tandem exultantes coram Christo in  
Angelorum consortiis appareamus.

Quod nobis, &c.

\*\*

D. Alberi Magni Serm.

IN DOMINICA XII.  
post Trinitatem

S E R M O L X VI.

*Apprehendens Iesus surdum,*  
*& mutum de turba seorsum,*  
*misit digitos suos in auriculas*  
*eius: & expuens, tetigit lin-*  
*guam eius: & suspiciens in*  
*cælum, ingemuit. Marci 7.*

Duo sunt hic principaliter notanda.

- I. *Quid per surdum & mutum figure-  
tur?*
- II. *Qualiter iste surdas & mutus à  
Domino curetur?*



E primo nota, quod per sur-  
dum & mutum quilibet pec-  
cator figuratur. Vnde dicitur  
in Psal. in persona peccatoris,  
in 3. pœnitentiali, Psal. 47.  
*Ego tanquam surdus non audi-  
bam, & sicut mutus non aperiens os sum.* Peccator  
igitur, quandiu in peccatis est, surdus est: quia  
non audit cum effectu clamorem vocationis di-  
uinæ, qua nos vocat ad pœnitentiam. Vnde con-  
queritur Dominus in Psal. 68. quod clamor eius  
non audiatur. Ait enim: *Laboravi clamans, rauca  
facta sunt fauces mee.* Et nota, quod ipse sanguis  
Iesu clamat nos ad pœnitentiam; vnde  
dicit Dominus in Iob 16. *Terra ne operiat san-  
guinem meum, neque inueniat locum in te latendi  
clamor meus.* Tunc terra, id est, homo terrenus  
sanguinem Domini operit, & tunc clamor Do-  
mini locum latendi in eo inuenit, quando vide-  
licet miser peccator peccatorum delectationibus  
occupatus non curat reminisci passionis diuinæ,  
quæ clamat ad peccatorem, vt ad Dominum re-  
uertatur.

Quod sanguis Iesu Christi clamet, testatur  
etiam Apostolus ad Hebr. 3., *Accessus ad san-  
guinis aspercionem melius loquentem, quam Abel.*  
Nota, quod sanguis Abel postulauit vindictam.  
Vnde Dominus dixit ad Cain Gen. 4. *Quid fe-  
cisti? vox sanguinis fratris tui clamat ad me de terra.*  
Nunc igitur maledictus eris. Sanguis Iesu vero  
postulat pro nobis Dei misericordiam: si tamen  
ipso sanguine dure velimus redire ad gratiam.  
Væ autem illi, qui clamorem recentis crucis  
Iesu exaudire noluerit. Vere & ipse clamabit, &  
non exaudiatur; vnde dicitur Prover. 21. *Qui  
obtulerat aurem suam ad clamorem pauperis, videli-  
cet Iesu crucifixi: & ipse clamabit, & non exau-  
dietur.* Hinc etiam dicit Iob 27. *Nanquid clamo-  
rem eius exaudiens Deus, cum venerit super illum  
angustia?*

Mutus est etiam peccator, quia non inuocat  
Deum cum effectu, quandiu delectatur in  
peccatis.

K

Peccatis. Os enim habent multi peccatores, & tamen raro loquuntur bonum sed malum, quandoque fastidunt eos, qui bona loquuntur. Monet autem nos Apost. ad Ephes. 4. ne mala loquuntur, ita dicens : *Omnis sermo malus ex ore vestro non procelat; sed quis bonus est ad edificationem fidei, ut det gratiam audientibus.* Et nota, quod illi, qui raro vel nunquam bona loquuntur, quodammodo peiores sunt, quam ipsi demones, qui saepe Iesum Christum sunt confessi; unde dicit Marc. 3. *Spiritus immundi cum videbant Iesum, procidebant ei, & clamabant dicentes : Tu es filius Dei.* dicit etiam Luc. 4. *Exibant demonia à multis clamantia & dicentia, Quia tu es Filius Dei.*

De secundo nota, quod Dominus surdum & mutum curaturus quatuor fecit. Primo eum de turba seorsum eduxit. Secundo, digitos suos in auriculas eius misit. Tertio, expuens linguam eius tetigit. Quarto, suspiciens in cælum ingemuit.

Primo igitur necessarium est peccatori, vt manu diuina à turba seorsum educatur. Tunc homo per Iesum à turba seorsum educitur, cum illa fugit & respuit, quæ amatores mundi frequentare consueuerunt, vt pote choreas & tabernas, theatrorum spectacula, & fœminarum cubilia, & alias insanias falsas, & transitorias seculi voluptates. Propter hoc dicit Dominus Oœa 2. de anima pœnitente. *Ducam eam, inquit, in solitudinem, & ibi loquar ad cor eius.* Solitudo, in quam Dominus pœnitentem ducit, est propria conscientia, quam debet homo intrare per sui ipsius discussionem, & sui criminis dolorosam recognitionem: & tunc loquitur ad cor eius locutiones pacis, & non afflictionis. *Si enim homo peccata sua per pœnitentiam agnoscat, Deus ei ignoscit,* vt dicit Augustinus.

II. Necessarium est peccatori, vt digitii Dei in aures mittantur. Per digitos, qui per articulos distinguuntur, quid aliud intelligitur, nisi discreta sententia Dei, quam in extremo iudicio profert contra omnes operarios iniquitatis, per quam etiam vnuisque recipiet, prout in corpore gessit, siue bonum fuit, siue malum? Et sicut digitii manus non eiusdem sunt fortitudinis aut quantitatis; ita & sententia Domini non erit omnibus æque grauis, sed vnuisque secundum merita peccatorum suorum crudeliorum sententiam audiet aut minorem. Neceſſe igitur habes & peccator, vt Dominus hos digitos suos in aures tui cordis immitat, vt videlicet quasi ian suo tribunali assistas, contra te æternæ damnationis sententiam proferendam pertimescas, & sic quandiu tempus est miserendi, pedibus suæ misericordiae prouolutus, peccata tua per veram contritionem tibi remitti depositas.

De prædictis digitis Dominus Cant. 5. *Manus meæ distillauerunt myrrham, & digitii mei pleni myrrha probatissima.* Nota, quod Dominus habet duas manus, videlicet manum misericordiae, & manum iustitiae. Per primam peccatores ad pœnitentiam vocat, per secundam venire nolentes perpetuò castigat. 1. Manus itaque misericordiae distillat myrrham, quia ostendit nobis amaritudines passionis, quas pro nobis Dominus passus est in cruce. 2. Manus etiam iustitiae distillat myrrham, & digitii manus huius

pleni sunt myrrha probatissima, id est, amarissima; quia sententia iudicialis peccatoribus converti negligentibus, verba proferet acerbissima, & tormenta inferet amarissima.

III. Necessarium est peccatori, vt sputo Iesu lingua eius tangatur. Nota, quod in lingua est neriū, qui vocatur opticus, qui discernit inter amarum & dulce, & inter amarum & amariū, & inter dulce & dulcius. Nota etiam quod id, quod expuit, quandam vilitatem significat. Sputum itaque, quod expuit Iesus, vilitatem damnationis æternæ designat.


Neceſſe igitur nobis est, vt incomparabilem illam vilitatem, in quam carent miseri peccatores, modo lingua mentis nostræ prægustumus, vt eo feruentius ad dignitatem electorum capescendam laboremus. Miséri quippe peccatores incomparabiliter viliores erunt, quam bufones. De vilitate eorum dicitur Eccl. 19. *Qui se iungit fornicariis, erit nequam: putredo & vermes hereditabunt illum.* Qui itaque dulci relicto Deo, fornicatur cum concupiscentiis huius mundi, quasi cadaver putridum vermis immortalibus corrodendus perpetuo subiacet. Item de quolibet damnato dicitur Iœl. 2. *Ascendet fœtor eius, & ascendet putredo eius, quia superbe egit: audens videlicet altissimum ad iracundiam concitare.* Item dicitur Mich. 2. *Propter immunditiam eius corrumpetur putredine pessima.* Item Dominus ad animas dammarum Amos 4. *Ascendere feci putredinem castrorum vestrorum in nares vestras.* Castra animarum sunt corpora: in ipsis enim militant vel Deo vel diabolo, & certe putredo & fœtor corporum ipsorum semper ascendet in nares animarum ipsorum.

IV. Necessarium est nobis, vt ad imitationem Iesu in cælum suspicentes ingemiscamus. Ille enim in cælum suspicit, qui diuinam patientiam & longanimitatem deuotus attendit, & super hoc Deo grates agit. Ille autem ingemiscit, qui magnitudinem & diurnitatem scelerum suorum considerans super his vera cordis contritione gemit & dolet. Et sic hinc ex Dei gratia contingit, quod alii eius aperiuntur, & lingua referuntur, vt recte loquatur. Libenter enim talis deinceps mandata Dei audit & implet; libenter etiam de cætero per veram confessionem cor suum à peccatorum maculis abluit, & Deo iugiter gratias agit.

Rogate ergo chariflmi Dominum, vt sic nos ab omni peccato, quod nos vel surdos vel inutros efficiat, curare dignetur, vt Angelorum audire concentus & electorum cantum concinere mereamur.

Quod nobis, &c.

\*\*



IN DOMINICA XIII.

post Trinitatem

S E R M O L X V I I .

*Homo quidam descendebat ab Ierusalem in Iericho, qui incidit in latrones, qui despoliauerunt eum: & plagiis impositis abierunt semiuiuo relicto. Luc. 10.*

In praesenti Euangelio quatuor principaliter sunt notanda.

I. Quid per hominem illum qui ab Ierusalens descendit, intelligatur?

II. Quid per Ierusalem & Iericho, à quo, in quam descendit, exprimatur?

III. Quid per latrones in quos incidit, significetur?

VI. Quid per Samaritanum qui circa eum motus est misericordia, figuratur?



E primo nota, quod per hominem istum quilibet homo Christi sanguine redemptus intelligitur, ac baptismo lauacro regeneratus. Ad hoc enim Dominus nos suo redemit cruore, & propter hoc in aqua baptismi regenerati sumus, vt efficiamur conciues Sanctorum, & domestici Dei in illa sancta ciuitate Ierusalem, quæ supranos est, videlicet in Ecclesia triumphante; unde dicit Apostolus ad Eph. 2. & loquitur de quibuslibet Christianis, qui iam spe in cælesti Ierusalem commotantur: *Iam non es sis hospites & aduenies; sed es sis ciues Sanctorum, & domestici Dei, &c.*

De secundo nota, quod per Ierusalem patria cælestis exprimitur, quæ ad similitudinem ciuitatis, ex viuis & electis lapidibus construitur in cælis, de qua dicitur in Psal. 121. *Stantes erant pedes nostri in atriis tuis Ierusalem. Ierusalem quæ adificatur ut cinctas.* Igitur in superna Ierusalem, id est, in regno Dei, vbi est vera pacis visio, pedes affectuum nostrorum & desideriorum iugiter stare deberent, & modo deberemus in ea habitare per spem, vt postea ad eam pertingere mereremur per rem.

Sed heu multi ab ista Ierusalem descendant in Iericho, id est, delectantur in transitoria voluptate præsentis seculi. Iericho quippe luna interpretatur, & certe luna defectum patitur, & maculam habet. Vnde per Iericho mundus iste si-

D. Alberti Magni Serm.

guratur, qui licet se stabilem esse mentiatur, & clarum; verissime tamen instabilis est, & maculis plenus. Vnde qui mundo innititur, necesse est, vt labatur & maculetur. Qui enim labenti & polluenti innititur: ineuitabile est, quin cum labente labatur, & polluente polluatur.

De tertio nota, quod per latrones, in quos homo ab Ierusalem descendens incidit, dæmones significantur. Ipsi quippe iacent in insidiis, in via ierichontina, vt interficiant animas Christianorum; vnde legitur in 4. Reg. 25. quod exercitus Chaldæorum Sedechiam Regem Ierusalem comprehendit in planicie Iericho, cuius filios Rex Babylonis occidit: & oculos eius effudit, vinxitque eum in catenis, & duxit in Babylonem. Sedechias interpretatur iustitia Domini, & certe quilibet Christianus ad hoc vocatus est, vt fiat Rex in Ierusalem; & cum homo de sancta Ierusalem vadit in voluptates huius mundi, comprehendit eum exercitus Chaldæorum, id est, turba dæmonum, & sic filii eius, id est, bona opera eius, quæ fecerat occiduntur, & oculi animæ suæ per Dei obliuionem eruuntur: & postremo multis peccatorum catenis vincitus ducitur in Babylonem, id est, in confusione gehennæ sempiternæ. Babylon quippe confusio interpretatur. Quod autem dæmones sint latrones, testatur Job 19. qui ita dicit in persona peccatoris: *Simul venerunt latrones eius, & fecerunt sibi viam per me, & obsederunt in gyro tabernaculum meum.*

Et nota, quod isti latrones tria mala faciunt. Primo enim spoliant hominem nobilibus virtutum indumentis, de quibus dicitur in Psal. 44. *Astitit regina à dextris tuis in vestitu deaurato, circumdata varietate.* Vestitus deauratus, in quo regina, id est, anima, assistit à dextris æterni Regis, est nobilis charitas, quæ splendidam reddit animam, etiam aliarum virtutum varietate circumdatam, vtpote castitatis, humilitatis, mansuetudinis, pietatis, æquitatis, & veritatis: & sic de aliis virtutibus.

Secundo dæmones homines vulnerant criminibus & peccatis. Peccata namque plague & vulnera sunt animæ, de quibus Job c. 16. loquitur in persona peccatoris: *Circundedit me lanceis suis conuulnerauit lumbos meos, & non pepercit, & effudit in terra viscera mea. Confidit me vulnere super vulnus,* hoc dicit de diabolo.

Et nota, quod dæmones per superbiam & iætantiam capiti lethale vulnus infligunt. In capite enim est principalis ostentatio superbie, sicut dicit Greg. Per auaritiam vero brachia mortali plaga vulnerant & transfigunt. Auarorum quippe manus & brachia ad accipiendum sunt porrecta. Per iram vero pectus & cor transfigunt, quia iracundi semper habent cor & pectus turbulentum. Porro per inuidiam ipsas medullas ossium vulnerant & disturbant. Putredo enim ossium est inuidia, sicut dicitur in Pro. 13. Per gulam vero venter & viscera mortaliter vulnerantur. Gulosi quippe ad hoc inhiant solum, vt ventrem & viscera cibis & potibus repleant. Per luxuriam lumbi & femora mortali vulnere transfiguntur. Luxuriosi namque ad hoc summo studio laborant, vt expleant libidinem femorum & lumborum. Postremo coxae & tibiae per acediam vulnerantur.

K 2 Acediosi

Acediosi quippe pigri sunt, & segnes coxas & tibi as mouere ad obsequium Dei.

Tertio dæmones vulneribus tam diuersimode infictis abeunt, peccatore semiuiuo relicto Per hoc, quod dæmones abeunt, intelligitur, quod dant peccatori spem & præsumptionem longioris vitæ. Multi siquidem peccatores per quandam anima frenesim non sentientes dolorem vulnerum suorum delectantur in peccatis suis: quasi somniantes sibi longam vitam, non timent æterna supplicia, quæ à dæmonibus inferentur.

Quod autem legitur, quod reliquerunt hominem, quem vulnerauerant, semiuiuum: hoc significat, quod miser homo postquam se dæmonibus subiecit per consensum & peccati actum, statim anima eius morte spirituali trucidatur, & nihil in eo viuum relinquitur nisi corpus tantum. Homo quippe ex anima constat & corpore. Animâ vero per peccata mortificatâ, corpori tantum secundum animalitatem vita relinquitur.

De quarto nota, quod per Samaritanum Dei Filius figuratur. Samaritanus quippe custos interpretatur. Et certe Dei Filius custodit filios gratiæ. Vnde dicitur in Psal. *Non dormitabit, neque dormiet qui custodit Israel.* Et vere necessarius est aduentus eius, ut visitet miserum peccatorem, & faeciat illa quæ fecit Samaritanus, de quo agitur in præsenti Euangelio.

Ipsé enim illi sauciato octo bona fecit. Primo quippe videns hominem vulneratum iacentem, misericordia motus est. Secundo appropinquauit. Tertio vulneribus sauciati vinum infudit. Quarto oleum effudit. Quinto plagas alligauit. Sexto iumento suo imposuit. Septimo in stabulum duxit, id est, in hospitium. Octavo curam eius agit.

Igitur & nos, quia peccatorum vulneribus sauciati sumus, rogare primo debemus Dei Filium creatorum nostrum, ut circa nos misericordia moueat: si enim ipse, qui nos creauit, auerterit misericordiam suam à nobis quis miferetur nostri? Secundo supplicare debemus, quatenus humanitatis sua recordatione per compassionem nobis appropinquare dignetur; propinquus enim noster factus est per humanitatis assumptionem.

Tertio rogandus est, ut vinum feruentissimæ contritionis vulneribus animarum nostrarum infundat. Sine vera quippe contritione saluari non possumus. Quarto supplicandum est ei, ut oleum interne consolationis vino contritionis effundat. Alias enim nunquam lati esse vere possumus, nisi ipse intrinsecus nos per Spiritum paracletum consoletur.

Quinto libenter sustinere debemus, ut alliget vulnera nostra ligaminibus præceptorum suorum, & deuota satisfactione. Heu pauci sunt, qui hodie diuinis præceptis plagas suas alligari permittant. Omnes, & maiores, & minores, id est, subditi, & prælati & pauperes, & diuites rumpunt vincula præceptorum, sicut dicit Dominus Ier. 5. Sexto indigemus, ut iumento suo nos imponat. Iumentum Domini est crux benedicta. Tunc autem iumento suo nos imponit, quando nos reminisci facit & imitari amaritudinem passionis suæ. Proh dolor multi refugiunt hocium ntum. Pauci enim sunt, qui diuinæ passionis amaritu-

dines intueantur, & qui Domino in suis doloribus compatiantur. Cum tamen dicat Apostolus: *Quod si non compatimur, & non conregnabimus.*

Septimo necessarium nobis est, ut nos in stabulum, id est, in hospitium suum ducat. Hospitium vero Domini est sancta Ecclesia. Tunc autem inducit nos in suum hospitium, quando nos participes facit omnium bonorum & laborum, quæ sunt in sancta Ecclesia, per deuotionem electorum; vnde dicit Psal. *Participem me fac Deus omnium timentium te, & custodientium mandata tua.* Octavo necesse est nobis, ut quotidie nostri curam agat. Tunc curam nostram agit, cum facit nos proficere de bono opere in aliud bonum opus, & cum nos transire facit de virtute in virtutem. Curam etiam circa nos per hoc ostendit, quod nos stabulariis, id est, Sacerdotibus Ecclesiæ committit, qui nobis Ecclesiæ Sacra menta ad salutem corporis & animæ fideliter administrent. Rogate ergo Dominum, ut sic nostram curam agat, quod omnes in die iudicij nos saluari contingat. *Quod nobis, &c.*



## IN DOMINICA XIV.

post Trinitatem

### S E R M O L X V I I I .

*Dum ingredieretur Iesus quoddam castellum, occurrerunt ei decem viri leprosi. Luc. 17.*

In præsenti Euangelio tria prima facie sunt notanda.

- I. *Quid per castellum quod Iesus ingreditur, designetur?*
- II. *Quid per decem leprosos exprimitur?*
- III. *Quid ad leprosorum munditiam requiratur?*

E primo nota, quod per castellum istud mundus intelligitur. De hoc castello dicit Matth. 21. quod *Dominus mittens duos Discipulos suos, ait illis: Ite in castellum quod contra vos est: & statim inuenietis asinam alligatam, & pullum cum ea: soluite, & adducite mihi.* Pet duos Discipulos Domini timor castus, & amor sanctus intelliguntur, qui asinam, & pullum, id est, seniorem peccatorem, & iuniorem soluunt à vinculis peccatorum, & adducunt in obsequium Iesu Christi. Si vis plura de isto castello, quære in serm. de assumptione S. Mariæ. *Intrauit Iesus in quoddam castellum.* Igitur in castellum istud, id est, in mundum olim ingressus est per nostræ carnis assumptionem, & adhuc ingredietur per finalem iudicij districtiōnem. Vnde & Angeli ad Discipulos dixerunt in Ascensione Domini, Act. 1. *Viri Galilai quid statis aspicientes in celum? hic Iesus qui assumptus est à vobis in celum, &c.*

De secundo nota , quod decein viri leprosi signant quemlibet peccatorem , qui transgreditur & violat decein præcepta Dei. Primus itaque leprosus est violator primi præcepti , quod dicit Exod. 10. *Non habebis deos alienos coram me , non adorabis eos , neque coles.* Quasi dicat. Non habebis deos alienos coram me in corde, id est, Non adorabis eos ore , neque coles opere. Hoc præceptum violent præcipue quinque genera hominum , videlicet , humanæ laudis audi , auari , gulosi , & luxuriosi , nec non & sortiariæ mulieres sortilegiis confidentes. Humanæ quippe laudis audi vanam gloriam , quam emunt à mimis & histrionibus , Deo præponunt. Auari numum & aliam rem temporalem plus diligunt , quam Deum. Gulosi ventri suo feruentius seruiunt , quam dulci Deo. Luxuriosi circa amorem mulieris fornicariæ plus æstuant , quam circa dilectionem Dei. Mulieres sortiariæ plus confidunt in sortilegiis suis , quam in his , quæ pertinent ad Dei cultum.

Secundus leprosus est , qui violat secundum præceptum , quod ait : *Non assumes nomen Dei tui in vanum : nec enim habebit eum infons tem Dominus , qui assumpserit nomen Dei sui frustra.* Hoc mandatum maxime violent mercatores & omnes , qui , ne dixerim , peierant , sed qui assidue sine causa iurant. Violatur etiam hoc præceptum à lusoribus , qui saepe Deum blasphemant.

Tertius leprosus est ille , qui sabbata , id est , solemnitates Domini non custodit. Vnde dicitur in tertio mandato : *Memento , ut diem sabbati sanctifices.* Violatores huius præcepti sunt chorizatores , & aliarum vanitatum sectatores. Ipsi enim dies celebres Deo , & Beatae Mariæ , & aliis Sanctis dedicatos non sanctificant , orationibus ac aliis bonis operibus insistendo , imo potius maculant & exonorant vanitates libidinosas exercendo.

Quartus leprosus est ille , qui parentes suos nec reueretur , nec amat , nec eis necessaria subministrat. Dicit enim quartum mandatum : *Honora patrem tuum , & matrem tuam , ut sis longeius super terram , quam Dominus tuus dabit tibi.* Hæc est terra viuentium , vbi regnat vita æterna.

Quintus leprosus est violator quinti præcepti , quod sic loquitur : *Non occides , id est , non occides corde , vt desideres vel optes alicui mortem.* Item , non occides ore , vel lingua , id est , non instigabis aliquem ad occidendum , nec detrahes proximo tuo , nec consilium aliquod dabis , per quod animæ noceatur. Item , non occides manu vel opere , nec permittes aliquem mori famæ.

Sextus leprosus , est sodomita , fornicator , & adulterer. Dicit enim sextum præceptum : *Non mæchaberis , id est , nullam turpititudinem vel immunditiam corde , ac ore , & opere , seu manibus exercebis , nec alicui mulieri iungaris , quæ non fuerit tibi per legitimum matrimonium copulata.*

Septimus leprosus est septimi præcepti contemptor , quod dicit : *Non furtum facies.* Hoc mandato & furtum , & rapina , & dolus , & calumnia , & omnis generis vñura prohibetur.

Octauus leprosus est , qui loquitur contra *D. Alberti Magni Serm.*

proximum falsum testimonium. Dicit enim octauum præceptum : *Non loqueris contra proximum tuum falsum testimonium.* Hoc præceptum violent , qui verbis suis vel vita , vel famæ , vel etiam rebus proximi nocent.

Nonus leprosus est noni præcepti transgressor , quod sic ait : *Non desiderabis vxorem proximi tui.* Hinc etiam luxuria mentalis prohibetur , ne videlicet aliquis credat , quod non sit peccatum deliciari cum luxuriosis cogitationibus in corde.

Decimus leprosus est , qui violent decimum præceptum , quod ait : *Non concupisces domum proximi tui , nec omnia que illius sunt.* Hoc mandatum non obseruat , qui per auaritiam intus exæstuans quamcumque rem proximi contra iustitiam concupiscit.

De tertio nota , quod ad hoc , vt huiusmodi leprosi curentur , quinque specialiter requiruntur. Primum est , vt Iesu castellum ingredienti occurrant. Ille Iesu occurrit , qui hoc firmiter credit , quod Iesus ad iudicium in mundum veniet , & quod in carne sua resurget , & coram Deo iudice stabit , vel vita æternæ , vel mortis perpetuæ sententiam auditurus. Secundum , vt viro Iesu stent à longe. Ille à longe stat , qui se humiliat , & Christum iudicem sperando formidat. In hoc enim notatur spes , quod steterunt. Timor autem in hoc innuitur , quod steterunt à longe , tanquam non audentes proprius accedere. Tertium est , quod vocem suam ad Deum leuent dicentes : *Iesu præceptor miserere nostri.* Ille ad Deum vocem leuat , qui per pœnitentiam , & iustitiam ad Deum clamat. Misericordia quippe & iustitia sunt alæ orationis , quibus leuat ad Deum. Misericordia sua pauperibus tribuit. Iustitia vero vnicuique ablata restituit. Quartum est , quod Sacerdotibus se ostendant. Vnde dixit eis : *Ite , ostendite vos Sacerdotibus.*

Et nota , quod ad confessionem præcipue quatuor exiguntur , quæ hic innuuntur. Primum est , vt sit humilis , vnde non dixit , equitate , sed *ite.* Secundum est , quod sit nuda & sui accusatoria : vnde ait ; *Ostendite vos , & non alios.* Tertium & quartum est , quod sit discreta & frequens : vnde subdit : *Sacerdotibus , quasi discretis & bonis.* Sacerdotes enim dicuntur quasi sacri duces. In hoc enim , quod pluraliter ait , innuitur , quod debet esse frequens ; vt si unus Sacerdos & confessor moriatur , vel se in alium locum transferat : alteri confiteatur , & vt toties se ad minus lauet per confessionem , quoties se polluit per peccatum. Contra quod multi faciunt , qui vix semel confitentur in anno. Quinto necessarium est leprosis , vt pro emundatione sua munus offerant , quod lex instituit offerendum. Vnde Dominus Luc. 5. dixit cuidam leproso , quem curauerat à lepra : *Vade , ostende te Sacerdoti , & offer pro emundatione tua , sicut precepit Moyses in testamento illis.*

*NO TA* , quod legitur in Leuit. 14. quod leprosus pro emundatione sua ad minus offerebat quadruplex munus , videlicet , agnum vnum , & olei sextarium , & duos turrites , aut duos pullos columbarum , & decimam similæ oleatae in sacrificium . 1. Per agnum , qui pro delicto immolatur , intelligitur carnis maceratio , quæ maxime fit per iejunium &

cilicium. 2. Per olei sextarium figuratur eleemosynarum largitio, quæ ad modum olei misericordias egenorum lenit; & hæc maxime consistit in illis sex, de quibus Dominus loquitur Matth. 25. *Esrui, & dedistis mihi manducare: sicuti, &c.* 3. Per par turturum aut duos pullos columbarum significatur gemebunda & lacrymosa oratio. Debet enim pœnitens deinceps, ad similitudinem turturum, fugere strepitus huius mundi. Debet etiam, tanquam gementes columbae super aquarum, id est, lacrymarum fluuium residere. 4. Per decimam similem oleatæ notatur hilaris adimplecio mandatorum Dei. Sicut enim ex simila panis conficitur, qui cor hominis confirmat: ita & per adimplecionem decem mandatorum Dei anima confirmatur, ut perueniat ad regnum Dei. Quod autem pœnitens deinceps hilariter adimplere debeat, quæ transgressus est; primo per hoc haberi potest, quod simila oleo conspersa debebat offerri. Rorate ergo Dominum, ut per eius gratiam à peccatis emundati ad electorum consortium pertingere mereamur. *Quod nobis, &c.*



## IN DOMINICA XV. post Trinitatem

### S E R M O   L X I X .

*Nemo potest duobus Dominis seruire. Matth. 6.*

Quatuor sunt hic notanda.

- I. *Quis sit Dominus, cui ab uniuersis est fideliter seruendum?*
- II. *Quis sit ille, cuius seruitium ab omnibus est fugiendum?*
- III. *In quibus potissimum Dei seruitus consistere videatur?*
- IV. *Quare quilibet Christo seruire teneatur?*



E primo nota, quod ille est Dominus, cui seruire debemus, quem adorant dominationes, tremunt potestates, videlicet Christus Dominus Deus noster. De isto Domino scribit Paulus 1. ad Tim. 6. *Est Rex regum, & Dominus dominantium qui solus habet immortalitatem, & lucem habitat inaccessibilem.* De isto etiam Domino scribit in Apoc. 19. quod *vidit equum album & qui sedebat super eum, vocabatur fidelis & verax: & cum iustitia iudicat & pugnat; & vestitus erat ueste aspera sanguine, habens in uestimento & in femore scriptum: Rex regum, & Dominus dominantium.* Hæc exponuntur de Filio Dei, cuius *albus equus* est caro immaculata, quam sumpsit ex Virgine: *vestis vero aspera sanguine est corpus ipsius Filij Dei,*

quod proprio curore effusum fuit in cruce; & in hoc uestimento est scriptum; *Rex regum, & Dominus dominantium:* quia enim se humiliauit usque ad mortem, mortem autem crucis, Deus Pater illum exaltauit, & dedit illi nomen, quod est super omne nomen: ut in nomine Iesu omne genu fleatur, caelestium, terrestrium, & infernorum. Huic ergo Domino soli credendum est & seruendum, unde dicit 1. Reg. 7. *Preparate corda vestra Domino, & seruite illi soli.*

De secundo nota, quod diabolus est ille Dominus, cuius seruitium est fugiendum. Dæmones enim sunt crudeles domini, sub quorum manu traditus est mundus iste; unde dicitur Isa. 19. *Tradam Aegyptum, id est, mundum in manu minorum crudelium.* De crudelitate quoque dæmonum, dicitur Ier. 6. *Ecce populus venit de terra Aquilonis. Sagittam & scutum arripiet: crudelis est, & non miserebitur; & super equos ascendent preparati quasi vir ad prælium, aduersum te filia Sion.* Per populum qui *venit de terra Aquilonis*, dæmones intelliguntur, qui veniunt de regione inferni, ubi hiems regnat æterna. Per hoc autem, quod dicitur, quod *super equos ascendent*, hoc intelligitur, quod festinant in interitum animalium. Veniunt autem cum sagitta & scuto. Per *sagittam* notantur plague irremediabiles, quas inferent peccatoribus & sceleratis. Per *scutum* vero signantur illa, per quæ se modo peccatores excusant à seruitio Dei. Hæc scuta secum defert dæmones. Ostendunt enim miseras peccatoribus, quod quia se excusaverunt, ne Christo seruirent, propter hoc pœnas patientur æternas. Et certe ipsi crudeles sunt, & nunquam animabus damnatis miserebuntur in suppliciis. Stultus est ergo, qui seruierit ipsis.

De tertio nota, quod potissimum Dei seruitus consistit in quatuor, videlicet, in sanctitate, in æquitate, & pietate, & castitate. De seruitio sanctitatis dicit Dominus Leuit. 10. *Sancti esote, quoniam ego sanctus sum.* Item Deut. 26. *En Dominus elegit te, ut sis populus sanctus.* Item Luc. 1. *Benedictus Dominus Deus Israel: quia visitauit & fecit redemptionem plebis sue. & infra; Ut sine timore de manu inimicorum nostrorum liberati seruiamus illi in sanctitate & iustitia, &c.* Sanctitas autem consistit in diuino cultu, videlicet, in deuotione orationum & dulcedine lacrymarum, in sancta meditatione & caelestium contemplatione. Hoc seruitium deberent homines Deo impendere in diebus solemnibus, quando vacant ab aliis laboribus. Unde dicitur eis: *Memento, quod diem sabbati sanctifices.* Sed heu tunc maxime Deum offendunt: prope hoc dæmones derident sabbata nostra, sicut dicitur in Thren.

2. De seruitio castitatis dicit Apost. 2. ad Cor. 6. *Exhibeamus nosmetipso sicut Dei ministros in castitate.* Item scribit 1. ad Timoth. 5. *Te ipsum castum custodi.* Castitas autem est peredomitissimæ virtutum pura munda & honesta totius corporis habitudo. Sed heu multi derelicta castitate seruiunt immunditiis luxuriæ; unde dicitur 4. Reg. 21. *Seruivit Ammon rex immunditiis, & adorauit eas, & dereliquit Dominum Deum patrum suorum.* Ammon interpretatur onerans, vel onustus, & significat luxuriosos, qui onusti sunt Domino. Laborat enim sustinens immunditias eorum; unde ipse dicit Isa. 1. *Laborans sustinens.*

3. De

3. De seruitio æquitatis sive iustitiae dicitur Tob. 13. *Conuertimini peccatores, & facite iustitiam eorum Deo, credentes quod faciat misericordiam suam vobiscum.* Item dicitur Tob. 14. *In hora exitus sui vocavit ad se Tobias Tobiam filium suum, & septem iuuenes filios eius nepotes suos, & dixit eis, Seruite Domino in timore & in veritate: & inquirite, ut faciat quæ placita sunt illi; & filii vestris mandate, ut faciant iusticias.* Iustitia vero est æquitas ius vnicuique rei tribuens pro dignitate cuiusque. Pauci sunt, qui faciunt hodie iustitiam: propter hoc conqueritur Dominus Isa. 59. *Conuersum est retrosum iudicium, & iustitia longe stetit: quia corruuit in plateis veritas, & aequitas non potuit ingredi; facta est veritas in obliuionem.*

De seruitio pietatis sive misericordiæ scribit Apostolus 2. ad Tim. 4. *Exerce te ipsum ad pietatem: nam corporalis exercitatio ad modicum utilis est: pietas autem ad omnia utilis est promissionem habens vitæ que nunc est, & futura.* Multumque igitur quisque niti debet, ut sit pius & misericors in eleemosynis dandis, & pauperibus confouendis: quia magna gratia est eis reposita, qui cum pietate sive misericordia moriuntur. Vnde dicitur 2. Mach. 12. *Iudas Machabeus considerabat, quod hi, qui cum pietate dormitionem acceperant, optimam haberent repositam gratiam.*

De quarto nota, quod sex causæ assignantur, quare quilibet Domino seruire teneatur. Prima causa est seruile conditio. Propter seruilem quippe conditionem teneimur ei seruire. Ipse enim de limo nos plasinauit, quod recognouit David Rex ita dicens in Psal. 15. *O Domine, ego seruus tuus, & filius ancilla tuae.* Quasi dicat. O Domine, ego sum seruus tuus, quia ad imaginem tuam me creasti: sum & seruus tuus, quia mihi spiraculum vita, id est, animam inspirasti. Et bene dico, quod sum seruus tuus: sum enim filius ancillæ tuae, id est, terræ, quæ est scabellum pedum tuorum.

Secunda causa est chariflma emprio. Pretioso quippe suo sanguine de potestate diaboli nos redemit. Vnde dicit Apostolus 1. ad Corinth. 6. *Empti estis pretio magno glorificate & portate Deum in corde, & in corpore vestro.* Et 1. Pet. 1. *Non auro vel argento redempti estis, sed pretioso sanguine Iesu Christi.* Oportet ergo vel Domino seruiamus, vel ei totum sanguinem suum, quem pro nobis effudit, persoluamus; alioquin contra nos sanguis eius aget in iudicio.

Tertia causa est impensi seruitij recompensatio. Recompensare quippe debeimus Deo seruitum, quo nobis seruivit; vnde ipse dicit Isa. 43. *Seruire me fecisti in peccatis tuis. Prebueristi mihi laborem in iniquitatibus tuis.* Omnia quæ Dominus fecit in carne, quasi quedam seruitus fuit, videlicet, quod iejunauit, quod plorauit, quod prædicauit, quod orauit, quod infirmos curauit, & quod dorsum suum exhibuit percutientibus, & genas vellentibus, & quod faciem suam à conspicientibus non auertit, & quod suum patibulum ipse tulit, & cætera plura.

Quarta causa est propriæ promissionis obligatio: promisimus enim in baptismo, quod ei seruire deberemus; vnde dicit Eccl. 5. *Siquid vovisti Deo, ne moreris reddere: multo enim melius est non vovere, quam post vota promissa non reddere.*

Quinta causa est quotidiani boni erogatio. Quotidie namque recipimus beneficia Dei, quo merito deseruire debemus. Et certe longum esset singula beneficia Dei, quæ quotidie de manu suæ clementiæ suscipimus, per ordinem recitare. Ut autem de omnibus aliis beneficiis Dei taceam, quantum putatis, quod valeat aer, quem omni tempore ad inspirandum accipimus & exspirandum?

Sexta causa est æternæ mercedis expectatio. Vnde dicitur Isa. 40. *Dic ciuitatibus Inde: Ecce Dominus vester, ecce Dominus Deus in fortitudine veniet, ecce merces eius cum eo.* Ipse etiam Dominus dicit Matth. 5. *Gaudete & exultate, ecce enim merces vestra copiosa est in celis.* Bene dicit copiosa, quia si numerari possent stellæ celo: numerari etiam poterit merces & præmium seruorum Dei. Rogate ergo Dominum, ut tam fideliter ei in hac vita seruiamus, ut post hanc vitam ad mercedem inenarrabilem perueniamus, &c.



## IN DOMINICA XVI. post Trinitatem

### S E R M O   L X X .

*Ibat Iesus in ciuitatem, quæ vocatur Naim. Luc. 7.*

In præsenti Euangelio quatuor principaliiter sunt notanda.

- I. *Quid per ciuitatem quam Iesus ingreditur, exprimatur?*
- II. *Quid per defunctum qui offertur, intelligatur?*
- III. *Quid per matrem viduam plorantem accipiatur?*
- IV. *Quomodo defunctus iste vita restituatur?*



E primo nota, quod per Naim ciuitatem mundus iste figuratur, & exprimitur. Naim enim interpretatur fluctus, vel commotio. Et vere sicut fluctus est instabilis, ita omnia, quæ sunt in hoc mundo, subiacent instabilitati. Vnde dicunt mundi amatores in inferno existentes Sapient. 5. *Quid nobis profuit superbia, aut dinitiarum iactantia quid contulit nobis? transferunt omnia tanquam umbras, & tanquam nauis, quæ transi fluctuantem aquam, cuius, cum pertransierit, non est vestigium innuenire.* Transferunt enim & nauis & aqua.

Mundus etiam appellatur commotio, & non immerito: semper enim commouetur ad similitudinem maris, quod nunquam potest quiescere; vnde dicitur Isa. 19. *Concurrere faciam Aegyptios, id est, quemlibet mundanum contra mundatum, & pugnabit vir contra fratrem suum, & vir*

*contra amicum suum, ciuitas contra ciuitatem, & regnum quasi adversus regnum Isa. 19.* Quod hæc verba sunt vera, satis hodie patet. Hanc ciuitatem quotidie Dominus, & sine intermissione ingreditur, per desiderium quod habet ad conversionem peccatorum.

Sequuntur etiam *eum discipuli eius*, id est, omnis congregatio beatorum, & turba copiosa, id est, omnis exercitus Angelorum. Omnes siquidem iam beati, nec non & vniuersi Angeli viventes, quod Rex eorum desideret conuersationem peccatorum, desiderant & ipsi præsertim cum per conuersationem peccatorum citius impletatur numerus electorum.

De secundo nota, quod per defunctum qui ad portam ciuitatis effertur, quilibet peccator intelligitur, cuius peccata ad hominum notitiam peruerunt. Manifeste quippe peccare est portari ad portam ciuitatis. In porta enim frequens est introitus & exitus hominum, & bene peccator defunctus appellatur: et si corpore enim mortuus non est, est tamen in anima coram Deo.

Et nota, quod sicut Glossæ testimonio homo quatuor elementis constat, videlicet, aëre, igne, terra, aqua: ita etiam sunt quatuor genera peccatorum, per prædicta quatuor elementa significata, quæ portant peccatorem ad sepulchrum inferni. Per aërem igitur significatur superbia, quæ semper appetens excellere, vult aliis dominari: & hæc est vna & prima ex illis, quæ hominem deportant ad infernum. Habet autem superbia quandam sororem, quæ vocatur vana gloria, quæ iuuat eam portare defunctum in vna parte feretri. Superbia autem est, quosque alios opprimere, & de malis quibuslibet se iactare. Vana gloria est, quæ facit humanam laudem appetere, & se meliorem vel sanctiorem, quam alios reputare. Contra superbiam & vanam gloriam dicitur in Iob 20. *Hoc scio à principio, ex quo positus est homo, quod laus impiorum brevis sit super terram, & gaudium hypocrite ad instar puncti. Si ascenderit usque ad celum superbia eius, & caput eius, scilicet per vanam gloriam celum tetigerit: quasi sterquilinum in fine perdetur; & qui viderant eum, dicent, Vbi est? Poteſt responderi: Ipſe est in inferno deformior quam aliquis bufo, & hoc satis est dignum. Qui enim per humilitatem noluit similari Deo pulcherrimo, per superbiam factus est similis daemoni deformissimo: dicit enim Greg. Apostata angelo similis efficitur, qui alijs hominibus esse similis deditur.*

Per ignem signatur ira, quæ hominem intrinsecus inflammat, & hæc altera parte portat feretri defuncti, quam etiam iuuat portare soror sua, scilicet inuidia, siue odium, quia *odium est ira inueterata*, vt dicit Augustinus. Est autem ira subita tempestas animi, qua aliquis mouetur ad nocendum aliis. Inuidia autem est dolor ex aliena felicitate nascens. Contra iram dicitur Ecclæ. 11. *Aufer iram à corde tuo, & amore malitiam à carne tua.* Et quare hoc? *Ira enim viri iuſtitiam Dei non operatur;* vt dicitur Iacob. 1. Contra inuidiam dicitur etiam Proverb. 14. *Putredo ossium inuidia*, id est, virtutum. Item contra inuidiam dicitur Sapient. 2. *Inuidia diaboli mors introiuit in orbem terrarum.* Imitantur autem illum, id est, diabolum, qui sunt ex parte illius, id est, inuidi.

Per terram intelligitur avaritia, quæ terrena desiderat. Hæc in tertia parte feretri portat defunctum ad sepulchrum inferni. Habet & ista sororem, videlicet, acediam, quæ socia eius est in portando. Est autem avaritiae multa acquirere, nec superflua pauperibus erogare. Acedia vero est desidiosus animi torpor, à bono incepto faciens aliquem resilire. Et satis congrue avaritiam sequitur acedia, quia per nimium desiderium & concupiscentiam temporalis boni nascitur homini tedium & obliuio summi boni. Contra avaritiam dicitur Habac. 2. *Vae ei, qui multiplicat non sua: usquequo aggrediat contra densum lutum? Vae ei qui congregat avaritiam malam domui sue, ut sit in excelso nidus eius.* Contra acediam dicit Eccl. 6. *Audi fili subijce humerum tuum, & porta sapientiam, id est, seruitutem Dei, & ne acederis in vinculis eius, in nonissimis inuenies requiem in ea, & conuertetur tibi in oblectationem.*

Per aquam, quæ est quartum elementum, luxuria figuratur. Hæc enim semper despumat in libidinem. Luxuria vero in quarta parte feretri deportat mortuum ad sepulchrum tormentorum. Habet & ipsa sororem, scilicet, gulam, quæ assistit ei in portando. Est autem luxuria inordinata carnis petulantia, id est, dulce carnis venenum, quod corpus humanum debilitat, & virilis animi robur eneruat. Gula est vorax edacitas nauseanti stomacho applaudens, naturæ finibus non contenta. Contra luxuriam dicit Eccl. 12. *Malitia horæ vnius, scilicet in inferno, oblinionem facit luxuria maxime, & in fine hominis denudatio operum illius.* Cum enim mortuus fuerit homo, tunc statuentur omnes immunditiae ante oculos ipsius, quas operatus fuit prius: & per has immunditias irremediabiliter punietur. Contra gulam siue crapulam dicit Eccl. 37. *Propter crapulam multi perierunt in morte, videlicet, temporali & æternali.*

De tertio nota, quod sicut dicit Glossa, per matrem viduam, quæ flens sequebatur defunctum filium, sancta Ecclesia figuratur. Ideo enim vidua vocatur, quia viduata est corporali presentia charissimi sponsi, videlicet, Iesu Christi. Hæc autem mater quemlibet peccatorem amarissime deflet, tanquam vnicum filium suum. Quilibet enim regeneratus ex aqua & Spiritu sancto, est ei tanquam vnicus filius summe dilectus: vnde & summe dolet eius perditionem.

De quarto nota, quod ad hoc vt peccator resuscitetur à peccatis ad spem vitæ æternæ, quatuor requiruntur. Primum est, vt Iesus accedit, & loculum tangat. Secundum est, vt hi stent, qui defunctum portabant in loculo, id est, in retro. Tertium est, vt Iesus defuncto imperet, vt resurgat. Quartum est, vt defunctus se erigat, & loquatur. Et sic quinto, matri viuis restituetur. 1. Tunc Iesus accedit, & loculum, id est, conscientiam peccatoris tangit, quando ei metum illius extremi iudicij incutit, in quo scilicet iudicio Dominus percutiet virga crudeli omnes peccatores terræ. O quam infelix, quem agnus, tunc leo effectus, feriet virga labiorum suorum, dicens: 2. *Ite maledicti in ignem æternum.* Tunc autem stant, qui prius mortuum ferebant, quando videlicet peccator compunctus per timorem conteritur, & desistit à peccatis,

peccatis, quæ eum prius ad putatum gehennæ portabant. 3. Tunc vero Iesus peccatori mortuo imperat ut resurgat, quando videlicet ei robur gratiæ administrat. Gratia quippe Dei dat homini vires, ut possit resurgere. 4. Tunc vero mortuus se erigit, & sedens loquitur, cum peccator per spem veniæ se leuat ad cælum: & tunc sedens loquitur, quando peccata sua discretè & integrè confitetur. Oportet ergo, ut quilibet peccata sua confiteatur, alias saluari non poterit. 5. Cum autem locutus fuerit per confessionem, tunc quinto Iesus Sacerdotum ministerio peccatorem iam pœnitentem restituit Ecclesia per peccati ablutionem, & debitæ satisfactionis iniunctionem. Rogate ergo Dominum, ut tam strenue pro peccatis nostris in vita satisfaciamus, ut post hanc vitam in conspectu eius fiducialiter appareamus.



## IN DOMINICA XVII.

post Trinitatem

### S E R M O   L X X I .

*Ecce homo quidam hydropicus erat ante Iesum. Ipse vero apprehensum sanavit eum, ac dimisit. Luc. 14.*

Tria principaliter sunt notanda.

- I. *Quid per domum principis Pharisæorum figuretur?*
- II. *Quid per hydropicum intelligi detur?*
- III. *Qualiter hydropicus à Iesu sanatur?*

**D**E primo nota, quod per dominum principis Pharisæorum sancta Ecclesia figuratur. Princeps autem Pharisæorum est gloria Virgo Maria. Ipsa enim, ut pote mater, & sponsa, foror, & filia Regis aeterni, princeps est totius Ecclesiae. De hac principe dicitur Cant. 7. *Quam pulchri sunt gressus tui in calceamentis, filia Sion principis, id est, Dei gloriosi.* Ipsa enim fuit filia, & mater principis illius, cuius principatus factus est super humerum eius, ut dicitur Isa. 9. Per crucem quippe, quam Dominus Iesus portauit in humeris suis, meruit principatum imperij sempiterni. Gressus igitur filiae istius principis, id est, actus Beatae Virginis pulchri fuerunt in calceamentis, id est, in exemplis sanctorum patrum. Ipsa nempe studiose imitabatur virtutes, & exempla præcedentium patrum, ac in omnibus strenue exequebatur.

Et bene Beata Virgo princeps Pharisæorum appellatur. Pharisæi quippe diuisi interpretan-

tur. Ipsa enim est Princeps & Domina fidelium, qui vita & moribus diuisi sunt à populo diaboli. Populus quippe diaboli superbus est, iracundus, inuidus, & acediosus, avarus, luxuriosus, & gulosus. Populus autem Beatae Virginis è diuerso humilis est, mitis, benignus, & religiosus, sufficiens etiam in his quæ à Deo habet, & castus, & sobrius.

Iesus autem hanc *domum*, id est, Ecclesiam *intrat sabbato manducare panem*. Desiderat enim, ut peccatores ipsi sabbatum faciant, id est, à peccatis desistant, & eum quiescere permittant, quem quotidie per peccata impugnant. Desiderat etiam, ut dent ei manducare panem, id est, ut de cætero per conuersionem veram voluntatem suam perficiant. Vnde legitur in Ioan. 4. quod cum Iesus mulierem Samaritanam conuertisset, & illa in eum crederet: *venerunt Discipuli eius apportantes cibum* materialem, & dicebant: *Rabbi manduca. Quibus ipse respondit: Ego cibum habeo manducare, quem vos nesciis.* Quasi diceret. Bene refectus sum per conuersionem & fidem huius mulieris. Quicunque enim facit voluntatem Dei, optimo cibo cibat eum.

De secundo nota, quod per hydropicum quilibet peccator intelligitur. Et hoc non immerto, si quis proprietates & diuerstites hydropisis adaptauerit peccatis. Est enim hydropisis error digestiva virtutis in hepate tumoré membrorum generans. Et nota, quod per hydropicum intelligit homo, qui septem mortalibus peccatis est inuolutus, videlicet, superbia, ira, inuidia, avaritia, gula, acedia, & luxuria.

Est enim quadruplex hydropisis. Prima vocatur leucophlegmantia. Qui hanc patitur, totum corpus habet vehementer inflatum, & superficies cutis eius est alba. Vnde per hanc signatur superbia, & vana gloria, & mirabiliter hominem inficit. Contra hanc dicit Apost. 1. Cor. 4. *Vnus aduersus alterum non infletur.* Item 2. Corin. 12. *Non sint inflationes in vobis.*

Secunda species hydropisis Hyposarca, vel anaſarca vocatur. In hac hydropisi superfluous humor non usque ad cutem vel exterius expellitur, sed sub carne retinetur. Vnde hyposarca designat inuidiam, quæ interius iacet. *Putredo quippe ossium est inuidia*, sicut dicitur Proverb. 14.

Tertia species hydropisis vocatur tympanites. Qui hanc patiuntur, venter eorum percussus resonat ad modum tympani. Propter hoc per hanc ira designatur, quæ hominem suscitat in indignationem & clamorem. Contra hanc dicit Apost. ad Eph. 4. *Nolite contristare Spiritum sanctum Dei, in quo signati esis in die redemptionis,* id est, in die baptismatis regenerationis. Et quomodo nunc contristabitur? Sequitur: *Omnis amaritudo, & ira, & indignatio, & clamor, & blasphemia tollantur à vobis cum omni malitia.*

Quarta species hydropisis vocatur Aschites. Qui hanc patiuntur, venter eorum percussus resonat ad modum vtris semipleni. Vnde per hanc gula figuratur. Vere enim gulosi patiuntur aschitem, quia venter eorum semper æstuat ad cibum & potum, velut vter semiplenus. Contra hoc dicit Paulus ad Roman. 13. *Non sis in coemissionibus & ebrietatibus, sed induimini Dominum Iesum Christum.* Quasi dicat. Nolite nimis

nimis cibum & potum appetere, sed potius appetite Dominum Iesum Christum ; quia ipse est vera refectio animarum vestiarum.

Quinrum, quod attenditur in hydropico, hoc est, quod sicut Glossa dicit, proprium hydropici est, quod quanto plus biberit, tanto amplius fit. Et per hoc vocari potest avaritia, quæ semper est litibunda. Avaritia enim est vna filiarum illius sanguisugæ, id est, diaboli, qui semper dicit: *Affer, affer*: vt dicitur Proverb. 19. Ibi dicit Glossa :

*Crescit amor numi, quantum ipsa pecunia crescit.*

Dicit etiam Salustius : *Avaritia pecunia studium habet, quam nemo sapiens unquam concipiuit, & quasi venenis imbuta corpus animumque virilem effeminat, semper infinita, semper insatiable, neque copia neque inopia minuitur.*

Sextum, quod attenditur in hydropico, hoc est, quod habet fœtidum anhelitum. Et per hoc notatur luxuria, quæ fœtet coram Deo & Angelis, & hominibus : propter hoc dicit Anselmus : *O quam tolerabilius fœtet canis putridus hominibus quam anima peccatrix Deo!*

Septimum est, quod attenditur in hydropico, quod videlicet grauis est, & piger. Et per hoc exprimitur acedia, quæ hominem grauem & pigrum reddit in obsequio Iesu Christi. Contra pigros & acediosos dicitur Prover. 20. *Propter frigus piger arare noluit, mendicabit ergo astare, & non dabitur ei.* Pigi propter frigus defidiæ nolunt modo mittere manus operationis ad aratum crucis, quod ipse Iesus, quasi quidam bos traxit: & propter hoc in æstate, cum sol sempiterni ardoris caput eorum exuret, mendicabunt diuinam misericordiam, & non dabitur eis vel una gutta alleviationis & misericordiæ.

De tertio nota, quod ad hoc quod hydropicus à Domino curetur, tria requiruntur. Primum est, quod hydropicus ante appareat. Secundum est, quod eum Dominus apprehendat. Tertium est, quod sanet eum, ac dimittat. Primum igitur est, quod hydropicus sit, & appareat ante Iesum, quando videlicet Dominus peccatorem respicit oculis misericordiæ suæ. Sic Dominus Petrum qui eum ter negauerat, oculis misericordiæ clementer respexit. Vnde dicitur Luc. 22. *Et conuersus Dominus respexit Petrum, & egressus Petrus foras fleuit amare.*

Secundo, ad curationem hydropici necesse est, vt Dominus eum duplici manu apprehendat, id est, ad se prendat, videlicet manu misericordiæ, & manu iustitiae. Quælibet istarum manuum quinque digitos habet. In manu vero misericordiæ primus digitus est, quod Dominus nos suo sanguine de potestate diaboli liberauit. Secundus digitus est, quod Dominus nos baptismati viuos reservauit. Tertiis est, quod peccata nostra diutissime tolerauit. Quartus est, quod insuper nobis necessitates corporis satis largiter administravit. Quintus digitus est, quod te ad hoc, quod nos ad poenitentiam libentissime suscipiet, obligauit. Et vere hæc quinque diligenter considerata de iure peccatorem mouere debent ad poenitentiam. Cum autem peccator hæc quinque fideliter considerans ad poenitentiam compungitur, tunc eum Dominus manu misericordiæ sua apprehendit ad salutem.

Altera manus Domini est manus iustitiae. Quinque vero digiti manus istius, est quintuplex consideratio circa diuinam iustitiam. Primo enim rationem reddituri sumus coram diuinâ iustitia de anima & corpore nostro, quæ ab ipso vt per hæc ei setuiremus, accepimus. Secundo rationem reddemus de sanguine vnigeniti Filij Dei, cui debitas vices seruitutis non rependi mus. Tertio ratio à nobis requiretur de omni tempore, & de vniuersis, quæ cum tempore de manu Domini suscepimus. Quarto rationem reddemus de omni peccato, quod vel cogitatio ne, vel locutione, vel operatione commisimus. Quinto rationem reddemus de omni bono ope re, quod poteramus fecisse, & non fecimus. Quisquis hæc quinque bene considerans, etiam si faxus vel ferreus fuerit, non trepidabit?

Quemcumque ergo Dominus hac dupli ci manu, per spem, & metum vere apprehendet, sine dubio sanabit eum per veram poenitentiam, & sic sanatum dimittet in pace, ac requie sempiterna. Rogate ergo Dominum, vt sic nos sanare dignetur, vt ad æternam requiem pertin gere mereamur. Quod, &c.

## IN DOMINICA XVIII. post Trinitatem

### S E R M O   L X X I I .

*Diliges Dominum Deum tuum  
ex toto corde tuo, & ex tota  
anima tua, & ex tota mente  
tua. Matth. 22.*

Quatuor sunt hic notanda.

- I. *Qualiter Dominus diligi præcipiatur?*
- II. *Quare quilibet Dominum diligere teneatur?*
- III. *Quibus signis aliquis Deum diligere perpendatur?*
- IV. *Quæ bona qui Deum dilexerit, affer quatur?*



E primo nota, quod Dominus diligi præcipitur ex toto corde, & ex tota anima, & ex tota mente. I. Ex toto corde Dominus diligi præcipitur: quia, vt dicit Philosophus, cor est principium omnis sensus & motus; & omnia membra virtutem à corde recipiunt. Igitur Dominus ex toto corde est diligendus, id est, ex omni motu, & sensu nostro, scilicet ex omnibus verbis, & operibus nostris, & ex omni visu, auditu, gustu, odoratu, & tactu, vt videlicet verba linguae nostræ, & opera manuum nostrarum, & omnes sensus no stros

stros extérieores ad dilectionem Domini conuerteramus, 2. Ex tota etiam anima Dominus est diligendus. Anima vero tres habet potentias, scilicet rationabilitatem, concupisibilitatem, & irascibilitatem. Per rationabilitatem discernit inter bonum & malum: per concupisibilitatem diligit bonum: per irascibilitatem respuit malum. Igitur ex tota anima, id est, ex omnibus potentiis eius Deum debemus diligere, ut vide licet Dei dilectione nos inuitantem inter bonum & malum discernentes: bona, id est, virtutes, eligamus, & mala, hoc est, vitiis, respuamus. 3. Ex tota mente, id est, ex omni memoria Dominus est diligendus. Sicut enim ipse nunquam obliuiscitur misereri nostri: sic etiam dignum est, ut & nos quotidie reminiscamur amoris sui.

De secundo nota, quod ad minus propter quinque causas quilibet tenetur Dominum diligere. Prima est; quia nos ad imaginem suam creavit. De hoc dicit Eccl. 12. *Deus creauit de terra hominem, & secundum imaginem suam fecit illum*, Hinc etiam dicit Augustinus in libro de spiritu & anima: *Miser ego, quantum deberem diligere Deum meum, qui fecit me, cum non eram? Non eram, & de nihilo me fecit, non lapidem, non arborum, non aum, vel aliquid de animalibus; sed voluit me esse hominem: dedit mihi viuere, sentire, & discerner.*

Secunda causa est; quia nos de potestate diaboli per suum sanguinem liberavit: vnde dicit Apostolus ad Titum 2. *Qui dedit semetipsum pro nobis, ut nos redimeret ab omni iniustitate, & mundaret sibi populum acceptabilem, sectatorem bonorum operum.* Omnis iniustitas diabolus appellatur, quia ipse in iniustitate delectatur, & iniustatem persuadet. Diligendus est Dominus Dei Filius: quia nos sanguine suo de manu iniustitiae, id est, diaboli, liberavit; & quia etiam per ipsum cruentum suum nos lauit, & emundavit, ut Deo Patri acceptabiles redderemur, & deinceps bona opera se etaremur. Hinc etiam dicit Augustinus in praedicto libro: *Miser ego, quantum deberem diligere Deum meum, qui me redemit cum perieram, ad mortalem descendit, mortalitatem suscepit, mortem vicit, & sic me restauravit: perieram, venit ille post me, ut redimeret me, & tandem dilexit me, ut sanguinis sui pretium appenderet pro me.*

Tertia causa est, quare Dominus est diligendus; quia peccata nostra dissimulauit; vnde dicitur Sap. 11. *Misereris omnium, quoniam omnia potes, & dissimulas peccata omnium, propter paenitentiam. Diligis enim omnia qua sunt, & nihil odisti eorum, que fecisti: parcis autem omnibus, quoniam omnia tua sunt Domine, qui amas animas valde.* Itaque insanus est homo, si non dilexerit Deum suum, qui excessus suos graues & multiplices, quos statim punire poterat, tamdiu tollerauerit.

Quarta causa est; quia corporales necessitates satis largiter administravit nobis, vnde ipse Dominus ait Matth. 6. *Nolite solliciti esse, dicentes: Quid manducemus, &c. Scit enim pater vester celestus, quia his omnibus indigetis.* Primum igitur quare regnum Dei, & institutum eius, & hæc, &c. Item dicit Dominus Luc. 12. *Nolite querere, quid manducetis, &c. Pater enim vester scit, &c. veruntamen primum quare regnum Dei, &c.* Super hunc

locum dicit Glof. *Indecorum homini, curare de cibo & ueste, qui militat regno. Nouit enim rex, quemadmodum familiam suam pascat, alat, & uestiat. Nota etiam, quod Dominus dicens: Nolite solliciti esse dicentes, Quid manduc. &c. non prohibet prouidentiam per quam in sudore vultus panis præparatur; sed vetat sollicitudinem qua mentem perturbat, & ab aeternis reuocat.*

Quinta causa est, quare Dominus diligendus est, hoc est, quia nobis regnum copiosissimum præparauit. Vnde dicit Petrus in 1. Can. 1. *quod nobis per Iesum Christum hereditas incorrupibilis, incontaminata, immarecessibilis in celis est conservata.* Dicit etiam Matth. 25. *Tunc dicet rex his, qui à dextris eius erunt: Venite benedicti Patris, possidete paratum vobis regnum à constitutione mundi.*

De tertio nota, quod per tria signa principue perpendere possumus, si Deum diligamus. Primum signum est mandatorum ipsius obseruatio. Vnde ipse dicit Ioan. 14. *Si diligitis me, mandata mea seruare.* Item Ioan. 15. *Manete in dilectione mea: si precepia mea seruaueritis, manebitis in dilectione mea.* Glof. *Dilectio procedit obseruantiam mandatorum.* Item 1. Ioan. 5. *Hac est charitas Dei in nobis, ut mandata eius custodiamus: & manda ta eius grauia non sunt.* Secundum signum dilectionis Dei, est eleemosynarum in pauperes crogatio. Vnde dicit Dominus Petro Ioan. 10. *Si mon Ioannis diligis me, pasce agnos meos.* Per agnos Domini pauperes intelliguntur: Dominus enim agnoscit eos. Domino quippe derelictus est pauper, vt dicit Psal. 10. Qui igitur Dominum vere diligit, libenter eleemosynis suis pauperes pacit. Tertium signum veræ dilectionis, nulla de die iudicij trepidatio. Vnde dicit 1. Ioan. 4. *In hoc perfecta est charitas Dei nobiscum, ut fiduciam habeamus in die iudicij. Timor enim non est in charitate, sed perfecta charitas foras mittit timorem.* Vere qui Dominum diligit ut Patrem charissimum, non timebit eum ut iudicem severissimum.

De quarto nota, quod qui vere Deum dilexit, triplex ex hoc bonum consequetur. Primum est, quod à Patre, & Filio, & Spiritu Sancto amabitur. Secundum, quod ei omnis gloria Filii manifestabitur. Tertium est, quod à sancta Trinitate semper inhabitabitur. De primis duabus dicit Dominus Ioan. 14. *Qui diligit me, diligitur à Patre meo: & ego diligam eum, & manifestabo ei meipsum.* Vere magnum est, hominem diligere à Patre, & Filio, mediante Spiritu Sancto, quia ipse est amor Patris & Filii. Magnum est etiam homini mortali omnem gloriam Filii Dei manifestare. De tertio dicit & ipse Dominus Ioan. 14. *Siquis diligit me sermonem meum seruabit: & Pater meus diligit eum, & ad eum veniemus, & mansionem apud eum faciemus.* Vere gloriosum est, animam boni hominis palatium esse sanctæ ac indiuiduae Trinitatis. Rogate ergo Dominum, ut sic eum ex toto corde, & ex tota anima, & ex tota mente diligamus, ut ipsum trinum & unum post hanc vitam in cælesti gloria videamus. Quod nobis præstare dignetur idem, &c.

\*\*  
IN DO

IN DOMINICA XIX.  
post Trinitatem

## SERMO LXXIII.

*Ecce offerebant Iesu paralyticum iacentem in lecto.*

Matth. 9.

Tria sunt hic notanda.

*I. Quid per paralyticum qui Domino offertur, intelligatur?*

*II. Quid per illos qui paralyticum Domino offerunt, exprimatur?*

*III. Quomodo paralyticus iste sanitati restituatur?*



E primo nota, quod per paralyticum peccator intelligitur: maxime ille qui subiacet superbia, avaritia, gula, luxuria, & acedia. Hæc enim quinque peccata sunt, quasi quinque digiti in manu diaboli, per quam trahit ad se penè totum genus humanum. Nota igitur, quod paralysis est læsio partis, quæ fit cum priuatione sensus, vel motus, vel vriusque. Fit autem ex tribus causis principaliter. Quandoque enim fit ex incisione, quandoque ex frigiditate constringente, & quandoque ex humore oppilante: ex quibus causis de-negatur aditus spirituum ad instrumenta verborum.

1. Fit itaque paralysis quandoque ex incisione, & per hoc notatur superbia. Superbia quippe est gladius diaboli, per quem gladium ipse primus ausus est Altissimum impugnare; sed certe in pugna succubuit. Detracta est enim ad inferos superbia eius, & qui prius erat quasi lucifer qui mane oriebatur: nunc est cadaver factens & immundum. Et nota, quod diabolus adhuc non desinit membra Christi impugnare per superbiam. Qui autem superbiam acceperint vulnus, amittunt Spiritum sanctum. Fugit autem Spiritus sanctus cor læsum per superbiam. Vnde dicitur Eccl. 10. *Odibilis coram Deo & hominibus est superbia.* Superbia quoque & due eius filiae, scilicet, ira, & inuidia, magnum damnum faciunt homini. De hoc damno dicit Magister Hugo de S. Victore: *Superbias auferunt mihi Deum, & inuidia proximum, & ira meipsum.*

2. Fit etiam paralysis ex frigiditate constringente. Per hoc notatur avaritia, quæ constringit poros cordis, ne possit ad illud peruenire spiritus charitatis, sive pietatis. Propter hoc dicit Eccl. 43. *Frigidus ventus Aquilo fluit, & gelavit crystallus ab aqua.* Per frigidum ventum Aquilonem, sicut dicit Glos. diabolus figuratur, qui flat avaritiam ad cor hominis: & sic, siquid aqueum, id est, compassionis erat in corde hominis, totum conuertitur in crystallum, id est,

in tenacitatis duritiam. Sunt aliqui diuites tenaces, qui dum vident pauperes in hyeme nudos & famelicos, forsitan dicunt eis Iac. 2. *Ite calefacimini & comedite.* Ipsi tamen non participant cum eis vel lignem suum, vel vestes suas, aut cibum: cor enim eorum est per avaritiam congregatum. Contra tales dicit Iac. 2. *Si frater & soror nudi sint, & indigeant vixit quotidiano: dicat autem quis de vobis illis: Ita in pace, calefacimini, & saturemini: non dederitis autem eis, que necessaria sunt corpori, quid proderit?*

3. Fit autem paralysis ex humore grosso oppilante, & per hoc notatur luxuria, quæ præcludit viam Spiritui sancto. *Spiritus enim sanctus non habitat in corpore subditio peccatis,* videlicet, luxuria, sicut dicitur Sap. 1. Propter hoc dicit Apost. 1. Cor. 5. *Frugite fornicationem. Omne peccatum, quodcumque fecerit homo, extra corpus est; qui autem fornicatur, in corpus suum peccat.* Quare? quia videlicet, per luxuriam seipsum inquinat, & se inhabitatione Spiritus priuat. Sequitur enim. *An nescitis quoniam membra vestra templum sunt. Spiritus sancti qui in vobis est?*

4. Fit etiam paralysis ex superfluitate ciborum, & maxime potuum. Et per hoc notatur gula, quæ animam facit paralyticam. Contra potus superfluitatem dicit Eccl. 31. *Sanitas est anima & corpori sobrius potus. Vinum multum potatum irritationem, & iram, & ruinas multas facit. Amaritudo anima vinum multum potatum.*

5. Nota etiam, quod paralysis alia est universalis, alia particularis. Universalis est, quæ recte medianam partem corporis occupat. Particularis, quæ partem tantum, ut manum, vel pedem, oculum, vel linguam, & sic de alijs membris. Paralysis igitur partem illam corporis, quam occupauerit, reddit sæpe totam inutilem: & per hoc notatur acedia. Acediosi namque habent linguam, manus, pedes, & alia membra: & tamen non mouent ea in obsequium Iesu Christi: vnde sunt quasi tori paralytiei. Propter hoc de eis dicitur in Psal. 113. *Os habent, & non loquuntur, oculos habent, &c. Peccatores enim os habent; & tamen propter acediam non loquuntur, neque illud aperiunt ad peccatorum suorum confessionem, vel ad orationem. Oculos etiam habent: & tamen non vident, vel Christi passionem, vel pauperum afflictionem. Aures habent; & non audiunt Christum æterna præmia iustis pollicentem, & perpetua supplicia peccatoribus prædicantem. Nares habent: & non percipiunt odorem regni suauissimi, & factorem gehennæ intolerabilissimum. Manus habent: & non palpant, ut vel leuem laborem pro Domino attingant: nec etiam laborant, ut granes afflictiones propter Dominum sustineant. Pedes habent: & non ambulant, ubi vel verba populo nuntiantur, vel etiam infirmi Christi corpore cibantur.*

De secundo nota, quod per illos, qui paralyticum Domino obtulerunt, intelligitur ipsa diuina misericordia, & orationes iustorum. 1. Per ipsam namque inestimabilem misericordiam multi etiam quasi nolentes trahuntur ad salutem. Diuina siquidem misericordia per infirmatum & aduersitatum flagella compellit intrare: qui si infirmi non essent, nec aliquid aduersi eis accideret, nunquam peruenirent ad æternam salutem.

2. *Oratio*

2. Orationes etiam iustorum offertunt Christo, ut saluentur per ipsum. Sic Stephanus Paulum suis precibus obtulit Christo. Sic Beata Virgo Maria Theophilum gratiae reformauit. Sic innumerabiles alij per orationes bonorum conuersti sunt ad Christum.

De tertio nota, quod quatuor concurrerunt ad curationem huius paralytici. Primum fuit, quod Dominus ei peccata sua remisit: tria alia fuerunt, quod dictum fuit illi ut resurgeret, & lectum suum tolleret, & in domum suam iret. Hæc etiam quatuor necessaria sunt ad salvationem cuiuslibet peccatoris. Primo enim necessarium est, ut ei peccata temittantur; & hoc fiet per veram contritionem. Propterea quilibet Dominum debet rogare omni tempore, ut largiatur ei veram contritionem: sine hac enim nemos saluari poterit. Secundo necesse est peccatori, ut surgat, id est, sursum se erigat per contemptum terrestrium, & per amorem supercælestium. Surgere enim debet à corporalibus delectationibus, & inhiare debet supercælestibus. Tertio oportet, ut lectum suum tollat. Lectus animæ est corpus. Tunc autem tollitur, cum corpus à spiritu in Dei seruitio strenue exercetur, cum videlicet homo ieuniat, vigilat, orat, plorat, & per alia pœnitentia opera corpus suum castigat. Quarto necesse est, ut in domum suam, id est, in paradisi requiem per iuge desiderium vadat. Non enim habemus hic dominum manentem, sed peregrini sumus, & aduenæ super terram.

Rogate ergo Dominum, ut sic nos à paralysi superbiæ, avaritiæ, luxuriæ, gulae, & acedia curare dignetur, ut domum æternæ quietis ab omnibus absoluti peccatis introire mereamur. Quod nobis præstare dignetur, &c.

## IN DOMINICA XX. post Trinitatem

### S E R M O   L X X I V .

*Simile est regnum cælorum homini regi, qui fecit nuptias filio suo. Matth. 22.*

In presenti Euangelio quinque principaliter sunt notanda.

1. *Quid per hominem regem qui filio suo nuptias fecit, intelligatur?*
2. *Quid per nuptias quæ filio à patre factæ sunt, exprimatur?*
3. *Quid per illos qui ad nuptias invitati venerunt, significetur?*
4. *Quid etiam per illos qui venerunt ad nuptias, figuretur?*
5. *Quæ mala, qui ad nuptias non venerit, patietur?*

 E primo nota, quod per hominem Regem Deus Pater intelligitur. Licet enim persona Patris humanitatem non assumperit, nec incarnata fuerit: tamen Deus Pater

*D. Alberti Magni Serm.*

homo dicitur propter humanitatem, id est, pietatem, qua filiorum suorum, id est, omnium eorum, quos creauit in tempore gratiae, videlicet in hac vita, iugiter miseretur. *Proprium enim Dei est misereri semper & parcere.*

Rex enim dicitur Deus Pater, quia electos suos regit. Vnde dicitur in Psal. 22. *Dominus regit me, & nihil mihi deerit.* Quod autem ipse sit Rex, testatur per semetipsum ita dicens Malach. 1. *Rex magnus ego sum.* Et vere ipse est Rex magnus: quod etiam Nahuchodonosor testatur 2. 3. & 4. capitulo Danielis, ita dicens, & scribens: *Vere Deus cali Deus deorum est, & Dominus regum: regnum eius regnum sempiternum, & potestas eius potestas sempiterna.* *Iuxta voluntatem suam facit tam in virtutibus cali, quam in habitatoribus terræ: & non est qui resistat manu eius, & dicat ei: Quare hoc fecisti?*

De secundo nota, quod per nuptias, quas prædictus Rex fecit filio suo, intelligitur illud inenarrabile gaudium, & illa gloriosa copula, qua Dei Filius vnigenitus Iesus Christus Ecclesiæ suæ, id est, congregationi omnium iustorum, quos suo sanguine redemit, vniuersetur in patria. Vniuersa quippe Ecclesia, id est, omnis congregatio electorum, sponsa est Filii Dei, quam ipse Dei Filius in Cruce despousauit. Vnde inclinato capite emisit spiritum, quasi amabile osculum porrigenus sponsæ suæ. Hanc sponsam finito huius mundi spatio ipse Dei Filius vniuersaliter ac integraliter copulabit. tunc etiam corpora electorum gloria & honore mirabiliter vestientur. Quale gaudium, & qualem lætitiam tunc habituri sint electi cum Christo, nullus mortalium sufficienter poterit explanare.

De his nuptiis dicitur Apocal. 19. *Vox de throno exiuit, & dixit mihi: Scribe, beati qui ad cœnam nuptiarum agni vocati sunt.* Glossa, perfecte scilicet, ut perueniant.

2. Ad has ergo nuptias Rex, id est, Deus Pater, inuitatos per intrinsecam admonitionem vocat, etiam per extrinsecam prædicationem, dicens seruis suis, id est, prædicatoribus: *Dicite inuitatis: Ecce prandium meum paratum, tanri mei & altilia mea occisa, & omnia sunt parata: venite ad nuptias.*

Nota, quod gaudium supernæ patriæ in loco isto prandium appellatur, propter ardentem appetitum quem electi etiam habebunt in illo gaudio superdulci. Ardentiores siquidem appetitum homines consueuerunt habere in prandio, quam in cœna. Alibi vero gaudium illud cœna vocatur, propter finalitatem, & perpetuitatem. Omnibus enim gaudiis huius mundi transactis & elapsis, illud sequetur, quod semper permanebit.

3. Quare autem venire debeamus ad nuptias, subditur ratio. *Quia videlicet tauri & altilia sunt occisa, & quia parata sunt omnia.* Per tauros intelliguntur sancti Apost. & Martyres, qui iugum Domini portauerunt, & aratum Dominicæ crucis traxerunt. Ipsi enim occisi sunt, & viam nobis ad nuptias Christi suo sanguine præparauerunt. 4. Per altilia, id est, per aues dominalitas siue nutritas, sanctæ Virgines figurantur: quæ licet tenerum corpus haberent, tamen martyrium pro Domino fortiter passæ fuerunt. Et haec nobis ad has nuptias suo exemplo viam fecerunt. 5. Omnia etiam parata

L eff.

esse nobis sancti Confessores, & vita bona, & doctrina recta sufficienter ostenderunt. Vnde venire iubemur ad nuptias. Sed heu, pauci veniunt.

De tertio nota, quod quatuor genera hominum ab his nuptiis excluduntur. Primi simpliciter venire noluerunt. Secundi & tertii neglexerunt; quia alius abiit in villam suam, alius in negotiationem suam. Quarti etiam non venerunt, sed tenuerunt seruos Regis, & contumelijs affectos occiderunt.

Primi, qui simpliciter venire noluerunt, significant Gentiles, Iudeos, & hereticos, qui in errore perfidiae sue ita sunt obstinati, ut plane venire nolint ad regnum. Possunt etiam per primos intelligi aliqui, qui ita inexorabiliter odrunt alios, ut dicant; Si ego iacerem in extremis, & iam moriturus essem, & scirem, quod semper in inferno ardere deberem: ego non remitterem ei, qui mihi tantam fecit iniuriam. Tales itaque catenati sunt rancore & odio, ut potius velint alienari à Christo, & damnari cum diabolo, quam eis ex corde remittere, qui eos læserunt verbo, vel opere.

Secundi etiam non venerunt; quia in villam suam abierunt: & per istos intelliguntur superbi. In villam enim ire, est dominium & principatum super alios querere. Superbi quippe, dummodo principari & dominari possint in hoc seculo, non curant de superno gaudio.

Tertij quoque non venerunt: quia ad negotiationem iuerunt. Per istos designantur auari. Auari denique propter nimias occupationes circa negotiationes seculi, & propter iniusta lucra transitorij boni, negligunt & amittunt possessionem æterni boni.

Quarti etiam non venerunt, imo seruos Regis tenuerunt, & contumelijs affectos occiderunt. Per istos autem notantur luxuriosi, qui seruos Regis, id est, prædicatores verbi Dei, quantum in eis est, tenent. Quantum enim poslunt, vel audent, impediunt, ne verbum Dei prædiceretur. Plures etiam ex illis, si poslent, & liceret eis, verbi Dei ministros & contumelijs afficerent, & occiderent: dicit etiam Apostolus ad Rom. 1. quod luxuriosi propria corpora contumelias afficiunt: ait enim sic: *Tradidit illos Deus*, id est, tradi permisit, *in desideria cordis eorum, in immunditiam: ut contumelias afficiant corpora sua insemetipsis.* De poena vero luxuriosorum dicitur in praesenti Euangelio; quod videlicet *Rex iratus, missis exercitibus suis, perdidit homicidas illos, & ciuitatem illorum succendit.* Ita & Deus Pater missis Angelis perdit luxuriosos, qui sunt homicidae, quantum in ipsis est, Dei & prædicatorum eius, nec non & animæ propriæ. Ciuitatem vero eorum, id est, corpora, æterno igne succendet.

De quarto nota, quod illi qui erant in exitibus viarum, à seruis Regis inuitati, venerunt, & nuptias impleuerunt. Illi sunt in exitibus viarum, qui mortem suam iugiter prospiciunt, & qui se credunt quotidie morituros. Et certe tales dignos se efficiunt, ut ad Christi nuptias introire mercantur. Quicunque enim mortis suæ efficaciter recordantur, student esse continentates, patientes, & obedientes: nituntur semetipsos per veram contritionem & per veram con-

fessionem à peccatorum maculis expiare, non negligunt eleemosynas suas pauperibus erogare, non cessant orationibus ac aliis bonis operibus inuigilare: videlicet ut cum ex corpore migruerint, ad Christi nuptias alacriter recipiantur: quia vestem nuptialem, id est, bona opera secum attulerunt.

De quinto nota, quod qui ad nuptias Filij Dei non venerit, quinque mala patietur: vide licet primo manuum ac pedum duram colligationem. Vnde dicitur: *Ligatis manibus & pedibus.* Secundo ex alto præcipitationem. Sequitur: *Mittite eum*, id est, proiicie. Tertio tenerbrarum horrorem. Sequitur: *In tenebras exteriores*, ubi tantum erit visio terribilium dæmonum. Quarto sustinebit fletum & æternum moerorem. Vnde sequitur: *Vbi erit fletus*, videlicet propter ignis acerbitudinem. Quinto patietur dentium stridorem. Sequitur: *Et stridor dentium*, qui erit propter frigoris intolerabilitatem. Rogate charissimi Dominum, ut sic bonis operibus infistamus, ut videlicet damnationem perpetuam euadamus, & ad Christi nuptias cum gudio veniamus. Quod nobis præstare dignetur idem Iesus in secula benedictus, Amen.



## IN DOMINICA XXI.

post Trinitatem

### S E R M O LXXXV.

*Domine, descende priusquam moriatur filius meus.*

Ioan. 4.

In praesenti Euangelio tria principali-ter sunt notanda.

- I. *Quid per regulum qui accessit ad Dominum rogaturus, intelligatur?*
- II. *Quid significetur per filium reguli qui apud Capharnaum infirmatur?*
- III. *Quid per horam septimam in qua filius reguli conualnit, exprimatur?*



E primo nota, quod per regulum quilibet homo intellegitur. Quilibet enim homo sub illo magno & æterno Rege cælorum quasi quidam regulus existit. Suscepit quippe de manu Domini regnum cordis, & quinque sensuum suorum gubernandum. Cor namque, & quinque sensus hominum sunt quasi sex ciuitates. Populus harum ciuitatum sunt cogitationes, locutiones, & operationes.

Iste regulus ut bene regat regnum suum, iugiter sedere debet in solio iudicij, ut continuo discutiat, si cogitationes, locutiones, ac operationes suæ dignæ sint cælesti præmio, vel infernali supplicio: ut sic ea, quæ digna sunt supplicio, proscribat, & abiiciat: illa vero, quæ cælesti præmio digna sunt, amplexetur, & foueat. Vnde dicitur Proverb. 21. *Rex qui sedet in solio iudicij, dissipat omne malum intuitu suo.* Intuitu videlicet iudicariæ discussionis.

De secundo nota, quod per filium reguli ipsa anima, vel spiritus hominis intelligitur: quem filium apud Capharnaum infirmari contingit. Capharnaum quippe interpretatur ager pinguedinis, vel villa consolationis, & significat abundantiam secularem, & voluptatem carnalem. Abundantia namque secularis, & voluptas carnalis sapissime sunt occasio & causa, quod anima vel spiritus hominis infirmatur infirmitate peccati. Quod abundantia secularis nocua sit animæ sive spiritui, per hoc manifeste probatur, quod sapiens sic orat ad Dominum Proverb. 30. *Divitias ne dederis mihi: tribue tantum vieti meo necessaria, ne forte satiatus illiciar ad negandum, & dicam: Quis est Dominus?* Diuites ergo huius mundi incident in vanitatem cordis, & obliuionem Dei. Et certe hæc est infirmitas maxima: dicit enim aliquis abundans in hoc seculo: *Dives sum, & locupletatus, & nullus egeo; & nescit, quia ipse est miser, & miserabilis, & pauper, & cæcus, & nudus;* sicut dicitur Apoc. 3.

Voluptas etiam carnalis sepe facit animam sive spiritum infirmari per peccatum maxime luxuriæ. Vnde dicitur in Psal. 72. *Prodiit quasi ex adipe iniquitas eorum,* id est, luxuria eorum prouenit ex voluptate & satietate corporali. Vnde dicitur Deuter. 32. *Incrassatus, impinguatus, dilatatus, dereliquit Deum factorem suum, & recessit a Deo salutari suo.* Multi ergo per satietatem corporalem recedunt a Deo salutari, & adhærent immundæ fornicatrici, sed certe *finis eorum est interitus sempiternus.*

Igitur quicunque intellexerit per gemitum & tremorū conscientiæ animam suam sive spiritum per qualecumque peccatum infirmari, necesse habet, vt pedibus desideriorum, & affectuum vadat ad Iesum, ac supplices preces fundat ad ipsum, sic inquiens: *Domine priusquam moriatur filius meus.* Quasi diceret: O Domine, scio, quia tibi proprium est misereri semper & parcere: descendit igitur per compassionem & misericordiam, & lana animam meam, quæ grauiter infirmatur, priusquam morte moriatur æterna.

De tertio nota, quod ad curationem seu salvationem spiritus sive animæ, per peccatum inpeccatum infirmatae, septem horaæ requiruntur. Prima hora est, quod homo recognoscat, quod a Deo sit creatus. Secunda est, quod etiam sciat, ad quid sit creatus. Tertia est, quod recolat, quæ mandata a suo Creatore acceperit. Quarta est, vt videat, si contra aliquod mandatum peccauerit. Quinta est, vt peccata vtpote vilia detestetur. Sexta est, vt futuri iudicij attente memoretur. Septima est, vt pro peccatis suis intime doleat, & conteratur.

Prima itaque hora est, quæ requiritur ad curationem, vt videlicet homo recognoscat, a quo sit creatus. Iumento enim similis est homo, qui

non agnoscit Creatorem suum. Quis autem nos creauerit, ostendit Psal. ita dicens: *Scitote quoniam Dominus ipse est Deus: ipse fecit nos, & non ipso nos.* Improperat Deus peccatori, quod oblitus sit sui ita Deut. 22. *Deum qui te genuit, dereliquisti, & oblitus es Domini creatoris tui.*

2. Hoc igitur qui attendit, a quo sit creatus, debet etiam scire, ad quid sit creatus: & hæc est secunda hora. Creatus autem est homo ad hoc, vt seruat Creatori suo. Hinc dicitur Deut. 20. *Israël, quid Dominus Deus tuus petit a te, nisi ut timeas Dominum Deum, & ambules in viis eius, & diligas & seruas Domino Deo tuo in toto corde tuo, & in tota anima tua?*

3. Ut vero homo competentius possit seruire Creatori suo, oportet ut recolat, quæ præcepta a Domino creatore suo recepit: & hæc est tertia hora. De præceptis autem Dominicis dicit Deut. 4. *Scito & cogita in corde tuo, quod Dominus ipse sit Deus in celo sursum, & in terra deorsum: & non sit alius.* Cujusodi præcepta eius atque mandata, ut bene sit tibi, & filiis tuis post te, & permaneas multo tempore super terram, quam Dominus Deus tuus datus est tibi. Sequitur in quinto capitulo: *Non habebis deos alienos in conspectu meo: ego enim sum Dominus Deus tuus.* Non usurpabis nomen Domini Dei frustra vel in vanum: quia non erit impunitus, qui super re vanam nomen eius assumpserit. Observa diem sabbati, ut sanctifices eum, non facies in eo quidquam operis. Honora patrem tuum & matrem tuam, ut longo vias tempore, & bene sit tibi in terra, quam Dominus Deus tuus datus est tibi. Non occides, non machaberis, furtumque non facies. Non loqueris contra proximum tuum falsum testimonium. Non concupisces uxorem proximi tui, non agrum, vel dominum, non seruum, &c. & inuenia quæ illius sunt. Ecce decem præcepta Domini, quæ quilibet seruare tenetur.

4. Qui vero præcepta Dei accepit, debet attendere, si contra aliquod illorum peccauerit: & hæc est quarta hora. Debet enim homo sollicite apud semetipsum conferre de obseruantia mandatorum Dei, & studiose perscrutari teneatur, si contra aliquod illorum deliquerit. *Quicunque enim offendit in uno, factus est omnium reus.* Proper quod dicit Iacob. 2. *Quicunque totam legem seruauerit, offendit autem in uno, factus est omnium reus.*

5. Si vero inuenierit homo se contra mandata Dei peccasse, debet etiam peccati vilitatem considerare, vt peccatum eo fortius detestetur: & hæc est quinta hora. Omnibus enim scordibus vilius est peccatum. Vnde dicit Seneca Philosophus: *Si scirem deos ignoscituros, homines autem ignoraturos, adeo vile est peccatum, quod peccatum dedigneret.*

Qui igitur vilitatem peccati considerat, debet etiam strictissimi iudicij memorari: & hæc est sexta hora. Apud quem enim tunc peccati vilitas inuenta fuerit, inæstimabiliter confundetur. De hac conuersione dicit Ierem. 2. *Quomodo confunditur fur quando deprehenditur, sic confusi sunt domus Israel,* id est, mali Christiani.

Qui igitur districtissimi iudicij recordatus fuerit cum effectu, necesse est, vt pro peccatis suis, & grauissima Dei offensione doleat, ac acriter conteratur; & hæc est hora septima, in qua æternæ salutis anima, quæ colebat vilitatem peccatorum, de cætero contritionem eorum plenarie

habeat. De hac hora dicitur Ioan. 4. in hodierno Euangelio : *Hec hora septima reliquit eum febris*, videlicet auaritiae, & luxuriæ. Per auaritiam quippe filius hominis, id est, anima sive spiritus eius frigus patitur inordinatum. Per luxuriam etiam calore exardescit inordinato. Qui autem vere contritus fuerit, reliquit eum ista febris. Contritio vero, ut plenum virtutis suæ consequatur effectum, debet habere duos comites, videlicet, purissimam confessionem, & voluntariam satisfactionem. Rogate ergo, charissimi, Dominum, ut sic pro peccatis nostris conteramur, ut vitam æternam aſſequi mereamur. Quod nobis præstare, &c.



## IN DOMINICA XXII. post Trinitatem SERMO LXXVI.

*Cum capisset homo Rex rationem ponere cum seruis suis, oblatus est ei unus qui debebat decem millia talenta, &c.*  
Matth. 18.

In præsenti Euangelio quatuor sunt notanda.

- I. *Quid per hominem Regem qui rationem cum seruis suis posuit, intelligatur?*
- II. *Quid per rationem quam Rex iste a seruis suis exquirit, accipiatur?*
- III. *Quid per illum qui decem millia talenta debebat, exprimatur?*
- IV. *Quid facere debet decem millium talentorum debitor, ut ei omne debitum dimittatur?*



E primo nota, quod per hominem Dei Filius intelligitur, videlicet Iesus Christus. De isto homine dixit Caiphas Ioan. 11. *Expedit vobis, ut unus moriatur homo pro populo, & non tota gens pereat.* Quod etiam Iesus sit Rex, testatur per semetipsum Ioan. 18. vbi cum Pilatus quereret ab ipso: *Tu es Rex Iudeorum?* Respondit: *Regnum meum non est de hoc mundo: si de mundo hoc esset regnum meum, ministri mei utique decertassent, ut non traduceret Iudeis.* Ideo in cælo est regnum Iesu: ibi enim regnat cum electis suis; unde cantatur: *O quam gloriosum est regnum, in quo cum Christo regnant omnes Sancti, amicti stolis albis, & sequuntur Agnum, quocunque ierit.*

De secundo nota, quod per rationem, quam iste homo Rex cum seruis suis est positurus, significatur examinatio meritorum, sicut dicit Glossa. Hanc autem Dominus particulariter facit in morte vniuersusque, sed generaliter eam

faciet in die iudicij. De hac dicitur in Psal. 16. *Probaſti cor meum, & visitasti nocte: igne me examinasti, &c.* Dominus enim nocte, id est, in morte, quando videlicet sol materialis occidit hominibus, vniuersusque cor probat, linguam visitat, & opus examinat, & hoc igne, id est, sapientia & austerritate iudicaria. In igne quippe duo notantur, lux, & ardor. Per lucem intelligitur sapientia Iudicis. Per ardorem austerritas eiusdem figuratur. Per sapientiam quippe nullius facinus pertransit indiscutibilem. Per austerritatem vero nullum peccatum relinquit impunitum.

Quod autem Dominus in morte cor hominis probet, sive scrutetur declarat per Ierem. 17. *Ego Dominus scrutans corda, & probans renes: qui dominicuſque iuxta viam suam, & iuxta fructum ad inuentionum suarum.* Dicitur etiam Sap. 1. *In cogitationibus impij interrogatio erit.* 2. Quod etiam linguam sit iudicialiter visitaturus Dominus, per semetipsum testatur Matth. 12. *Dico vobis, quoniam de omni verbo otioso, quod locutus fuerit homo, reddet rationem de eo in die iudicij.* Ex verbis enim tuis iustificaberis, & ex verbis tuis condemnaberis. 3. Quod etiam opera nostra Dominus sit examinatus, afferit Paulus 2. Cor. 5. ita dicens: *Omnes nos manifestari oportet ante tribunal Christi, ut referat unusquisque propriam corporis, prout gessit, sive bonum, sive malum.* Necessearium igitur est nobis, charissimi, ut hanc iudicariam examinationem semper ante mentis oculos habeamus: & sic nos præparemus, quasi hodie, vel cras de omni locutione, cogitatione, & opere rationem simus coram Deo reddituri. Quis etiam scit vtrum cras sit victurus? Vnde Seneca: *Ego certe, velut ille, latus sententiam de omnibus annis meis, dies veneris, ita me obserua & alloquer.*

De tertio nota, quod per illum qui decem millia talenta debebat, transgressor sive violator decem mandatotum Domini figuratur. Cuiuslibet enim transgressio, quasi pondus est mille talentorum, quod miserum peccatorem demergit in infernum. Vnde dicitur de violatoribus præceptorum Dei Exod. 15. *Submersi quasi plumbeum in aquis vehementibus, id est, in aquis infernaliibus vix aternum habentibus.* Vnde etiam dicitur Isa. 24. de anima peccatrice: *Grauat eam iniquitas sua, & corruet, & non adiiciet ut resurgat.*

Primum igitur præceptum dicit: *Non habebis deos alienos coram me.* Hoc præceptum violant omnes, qui mulierem, vel numen, vel ventrem, vel aliam quamcunque rem temporalem amoris vel cultui diuino præponunt. Hoc etiam præceptum violant mulieres, quæ sortilegia, & incantationes, & maleficia faciunt, & qui in talibus confidunt. Secundum præceptum dicit: *Non assumes nomen Dei tuū in vanum.* Istud violant, qui periuria committunt, & qui etiam sine causa iuramenta emittunt. Tertium præceptum dicit: *Memento ut diem sabbati sanctifices.* Hoc mandatum violant, qui in Dominicis diebus ac aliis solemnitatibus sine licentia & magna necessitate in bigis vadunt & curribus, & qui tunc choreas ducunt, & cum globis & taxillis ludunt, & qui tunc tantum ventri & ebrietatibus intendunt. Quartum præceptum ait: *Honorā patrem tuum & matrem tuam.* Hoc præceptum violant, qui circa parentes suos proterui sunt,

sunt, & qui eos in sua senectute despiciunt, nec eis in suis necessitatibus assistunt. Quintum præceptum dicit: *Non occides.* Huius præcepti violatores existunt manuales occisores & detraetores, illiusque, qui proximos suos odiunt, & qui eis mortem, vel aliquam ægritudinem, vel etiam damnationem imprecantur æternam. Sextum inquit: *Non mæchaberis.* Hoc præceptum violent fornicatores, & adulteri, & incestuosi, & sodomitici, & omnis luxuria sectatores, qualitercumque ipsa perpetretur. Septimum præceptum dicit: *Non furtum facies.* Huius præcepti violatores existunt fures, raptore, incendiarij, telonearij, vslaraij, falsarij, & omnes auari. Octauum præceptum ait, *Non falsum testimonium dices.* Hoc præceptum violent mali aduocati, qui iustas causas opprimunt, & qui tuentur iustas, qui etiam innocentes accusant, & qui innocentibus per testimonium calumniae coram iudicio seculari bona sua auferunt. Nonum præceptum: *Non concupisces uxorem proximi tui.* Huius mandati violatores sunt, qui in luxuriosis cogitationibus delectantur, & vellent fornicari, si liceret eis & possent. Decimum præceptum dicit: *Non desiderabis rem proximi tui.* Hoc præceptum violent, qui bona proximorum, & res contra legem iustitiae vel acquirere, vel poscidere desiderant.

Transgressores itaque omnium decem præceptorum sunt, quasi debitores decem millium talentorum. Hos Dominus cum suo iudicio fuerint præsentati, præcipiet venundari, & vxorem eorum, & filios, & reddere omnia, quæ habent, & reddere ea quæ tenentur. Hæc venundatio est æterna damnatio. Omnis enim qui mortuus fuerit in peccato mortali. venundabitur, id est; suppliciis æternis condemnabitur. Vxor etiam sua, id est, conscientia, & filii eius, id est, opera, & omnia membra quæ habent cum Christo, venundabuntur, id est, aternaliter damnabuntur, vt videlicet persoluat in pœna, quæ commisit in culpa.

De quarto nota, quod tria facienda sunt peccatori, vt omne debitum dimittatur. Primum est, vt coram Domino se prosternat, vnde dicitur: *Procidens autem seruus ille.* Secundum est, vt ea, quæ neglexit, vel egit, se emendare promittat; vnde sequitur: *Rogabat eum dicens: Patientiam habe in me, & omnia reddam tibi.* Tertium est, proximo suo hoc quod in se deliquit, ex corde dimittat. Igitur vt consequamur veniam peccatorum nostrorum, quasi iam diuino iudicio assistentes, debemus nos primo coram Domino prosternere per veram contritionem. Vnde dicitur, quod *procidit seruus ille*, id est, pronus cecidit, quasi manus, pedes, caput, & totum corpus offerens Domino: & hoc fit per contritionem. Vera quippe contritio totum corpus offert pœnitentia. Secundo promittere debeamus, quod velimus bona quæ negleximus, & mala quæ commisimus, omnia recuperare, & emendare per plenam satisfactionem. Vnde etiam dicebat ille: *Patientiam habe in me, & omnia reddam tibi.* Quasi diceret: Permitte me diutius viuire, & ego totum emendabo, quod peccavi. Tertio debemus proximis nostris, qui nos offendunt, ex toto corde dimittere.

Quod quia non fecit seruus ille, cui Dominus  
D. Alberti Magni Serm.

decem millia talentorum dimiserat; sed tamen à seruo suo tam impatienter extorsit centum denarios: *Vocavit eum Dominus, & omne debitum quod dimiserat, reperiit, & exegit per tortores.* & hoc valde terribile est exemplum omnibus his, qui nolunt iniurias sibi illatas ex corde dimittere. Vnde etiam Dominus in conclusione huius Euangelij dicit: *Sic & Pater mens celestis faciet vobis, si non remiseritis uniusquisque fratri suo de cordibus vestris.* Rogate ergo Dominum, vt sic debitoribus nostris dimittamus, vt à nostris debitibus absoluti societatem supernorum ciuium attingamus.

## IN DOMINICA XXIII. post Trinitatem

### S E R M O L X X V I I .

*Magister, scimus quia verax es, & viam Dei in veritate doces, & non est tibi cura de aliquo. Matth. 22.*

Quatuor sunt hic notanda.

- I. *Quis sit iste qui magister appellatur?*
- II. *Quæ veritas ab eo discatur?*
- III. *Qualiter via Dei ab ipso doceatur?*
- IV. *Quomodo de nullo cura ipsi habentur?*



E primo nota, quod magister iste est Iesus Christus. Hunc enim Martha Magistrum appellat ita dicens ad Mariam Magdalenam sororem suam Ioan. 11. *Magister adest, & vocat te.* Ipse etiam Iesus per semetipsum testatur, quod sit Magister, ita loquens ad Discipulos suos Ioan. 13. *Vos vocatis me Magister, & Domine, & bene dicitis. Sum etenim.*

Dominus igitur Magister appellatur, quia docet nos quadrupliciter. 1. Docet enim nos per semetipsum: & hoc per internam inspiracionem; multoties namque Dominus loquitur homini in corde. Dissuadet enim ei malum, & inuitat eum ad bonum; vnde dicitur Eccl. 3. *Sapientia filii suis vitam inspiravit, & suscepit exquirentes se.* Sapientia, sicut dicit Glos. est Christus qui filios, id est, eos, quos creauit, per doctrinam inspirationis ad vitam inuitat æternam. Cauere itaque debemus, vt monet nos Psal. 94. *Ne, cum vocem eius audierimus, obduremus corda nostra.*

Secundo docet nos per Angelos. Angeli etenim saepius per revelationem diuinæ voluntatis, docent homines intrinsecus in aure cordis: vnde dicit Zach. 4. *Angelus, qui loquebatur in me, suscitauit me, quasi virum qui suscitatur à somno suo.* Angeli quippe Christi, quia solliciti sunt de

L 3 salute

salute animarum nostrarum, quasi boni custodes saepe suscitant nos de somno pigritia, & instigant ad seruitium Creatoris nostri. Beatus ergo fiet, qui doctrinam eorum operibus fuerit allecurus.

Tertio docet nos per homines, id est, per Prædicatores & Sacerdotes, & per quoslibet alios, qui nos vel verbo vel exemplo ad salutem inuitant: quorum certe doctrina non est contemnenda. Dicit etiam Luc. 10. *Qui vos audit, me audit: & qui vos spernit, me spernit.* Cum enim præcōnes vitæ aternæ contegnuntur, ipse Christus reputat se contemptum.

Quarto docet nos Magister Iesu per creaturas. Propter hoc dicit etiam Iob 12. *Interrogauimenter, & docebunt te, & volatilia celi, & indicabunt tibi. Loquere terre, & respondebit tibi, & narrabunt pisces maris,* id est, iumenta, quæ dicuntur quasi iumenta, eo quod adiuuent nos in laboribus nostris; docent nos mutuam charitatem, vt videlicet sicut ipsa nos adiuuant, ita & nos nobismetipſis altrinsecus in nostris necessitatibus subueniamus. Hinc dicitur 1. Pet. 4. *Ante omnia mutuam in vobis metipſis charitatem habentes continuam: quia charitas operit multitudinem peccatorum.* Hinc etiam dicit Apostolus ad Galat. 1. *Alter alterius onera portate: & sic amplebitis legem Christi.* 2. Volatilia celi quæ suo volatu petunt sublimia, docent nos exemplo suo contemplationis & desiderij sublimitatem. Vnde & Paulus aues nos imitari desiderans monet nos ad Colof. 3. *Quæ sursum sunt querite, ubi Christus est in dextera Dei sedens: quæ sursum sunt sapientia, & non quæ super terram.* Terra, quæ non solum hominum, sed & pecudum pedibus & bestiarum teritur, docet nos obedientiam, & humilitatem. Vnde & Petrus loquitur 1. 2. *Serui subditi estote in omni timore Dominis vestris, non tantum bonis & modestis, sed etiam discolis.* Pisces qui in amaro mari fluctibus tunduntur & procellis, docent nos patientiæ lenitatem. Vnde Iacob. 1. hortatur dicens: *Omne gaudium existimat fratres, cum in tentationes varias incideritis, scientes quod probatio fidei vestra patientiam operatur. Patientia autem opus perfectum habet.* Male seruatur hodie doctrina iumentorum, & volatilium, & terræ, ac piscium. Pauci quippe sunt, qui proximis suis fideliter subueniant, & qui superna vincere cupiant, qui etiam humiliiter obdiant, & qui aduersa patienter sustineant.

De secundo nota, quod quamvis veritas, quam iste verax Magister docet, multiplex sit & inexplicabilis sermone: hoc tamen ad præfens notandum est, quod ipse afferit, nullum posse intrare in regnum cælorum, nisi sit humilis, pauper, & mundus. Sed heu paucissimi sunt, qui factis ostendant se huic credere veritati. Vnde dicit Dominus Joan. 8. *Si veritatem dico vobis, quare non creditis mihi?*

Primo igitur afferit, quod non superbus, sed humilis intraturus sit in regnum cælorum. Vnde dicit Matth. 23. *Amen dico vobis, nisi conuersi fueritis, scilicet à superbia, sicut parvuli, non intrabitis in regnum cælorum.* Item dicit Mar. 10. *Sinite parvulos venire ad me, & ne prohibueritis eos: talium enim est regnum cælorum.* Amen dico vobis, quisquis non receperit regnum Dei velut parvulus iste, non intrabit illud; & complexans eos, & impo-

nen: manus super eos benedicebat eos. Per parvulos humiles figurantur, quibus ianua cælestis regni patet, quos etiam Dominus amplexatur, ut filios charissimos. Manus quoque illis imponit, ac benedicit eos, ut videlicet sint Reges & Sacerdotes in regno suo.


Secundo afferit, quod pauperes intrabunt in regnum cælorum, & quod diuites difficile, imo impossibile introitum habeant in regnum cælorum. Ait etiam Matth. 10. *Filioli, quam difficile est confidentes in pecunias in regnum Dei introire! Facilius est per foramen acus camelum transire, quam diuitem intrare in regnum Dei.* Nota, quod per diuitem in loco isto talis intelligitur, qui diuitias male acquisiuit; vel etiam si posset, acquirere vellet iniuste. Diues etiam dicitur hic, qui res ex licto habitas, nimis auarc detinet, & plus in eis quam in Deo confidit. Talis diues non potest intrare in regnum Dei. Per pauperem vero intelligitur ille, qui licet res habeat sufficietes ex iusto testimonio vel proprio labore rite conquistas; non tamen in eis confidit, nec cor ipsis apponit, sed necessitates suas ac suorum partim ex eis accipit, & partim eas cum pauperibus diuidit. Pauper etiam est, res temporales non habens, & hoc in patientia sustiens. De talibus pauperibus dicit Dominus Matth. 5. *Beati pauperes spiritu, quoniam ipsorum, &c.*

Tertio afferit veritas, quod tantum ille qui mundus fuerit, intrabit in regnum cælorum; vnde dicit Matth. 19. *Sunt eunuchi, qui seipso castraverunt propter regnum Dei: qui potest capere, capiat.* Seipsum castrare est castitati consecrare. Castitas autem tres gradus complectitur, videlicet coniugalitatis, vidualitatis, ac virginitatis. Qui in ipsis tribus gradibus non fuerit inuentus, non mundus reputabitur, sed immundus: & talis in aulam Dei imundissimum non potest introire. *Nihil enim coquinatum introibit in illam:* sicut dicitur Sap. 7.

De tertio nota, quod via Dei, quam Iesu docet, est via iustitiae. Hanc viam docet, vbi dicit: *Reddite quæ sunt Cesaris, Césari: & quæ sunt Dei, Deo.* Per Cæsarem intelligitur omnis homo, cuiuscunque sit conditionis, vel officij, vel dignitatis. Via igitur iustitiae in his duobus consistit, ut videlicet ea, quæ sunt hominum, hominibus persoluamus; & quæ Dei, Deo reddamus. Ad primum inuitat nos Apostolus ad Rom. 13. *Reddite omnibus debita: cui tributum, tributum: cui vectigal, vectigal: cui timorem, timorem: cui honorem, honorem.* Dicit etiam Augustinus: *Non dimittitur peccatum, nisi restituatur ablatum.* Debeimus etiam Deo reddere, quæ sunt Dei, videlicet, omnium possessionum nostrarum decimam, & corpus, & animam. Ipse enim nobis possessiones temporales sua largitate donauit, & ipse nobis animam inspirauit.

De quarto nota, quod dicitur Domino non esse cura de aliquo, quod videlicet non respicit personas hominum. Non enim propter abundantiam temporalem, vel potentiam secularem dat alicui hominum eo facilis vel gratiam in præsenti, vel gloriam in futuro, imo pauperculo alicui & humili eo facilis elargitur. Vnde ipse dicit Isa. 66. *Ad quem respiciam, nisi ad pauperculum & contritum spiritu, & trementem sermones meos?*

meos? Rogate ergo Dominum, ut sic doctrinam suam exequiamur, quatenus ad claritatem vultus eius peruenire mereamur. Quod nobis praestare dignetur, &c.



## IN DOMINICA XXIV. post Trinitatem.

### S E R M O L X X V I I I .

*Est puer unus hic, qui habet quinque panes hordeaceos, & duos pisces. Marc.6.*

Quatuor sunt hic notanda.

- I. *Quid per puerum qui quinque panes, & duos pisces habuit, intelligatur?*
- II. *Quid per ipsos quinque panes, & duos pisces exprimatur?*
- III. *Quae sint quinque millia hominum, quæ ex panum & piscium fraktione satiata leguntur?*
- IV. *Qui sint duodecim cophini, qui ex eisdem panibus & piscibus colliguntur?*



E primo nota, quod per puerum istum Dei Filius intelligitur. Ipse enim est puer ille, de quo dicit Isa. 11. *Vitulus, & leo, & onus simul morabuntur: & puer parvulus minabit eos.* Per vitulum qui olim

Domino immolari solebat, intelliguntur boni Christiani carnis lasciuiam propter Dominum in semetipsis mortificantes. Per leonem qui fortis est & robustus, notantur diabolo & peccatis strenue repugnantes. Per ouem, quod est animal simplex & patiens, significantur aduersa huius mundi propter Deum patienter & humiliter tolerantes. Hos itaque puer Iesus virga suæ benignitatis minat ad pascua paradisi Domini.

De secundo nota, quod per quinque panes hordeaceos & duos pisces septem intelliguntur, quæ Dominus propter salutem nostram fecit in mundo: per quæ etiam non tantum quinque millia hominum, imo incomparabiliter plusquam decies centena millia hominum refecit & satiavit in hoc mundo. Et bene panes isti dicuntur hordeacei fuisse. Hordeum quippe acutas & pungitius habet aristas. Ita certe & Iesus graues penalitatum secundum humanam naturam patiebatur aculeos, quando hos panes administrabat huic mundo.

Primus panis fuit secundum carnem mundi ingressio. Secundus fuit multi laboris in mundo perpeccio. Tertius fuit salutaris prædicatio. Quartus fuit fidelis oratio. Quintus fuit in cruce sui corporis immolatio. Duo pisces sunt consolatoria. Resurrectio, & dulcis in cælum Ascensio. In ipsis quinque panibus & duobus

piscibus totas mundus sufficientissimam inuenit refectionem. De ipsis panibus dicit Eccl. 31. *Splendidum in panibus benedicent labia multorum.* Vere enim labia vniuersorum debent benedice-re Iesum, qui se per pietatem valde splendidum ostendit in exhibitione panum istorum.

Primus igitur panis quem Dominus dedit huic mundo, fuit mundi huius corporalis ingressio. Natiuitas enim Iesu mirabiliter reficit & consolatur quemlibet Christianum. In natiuitate itaque panis ille Angelorum, qui decoctus fuerat igne Spiritus sancti in cibano virginis utri, repositus fuit in præsepio: & hoc in Bethlehem, quæ domus panis interpretatur, ut videlicet quis famelicus accurreret & vesceretur ex eo. Tria denique circa Christi natiuitatem specialiter sunt intuenda, videlicet, eximia humilitas, multa paupertas, & ingens asperitas. 1. Nonne fuit eximia humilitas, quod natiuitatem suam celebrari voluit in stabulo, cum nasci poterat si voluisse, in imperiali palatio? Confundantur ergo qui litigant de excelsioribus locis habendis in choro, vel in Ecclesijs. 2. Nonne etiam multa paupertas fuit ibi, ubi Virgo cum peperisset Filium suum primogenitum, pannis cum inuoluit vilibus, ut dicit Glossa, & sic in præsepium eum reclinavit? Confundantur ergo qui tam solliciti sunt, ut pretiosis ac delicatis pannis corpus suum vestiant, cito à vermbus in tumulo corrodendum. 3. Ingens etiam asperitas accurrit ad natiuitatem Christi. Corpus enim Christi tenerimum vilibus pannis, & forsitan etiam duris inuoluitur, & sic super fœnum minus molle tam tenerimo corpori reponitur. Octauo etiam die circumciditur, quæ circumcisio fuit parvulo non paruum martyrium. Erubescant igitur qui corpori suo cito in cinerem reuersuro, tantum præparant commodum, ut etiam molles culcitrae reputent fibi nimis esse duras.

Secundus panis est multi laboris in hoc mundo perpeccio. Iste panis similiter frangendus est in tria. Triplex enim fuit labor Christi principali. Laboravit enim famem & sitim quam pluries partiendo. Laboravit fatigaciones ac lassitudines in itinere sustinendo. Laboravit etiam iniquorum graues calumnias ac insidias perferendo. Quod Dominus famem passus fuit, testatur Matth. 4. *Cum ieunasset, inquit, Iesus quadraginta diebus & quadraginta noctibus, postea esurist.* Dicit etiam Mar. 11. *Altera die, cum exiret de Bethania esurist.* De siti etiam Dominus dicitur Ioan. 3. *Quod Iesus sitiens, dixit ad mulierem. Da mihi bibere.* Quod etiam lassitudines & fatigaciones in itinere sustinuisse, dicitur Ioan. 4. *Iesus fatigatus ex itinere, sedebat sic super fontem.* Ipse etiam dicit in Psal. 61. *Cucurri in siti.* Dominus etiam pertulit graues insidias ac calumnias Iudæorum. Ipsi enim obserabant eum, & tentabant, & sæpe capere laborabant. Vnde dicit Luc. 20. *Sacerdotes & Scribe obseruantes insidiatores miserunt, qui se iustos simularent, ut caperent eum in sermone, & traducerent eum principatus & potestati presidis.* Omnes ergo qui fame & siti cruciantur, & qui in itinere fatigantur, nec non & qui per malitias hominum perturbantur, si panem istum masticauerint, fine dubio in suis laboribus confortabuntur.

Tertius panis est salutaris prædicatio. Vnde dicit Luc. 8. Iter faciebat Iesus per ciuitates & castella prædicans & euangelizans verbum Dei. Dicit etiam Matth. 4. Circubat Iesus totam Galileam, docens in synagogis eorum, & prædicans Euangelia verbis Dei, & sanans omnem langorem & omnem infirmitatem in populo. Prædicatio vero Domini licet multiplex fuetit, maxime tamen consistit in quatuor. Et hæc sunt quatuor frusta panis huius.

Docebat enim homines à peccatis recedere. Item docuit eos caste, pie, & iuste viuere. Docuit etiam eos regnum Dei appetere, nec non & inferni supplicia fugere. De primo dicit Matth. 4. Cœpit Iesus prædicare & dicere: Pœnitentiam agite, appropinquavit enim regnum cœlorum. Ille vero à peccatis recedit, qui pœnitentiam agit, Pœnitere enim est, vt ait August. anteacta deflere, & deflenda non committere.

Secundo docuit nos caste & pie viuere. De castitate dicit Matth. 5. Audistis, quia dictum est antiquis: Non mœchaberis. Ego autem dico vobis, quoniam omnis qui viderit mulierem ad concupiscendam eam, iam mœchatus est eam in corde suo. Dicit etiam Dominus Luc. 12. Sint lumbi vestri præcincti, per continentiam videlicet, & castitatem. De iustitia dicit Luc. 6. Prout vultis ut faciant homines vobis, & vos facite illis similiter. De pietate ibidem: Diligite inimicos vestros, & benefacite, & mutuum date nihil inde sperantes; & erit merces vestra multa, & eritis filij Altissimi; quia ipse benignus est super ingratos & malos.

Tertio docet nos regnum cœlorum appetere, vnde dicit Matth. 6. Nolite thesaurizare vobis in terra, ubi ærugo & tinea demolitur, ubi fures effodiunt & furantur. Thesaurizate vobis thesauros in cœlo, ubi nec ærugo nec tinea demolitur, & ubi fures non effodiunt, nec furantur: ubi enim est thesaurus tuus, ibi est & cor tuum. Monet igitur nos Dominus regnum Dei appetere, ubi nec ærugo superbiæ, nec tinea inuidiæ, neque fur etiam auaritiae sumnum bonum potest auferre.

Quarto docet nos inferni supplicia fugere, dicens Matth. 13. Mittere Filius hominis Angelos suos: & colligent de regno eius omnia scandala, & eos qui faciunt iniquitatem, & mittent eos in caminum ignis. Ibi erit fletus & stridor dentium. Tunc iusti fulgebunt sicut sol in regno Patris. Qui habet aures audiendi, audiat. Quasi dicat. Suadeo vobis, ne alicui scandalum, id est, occasio peccati existaris, nec etiam iniquitatem aliquam facias; ne videberis in caminum ignis, id est, in infernum mittamini, ibique fletum & stridorem dentium pati minis; sed potius in cœlo claritatem solis assequamini.

Quartus panis est fidelis oratio. De hac oratione dicit Ioan. 17. Sublevatis oculis Iesus in cœlum dixit: Pater sancte, serua eos in nomine tuo, quos dedisti mihi, ut sint unum, sicut & nos: non rogo, ut tollas eos de mundo, sed ut serues eos à malo, sanctifica eos in veritate. Non pro eis autem rogo tantum, sed & pro eis, qui credituri sunt per verba eorum in me, ut omnes unum sint, sicut tu Pater in me, & ego in te, & ut ipsi in nobis unum sint. Pater volo, quos dedisti mihi, ut ubi sum, & illi sint mecum, ut videant claritatem meam, quam dedisti mihi. Nota, quod quatuor petit hic Iesus orans ad Patrem suum. Primum est, ut in unitate charitatis & fidei con-

gregemur, vt videlicet sit una fides nobis, & unum cor in Domino. Secundum est, ut ab omni malo conseruemur. Tertium est, ut in bono proficiamus. Quartum est, ut suam claritatem videamus. Quis non confitebitur, & non consolabitur ex hoc, quod Dominus tam fideliter pro Christianis suis orat: Vere confortatoris est panis iste.

Quintus panis est ipsius Christi in ara crucis immolatio. Iste etiam frangendus est in tria frusta. Considerare quippe debemus in Iesu in ara crucis immolationem summam, patientiam miram, benevolentiam & imitabilem sapientiam. Summam patientiam ostendit ibi, ubi dixit ad Patrem Luc. 23. Pater dimitte illis: non enim scunt quid faciunt. Miram benevolentiam manifestauit, quando latroni paradisum aperuit, dicens ad eum Luc. 23. Amen dico tibi: Hodie tecum eris in paradiſo. Benevolentiam etiam suam per hoc declarauit, quod matrem plorantem Discipulo commendauit, ita dicens Ioan. 19. Ecce mater tua: & ex illa hora accepit eam Discipulus in suam, subaudi, curam. Imitabilem sapientiam ostendit dicens ad Patrem Luc. 24. Pater in manus tuas commendabo spiritum meum. In hac sapientia Dominum imitari debemus, ut videlicet corpus nostrum, & animam, & quæcumque habemus, Deo Patri omni hora fideliter recommendemus. O quam felix est ille, qui panem istum, ut pote necessarium, iugiter habet repositum in mensa cordis sui.

Duo pisces sunt consolatoria Resurrectio, & dulcis ad cœlos Ascensio. Discipuli quippe, qui ex morte Domini fuerant contristati, mero modo ex ipsius Resurrectione consolati fuerunt. Vnde dicit Ioan. 20. Gauisi sunt Discipuli viso Domino. Videntes etiam euntem in cœlum præ cordis dulcedine iubilauerunt, & in Ierusalem cum magno gaudio redierunt, sicut testatur Luc. 25. Isti etiam duo pisces mirabiliter nos consolantur. Certissime quippe scire debemus, quod si Christum fuerimus imitati, quod videlicet corpora nostra in die iudicij resuscitabuntur in gloriâ, Christumque sequentur in requiem sempiternâ.

De tertio nota, quod per quinque millia hominum notantur illi, qui omnes quinque sensus suos interiores siue exteriores conuertunt ad servitium Christi. Legitur enim, quod illa 5000. hominum secuta fuerant Dominum, alias forsitan non fuissent ab eo refecta. Omnis igitur qui fecutus fuerit Dominum, sufficientem inueniet refectionem in panibus & piscibus memoratis.

De quarto nota, quod per 12. cophinos fragmentorum intelliguntur 12. gaudia, quæ inuenient in patria de mensa gratiæ ad mensam gloriæ transeuntes. Primum est gaudium, quod habebit homo ex fruitione gloriosissimæ Trinitatis. Secundum, quod habebit ex visione dulcissimæ humanitatis. Tertium, quod habebit ex intuitu illius Virginis, quæ est mater pietatis. Quartum est, quod dabitur homini in animæ suæ beatificatione. Quintum est, quod additur ei in corporis glorificatione. Alia 7. gaudia sunt, quæ habebit & assequetur homo ex societate Angelorum, Patriarcharum, Prophetarum, Apostolorum, Martyrum, Confessorum, & Virginum. Rogate ergo Dominum, ut sic per eum sustentemur in terris, ut ad ipsum mereamur pertingere in cœlis. Quod nobis præstare, &c.

D. ALBERTI



D. ALBERTI MAGNI,  
EPISCOPI RATISPOENSIS,  
DOCTRINA TOTO  
ORBE CELEBERRIMI,  
Ordinis Prædicatorum.

*ORATIONES SVPER EVANGELIA  
DOMINICALIA TOTIVS ANNI:*

*In quibus non tantum orantis affectus multiplicium petitionum habet formulas, verum & prædicans cum variis distinctionibus moralium flosculorum colligit fragmenta.*

Dominica prima in Aduentu Domini,

ORATIO

*Cum appropinquasset, Math. 21. Luc. 19. Mar. 11. Ioan. 12. Zacha. 11.*



Omine Iesu Christe, qui pro nobis venisti in carnem per unioñem diuinæ naturæ ad humanam : veni in mentem nostram per gratiæ infusionem , ut approxinquemus visioni tuæ pacis ad nos , ad Prælatos & proximos, per confessionis puritatem, obedientiæ humilitatem, & misericordiæ sublimitatem. Mitte ibi duos discipulos : ordinatum timorem & amorem: in castellum animæ nostræ , quæ per turrim elationis, per murum obdurationis , & per seram pertinaciæ contra te est. Qui non curant fatuum cogitatum contradicentem , soluent asinam, humilem simplicitatem : & pullum agilem , libertatem , à vinculis præui pudoris & timoris , vel consuetudinem & contemptum à quolibet peccato mortali: & ad te ducentes tibi soli placere appetant : vestimenta imponant per detestationem contrarij & æmulationem maioris profectus , & per summæ salutis desiderium te supersedere faciant. Plurima autem turba internarum cogitationum vestimenta bonorum operum per humilitatem sternant in via. Cædant ramos de arboribus, exempla Sanctorum ad imitandum sibi proponentes : ut in omnibus nostris internis & externis , tam de naturalibus quæ præcedunt , quam de gratuitis quæ sequentur : O fili Dauid nos saluificans à nobis benedicaris in excelsis.

Dominica

Dominica secunda in Aduentu Domini,

## O R A T I O

*Erunt signa in Sole & Luna. Luce 21. Matth. 24. Mar. 13. Isa. 13. Joel. 2.*

**D**omine Iesu Christe, fili hominis, veni in nubibus pœnitentiæ & resolute cor meum in pluuiam lacrymarum: in potestate magna eiice vitiorum dæmonia, & maiestate regna in anima mea: ut fiat in terris carnalitatis meæ pressura Gentium, scilicet incircumcisorum: præ confusione sonitus confessionis, maris contritionis, fluctuum affectionum: arescentibns humanis concupiscentiis, præ timore gehennæ & expectatione gloriæ quæ superueniet vniuerso orbi. Virtutes cælorum meorum, superior videlicet & inferior portio rationis, moueantur de exercitio bonæ affectionis ad studium contemplationis. Appropinqua mihi ô redemptio nostra, & fac me respicere & leuare caput mentis meæ ad te, imitari signa in sole, luna, & stellis: in te sicut sole iustitiae, in tua matre Virgine, & in omnibus sanctis tuis bonorum actuum exempla. Videam fculneam sentiendo tuæ charitatis dulcedinem: & omnium virtutum arbores producant in me fructum, ut mihi sit prope æstas regni cælorum, cum cælum animæ & terra corporis mei transierint ad te Verbum intransituum.

Dominica tertia in Aduentu Domini ,

## O R A T I O

*Cum audisset Iohannes in vinculis. Matth. 11. Mar. 1. Luc. 7.*

**D**omine Iesu Christe, quia tu es qui venturus es ad saluandum nos, & alium non expectamus: vincti tuo amore, verecundia, & timore, exiuiimus de arundineto vanitatis, de molli vestitu voluptatis in desertum religionis. Ut igitur non scandalizemur in te, per vincula ignorantiae, auaritiae, superbiæ, inobedientiae, mortalitatis, & debilitatis nostræ: audientes operæ tua mittimus duos discipulos nostros, intellectum scilicet, & affectum nostrum, ad te: obsecrantes ut mittas Angelum gratiae tuæ ante faciem intentionis nostræ, qui præparet nobis viam ante te. Renuntia ergo nobis per affectum misericordiae tuæ, quod tu es claritas qua in te cæci vident, charitas qua claudi ambulant, humilitas qua superbi leprosi mundantur, verbum quo surdi audiunt, vita quo mortui resurgent, & veritas qua pauperes euangelizantur.

Dominica quarta in Aduentu Domini ,

## O R A T I O

*Miserunt Iudei ab Ierosolymis Sacerdotes. Ioan. 1.*

**D**omine Iesu Christe exaudi uocem doloris nostri in deserto pœnitentium clamantium ad te: ne seducamur à fallacia sermonum de nobilitate generis, de superstitione religionis, de curiositate scientiae nos tentantium;

tentantium : fac nos parare viam tibi per desertionem actus peccati , per propositum pœnitendi , per remissionem iniuriarum , per contemptum temporalium , & per obseruantiam mandatorum . Rectæ fiant semitæ tuæ in nobis per abrenuntiationem propriæ voluntatis , sensus , & confidentiæ , & supererogantiam consiliorum : vt in Bethania domo obedientiæ baptizati aqua veræ contritionis , Spiritu sancto , & igne trans-Iordanem , & post riuum extremi iudicij te medium virtutis & scientiæ mediatorem Dei & hominum perfecte cognoscamus .

Dominica infra Octauas Nativitatis Christi ,

## ORATIO

*Erant admirantes Ioseph & Maria mater Iesu. Luc.2.*

**E**amine Iesu Christe qui positus es nobis in ruinam vitiorum , & resurrectionem virtutum , & in signum humilitatis asperitatis & paupertatis : da mihi Mariam , rationem discretam , quæ concipiat propositum salutis , & pariat : da Ioseph , humilem conscientiam , quæ nutrit conceptum salutis propositum : mirentur ambo super repromissionibus quæ dicuntur de te . Benedicat mihi Simeon , interna visitatio tua : vt propositum salutis non sit mihi per superbiam in ruinam , sed per humilitatem in resurrectionem : & ne per hypocrisim contradicam signo rectæ intentionis , pertranseat acumen ferudi desiderij motum internum rationis meæ , vt reuelentur multæ prouidentiæ & sollicitudines : pertranseat animam meam gladius verbi tui quod prohibet mala , præcipit bona , suadet perfecta , concedit media , corripit inquietos , consolatur pusillanimos , comminatur pœnas gehennæ , & promittit gaudia cœli . Sit anima mea Anna quæ gratiam Dei in vacuum non recipiat , sed sit utilis sibi per sanctitatem , proximo per exemplum , pia Deo per intentionem . Sit prophetissa , videns præterita peccata vt plangat , immensas tentationes vt caueat , beneficia redemtionis vt gratias agat , pœnas gehennæ vt timeat , gaudia cœli vt consoletur . Sit filia Phanielis , facies Dei Patris , & Filij , & Spiritus sancti : de tribu Asser , de sorte & numero beatorum : procedat in diebus virtutum multis , non discedat , imo habitet in templo corporis Domini per spem & venerationem Virginis matris , per laudem & precem Ecclesiæ , per unitatem & catholicam pacem collegij Sanctorum , per imitationem & sanctam conuersationem : animæ per internam aspirationem , corporis per egregiam actionem , angelici spiritus per stuporem & admirationem , patriæ cœlestis per amorem & auditatem . Ieiunijs & obsecrationibus , afflictionibus videlicet corporis , & deuotione mentis ; seruat Domino perseveranter nocte ac die , in aduersitate & prosperitate : confiteantur Domino confessione laudis & peccati : loquatur de illo non quibusdam tantum , sed omnibus & præcipue expectantibus redemtionem Israel : vt perficiat secundum charitatem legem Domini , & redeat in Galilæam ciuitatem suam Nazareth ad reuelationem floridam , & ad te florem reuelatum Iesu Christe , in quo crescat & confortetur plena sapientia & gratia .

---

Dominica infra octauas Epiphaniæ,

O R A T I O

*Cum factus esset Iesus annorum duodecim. Luc. 11.*

**D**omine Iesu Christe, da voluntati meæ & rationi gratiam perfectio-  
nis per quam ascendam ad visionem pacis internæ, ibique perse-  
uerando remaneam in templo sanctitatis vita, orationis deuotione,  
& fraternitatis amore: in medio Doctorum, exemplo Sanctorum sedens  
per humilitatem, audiens per obedientiam & attentionem disciplinæ, in-  
terrogans per studium disciplinæ cognoscendi & operandi quæ Patris sunt,  
opera misericordiæ & perfectionis in quibus oportet esse. Non recedant à  
Ierusalem, peccati scilicet itinere, voluntas & ratio, videlicet ne cognos-  
centes amissionem gratiæ errent in comitatu multitudinis inter cognatos  
naturalis necessitatis, & notos fortunæ successus. Descendat gratia tua cum  
illis de templo contemplationis in Nazareth floridæ actionis, ut sit suddi-  
ta illis, vt custodiatur ab illis voluntas mea. Conseruet omnia dona tua  
in intimis suis, vt puritas gratiæ proficiat in ea excellentissimo dono sa-  
pientiæ, ætate perseverantia, & gratia placentiæ ad gloriam Deo, & pro-  
ximo ad salutem.

---

Dominica prima post octauas Epiphaniæ,

O R A T I O

*Nuptiæ factæ sunt in Cana Galilææ. Ioan. 11.*

**D**omine Iesu Christe, æternum & perfectum desiderium salutis  
nostræ: adsit mihi mater tua, gratia spiritualis: cum discipulis  
tuis, virtutibus: adsint & ministri, naturalia vtriusque hominis:  
& cum vinum deuotionis defecerit, innuente matre & suadente ministris  
iubeas impleri ne inanes sint usque ad summum defectionis, sex hydrias,  
obseruantiam videlicet abstinentiæ regularis, continentiæ, paupertatis, si-  
lentij, obedientiæ, & humilitatis: aqua veræ contritionis, quam tandem ad-  
mirante architrinco quolibet, religiose conuertam in vinum iucundita-  
tis, & ad extremum in perfectionem desiderij passionis.

---

Dominica secunda post octauas Epiphaniæ,

O R A T I O

*Cum descendisset Iesus de monte. Matth. 8. Mar. 1. Luc. 5.*

**D**omine Iesu Christe qui de monte potentia, sapientia, & virginali-  
lis vteri descendisti, vt sanares lepram generis humani: ecce lepro-  
sus multis peccatorum maculis adoro te, dicens: Domine si vis, po-  
tes me mundare. Extende manum gratiæ tuæ, tange cor leprosum, misere-  
rere mei, & impera morbo peccati per veram humilitatem puramque  
confessio

# Orationes super Euang. totius anni. 133

confessionem & gratiarum actionem. Domine, licet non sum dignus ut intres sub tectum carnis meæ, quia puer sensualitatis meæ iacet paralyticus, dissolutus morbo peccati in domo corporis mei, & male torquetur concupiscentiæ motibus: cum sim homo rationalis sub potestate gratiæ habens sub me milites, naturales scilicet virtutes, veni sacramentaliter, & dic verbo veritatis ut sanetur puer meus.

Dominica tertia post octauas Epiphaniæ,

## ORATIO

*Ascendente Iesu in nauiculam.* Matth. 8. Luc. 8.

**D**omine Iesu Christe, qui nauiculam crucis ascendisti ut sequentur te Discipuli tui. Cupiens te sequi cum Discipulis, meis affectibus scilicet: ecce motus magnus temptationis factus est in mari cordis mei, ita ut te dormiente, gratia tua: sicut tempestate in me nauicula animæ meæ iam operiatur concupiscentiæ fluctibus: clamo igitur per orationem, traho per desiderium, pulso per deuotionem, per operationem excitans te: surge in adiutorium, pelle timorem, auge fidem; impera ventis, suggestionum statibus; & mari, motui sensualitatis: ut fiat tranquillitas magna in mari pectoris mei: & omnes meæ internæ cogitationes admirantes virtutem tuam laudent in æternum.

Dominica in Septuagesima,

## ORATIO

*Simile est regnum cælorum homini patrifamilias.* Matthæ. 10.

**D**omine Iesu Christe, summe paterfamilias qui me primo mane in vineam tuam vocasti, dum me à iuuentute mea ad laborandum in religione pro denario vitæ æternæ conduxisti: cum sero factum fuerit in iudicio, & reddes operariis mercedem: quid dabis mihi, qui non solum in foro seculi, sed in ipsa vinea religionis tota die vitæ meæ otiosus steti? Domine qui non ponderas opera nostra ad pondus publicum, sed ad pondus sanctuarij, fac me saltem in undecima hora resipiscere; & quia tu bonus es, oculus meus omnino nequam non inueniatur.

Dominica in Sexagesima,

## ORATIO

*Cum turba plurima conuenirent, & de ciuitatibus properarent.* Luc. 7. Matth. 13.  
Mar. 4.

**D**omine Iesu Christe, fac me exire de veteri vita mea: ne semen verbi tui quod in meo intellectu boni propositi, quod in meo affectu boni operis, quod in meo actu seminasti, comedatur à volucribus inanis gloriæ: ne conculcetur in via assiduitatis, ne areat in

*D. Alberti Magni Orat.*

M

petræ

petra duritiae & obstinationis, & ne suffocetur in spinis solicitudinis: sed potius in terra bona & optima cordis humilis & patientis & hilaris gratissimum fructum afferat in patientia.

## Dominica in Quinquagesima,

## O R A T I O

*Affumpsit Iesus duodecim Discipulos.* Luc. 18. Matth. 20. Mar. 10.

**D**omine Iesu Christe, qui tendentes & ascendentess Ierosolimam perducis & consummas per crucis ignominiam, ignosce mihi ô summa munditia quod ego corpus tuum indigne sumendo toties tradidi te libidinosis motibus meis, tanquam incircumcisus gentibus: ignosce mihi ô summa veritas quod ego toties illusi tibi votum meum transgrediendo, & proximis meis mentiendo: ignosce mihi ô vera patientia quod toties flagellaui te, peccata mea iterando, & te offendendo: ignosce mihi ô summa sapientia quod ego toties faciem tuam conspui, quando veritatis cognitionem quam de te habui, per turpitudinem vitæ meæ fœdavi: ignosce mihi ô vera vita quod ego toties te occidi, quando per peccatum mortale te ab anima mea repuli: & fac me tertia die resurgere per veram & firmam contritionem, puram confessionem, condignam satisfactionem: da mihi appropinquare Iericho, considerare scilicet defectus meos, cum sim cæcus in rationali, mendicus in concupiscibili, remissus sedens in irascibili: non me increpet temporalium rerum turba præteriens, ut à laude tua taceam, sed potius stans indicans te mihi ut respiciam dona tua, & peccata mea, & videam te verum lumen & sequar, magnificans & laudans cum omni populo.

## Dominica prima in Quadragesima,

## O R A T I O

*Duxitus est Iesus in deser.* Matth. 4. Mar. 1. Luc. 4.

**D**omine Iesu Christe, qui me per gratiam tuam in desertum pœnitentiae duxisti, protege me ut non vincat me tentator, ne à filiatione Dei succumbam vanæ gloriæ, ne velim quod duritia pœnitentiae molestet; sed verbo veritatis conuerte mihi duritias pœnitentiae, quas tentator lapides vocat, in panes: & voluptates, quas panes vocat, in lapides. Non statuat me supra pinnaculum templi quo me cæteris meliorum æstimem, non mittat deorsum per falsam humilitatem, non tentem Dominum meum, occasionem peccandi præstando, per immoderatas afflictiones corporis vires eneruando, vel qualicunque periculo me commitendo. Non assumat me in montem ambitionis, ne cadens per auaritiam adorem eum flectendo ei genua cordis mei, voluntatem scilicet, & cogitationem. Repelle à me omne quod tibi aduersatur: ut te Dominum meum adorem, & tibi soli seruiam. Et relinquat me tentator & Angeli tui accedant ad me à malis custodiendo, & ministrent mihi in bono promouendo.

Dominica secunda in Quadragesima ,

## O R A T I O

*Egressus Iesus secessit in partes Tyri. Matth. 15. Mar. 7.*

**D**omine Iesu Christe, fili David miserere mei: quia sensualitas filiationis meæ à dæmonio prudentia voluptatis, cupiditatis, & curiositatis, male vexatur. Et licet non sis missus ad exercitia tollenda, sed potius ad oues, mundas scilicet cogitationes, & puras affectiones domus Israel fidelis animæ Deum contemplantis, quæ per suggestionem diabolicam perierunt recuperandas: dimitte tamen eam, quia impedit & clamat post discipulos tuos, scilicet, virtutes, dicens: Adiuua me. Ecce quamvis non sit bonum panem sumere filiorum, scilicet, vexationem, temptationem, correptionem, & tribulationem: & mittere canibus, scilicet, voluptuosis, luxuriosis, & impatientibus, qui latrant murmurant pro tribulatione, & mordent lapides, voluptatis scilicet, quos panes putant: dona mihi Domine cum catello humili peccatori auide & grataanter sumere pro modulo possibilitatis meæ de micis tribulationum quæ cadent de mensa passionis dominorum meorum, Sanctorum tuorum, ut filia mea à dæmonio fomitis liberetur.

Dominica tercia in Quadragesima ,

## O R A T I O

*Erat Iesus ejiciens dæmonium, &c. Lucæ 11. Matth. 9. 12. Marci 3.*

**D**omine Iesu Christe, eiice à me dæmonium: prudentiam mundi, carnis, & diaboli, quæ reddunt mutum à laude Dei, & à confessione peccati. O vera virtus eiice dæmonium per contritionem. O Verbum Patris sana mutum per confessionem. O intima lux illumina cæcum per satisfactionem: ut fortis armatus me in pace non possideat, vniuersa arma eius, vires scilicet animæ meæ interiores, & sensus exteriores in obsequium tuum conuerte: exicca me ab amore concupiscentiæ: ut veniens quietem non inueniat in me: munda me scopis confessorum & orna virutibus, ut reuertens vacantem non inueniat, ne spiritualibus vitiis me supplantans iterato deterius peccare faciat: fac me per frequentem auditum ventrem portantem laudare, & per custodiam boni operis vbera nutrientia verbo Dei sugere.

Dominicā quarta in Quadragesima

### O R A T I O

*Abiit Iesus trans mare Galilaeæ. Ioan. 6. Matth. 4. Mar. 3. Luc. 4.*

**D**omine Iesu Christe, quoniam prope est Pascha transitus mei, & panes emptitij carnalium illecebrarum comparati ducentis denariis, perditione scilicet corporis & animæ, non sufficiunt, ut vnuſquisque modicum quid accipiat: fac me subleuare mentis oculos ad te, & discubere super fœnum carnalis voluptatis, temporalis possessionis & gloriae: ut merear satiari quinque spiritualium panum refectione, scilicet, timore Domini iudicij, horrore peccati, dolore contritionis, pudore confessionis, labore satisfactionis: & duobus pīscibus, stabilitate propositi, & desiderio in melius proficiendi: vel quinque panibus quos puer vnuſ habet hic, humilitas scilicet, quæ meretur requiem gratiæ Dei, vacua impleti, ianuam Paradisi, quæ est secretaria Dei, & meretur gloriam exultationis: & duobus pīscibus, patientia scilicet contumeliarum, & iniuriarum.

Dominica in Passione,

### O R A T I O

*Quis ex vobis arguet me de peccato? Ioan. 8.*

**D**omine Iesu Christe, qui ad audiendum verbum Dei inuitas nos, à nobilitate dicentis, veritate dicti, & vtilitate audientis: doce nos inimici falso obiecto resistere, contumelias & iniurias patienter sufferre, propriam gloriam non querere, veritatem vitæ & doctrinæ & iustitiæ propter scandalum vitandum non omittere, propter iteratam contumeliam & iniuriam à prædicatione non desistere. Domine Iesu Christe, summa veritas, bonitas, iustitia, misericordia, largitas, munditia, vitæ sobrietas, humilitas, charitas: qui lapidaris, & absconderis à mendacibus, malitiosis, iniustis, impiis, cupidis, luxuriosis, gulosis, superbis, & odiosis, ne excas à templo animæ nostræ: redde nos corrigibiles, & impollutos, & tecum per omnia concordantes.

Dominica in ramis Palmarum,

### O R A T I O

*Cum appropinquaſſet Iesus. Matth. 21. Mar. 11. Luc. 19. Ioan. 12.*

**D**omine Iesu Christe, qui voluntarie pro nobis patiens tempore passionis Pascha in loco Ierusalem, & genus mortis crucem elegisti, ut te per agnum typicum figuratum, & te finem & consummationem omnium legalium sacrificiorum ostenderes: ut qui per lignum vicerat,

# Orationes super Euang. totius anni. 137

vicerat, per lignum quoque vinceretur: mitte duos discipulos tuos, timorem, & amorem, & cætera. Require in prima Dominica Aduentus.

In festo sancto Paschæ,

## ORATIO

*Maria Magdalene. Mar. 16.*

**D**omine Iesu Christe, fac me turrim fortitudinis contra aduersarium, supplantatorem vitiorum meorum, & reconciliatorem peccatorum meorum: ut summa festinatione cessans à peccato, comparatis aromatibus compassionis in affectu, consolationis in verbo, pietatis & miserationis in opere, orto iam sole gratiæ veniam vngere pœnitentem. Revolute tu nobis lapidem prauæ consuetudinis, ab ostio initio conuersationis sanctæ: vt iuuenis nouæ vitæ sedens à dextris, quiescens in bonis operibus, coopertus candore virtutum post initium conuersationis, post crucem afflictionis admirantibus cunctis, non sit iacens in puluere pœnitentiæ, sed resurgens per opera iustitiæ demonstretur aliis in exemplum. Et procedant tam maiores quam minores in Galilæam, de culpa in gratiam, de virtute in virtutem; ibique videatur in reuelatione contemplationis, & in rota puræ actionis.

Dominica in octauis Paschæ,

## ORATIO

*Cum sero esset die illa. Ioan. 20. Luc. 24.*

**D**omine Iesu Christe, da mihi in die cognitionis sero humilitatis, integratatem vnitatis, & sabbatum internæ quietis: clade fores exteriores, visum contra vanitatem, auditum contra verbositatem, olfactum contra voluptatem, gustum contra edacitatem, tactum contra fœditatem & impuritatem: & fores interiores, memoriam contra obliuionem, rationem contra errorem, voluntatem contra inuidiam, affectionem & intentionem rectam contra prauitatem, utilitatem contra humanum fauorem propter metum dæmonum: ut discipuli, virtutes congregentur in unum: veni, ut visites: sta, ut corrobores: dic, ut erudias. O sumnum gaudium veni, ut consoleris pusillanimes. O summa virtus sta, ut sustentes debiles & infirmos. O summa sapientia dic, ut erudias erroneos & imperitos. Ostende nobis manus, inuitans nos ad operationem bonorum, latuus ad patientiam malorum. Gaudeant discipuli tui viso te Domino, & congaudeant resurgentí proximo. Sicut misit te Pater, mitte nos in sapientia & bonitate. Sicut inspirasti nobis vitam naturalem, infla & spiritualem. Antequam exerceamus potestatem remissionis peccatorum, appareat in opere manuum nostrarum fixura clauorum, dolor de damno peccati, pudor de turpitudine, timor de pœna.

*D. Alberti Magni Orat.*

M 3

pœnitentia

pœnitentia in gustu & habitu , & elongatio ab omni occasione & opportunitate peccandi : vt proximus mittens manus in vulnus lateris, imitetur in nobis affectum compassionis.

## Dominica prima post octauas Paschæ ,

## O R A T I O

*Ego sum pastor bonus. Ioan.10.*

**D**omine Iesu Christe , pastor Angelorum & hominum , bone p̄fessentiam , cuius eadem bonitas & officium , licet ratione differant: qui pro ouibus tuis animam tuam in pretium , carnem in cibum , & sanguinem in potum dedisti: qui venisti vt oues tuæ vitam habeant gratiæ , & abundantius habeant gloriæ : in passione factus es nobis ostium in Ecclesia militante, in resurrectione in Ecclesia triumphantē , vt per te ad salvandum introeamus ad te : cognosce oues tuas vt cognoscariſ ab eis , vt conformemur tibi te imitando. Sit ratio nostra pastor per charitatem , non mercenarius per cupiditatem : ingrediatur per studium contemplationis, egrediatur per exercitium bonæ actionis : ingrediatur per secretum orationis, egrediatur per exemplum boni operis: ingrediatur se occultando per humilitatem , egrediatur se manifestando propter necessitatem: ingrediatur per obseruantiam mandatorum , egrediatur per supererogationem consiliorum : & pascua inueniet mel diuinitatis , & lac humanitatis tuæ: huic aperi ostium veritatis ad recte intelligendum , iustitiæ ad bene operandum. Oues eius, scilicet, internæ cogitationis voci obedienti: proprias oues vocet nominatim , solcite perlustrando , vel totum bonum gratiæ Deo attribuendo: ante eas vadat ne quid in verbo , vel opere , vel cogitatione perperam fiat: vocem alienorum non audiant , scilicet, mundi , carnis, & diaboli : pascat oues incommutabili vnitate, sacra Scriptura in terra Gessen , in agro Boos ; animam suam ponat pro eis , rationibus naturalibus contradicendo pro fide ; dispersas per infinitam rerum temporalium diuersitatem in vnum colligat. Oues affectionis, & intelligentiæ coadunet: vt omnes rationi obedienti , & fiat vnum ouile.

## Dominica secunda post octauas Paschæ ,

## O R A T I O

*Modicum & iam non videbitis me. Ioan.16.*

**D**omine Iesu Christe , summa sapientia, post modicum gustum tuæ illuminationis, nos ad potentiam duc bonæ actionis , vt mereamur iterum gustare dulcedinem contemplationis. Non gaudeamus cum hoc mundo, ne plus petamus loco , tempore , causa, vel de re ipsa. Sed tamen cum affectu nos concepisti , cum onere portasti , cum labore peperisti & cum dolore : ploremus & nos lacrymis contritionis pro peccatis propriis & alienis , affectionis pro incolatu præsentis miseriæ , deuotionis pro dilatione

# Orationes super Euang. totius anni. 139

tione patriæ: vbi tristitia nostra vertetur in gaudium, quando iterum videbis nos, cor nostrum, & gaudium nostrum nemo tollet à nobis.

Dominica tertia post octauas Paschæ,

## O R A T I O

*Vado ad eum qui me misit.* Ioan. 16.

**D**omine Iesu Christe, abstrahe nos à sensibilibus, ne teneritudo carnalis amoris impedit in nobis spiritualis dilectionis perfectionem: vt sciamus meditationes orationis intellectus & affectus, contemplationis & actionis, sapientiae & bonitatis prout expedit: vade ad Patrem, & mitte Paraclitum ad nos, qui vice tui inuisibiliter pugnet pro nobis, & arguat mundum in præsenti pro peccato quod excusat, de iustitia quam simulat, & de iudicio quod usurpat: ne in futuro arguamur à te. Doce nos omnem veritatem vitæ, iustitiae, doctrinæ, cordis, oris, operis, vt non usurpemus loqui & à nobis metipsis, nec præsumamus nisi quæ audiuimus loqui & quæ ventura sunt in opere. Te summam veritatem ratione intelligamus, oratione loquamur, opere clarificemus & non obscuremus.

Dominica quarta post octauas Paschæ,

## O R A T I O

*Amen amen dico vobis si quid petieritis, &c.* Ioan. 16.

**D**omine Iesu Christe, qui propter imperfectionem intellectus nostri in prouerbiis loquutus es nobis, & quia propter imperfectionem affectus nostri usque modo non petiuimus quicquid in nomine tuo: doce nos orare in nomine tuo quod est Iesus, salus, sapientia, & veritas, & vita, potius quam in nomine Iesu filij Naue Sirach Iosedec: vt det nobis Spiritum bonum, reatum, sanctum, & principalem: det pescem fidei, ouum spei, & panem charitatis: vt gaudium plenum sit de essentiali & spirituali bono. Deus Pater adimpleat irascibilem potentia & gloria, Filius rationalem sapientia & veritate, Spiritus sanctus concupisibilem amore & bonitate.

Dominica infra octauas Ascensionis,

## O R A T I O

*Cum venerin Paraclitus.* Ioan. 15.

**D**omine Iesu Christe, quia propter peccatum parentum nostrorum primorum vis nostra irascibilis pronitatem contraxit peccandi seu prauitatem, mitte nobis Paraclitum defensorem contra mundanas persequitiones, illuminationem contra errores & hæreticas prauitates, charitatem contra carnalem concupiscentiam: qui testimonium perhibeat de

M 4 Patre

Patre per potentiam , de Filio per sapientiam , de seipso per bonitatem : vt & nos quando absque synagogis nos faciunt , vel etiam perplexitates nobis accidunt , per voluntariam tolerantiam passionum testimonium perhibeamus , qui tibi viua oblatio tecum sumus .

## In die Pentecostes ,

## O R A T I O

*Siquis diligit me. Ioan. 14.*

**D**omine Iesu Christe , da nobis Spiritum sanctitatis , illuminacionis , consolationis , & unitatis ; contra immunditiam , ignorantiam , miseriam , & discordiam , quas per peccatum primorum parentum contraximus : qui suo igne nos purget , illuminet , foueat , & uiat : vt te diligamus in voluntate , & sermonem tuum , non mundi , carnis , vel diaboli , seruemus in opere : vt tu sapientia cum Patris potentia , & Spiritus bonitate ad nos venias . Sancta Trinitas faciat sibi mansionem in anima nostra , Deus Pater tabernaculum , Filius domum dispensationis , Spiritus sanctus templum sacrificij & orationis . Deus Pater mitte nobis Paracletum in nomine Filii tui qui nos filios efficiat adoptionis : & quaecunque loquutus , vel operatus es in nobis per Filium tuum verbo , vel intellectu : confirmet in opere , & suggerat in affectu . Da nobis pacem aeternitatis & conscientiae : vt non turbetur cor nostrum per solitudinem de temporalibus acquirendis , vel per dolorem de amissis , neque formidet per timorem de aduersis . Domine Iesu Christe , sicut dignatus es nobis verbo inspirare & exemplo , Vado , & venio : vade ad Patrem per actionis potentiam , veni ad nos per contemplationis sapientiam , in qua princeps sapientiae huius mundi non habet quicquam , quae consistit tantum in superfluitate verborum ; vt sicut mandatum per te dedit nobis Pater , sic per te faciamus .

## In die sanctæ Trinitatis ,

## O R A T I O

*Erat homo ex Pharisæis Nicodemus nomine. Ioan. 3.*

**D**omine Iesu Christe , qui à Deo venisti Magister , doce nos ut ratione , separari à malis , vincere prolem spiritualium vitiorum principem , confiteri nomini tuo , imitari signa tuæ humilitatis : vt respondeamus dupli natuitati , renascamur & nos ex gratia per aquam baptismi , verbi , & multiplicium lacrymarum : vt adipiscamur te summam sapientiam pro nobis in deserto exaltatum . Doce nos prudentiam mundi , carnis , & diaboli , per abrenuntiationem rerum , voluptatum , & supetbiae , patibulo penitentiae condemnare .

Dominica

# Orationes super Euang. totius anni. 141

Dominica prima post festum Trinitatis,

## O R A T I O

*Homo quidam erat diues qui induebatur, &c. Luc. 16.*

**D**omine Iesu Christe, cum sim homo pauper virtutibus, plenus peccatorum viceribus, mendicus ad ianuam tuæ misericordiæ: cupiens saturari de micis tribulationum quæ cadunt de mensa diuitium filiorum tuorum, qui induuntur purpura passionum castarum affectionum, & epulantur quotidie splendide ferculis virtutum: veniant canes, Doctores tui, & lingant vlcera peccatorum meorum, ut moriens mundo deporter ab Angelis bonorum operum in sinum contemplationis. Mitte Lazarum, adiutorium gratiæ tuæ, ut intingat saltem extremum diti operum meorum, in aquam veræ contritionis, ut refrigeret carnem meam, quia crucior in hac concupiscentiarum flamma. Testetur quinque sensibus meis, ne ipsi veniant in locum gehennalium tormentorum, sed audiant Moysen, declinando à malo & faciendo bonum, & Prophetas, quia tunc sperabunt vitam æternam, cum ex mortuis resurgent, se habituros.

## O R A T I O

Dominica secunda post festum Trinitatis,

## O R A T I O

*Homo quidam fecit cœnam magnam. Luc. 14. Matthæ. 22.*

**D**omine Iesu Christe, homo singularis, ineffabilis conditor matris: qui post opus creationis & formationis in opere recreationis per opus transformationis, fecisti nobis cœnam magnam: magnam quinque panum refectione, scilicet, execquitione diuinæ voluntatis, consolatione diuinæ promissionis, virtute orationis, sacramentorum efficacia, & cibo tuæ carnis: magnam figurarum antiquitate, figuræ & rei coniunctione, figurarum diuersitate, instituentis charitate, credentium fide: magnam quantum ad conficiente, quantum ad id quod conficitur, & quantum ad digne sumentem, ut comedamus sacramentaliter, intellectualiter, & spiritualiter. Igitur ne vocati venire impediamur per villam terrenæ occupationis, per iuga boum quinque corporalium sensuum, aut per vxorem carnalis concupiscentiæ: mitte seruos tuos ordine, primo qui nos vocent per timorem qui de veteri vita exire nos faciat: secundo etiam per aduersitatem nos ad cœnam intrare compellant, ne per iram tuæ æternæ indignationis separemur in præsenti à cœna contemplationis, & in futuro à cœna tuæ manifestæ visionis.

Dominica tertia post festum Trinitatis,

### O R A T I O

*Erant appropinquantes ad Iesum Publicani & peccatores. Luc. 15. Matth. 18. Mar. 2.*

**D**omine Iesu Christe, qui errantes requiris, & redeuntes suscipes: fac me appropinquare tibi per frequentem auditum verbi tui, ne peccem in proximum per cæcitatem humani iudicij, per austerioritatem falsæ iustitiae, per comparationem inferioris status, per confidentiam meritorum, per ignorantiam diuini iudicij. Redde mihi ouem centesimam, gratiam scilicet contemplationis, amissam propter meritum malorum operum, vel pro cauenda elatione, vel desiderio ampliando, vel pro utilitate actiua amissam: ad inueniendam drachmam formam scilicet perfectæ actionis. Da mihi accendere lucernam synderesim in ratione, euertere domum in voluptate, diligenter querere perscrutando omnes angulos conscientiæ, ne caro spiritui dominetur.

De filio Prodigio,

### O R A T I O

*Homo quidam habuit duos filios: & dixit adolescentior patri. Luc. 15.*

**D**omine Pater, quia affectus meus adolescentior filius tuus, post longam peccatorum elongationem, post naruralium dissipationem, post gratuitorum consumptionem, post vnius ciuium adhæsionem, post siliquarum appetitum, tandem in se reuersus surgat per contritionem, dicat per confessionem quod non sit dignus vocari filius tuus, quia non honorauit imaginem patris, quia peccauit in cælum cælestibus terrena præponens, & coram te omnia cernente: fac eum per condignam satisfactiōnem, sicut vnum de mercenariis tuis pro æternis laborantem. Cum adhuc longe sit per infirmitatem liberi arbitrij, respice misericorditer in ipsum per gratiam præuenientem, per gratiam cooperantem amplectere, & per gratiam consummantem osculare. Da ei per seruos tuos Sacerdotes stolam primam innocentiae & remissionis peccatorum, anulum bonæ operationis in manus, & calceamenta boni exempli in pedes eius. Da ei vitulum hilatatem conscientiae, saginatum virtutum pinguedine. Compescere maiorem filium intellectum contemplatiuum, circa infirmos austерum: ne peccet per improperium seruitij, iactantiam, ingratitudinem, stultam dedignationem, contemptum, improbum, & inuidiam: sed potius gaudeat cum Angelis qui propter victoriam super principes tenebrarum, propter reparationem ruinæ angelicæ, propter ministerium factum, propter consummationem sui officij gaudent super uno peccatore pœnitentiam agentem.

# Orationes super Euang. totius anni. 143

Dominica quarta post festum Trinitatis,

## ORATIO

*Estate misericordes sicut & pater uester. Luc.6. Matth.7. Mar.4.*

**D**omine Iesu Christe, qui propter communem utilitatem, propter damnum singularitatis vitandum, & propter infirmitatem nostram subleuandam, docuisti nos imitari misericordiam Patris tui, quæ maxime assimilat nos Deo, quæ excellit in omnibus operibus eius, quam præcipue requirit à nobis, quæ nobis est via ad misericordiam ipsius, & quæ reddetur in præmium: eiice ab oculo intentionis trabem ambitionis cuiuslibet peccati mortaloris, ne per cæcitatem humani iudicij cadamus in foueam & laqueum diaboli, sed potius in misericordia qua mensi fuerimus proximis remetiatur & nobis secundum genus & qualitatem, non secundum defectus proximi nostri, incommensurabilem proportionem.

Dominica quinta post festum Trinitatis,

## ORATIO

*Cum turba irruerent. Luc.5. Matth.4.*

**D**omine Iesu Christe, fac me per auiditatem irruere ad audiendum verbum Dei, irruentes non expellere, stare secus stagnum non in stagno inanis gloriæ, nauiculam obedientiæ ascendere, per humilitatem descendere, retia prædicationis desiderij & bonæ operationis ab omni auaritia, vana gloria, & adulatione lauare, per concordiam sententiarum reficere, per manifestationem exiccare, per cautelam non per desidiam plicare, per scissionem non rumpere, nauem religionis à terrenis reducere, in ea quiescendo sedere, alios per exemplum docere, contemplationem & actionem alternare, in profundum contemplationis prædicationis religionis ducere, in verbo tuæ inspirationis, non in nocte culpæ vel ignorantiae retia in capturam viuorum operum laxare, in aquis tribulationum copio-sam multitudinem internarum visitationum & consolationum concludere: ita ut anima per admirationem extendatur, & subsidia proximorum & inferiorum requirat; ambas naues patientiæ & obedientiæ adimpleant, per humilitatem ad genua Iesu procident: ut ex hoc subductis ad terram viuentium nauibus, præmia capiant æterna.

Dominica sexta post festum Trinitatis,

## ORATIO

*Amen dico vobis nisi abundauerit. Matth.5.*

**D**omine Iesu Christe, qui antiquis temporalia, nobis vero æternæ promisisti bona, ut iustitia nostra superabundaret: custodi nos ab homicidiis, malitiis odij, auaritiæ, fraudis, detractionis, voluptatis, negligentiæ

gentiæ, taciturnitatis incautæ reprehensionis, & blandæ vocis, adulatio-  
nis, circumuentionis: ne imitemur diabolum, vel prauos parentes: ne  
peccemus in sapientiam creationis, in gratiam redemptionis, in propriam  
naturam vel speciem; & propter sanguinis horrorem libera nos à contume-  
lia facti, verbi, vel signi, & ira peccati, vt munus boni operis quod tibi ad  
altare fidei offerimus, acceptum sit in charitatis reconciliatione.

## Dominica septima post festum Trinitatis,

## O R A T I O

*Cum turba multa esset cum Iesu. Mar. 8. Matth. 15. Luc. 9. Ioan. 6.*

**D**omine Iesu Christe, miserere super turbam pœnitentium, iustorum,  
& perfectorum: in deserto peccati, animi, studij: per triduum con-  
tritionis, confessionis, satisfactionis: per victoriam mundi carnis,  
& dialoli: per visionem corporalem, imaginariam, & spiritualem: per ex-  
pectantiam, veniam, gratiam, & gloriam. Refice pœnitentes per discre-  
tam solitudinem, defensionem, indignationem, timorem, desiderium,  
æmulationem, & vindictam. Refice iustos per spiritum timoris, pietatis,  
scientiæ, fortitudinis, consilij, intellectus, sapientiæ. Refice perfectos per  
tres dotes animæ, & per quatuor corporis dotes, quæ superexcedent in  
septem sportas, in præsenti quidem in spe, in futuro autem in re.

## Dominica octava post festum Trinitatis,

## O R A T I O

*Attendite à falsis Prophetis. Matth. 7. Luc. 6.*

**D**omine Iesu Christe, doce nos vitare fallaciam possibilitatis, causæ,  
apparentiæ, & defectus. Da nobis imitari spiritualis ouis simplici-  
tatem, innocentiam, mansuetudinem, discretionem, docilitatem,  
& compassionem, eius pellibus & lana vestiri, carne cibari, & lacte potari,  
fibris iucundari, & simo spiritualiter impinguari. Fac nos cauere diaboli  
spiritualis lupi visum venenosum, anhelitum foetidum, morsum rapidum,  
sitim liuidam, ponderationem, & venerationem. Doce nos radices ar-  
boris nostræ cælo, & non terræ infigere: ne in foliis verborum tantum, sed  
potius in fructibus bonorum operum fideles cognoscamur.

## Dominica nona post festum Trinitatis,

## O R A T I O

*Homo quidam erat dives qui habebat villicum. Luc. 16.*

**D**omine Iesu Christe, fac animam meam villam pœnitentiæ, castrum  
continentiæ, ciuitatem iustitiæ, ne villicus tuus ratio mea dissipet  
bona tua: quia ablata post mortem villicatione nescio quid faciam  
meritorie, cum fodere non possim per pœnitentiam, & erubescam men-  
dicare

# Orationes super Euang. totius anni. 145

dicare per rationem. Remitte vi cognitiuæ centum choros olei quos tibi debet per contemplationem, & vi motiuæ centum cados tritici quos tibi debet per operationem. De mammona triplicis inæqualitatis, necessitatis, cupiditatis, & charitatis, amici tui pauperes, qui amici mundi non sunt, qui te diligunt & tibi conformantur; fiant nostri apud te intercessores, patroni, aduocati, portatores, conductores, ostiarij, & thesaurarij: ut cum defecerimus, recipient & reficiant nos in domos suas & in æterna tabernacula.

## Dominica decima post festum Trinitatis

### O R A T I O

*Cum appropinquasset Iesus Ierusalem, videns ciuitatem fleuit super illam.*

Luc. 19.

**D**omine Iesu Christe, in tentatione & tribulatione mea doce me cognoscere tempus visitationis tuæ: videam peccata mea & defleam quæ in die temporalis pacis abscondita sunt ab oculis cordis mei: ne inimici mei dæmonum suggestiones, temporalium rerum pulchritudines, & carnales voluptates circundent, coangustent, & ad terram prosternant me, & filios meos, sensus scilicet, & cogitatus, & affectus meos qui in me sunt, & ordinem virtutum destruant. Eiice ab anima mea simulationem clementium, & iactantiam vendentium gratiam tuam ut siam templum prædicationis, domus orationis in præsenti & tuæ laudis in futuro.

## Dominica II. post festum Trinitatis,

### O R A T I O

*Dixit Iesus ad quosdam qui in se confidebant tanquam iusti. Luc. 18.*

**D**omine Iesu Christe, ne peccem in te vel in proximum meum per mendacem usurpationem perfectionis, per extollentiam singularitatis, per temeritatem iudicij, per iactantiam, & mendacium: doce me aspernationem mei, reuerentiam Dei, vindictam peccati, formam perfectam pœnitentiaæ, lacrymam & accusationem mei. Deus propitius esto mihi peccatori, ut per veram cordis, oris, & operis humilitatem, descendam iustificatus in domum conscientia, & exalter in domo gloriae. Amen.

*D. Alberti Magni Orat.*

**N** **Dominica**

Dominica 12. post festum Trinitatis,

## O R A T I O

*Exiens Iesu de finibus Tyri venit per Sidonem. Mar. 7. Matth. 15.*

Omine Iesu Christe, qui finaliter malos deseris, veni ad filios prædestinationis, per Sidonem prædicationis, ad mare contritionis Galilææ, confessionis, satisfactionis, & transmigrationis: inter medios fines proficientis charitatis, ad instantiam prædicationis, correptionis, infirmitatis, orationis, & tribulationis. Apprehende nos seorsum à turba multitudinis, mitte digitum discretionis in auriculam nostri intellectus, & in affectum gustum sapientiæ: vt soluantur vincula linguae nostræ ad confitendum, pudor scilicet, & impunitatis stulta spes, desperatio, & diffidencia: vt loquamur recte verbo, à voluntate & opere non discordante. Vitemus laudem hominum, de contemptu temporalium, de humilitate, & patientia admirantium: vt & surdi bene audiant per conuersionem, & muti loquantur per confessionem & prædicationem.

Dominica 13. post festum Trinitatis,

## O R A T I O

*Beati oculi qui vident quæ vos videtis. Luc. 10. Matth. 13.*

Omine Iesu Christe, qui per visionem contemplationis & tranquillitatem religionis Discipulos tuos prægustare facis initium æternæ claritatis & pacis: vt in præsenti secundum quid, & in futuro simpliciter sint beati: quod multis potentibus multisque prudentibus seculi negatur, qui Deum videre quærunt per curiositatem, surgunt per superbiam, tentant per nequitiam, iustificant se per simulationem, Scripturam de recte viendo consulunt & intelligunt, sed non faciunt dum proximum ignorant: custodi nos descendentes de studio contemplationis ad exercitium bonæ actionis, ne incidamus in latrones quinque sensuum appetitus, ne spoliemur gratuitis, ne vulneremur in naturalibus. Sacerdos & leuita, superior & inferior portio rationis, non descendant eadem via consentiendo in peccatum, sed potius per contemplationem ascendant. Samaritanus vero gratia prædestinationis iter faciens nobiscum fecus nos appropiet, nobis liget vulnera nostra, fluxum concupiscentiæ restringendo pannis humilitatis tuae, infundens oleum spem veniae, & vinum timorem iustitiae: imponat in iumentum, ordinando rationem supra sensualitatem: ducat in stabulum in consideratione peccatorum: altera die spei det duos denarios pœnitentiæ, gaudium scilicet dolori, & quietem labori: vel altera die resurrectionis stolam corporis & animæ, vel cognitionem diuinitatis & humanitatis tuae.

Dominica

Dominica 15. post festum Trinitatis,

O R A T I O

*Cum iret Iesus in Ierusalem, transibat per medium Samariam.* Luc. 17. Matth. 8.  
Marci primo.

**D**omine Iesu Christe, per medium contemplationis & operationis, vel per occulte & manifeste malos, perduc nos ad visionem pacis tuæ, internæ & æternæ: ingredere ad castellum animæ nostræ, vbi diuersorum peccatorum maculis leprosi affectus occurrant tibi per conatum liberi arbitrij: stant per imbecillitatem proficiendi, à longe per culpæ grauitatem, clament per attritionem: Iesu præceptor cui peccauimus, misericordia nostra. Respice misericorditer in nos, vt euntes ad confessionem mundemur per contritionem: vt animus ex remotione duplicitatis hypocrisy, cupiditatis, & inconstantiae, per vniiformitatem & charitatem unus videns se mundatum, redeat ad te cum magna deuotione, cadens in faciem tuæ imaginis, quam deformauerat ante pedes passionis misericordiae & veritatis tuæ; & se de cætero custodiat per conuersionis facilitatem, compassionis pietatem, & gratificationis humilitatem.

Dominica 15. post festum Trinitatis,

O R A T I O

*Nemo potest duobus dominis seruire.* Math. 6. Luc. 16.

**D**omine Iesu Christe, quia nemo potest duobus dominis seruire propter contrarietatem obsequiorum, libera nos à dominio & seruitute mundi, carnis, & diaboli: vt respiciamus contemplatiuos Angelos quibus pluris nos esse voluisti, dum naturam nostram assumpsti. Adiice ad staturam nostræ naturæ cubitum gratiæ in praesenti, & gloriæ in futuro: vt consideremus lilia agri cooperta candore virtutum, mentem scilicet, potius quam fœnum diuites seculi, qui in crastino æternitatis in clibanum gehennæ ignis mittuntur. Quæramus præcipue regnum Dei, & iustitiam eius: vt viatico temporalium per viam virtutum perueniamus ad finem, scilicet, regnum cælorum.

**D. Alberti Magni Orat.**

**N** **z** **Dominica**

Dominica 16. post festum Trinitatis,

O R A T I O

Ibat Iesus in ciuitatem quæ vocatur Naim. Luc. 7.

**D**omine Iesu Christe, quia tu es vera lux, vncio, verbum, & virtus: illumina intellectum nostrum, sana affectum, instrue linguam, informa ad opus. Veniens in nos gratia tua pertranseat ad intellectum, de intellectu ad affectum, de affectu ad verbum, de verbo ad opus proficisciens in nobis, liberet à culpa pœnitentes, protegat in tentatione pugnantes, promoueat ad meliora proficientes, consummet & saluet perfectos. Veni Domine in Naim, animam fluctuantem in stabilitate culpæ & pœnæ: quia tu es veritas, charitas, virtus, & constantia. Appropinqua nobis illuminando cæcum, sanando mutum, suscitando defunctum: ut appropinquemus tibi per obedientiam, fidem, & charitatem. Ingredere per portas interiores, intellectum & affectum, & claudere exteriores: ne vna tentatio prauæ consuetudinis per portas sensuum progrediatur ad notitiam vel affectum, inferiorem partem rationis viduatam superiore, quam de iure vis rationalis, irascibilis, & concupisibilis comitatur, copiosa multitudo affectionum. Respice, compatere, & consolare. Accede per gratiæ manifestationem; tange loculum, vel corpus, aut conscientiam per correctionem. Stent portatores, occasions & opportunitates peccandi. Dic animæ iacenti in peccatis ut resideat per bonam voluntatem, incipiat loqui per confessionem, surgat per bonam operationem. Redde illum matri suæ gratiæ nutrici, ut stet per stabilitatem. Accipiat omnes cogitationes timor reuerentiaæ de potentia, deuotio de bonitate: quia Propheta magnus, gratia scilicet æterna bona prænuntians, surrexit in nobis: quia Deus visitauit plebem suam, vires animæ affectiones & cogitationes, veritas per cognitionem, virtus per operationem, & bonitas per conseruationem.

Dominica 17. post festum Trinitatis,

O R A T I O

Cum intrares in domum cuiusdam principis Pharisaorum sabbato manducare panem.  
Luc. 14. Mar. 12.

**D**omine Iesu Christe, separa nos à malis, da nobis sabbatum inter næ quietis, ut intrans in domum nostræ conscientiæ incorpores nos tibi: conforta in nobis vim digestuam spiritualem, calore charitate, virtute verbi, opere misericordiæ, exemplo bonæ operationis, & assiduitate orationis: ut cibus salutis digestus in stomacho nostri intellectus, digeratur

# Orationes super Euang. totius anni. 149

digeratur & in hepate affectus , & conueniens nutrimentum ad omnia membra bonaे operationis transmittatur. Domine , qui nos ad religionis & ad conuiuum sacræ Scripturæ inuitasti, doce nos per veram cordis oris & operis humilitatem , recumbere in nouissimo loco : vt liberemur à curiositate superstitionis, sanemur à morbo cupiditatis, & eripiamur à puteo periculosaे negationis , vt glorificemur in die resurrectionis coram simul discubentibus.

---

Dominica 18. post festum Trinitatis ,

## O R A T I O

*Conuenerunt Pharisæi in unum, & interrogauit Iesus unum. Matth. 22. Mar. 12. Luc. 20.*

**D**omine Iesu Christe , qui venisti in hunc mundum peccatores saluos facere , coniunge animam meam tibi vni & vero sponso, incommutabili bono : vt postpositis pro tuo amore septem viris, liberalibus facultatibus , nulli ulterius scientiæ per exercitium acquisitæ, sed post fidem, spem, & charitatem , sanctam linguam, & prophetiam, ministerium , & sacramentum comprehensionem huius viæ , per plenam cognitionem & dilectionem tibi adhæreat : & non res iam per imagines , sed in te summa veritate videat , quando charitas maxima finis conformitate, virtutum dignitate , & continentia mandatorum animam tuam in sui perfectionem commutauerit , vt nihil præter te diligit vel recolat , sed sufficientia & perfectione intellectus te Deum & proximum , visibilem & inuisibilem , vnam in duabus naturis personam, filium Dauid, secundum diuinam naturam dominum , & secundum humanam naturam filium manifestissime recognoscat.

---

Dominica 19. post festum Trinitatis ,

## O R A T I O

*Ascendens Iesus in nauiculam transfretauit. Matth. 9. Mar. 2. Luc. 5. Ioan. 5.*

**D**omine Iesu Christe , qui in Passione tua nauiculam crucis ascendisti, in Resurrectione transfretasti , & in Ascensione venisti in ciuitatem tuam , villam pulchritudinis corporum & consolationis animarum : ecce verbum prædicationis, assiduitas orationis , eleemosyna, & frequentia confessionis ; vel timor de obduratione cordis , de ira Dei, de periculo superuenientis infirmitatis , de incertitudine mortis ; vel alloquutio diuinæ inspirationis, vitatio multitudinis, exempla Sanctorum, & humilitas pœnitentiæ , offerunt tibi animam peccatorum morbo dissolutam, immobilem ad promerendum, insensibilem priorum vulnerum & aliorum; iacentem in monte superbiæ vt Saul , in terra cupiditatis vt Dagon , & in lecto luxuriæ vt Eneas. Respice portitorum fidem , & dic iacenti in peccatis vt confidat in terra sibi remitti peccata , surgat per confessionem,

*D. Alberti Magni Orat.*

N 3 tollat

# 150 D. Alberti Magni, Ord. Præd.

tollat lectum per satisfactionem, ambulet per profectum virtutum in dominum suam, in unitatem Ecclesiae, vel æternam beatitudinem: ut turbæ fidelium videant, timeant, & glorificant Deum, qui talem potestatem dedit hominibus ad hominum utilitatem.

---

## Dominica 20. post festum Trinitatis,

### O R A T I O

*Simile est regnum cœlorum homini regi qui fecit nuptias filio suo.* Matth. 22.  
Luc. 14.

**D**omine Iesu Christe, rex cœlestis gloriae qui filiis Abrahæ per penitentiam te imitantibus, sponsam bonam vitam religionis dedisti, propter fidem thori spiritualis, propter prolem bonorum operum, & sacramentum inseparabilitatis, & nos per nuntios tuos, sacram Scripturam, periculum viuendi, infirmitates, mutationem fortunæ, & gratuitam voluntatem ad has nuptias vocasti: Da nobis charitatem, vestem nuptialem, ne à laude Dei & confessione peccati obmutescamus; ne à refectione, spirituali gaudio scilicet, pace, & securitate separaremur: vel vestem pietatis, ne ligatis manibus & pedibus impietatis in tenebras extiores, ubi erit flacus & stridor dentium, proiciamur.

---

## Dominica 21. post festum Trinitatis,

### O R A T I O

*Erat quidam regulus cuius filius infirmabatur Capharnaum.* Ioan. 4. Matth. 8.  
Luc. 7.

**D**omine Iesu Christe, qui de Iudæa angelicæ confessionis & laudis, in Galilæam rotam huius mundi venisti, quoniam infirmus sum, temporalium rerum pulchritudine tentatus, & ideo incipio iam mori tentatione fatigatus: miserere mei priusquam moriar morte culpæ corporis, vel gehennæ; ut virtute verbi, humilitate confessionis, iejunio, oratione, pietate, & exemplo per gratiam Salvatoris liberer à febre fomitis, & ægritudine peccati.

---

## Dominica 22. post festum Trinitatis,

### O R A T I O

*Simile est regnum cœlorum homini regi qui voluit rationem ponere cum seruis.*  
Matth. 18.

**D**omine Iesu Christe, cui debitores sumus ex facto proprio & alieno, bono vel malo, ex iure naturali & diuino, ex naturali simul & humana constitutione; docē strictam & frequentem nobiscum, & cum ministris tuis confessoribus in præsenti facere computationem; ut in futuro

# Orationes super Euang. totius anni. 151

futuro quando personaliter rationem ponere volueris cum seruis tuis , di-  
mittas decem millia ingratuitorum operum nobis , qui dimittimus pro-  
ximis nostris centum denarios naturalium actionum.

---

Dominica 23. post festum Trinitatis ,

## O R A T I O

*Abeuntes Pharisæi consilium inierunt ut caperent Iesum in sermone. Matth. 22.  
Mar. 12. Luc. 20.*

**D**omine Iesu Christe , doce nos astutias seductorum ex verbis eorum intelligere , detegere , & cauere ab eis qui nos ex verbis nostris capere volunt , directe non respondere , sed ex eorum verbis responsonem eos capientem elicere , verbis quæ à multis dicuntur : vt propter hoc gloriosi videantur ; vel vt eis placeamus non assentire , sed in oīnibus rationem sequi , occasione falsæ pietatis vel amplificandi cultum diuinum nihil in præjudicium alterius dicere nisi quod iustum credimus. Da nobis naturali & gratuita superscriptione insigniri , titulo tuæ triumphalis passionis , tuæ mortis memoriali , & tuæ domus præconiali : vt practici & theorici intellectus vitæ corporalis & spiritualis vices prudenter alternando : reddamus quæ sunt Cæsar , cæsari : & quæ sunt Dei , Deo.

---

Dominica 24. post festum Trinitatis ,

## O R A T I O

*Loquente Iesu ad turbas , ecce princeps unus adorauit eum. Matth. 19. Mar. 5.  
Luc. 8. Ioan. 4.*

**D**omine Iesu Christe , adoro pedes misericordiæ , & veritatis tuæ , & deprecor vt viuifices prolem rationis meæ ex transgressione iuris naturalis mandatorum tuorum & votorum meorum mortuam per peccata , præuaricationem , & apostasiam . Restringe prius continuum fluxum sanguinis , concupiscentiam scilicet sensualitatis per humilem retro accesum , & per tactum fimbriæ , passionis videlicet , & gratiæ tuæ . Eiice à domo conscientiæ meæ tibicines , laudatores , & adulatores , & omnes ad peccatum allientes . Admitte tecum Petrum cognitionem proprij defectus : Iacobum , resistentiam peccati : & Ioannem , considerationem gratiæ , & propriæ conditionis , & originis , quæ immunda est pœnalis & imperfecta : per concursum , patrem & matrem , considerationem scilicet gratiæ , & liberi arbitrij , tene manum animæ meæ vt resurgat à morte peccati . Amen .

Dominica 25. post festum Trinitatis

O R A T I O

*Cum subleuasset oculos Iesus & vidisset quia multitudo maxima venit ad eum, dixit ad Philippum: Vnde ememus panes ut manducent hi. Ioan.6.*



Omine Iesu Christe, quoniam prope est Pascha transitus mei, & panes emptitij carnalium illecebrarum comparati ducentis denariis, perditione scilicet corporis & animæ, non sufficiunt ut unusquisque modicum quid accipiat: fac me leuare oculos mentis ad te, & discubere super fœnum carinalis voluptatis, temporalis possessionis & gloriæ, ut merear satiari quinque spiritualium panum refectione, timore diuini iudicij, horrore peccati, dolore contritionis, pudore confessionis, & labore satisfactionis: & duobus piscibus, stabilitate propositi, & desiderio in melius proficiendi: vel quinque panibus quos puer unus habet hic, scilicet humilitas quæ meretur respectum gratiæ Dei vacua impleri, intrare ianuam paradisi quæ est secretaria Dei, & meretur gloriam exaltationis: & duobus piscibus, patientia scilicet contumeliarum, & iniuriarum.



D. ALBERTI



D. ALBERTI MAGNI,  
EPISCOPI RATISPOENSIS,  
DOCTRINA TOTO  
ORBE CELEBERRIMI,  
Ordinis Prædicatorum,  
SERMONES DE SANCTIS.

DE SANCTO ANDREA  
Apostolo

S E R M O I .

*Venite post me, faciam vos fieri  
piscatores hominum. Matth. 4.*

**H**æc verba Dominus dixit non solum ad Petrum & Andream, imo dicit ea ad quoslibet Christianos. Vnde quatuor sunt notanda.

- |                 |                     |
|-----------------|---------------------|
| I. A quibus, &  | } vocemur à Domino. |
| II. Per que, &  |                     |
| III. Ad que, &  |                     |
| IV. Propter que |                     |

Et nota, quod vocat nos à tribus, per tria, & propter tria.

**D**e primo nota, à quibus vocemur à Domino. Et est sciendum, quod vocat nos ab illis tribus, quæ sunt in mundo, videlicet, à carnis lasciuia, & rerum concupiscentia, & virtute superbia. De his tribus dicit 1. Ioan. 2. *Nolite diligere mundum, neque ea que in mundo sunt. Omne quod est in mundo, concupiscentia carnis est, & concupiscentia oculorum, & superbia vite.*

Hæc tria bene possunt figurari per illa tria, quæ Petrus & Andreas reliquerunt. Ipsi enim primo reliquerunt vxores, quas forsitan habebant, vel habere poterant. Per vxorem vero in-

telligitur ipsa caro, quæ mirabili glutino copulata est spiritui. Spiritus enim quasi maritus est carnis. Heu vxor ista caro, semper dominari querit in virum. *Caro quippe semper aduersus spiritum concupiscit*, ut dicit Apostolus. Hanc igitur vxorem, id est, carnis luxuriam debemus relinquere. Ad hoc monet nos Spiritus S. Eccl. 18. *Post concupiscentias tuas non eas, & à voluntate tua*, Glossa, carnali, auertere. Si pretest animæ, id est, animalitati tui, dicit Glossa, concupiscentias eius, faciet te in gaudium inimicis tuis, id est, dæmonibus, dicit Glossa. 3. Sic contingit Samsoni, quem Dalila, cum qua fuerat luxuriatus, traxit Philistæis, in quorum carcerali mola luit illas concupiscentias, quas habuerat cum Dalila.

Secundo rete suum reliquerunt. Per rete vero notatur avaritia, siue rerum concupiscentia. Avaritia quippe est rete diaboli, quod expandit super faciem vniuersæ terræ. Per hoc rete iuuenes capit, & senes, siue viros, siue mulieres. Vnde dicitur Ieremiæ 6. *Vir cum muliere capietur, senex cum pleno dierum: à minore enim usque ad maiorem omnes avaritia student.* Et nota, quod Dominus iniquitatem avaritiae grauiter punire consuevit. Vnde legitur in 3. Reg. 21. & 22. quod quia Achab Rex Israël vineam Naboth Israëlitæ concupiuit, ipsamque Naboth occiso, possedit: propterea in bello quodam, quod erat inter ipsum & Regem Assyriorum, sagitta inter pulmonem & stomachum transfixus occiditur, & mortuus est, & canes linxerunt sanguinem eius. Iezabel vero 4. Reg. 9. vxor eius, ad cuius consilium Naboth occisus fuerat, per mandatum Iehu deorsum præcipitata, & ab vngulis equorum est conculcata: canes quoque comedenter carnes eius. 3. Propterea Spiritus sanctus monet nonnumquamque in Eccl. 5. *Noli attendere ad possessiones iniquas, & ne dixeris: Est mihi sufficiens vita. Nihil enim proderunt in tempore vindictæ, & obductionis*, id est, quando humo tibi claudentur oculi.

Tertio

Tertio nauim dimiserunt. Per nauem superbia figuratur. Sicut enim nauis dorsum aquarium transfit; ita & superbia aliis semper dominari appetit. Præterea sicut nauis amplior est in medio, quam sit in duabus extremitatibus suis: sic etiam est de superbis. Ipsi enim propter hoc timent & superbunt, quando non considerant principium suum & finem. Non enim vident, quod nati sunt cæci & nudi, & flentes, & eiulantes: nec respiciunt, quod cito vile cadaver erunt, & à verminibus corrodentur; & in puluerem reuertentur.

*NOTA* etiam, quod Dominus superbos humiliare consueuit. Legitur enim 2. Mach. quod Antiochus Rex, qui tantæ elationis erat, ut videretur sibi fluctibus maris imperare, & montium altitudines in statera appendere, & qui arbitrabatur se cæli sidera attingere; cum dixisset, *Se Ierusalem venturum, & congeriem sepulchri Indeorum eam facturum; ut hunc sermonem finiuit, apprehendit eum dirus dolor viscerum, & amara intestinorum tormenta: ita ut de curru regali, in quo ibat, ad terram caderet, & de corpore impij vermes scaturirent, ac viuentes in doloribus carnes eius effluenter, odore etiam & fætore illius exercitus grauaretur, ita ut etiam fætorem suum ipse ferre non posset; & sic miserabiliter obitu finiuit vitam.* Hinc est, quod monet nos Spiritus sanctus in Eccl. 11. dicens, ut superbiam fugiamus. Ait enim: *Initium omnis peccati est superbia. Qui tenuerit illam, adimplebitur maledictis, vel maledictione, Glossa, in corpore & anima: & fabuerit eum in fine, id est, superbis capite inferius demisso, & pedibus sursum versis precipitabitur in profundum abyssi.*

De secundo nota, quod Dominus à prædictis tribus, reuocat nos per tria, quæ passus est in cruce, videlicet per paupertatem, & humilitatem, & doloris alperitatem. 1. Per paupertatem quippe reuocat nos ab oculorum concupiscentia. Tantæ namque paupertatis erat, ut nullam vestem omnino sibi reliquerit, sed tantum quandam pannum, quo erat præcinctus ad femora; sicut legitur in Euangelio Nicodemi. Nullam enim habebat hypodiaconem, vel cervical, ad quod caput lassum & afflictum reclinaret. Præterea cum vehementer tunc sitiret, non habuit tantum, ut os suum & linguam humeraret. 2. Per humilitatem etiam suam reuocat nos à vitæ superbia. Nonne magna humilitas hæc erat, quod à consuentibus in ipsum faciem non auerit? & quod dorsum suum ad propriam crucem portandam humiliavit? Quod etiam in medio latronum pendere nudus, in publica strata, ad spectaculum omnium transeuntium, suspensi non refutauit? 3. Per magnam etiam doloris alperitatem reuocat nos à misera carnis luxuria. Nonne magnus dolor hic erat, quod exceptis doloribus, quos sub flagellis & spinis passus fuerat, venerabile corpus eius, usque ad singularem omnium membrorum dinumerationem, violenter extenderunt? Quod etiam manus eius ac pedes grossis clavis perfoderunt, & quod linguam suam felle & acero amaricauerunt? De istis tribus considerandis ac memorandis monet nos ipse Dominus in Thren. 4. Recordare, inquit, paupertatis & transgressionis meæ, & maxime humilitatis. Omnes enim alias mortes quas male-

factores sustinere solebant, pertransiuit, atque il lam elegit quæ tunc præ omnibus aliis contemptiblitor habebatur, videlicet, mortem crucis, & hoc fecit propter eximiam humilitatem suam.

De tertio nota, quod vocat nos ad tria facienda. Primum est, ut Creatori nostro ex omni vita nostra, & posse, & scire nóstro ipsi fideliter seruiamus. Cum enim ipse nobis dederit vitam, & membrorum potentiam, ac rationis scientiam: dignum est, ut ex his tribus seruiamus ei. Vnde dicitur in primo Reg. 7. *Preparate corda vestra Domino, & seruite illi soli; & liberabit vos de manu Philistinorum, id est, daemonum infernalium. Secundum est, ut cuilibet proximo nostro corde, ore, & opere in suis necessitatibus assistamus. Tertium est, ut animam nostram & corpus in omni vitæ munditia custodiamus. De istis duobus dicitur Iac. 1. *Religio munda, & immaculata apud Deum hæc est: visitare pupillos, & viduas in tribulationibus eorum, & immaculatum se custodire ab hoc seculo.* Dicit igitur Iacobus, quod duplex est religio, ad quam Christus nos inuitat. Prima est, ut pupillis & viduis, id est, cuilibet pauperi in suis necessitatibus subueniamus. Secunda est, ut nosipso ab omni inquinamento vitiortum mundos & immaculatos custodiamus.*

De quarto nota, quod debemus sequi Dominum nos vocantem de primis tribus ad tria iam memorata: propter tria, quæ propter hoc assequemur, videlicet, propter regiam dignitatem, & rerum omnium libertatem, & corporis ac animæ claritatem. 1. Qui enim superbiam fugebit, & se ad seruendum Deo humiliauerit, assequetur in cælis regiam dignitatem. 2. Qui etiam contempserit, & res suas pauperibus erogauerit, assequetur in regno Dei rerum omnium libertatem. 3. Qui etiam luxuriam abominatus fuerit, & semetipsum castum & mundum custodierit, accipiet pro præmio animæ & corporis inæstimabili claritatem. Quæ tria nobis largiri dignetur ipse Dei Filius, qui cum eodem Deo Patre & Spiritu sancto viuit, &c.



## DE BEATO NICOLAO

Episcopo.

### S E R M O II.

*Beatis serui illi quos cum venerit  
Dominus, inuenierit vigilan-  
tes. LUC. 12.*

Quinque principaliter sunt hic notanda.

1. *Quis sit ille Dominus cui dignum est, ut ab omnibus seruatur?*
- II. *Quorum seruorum seruitum spe-  
cialiter requiratur?*
- III. *Quomodo & quando quilibet vigi-  
lare teneatur?*

IV. *Quæ*

IV. Quale damnum ab his qui dormierunt, incurratur?

V. Quæ beatitudo eis qui bene vigilarerint, promittatur?



E primo nota, quod Dominus iste cui dignum & iustum est, ut omnes seruant, est Dei Filius. De isto Domino legitur in Genes. 22. quod Isaac, cum benediceret Jacob filium suum, inter cetera sic ait: *Seruant tibi populi, & adorent te tribus: esto Dominus fratribus tuorum.* 1. Per Isaac, qui interpretatur risus, vel gaudium, Deus Pater intelligitur, qui cor & os illorum qui modo pro pectatis suis flent & lugent, gaudio adimplebit & risu. Vnde & ipse Filius fidelis nuntius Dei Patris dixit ad Discipulos suos Luc. 6. *Beati qui nunc fletis: quia ridebitis.* Vnde etiam dicit ad quemlibet fidelem in Iob 8. *Deus non proiiciet simplicem, nec porrigit manum malignis, donec impleatur risus tuus, & labia tua iubilo.* 2. Per Jacob, qui luctator interpretatur, Dei Filius intelligitur, qui tanquam verus David cum Goliad, id est, diabolo, singularem luctam aggressus est in cruce, eumque moriendo, quod mirabile erat, subegit & occidit, id est, iniquam potentiam sibi abstulit. Huic Filio ait Deus Pater: *Seruant tibi populi Gentilium, adorent te tribus Iudeorum, esto Dominus fratribus tuorum,* id est, Christianorum. Christiani enim specialiter dicuntur fratres Domini: quia sunt cum eo in eadem religione. Est enim illis cum Christo una fides, & unum baptismus. Fidem namque quam Christus praedicauit, ipsi suscepserunt, & per eius baptismata peccatis originalibus ipsi ablui meruerunt.

De secundo nota, quod Christiani specialiter dicuntur servi Domini, quia ipsi in baptismo seruitio diaboli renuntiauerunt, & se ad Christi obsequium obligauerunt. De his seruis dicitur Exod. 21. *Si emeris seruum Hebraum, sex annis seruies tibi, in septimo egredietur liber oratis: cum quali veste intrauerit, cum tali egrediatur.* Hæc authoritas exponitur de Christianis, & Christo. Hebrei interpretantur vincentes, vel transeuntes, & sic Christiani debent esse Hebrei, ut videlicet per fidem vincant diabolum & mundum, & ita transire mereantur in regnum æternum. De hac victoria dicit 1. Ioan. 2. *Verbum Dei in vobis manet, & vicitis malignum,* id est, diabolum. Dicit etiam ibidem: *Hac est victoria, qua vincit mundum, fides nostra.*

Hos itaque seruos Dominus emit magno pretio, videlicet, sanguine suo. Vnde sex annis ei seruire debent, vt in septimo liberi gratis egrediantur. Per sex annos totum spatium vitæ nostræ figuratur, in quo laborare debemus, cum ad laborem nati sumus, & cum etiam ipse Dominus sex diebus operatus fuerit, & in septimo quieuerit, sicut dicitur Gen. 2. *Requieuit Deus die septimo ab omni opere, quod patravat.* Septimus annus est tempus post hanc vitam, quod est tempus animarum. Igitur sex annis, id est, toto tempore vitæ nostræ ei seruire debent, vt septimo liberi gratis egrediantur, id est, per Christi gratiam ab

omni miseria liberati ad æternam requiem tuac ingredi mereantur.

Cum quali etiam veste homo intravit in servitatem Christi, cum tali tunc exhibet. Veste est innocentia, quæ confertur homini in baptismo, siue sit baptismus aquæ, vel pœnitentia. Et cum hac veste qui Christo deuote seruierit, exhibet in morte.

Et nota, quod à seruis Christi triplex seruitus exigitur, videlicet, seruitus cordis, oris, & operis. 1. Seruitus autem cordis consistit in tribus, videlicet, in cogitationum puritate, & affectionis sinceritate, ac compassionis vberitate. Debet enim seruus Christi puras cogitationes habere, ut videlicet recognoscit singula beneficia Christi, & cum ea recognoscatur, sincerae affectionis dulcedine circa ipsum motearetur. Debet etiam habere vberem compassionem, per quam pauperibus & afflictis condoleat, ac misereatur. Sic fecit S. Nicolaus. Erat enim, sicut de eo cantatur, valde compatiens & super afflictos piagostans viscera.

2. Seruitus etiam oris consistit in tribus, videlicet, in deuota gratiarum actione, in supplici oratione, & in fraterna admonitione. Debet enim quilibet super singulis beneficiis Iesu deuotas sibi referre gratiarum actiones: cum etiam ei ab electis in patria iugiter gratiae referantur. Vnde & Sacerdos quotidie invitat nos in Missa: *Gratias, inquit, agamus Domino Deo nostro.* Debet etiam homo Creatori suo continuo supplices orationes offerre, postulans ab eo gratiam in præsenti, & gloriam in futuro. *Gratiam siquidem & gloriam Psalmista testimonio dabit Deus.* Debet nihilominus homo proximum suum ed omnem opus bonum admonere, ut ipsum, quantum in ipso est, secum pertrahat ad regnum Dei.

3. Seruitus etiam operis consistit in tribus. Debemus enim Domino seruire operibus munditiae, iustitiae, & misericordiae: ut videlicet per munditiam corpora nostra ab inquinamentis luxuriae custodiamus, ut per iustitiam proximum nostrum in nullo laedamus aut offendamus, ut etiam per misericordiam pauperibus & afflictis benefaciamus. Sic fecit Beatus Nicolaus, qui iuste, munde, ac pie viuendo, ad honorem sacerdotij meruit promoueri diuinitus. Vnde adhuc oleum residat ex ossibus eius mundis & iustis.

**N O T A** etiam, quod Domino seruendum est cum timore & exultatione. Iustitia enim Domini facit hominem trepidare; sed benignitas eius facit eum exultare. De seruitio timoris dicitur in Psal. 2. *Servite Dominum in timore.* De seruitio vero exultationis habetur Gen. 47. vbi populus Ægypti, id est, huius mundi, dicit ad Ioseph, per quem Christus intelligitur: *Salus nostra in manu tua est, respiciat nos tantum Dominus noster, & leti seruemus Regi,* id est, Deo Patri.

De tertio nota, quod vigiliae quibus vigilare tenemur, haec sunt, ut videlicet semper Dei reminiscamur, ac salutis propriæ animæ non obliuiscamur. Et hoc facere debet omnis homo, siue sic in pueritia, siue in adolescentia, siue in virili ætate, siue in senecta, siue in senio constitutus. Hinc est, quod Dominus dicit Marci 13. *Vigilate: nescitis enim quando Dominus veniat;* scero, *an media nocte, an galli cantu, an mane: ne cum venerit repente, inueniatis vos dormientes.* *Quod antem*

*autem vobis dico: Vigilate.* Describit ergo Dominus hic quatuor vigilias, per quas quatuor principales aetates hominis figurantur.

1. Per seculo quippe intelliguntur homines decrepiti aetatis, utpote octogenarij, nonagenarij, & centenarij. His enim dies huius vitae iam pene clausi sunt, & instat eis nox mortis, & talibus est necessarium vigilare. 2. Per medium noctem designantur homines, qui in multis sollicitudinibus huius vitae iam per longum tempus vixerunt, & necesse eis, ut de anima sua requie cogitarent. Qui etiam dicere possunt: *Media vita in morte sumus;* utpote homines annorum quinquaginta, sexaginta, & septuaginta. Illi quippe qui libenter nocte vigilant, saltem in media nocte vadunt dormitum, ut paudent, & requietantur. Sic etiam utile esset talibus, ut tandem nunc de animarum requie cogitarent. 3. Per gallicantum notantur homines quos gallus multiplicis sollicitudinis inquietat, videlicet, qui de coniugum suarum, & parvulorum, & cetera familiae procreatione solliciti existunt, utpote vicenarij, tricenarij, quadragenarij. Et certe a talibus exigitur, ut vigilent. Nescit enim homo quantumcumque robusta aetatis sit, quid superuentura pariat dies. 4. Per mane intelliguntur parvi, & adolescentuli, qui sunt infra annos viginti, quibus adhuc longior dies vitae praesentis promittitur: & forte tales credunt, quod longam, & serenam sint vieturi, qui forsitan vix vivunt unam diem breuem, & per auræ intemperiem nihilominus perturbatam: propter quod & talibus est vigilandum.

*B E A T V S N I C O L A V S* mane cepit Dominum vigilare. 1. Propterea legitur de ipso, quod dum penderet ad ubera matris, quarta feria & sexta semel in die papillas sugebat. 2. Cantatur etiam de eo, quod *nobilis progenie, sed nobilior moribus ab ipso puerili eno secutus Dominum meruit diuina revelatione ad summum prouerbii sacerdotium.* 3. nota etiam, quod ad litteram B. Nicolaus ad hoc ut bene ageret, vigilauit. Cuidam enim patrifamilias qui ad magnam deuenerat inopiam, ad subsidium ipsius, ac filiarum eius, ipso dormiente aurum proiecxit, & abscessit. Heu multi faciunt è conuerso! qui ad hoc vigilant, ut malefaciant de noctibus, utpote fures, raptore, latrones, & domorum incensores, & fornicatores. De talibus dicitur Proverb. 4. *Ne deleteris in semitis impiorum, nec tibi placeat via malorum: non enim dormiunt nisi malefecerint, nec somnus rapitur ab eis nisi supplantauerint: comedunt panem impietatis, & vinum iniqutatis bibunt.*

De quarto nota, quod ad minus sunt quatuor genera hominum qui non vigilant, sed dormiunt, & propter hoc peñam & mortem incurunt aeternam. Dormire enim est Deum non attendere, & propriam salutem negligere. Faciunt autem homines sic dormire superbia, auaritia, luxuria, & de longiore vita confidentia: & per haec etiam quatuor homines morte trucidantur aeterna. Nota ergo de primis duabus, videlicet, superbia, & auaritia, quod faciunt hominem Dei ac propriæ salutis obliuisci, & tandem ipsum morte interficiunt sempiterna. Vnde legitur in 2. Reg. 4. quod duo principes latronum Rechab & Baana Isboseth filium Sau-

lis feruente die in meridie super lectum suum dormientem interficerunt, & sublato capite eius abierunt: ostiaria quippe domus etiam dormiebat.

Iboseth interpretatur vir confusionis, & signat quemlibet qui diligit hunc mundum, qui plenus est confusione. Confusa quippe sunt hic omnia: spes, metus, mœror, gaudium. Hunc Rechab & Baana dormientem interficiunt. Rechab interpretatur excelsus, & signat superbiam, quæ semper excelsa querit. Baana vero interpretatur, venit donatus, & signat auaritiam, quæ semper appetit dona & munera rerum præsentium.

Superbia igitur & auaritia interficiunt hominem dormientem, id est, salutem propriam negligentem; interficiunt autem eum in meridie & in lecto. 1. Superbi enim semper volunt esse in meridie, id est, semper appetunt in hoc seculo splendere, & gloriari apparere. 2. Auari etiam propter hoc res tam inhanter congregant & acquirunt, ut de diuiniis quasi quandam lectum sibi faciant, in quo postea suauiter paudent & quiescant. Et quare tales interficiuntur? Quia certe ostiaria domus, id est, ratio hominis obdormiuit. Ipsa quippe ratio hominis deberet hominem excitare, & ei persuadere, ut caueret sibi à superbia & auaritia, præfertim cum homo sit puluis & vas stercorum: propter quod indignum est, ut superbiat; præterea cum homo nudus natus sit, nudum eum egredi oporteat, propter quod etiam contra rationem est, ut ad tanta conquirenda se extendat, cum omnia eum hic relinquere sit necesse.


3. Luxuria etiam hominem facit dormire, id est, aufert ei memoriam Dei, & sollicitudinem salutis propriæ, vnde legitur Iudicum 15. quod Dalila fecit dormire Samsonem super genua sua, & in sinu suo reclinare caput. Deinde cum rarus eum abiiceret, apprehenderunt eum Philisthæi, & eruerunt oculos eius, & vinculum carnis molere fecerunt in carcere suo. Samson interpretatur sol fortis, & signat quemlibet Christianum, qui deberet esse sol & lumen fidei, & fortis per opus virtutis. Haec enim duo requiruntur a quolibet Christiano, ut videlicet credat per fidem, & operetur per charitatem.

Hinc Dalila, quæ interpretatur fistula, signat luxuriam, quæ semper sit libidinem, ad sinum suum inuitat, ibique eum tandem dormire facit, quoad usque rarus fuerit, id est, quandiu vires corporis habuerit. Viribus autem corporis per mortem ablatis, abiicit eum a se, quem tunc Philisthæi, id est, demones capientes excæcant, id est, priuant aeterna luce, vincuntque catenis perpetuæ damnationis, & siceum molere faciunt panem aeterni doloris ac laboris in carcere gehennali, ubi impij semper in circuitu ambulant excæcati. Ibi misero peccatori luxuriosa dormitio longis cruciatuum vigilijs lamentabiliter compensatur.

4. Confidentialia quoque longe vitae facit hominem dormire, id est, Dei ac propriæ salutis penitus obliuisci. Legitur enim Judith 4. quod Iahel Sisaram pallio operiens, dedit ei lac bibere, & tandem tempus dormientis clauso perforauit: & sic soporem morti socians defecit,

defecit, & mortuus est. Sisara interpretatur equi visio, & signat tales qui non praeudent mortem suam, sed viuunt sicut equus & mulus, quibus non, &c. Psal. 31. Hos Iahel qui interpretatur ascendens, & signat confidentiam longioris ac ascendentis vita, pallio falsæ spei operit, & dat eis bibere lac mundanæ voluptatis: & sic ipsos dormientes clavo perpetuo mortis perforat & occidit.

De quarto nota, quod beatitudo quæ bene vigilantibus promittitur, hæc est de qua Dominus sic ait in praesenti Euangelio: *Amen dico vobis, quod præcinget se, & faciet illos discubere, & transiens ministrabit eis.* Dei quippe Filius præcinget se, id est, gratiosum seruum teritorum suorum in regno suo ostendet, eosque qui vigilaverunt, id est, qui sui & propriæ animæ per bona opera immemores non extiterunt, faciet discubere ad mensam gloriae sue, sicut ipse dicit Luc. 22. *Et ego dispono vobis, sicut disposuit mihi Pater regnum, ut edatis & bibatis super mensam meam in regno meo.* Discubentibus autem eis qui olim seruierunt ac vigilauerunt, transiens ministrabit ipsis ferula multifaria iucunditatis. Transibit quippe Iesus per ipsam animam, & omnes sensus electorum, ministrans palatum, manum, & pedem, & sic de alijs membris, & propinabit unicuique membro latitudinem singularem. Quod autem gaudium animæ, quæ specialis sedes est Trinitatis, tunc infundetur, nec Prædicatoris lingua, nec scriptoris calamus sufficienter poterit explanare. Rogate ergo Dominum, ut sic in bonis operibus vigilantes inueniamur, quatenus illam ineffabilem beatitudinem assuefi mereamur. Quod nobis præstare dignetur, &c.



## DE SANCTO THOMA Apostolo

### S E R M O III.

*Infer digitum tuum huc, & vide manus meas, & affer manum tuam, & mitte in latus meum, & noli esse incredulus, sed fidelis.* Ioan. 20.

In verbis præmissis quæ Dominus dixit ad beatum Thomam, tria perpendere possumus,

- I. *Passionis grauitatem,*
- II. *Resurrectionis veritatem,*
- III. *Et Christianam dignitatem.*

 Rimo igitur perpendere possumus grauitatem Dominicæ passionis, per hoc quod dicitur Thomæ; infer digitum tuum huc, scilicet, in manus meas, & affer manum tuam, & mitte, &c.

D. Alberti Magni Serm.

Per hoc enim probari potest, quod clavi quibus Dominus cruci fuit affixus, grossi erant ad modum digiti virilis manus, & quod grossa fuit & lata ad modum virilis manus, illa dira lancea qua transfixum fuit latus Salvatoris nostri; unde & Ioannes dicit 19. *quod unus militum latus eius lancea aperuit, quasi magnum ostium faciens in latere, & continuo exiuit sanguis & aqua, sed intermixtum & separatum.* Ab eodem quippe vulnera singulariter exiuit sanguis, & singulariter limpida aqua, quod fieri non potuisset, si fuisset angusta lateris apertura.

Cum ergo Dominus tam grauem pro nobis sustinuerit passionem, dignum est, ut & nos aliquam asperitatem patiamur pro ipso. Vnde etiam sicut legitur in Ioan. 12. Cum Lazarus mortuus esset, & Iesus diceret Discipulis: *Lazarus mortuus est, eamus ad eum:* Dixit Thomas ad condiscipulos, *Eamus & nos, & moriamur cum eo.* Ecce paratus fuit Beatus Thomas mori cum Domino, ut dicit ibi Glossa: Ecce verus amantium affectus, vel cum eo viuere, vel cum eo mori. Ad hoc autem ut patiamur cum Domino, inuitat nos Apostolus ad Rom. 8. ita dicens: *Erimus heredes Dei, coheredes autem Christi, si tamen compatimur, ut & simul glorificemur. Existimo enim, quod non sint condignæ passiones huius temporis ad futuram gloriam, quæ reuelabitur in nobis.*

Si igitur volumus habere cum Domino gloriam exultationis, patiamur etiam cum ipso amaritudinem passionis. Ipse enim est caput nostrum, & nos eius membra: unde non decet, ut ait Bernardus, sub spinato capite membrum vivere delicate. Propter quod etiam Apostolus 1. Corinth. 12. *Siquid patitur unum membrum, compatiuntur omnia membra; siue gloriatur unum membrum, congaudent omnia membra, & subdit: Vos autem etsi corpus Christi. Quasi diceret: Cum Christus qui est caput nostrum, passus sit pro nobis, & vos debetis merito cum ipso pati in via misericordie, ut cum ipso gaudeatis in patria gloriae. Vos enim etsi corpus eius.*

Vult etiam Dominus, ut non solum compatiamur ei in cruce pendenti, sed ut etiam compatiamur ipso in paupertate famis, siti, frigoris, ac infirmitatum miserias patienti. Sibi quippe reputat impensum, quod pauperibus fuerit erogatum. De hac compassione dicit Iob 30. *Flebam quondam super eo qui afflictus erat, & compatiscebat anima mea pauperi.*

Secundo possumus attendere veritatem Resurrectionis, in eo videlicet, quod ostendit se videndum & palpandum. Vnde etiam dixerat alijs Discipulis, priusquam se Thomæ exhiberet, sicut testatur Lucas 24. *Videte, inquit, manus meas, & pedes meos, quia ego ipse sum: palpate & videte, quia spiritus carnem & ossa non habet, sicut me videtis habere.* Et cum hoc dixisset, ostendit eis manus, & latus. Igitur sicut Glossa dicit, propter hoc cicatrices vulnerum suorum reseruavit, ut fidem Resurrectionis astrueret, & infidelitatis vulnus in eis sanaret.

Cum ergo Christus resurrexit, scire debeamus firmissime, quod & nos resurgemus; unde dicit Iob 19. *Scio quod redemptor meus viuit, & in nonissimo die de terra surrecturus sum; & rursum circum*



circum

*circumdabor pelle mea, & in carne mea videbo Deum Salvatorem meum.* Dicit etiam Apostolus 1. ad Corinth. *Omnis quidem resurgemus, sed non omnes immutabimur, à miseria videlicet in gloriam.* Boni enim tunc in corporibus suis immutabuntur à miseria præsentis vitæ in gloriam vitæ perpetuæ: mali vero de miseria huius exilij ibunt in miseriam æterni supplicij. Explana autem quomodo ista fiet resurrectio, & dicit, quod fiet *in momento, & in isto oculi, ad clamorem nouissima tubæ*, id est, ad præceptum Christi, qui ideo vocatur nouissima tuba, quia cum omnes Prædicatorum linguae siluerunt, tunc ipse, vt ab vniuerso orbe audiatur, potenter ac patenter in iudicio personabit.

Agamus igitur, charissimi, opera munditiae, iustitiae, ac misericordiae: fugiamusque immunditiam, iniustitiam, ac mentis inclemenciam: vt videlicet cum ad vocem huius tubæ nos euigilare contigerit, non in opprobrium sempiternum, sed potius in vitam æternam feliciter resurgamus. Dicit autem Daniel. 12. *Multi de his qui dormiunt in terre puluere, euigilabunt, alij in vitam eternam, alij in opprobrium, vt videant semper*, id est, vt hi qui euigilauerint in vitam æternam, videant Deum quasi Imperatorem serenissimum; & hi qui euigilauerint in opprobrium sempiternum, aspiciant diabolum tortorem crudelissimum.

Tertio, in verbis supradictis notare possumus Christianam dignitatem. Si enim Christus Apostolos suos tam charos habuit, & dignos, quod post Resurrectionem suam se illis præbuit ad atrectandum: sic etiam tam digni sunt ipsi & chari boni Christiani, quod semetipsum se eis exhibit ad manducandum. Quis autem dubitat non minoris dignitatis esse cibum pretiosum manducare, quam atrectare? Vnde ipse Iesus per semetipsum dicit Ioan. 5. *Amen dico vobis, nisi manducaueritis carnem Filii hominis, & biberitis eius sanguinem, non habebitis vitam in vobis.*

Cum ergo instet, charissimi, nativitas infantuli Iesu, qui seipsum exhibit nobis ad vescendum, & propter hoc reponi voluit in præseptum; sex requiruntur à nobis, vt tantum hospitem honorifice recipiamus, id est, digne tunc ad sacrosanctam communionem accedamus.

Primum est, vt ab hospitio animæ omnes sordes peccatorum eliminemus, & hoc oportet fieri per amaram contritionem. Contrito enim quadam est præacuta pala, per quam omnes immunditiae scelerum ejiciuntur, per quas diabolus inquinauerat animam peccatoris.

Secundum est, vt domum etiam perfundendo scopemus; id autem fit per lacrymosam confessionem. Lacrymosa quippe confessio est quasi quædam scopa, quæ cum fetentes sordes per contritionis præacutam palam foras proiectæ fuerint, postmodum lacrymis perfusis, subtiliter & diligenter emundat.

De istis duobus dicitur 2. Par. 29. *Extulerunt Sacerdotes omnem immunditiam, quam in templo repererant in vestibulo domus Domini; quam rularent Lenitæ, & asportauerunt ad torrentem Cedron foras: expiaueruntque templum Dei diebus octo.* Sacerdotes dicuntur quasi sacri duces. Sunt

autem sacri duces animæ, timor & amor. Timor videlicet supplicij, & amor præmij. Hi duo Sacerdotes in gerula contritionis efferunt omnem immunditiam peccati de templo Domini, id est, de corde hominis, & asportant eam foras in torrentem Cedron. Cedron interpretatur tristis moeror, & signat supplicium gehennale. Ibi enim est tristis moeror, quia miseri damni non expectant aliquam consolationem interoris sui. In hunc torrentem timor & amor faciunt peccata portari, quando videlicet faciunt hominem recordari, quod nisi idem penituerit, semper inferni supplicia patietur. Soribus autem exportatis expiauerunt templum octo diebus, per quod intelligitur pura confessio, ad quam octo requiruntur. Et illa octo sunt isti octo dies expiationis. Octo quæ ad confessionem requiruntur, notantur in hoc versu:

*Quis, quid, ubi, quoties, cum queis, cur, quomodo, quando.*

Quis videlicet, virum monachus, clericus, vel laicus fuerit. Item, virum fuerit sacerdos, diaconus, vel subdiaconus, & sic de similibus. Quid, id est, quale genus peccati commiserit. Vbi, id est, in quo loco perpetraverit. Quoties, id est, quot annis, vel mensibus, vel diebus, vel vicibus. Cum queis, id est, cum quibus, id est, si cum muliere soluta, vel coniugata, vel religiosa, & velata: aut cum nepte, vel sorore. Item si cum iumento, & quali iumento. Cur, id est, si spontaneus, aut coactus, vel si magna tentatio eum ad hoc impulerit, vel ipse sibi temptationem fecerit. Quomodo, id est, si naturaliter aut innaturaliter, stando vel iacendo, vel dormiendo. Quando, id est, in 40. vel extra 40. si in diebus solemnitatum, vel in diebus feriarum.


Tertium, quod requiritur ad hoc, quod corpus Iesu digne suscipiamus, hoc est, vt hospitium cordis nostri cortinis, & floribus adornemus. Hoc fit per per bonorum operum actionem, & maxime per eleemosynarum largitionem. Vnde dicitur 1. Mach. 4. *Ornauerunt faciem templi coronis aureis: & facta est letitia in populo magna valde.* Coronæ aureæ sunt bona opera quæ fiunt ex charitate. Per bona quippe opera anima modo ornatur, & tandem in Dei iudicio coronatur.

Quartum est, vt aduentum Domini desideremus, ipsumque ieuniū expectemus. Hoc autem fit per sancta desideria, & deuota ieunia, per quæ boni Christiani præparant se ad tanti hospitis susceptionem, cum ipse sit verus cibus animæ. Vnde & Apost. in prima Dominica Adventus instruxit nos, quomodo debemus expectare hospitem nostrum Iesum Christum, ita dicens ad Rom. 14. *Dies, id est, Christus appropinquauit. Non ergo sitis in comedationibus & ebrietatibus, non in cubilibus & impudicitiis; sed indumini, id est, appetite Dominum Iesum;* vt veniat videlicet in cor vestrum.

Quintum est, vt receptum hospitem in sedem quietam, vel lectum molliter stratum colloquemus. Hoc fit per pacem cordis, & omnis ira ac odio propulsionem. Et nota, quod pax cordis quam nutritius mansuetudo & patientia, tam grata est Deo, quod etiam ipse Dei Filius, quem

quem Deus Pater constituit vigilem Ecclesiae suæ, dicit se in ea requiescere & dormire; ait enim in Psal. 4. In pace in idipsum dormiam & requiescam. Est igitur pax, id est, tranquillitas cordis, sedes & letus Iesu Christi. Proh dolor! quidam ponunt Iesum quasi super spinas, & virticas, & projiciunt eum quasi in ignem: illi videlicet, qui cum inuidia, odio, & ira accipiunt corpus Christi.

Sextum est, ut charissimo hospiti, quidquid melius, & charius habemus, proferamus, & demus. Sed nihil corde est melius, & hoc petit à nobis; vnde dicitur Proverbi. 23. Fili, prebe mihi cōtuum. Cor igitur petit à nobis, quia si habuerit cor, habebit oculum, aurem, nasum, os & lingua, manum, pedem, & cætera membra corporis ad obsequium suum paratiSSima. Rogate ergo Dominum, ut sic eum recipiamus in terris, quatenus & ab ipso recipi mereamur in cælis. Quod nobis, &c.



## DE BEATO STEPHANO

### S E R M O IV.

*Ecce video cælos apertos, &  
Filiū hominis stantem  
à dextris virtutis Dei.  
Act. 7.*

Tria sunt hic notanda.

- I. *Quis sit iste qui se cælos apertos vide protestatur?*
- II. *Quid per cælos quos apertos vidi, intelligatur?*
- III. *Quare Iesus non sedens, sed stans à Stephano videatur?*

**D**E primo nota, quod ille qui se cælos apertos videre protestatur, est Beatus Stephanus. Stephanus interpretatur regula vel corona. Interpretatio itaque nominis sui innuit aperte, quod secundum regulam doctrinæ Iesu vixit, & quod bene viuendo cælestem coronam promeruit. Nos etiam imitari debemus Beatum Stephanum, ut secundum regulam doctrinæ Iesu viuamus, & sic nos dignos cælestis coronæ faciamus. Vnde dicit Apostolus ad Galat. 6. *Quicunque hanc reglam secuti fuerint, pax super illos & misericordia.* Quasi diceret. *Quicunque reglam doctrinæ Iesu Christi secutus fuerit, illum Dominus corona pacis ac misericordia coronabit.*

Doctrina vero præcipue consistit in duobus, videlicet, in dilectione Dei, & proximi: & hæc sunt duo latera regulae sive normæ. De his duabus dicit Dominus Matth. 22. *Diliges Dominum*

*D. Alberti Magni Serm.*

*Deum tuum ex toto corde tuo, & ex tota anima tua, & in tota mente tua. Diliges proximum tuum sicut te ipsum. In his duobus mandatis uniuersa lex pendet & Propheta. Igitur hæc est regula sive norma, quæ dirigit nos ad coronam perpetuæ gloriae, ut videlicet Deum & proximum omni studio diligamus. Qui enim Deum vère diligit, præceptis suis uniuersis deuote intendit. Qui etiam proximum sincere diligit, nec verbis eum, nec factis offendit.*

De secundo nota, quod per cælos quos Stephanus apertos vidit, intelliguntur nouem ordines electorum. Primus ordo est parvulorum recenter post baptismum morientium. Secundus ordo est viduarum & coniugatorum pœnitentium. Tertius virginum sanctorum. Quartus est sanctorum Confessorum, Pontificum, & Doctorum. Quintus est sanctorum Martyrum. Sextus est sanctorum Prophetarum. Septimus est sanctorum Apostolorum. Nonus est Angelorum. Super hos vero nouem ordines thronus Beatæ Virginis collocatus est ad dexteram humanitatis Iesu Christi, quæ scilicet humanitas in ipsis sanctæ Trinitatis cælo dulciter requiescit.

Prædicti vero nouem ordines electorum, per nouem cælos de quibus loquantur Philosophi, figurantur.

Primum igitur cælum est circulus Lunæ. Per hoc cælum mansio parvulorum nouiter renatorum, & in puritate baptismatis morientium figuratur. Sicut enim luna per se non lucet, sed lumen suum recipit à sole: sic etiam parvuli nihil meruerunt in hac vita per quod luceant in cælo, sed lumen suum quo ibi lucebunt, habent à sola gratia Dei quam consecuti sunt in baptismo, quem Christus suo sanguine consecravit: & propter hoc lunæ parvuli comparantur.

Cælum itaque parvulorum Stephanus sibi vidit apertum, quia in ea puritate quam in baptismo suscepit, creditur permansisse. Vnde bicitur de eo in Actib. Apost. 6. quod *Stephanus plenus erat gratia.* Quasi dicatur, quod candem gratiam Spiritus sancti quam in baptismo suscepit, adhuc per vitæ innocentiam conservauit.

Caveamus & nos charissimi, ne vestimentum innocentiae quod collatum nobis fuit in baptismo, per turpes & malitiosas cogitationes, per sordidas & prauas locutiones, per immundas & iniquas operationes coquinemus: ut sic nobis cælum pateat parvulorum in quod ipsi per puritatem innocentie transferunt. Dicitur enim de pueris post baptismum nuper mortuis, in Psal. 84. *Non priuabit bonis eos qui ambulant in innocentia.* Licet enim nulla bona opera attulerint, tamen propter vitæ innocentiam saluabuntur.

Secundum cælum est circulus Mercurij. Dicitur autem Mercurius, quasi merces curans. Per hoc cælum viduarum, coniugatorum, & pœnitentium mansio figuratur. Per hoc enim quod viduae & coniugati secundum dictum Pauli in bonis operibus testimonium habuerunt, & pauperes & peregrinos hospitio receperunt, ac Sanctorum pedes lauerunt, & tribulationem patientibus subministraverunt: per hoc etiam quod pœnitentes peccata sua eleemosynis rede-

O 2 merunt

merunt : æternas merces , & viduæ , & con fugati , nec non & pœnitentes animabus suis prudentiæ sollicitudine conquisierunt.

Hoc etiam cælum Beatus Stephanus sibi vidit apertum. Ipse enim fuit vir magnæ misericordiæ, propter quod ad hoc deputatus fuit ab Apostolis , vt viduis ministraret , sicut legitur Act. 6.

Nos etiam , vt mereamur attingere consor tium viduarum sanctorum , bonorum coniuga torum , nec non & vere pœnitentium , merces æternas nobis , quandiu est foris gratia , per pie tatis opera conqueramus. Ad quod monet nos ipse Dominus Luc. 9. dicens : *Estoffe misericordes sicut & Pater vester misericors est. Date , & dabi tur vobis.* Et quid dabitur nobis Domine? Sequitur : *Mensuram bonam , & confertam , & coagita tam , & supereffluentem dabunt Angeli in finum vestrum.* Sed heu multi sunt , qui merces eleemosynarum suarum mittunt in saccum pertusum ; sicut dicit Aggæus 1. *Qui mercedes congregavit , misit eas in saccum pertusum.* Illi eleemosynas suas mittunt in saccum pertusum , qui licet dent eleemosynas : prædari tamen , & furari , usuras acci pere , & alios dolos agere non desistunt. Illi etiam eleemosynas mittunt in saccum pertusum , qui eas propter appetitum vanæ gloriæ largiuntur. Rapina quippe , furtum , & usura , & fraudum malitia , nec non & vana gloria eleemosynam ante Deum ascendere non permit tunt.

Tertium cælum est circulus tertij planetæ , qui Venus appellatur. Dicebatur autem olim à Gen tilibus Venus esse Dea amoris. Vnde per hunc cælum sanctorum virginum mansio designatur. Ipse quippe Deum supra omne id quod creatum est , amauerunt : propter quod ei per castitatem mentis & corporis placere studuerunt : sicut dicit Apostolus 1. ad Corinth. 7. *Mulier innupta & virgo cogitat quæ Domini sunt , ut sit sancta cor pote & spiritu.* Quod autem virgines Deum amauerint , & toti mundo prætulerint , testatur illud responsorium , quod de qualibet virginie cantatur : *Regnum mundi , & omnem ornatum seculi contempsi , propter amorem Domini mei Iesu Christi , quem vidi , quem amavi , in quem credidi.* Beatus igitur Stephanus cælum virginum vidit sibi apertum. Miræ quippe castitatis fuit , propter quod in Act. 6. dicitur *plenus Spiritu sancto.* Et quia Apostoli eum nouerunt approbatæ castitatis virum , propter hoc fœminarum seruicio depurauerunt eundem.

Nos etiam charissimi , vt aliquod gaudium nobis ex choro sanctorum Virginum transmittatur , virginitatem amemus , eamque in Virginibus honoremus. Virginitatem enim quam ipse Deus honorat , non est dignum vt homo despiciat. Quod autem sancta virginitas incomparabilis pretij sit in conspectu Domini , protesta tur Eccl. 26. *Omnis ponderatio non est digna continenti anime.* Fornicatores igitur , qui virgines polluant & corruptiunt , videant quomodo Domino tantum boni restituant , quantum ei abstulerunt , & in semetipsis , & in alijs , quas per libinem polluerunt.

Quartum cælum est circulus quarti planetæ , qui sol vocatur. Per hoc cælum sanctorum Confessorum , Pontificum , & Doctorum chorus ex

primitur. Sicut enim Sol dicitur præ alijs solis lucens , ita & sancti Confessores , Pontifices , & Doctores olim per lumen bohæ vite & sacræ doctrinæ mundum mirabiliter illustrauerunt. Hoc etiam cælum Beatus Stephanus sibi videt apertum. Erat enim & ipse magnus Doctor & Prædictor. Vnde dicitur Act. 6. *quod disputabant Iudei cum Sancto Stephano , & non poterant resistere sapientia ; & Spiritui qui loquebatur.* Nos etiam , charissimi , vt mereamur saltem in aliqua parte participes esse gaudij sanctorum Confessorum , Pontificum , & Doctorum verbum Dei quod nobis ex ore Prædicatorum proponitur , libenter audiamus. Dicit enim ipse Christus Ioan. 8. *Qui ex Deo est , verba Dei audit.* Propterea vos non auditis , quia ex Deo non estis. Euidens igitur argumentum est , quod ille qui libenter audit verbum , sit de numero saluandorum , & quod is qui fastidit & fugit verbum Christi , sit inter reprobos deputandus.

Quintum cælum est circulus Martis , qui est quintus planetarum. Mars autem olim Deus belli esse putabatur. Per hoc chorus sanctorum Martyrum designatur : ipsi enim erant fortis Dei milites , & egregij pugnatores. Vnde can tatur de eis : *O veneranda Martyrum gloriosa certamina , qui in suis corporibus pro Christo immania pertulerunt tormenta ; & ideo percipere meruerunt immarcescibilem æterne gloriae coronam.* Hoc cælum sibi gloriosus Protomartyr Stephanus videt apertum. Ipse namque , sicut dicitur Act. 6. *Plenus erat fortitudine per quam lapides torrentis illi dulces fuerunt , quibus pro Domino lapidatus , primus post passionem securus fuit rubra vestigia Iesu Christi : & quod erat mirabile , ad imitationem Iesu corpore extrinsecus patiebatur , & intrinsecus in corde persecutum malitijs compatiebatur :* dicitur enim Act. 7. *Positus autem genibus clamauit voce magna , dicens : Domine , ne statnas illis hoc peccatum.*

Nos etiam , charissimi , vt aliquod participium gaudij sanctorum Martyrum habere possumus , patientiam istius Mattyris imitemur , vt videlicet damna rerum , & contumelias verborum , quæ nobis à malis hominibus inferuntur , cum patientia sustineamus. Ait enim ipse Rex Martyrum Iesus Ioan. 15. *Si me persecuti sunt , & vos persequentur. Quasi diceret : Si ego persecutionem passus sum , non est mirum , si & vos patiamini , vbi dicit Glossa. Non potest placere seruus , cui displicer Dominus.*

Sextum cælum est circulus Ioui , qui sextus est planetarum. Dicitur enim Iupiter , quasi iubens pater : in vulgari etiam Iupiter tonitruum appellatur. Per hoc autem cælum , chorus sanctorum Prophetarum designatur : *Prophetæ* quippe per zeli vehementiam in ipsis Regibus redargutiones validas intonuerunt : & quod à Domino intellexerunt eos facere precepérunt. Vnde & ipsi Reges Prophetas patres appellaverunt. Hinc est , quod legitur 4. Reg. 1. 3. quod cum Eliseus infirmatur , descendit ad eum Ioas Rex Israel , & flebat coram eo , dicebatque , *Pater mi , pater mi , currus Israel , & auriga eius.* Quasi diceret. Doleo , ô pater mi , quod infirmaris ; quia tu es currus Israel & auriga eius

eius, id est, tu defers in sinu orationum tuarum vniuersum populū, & præterea tu es auriga, id est, rector & gubernator vniuersi populi Israëlitici.

Hoc etiam cælum Beatus Stephanus sibi vidit apertum. Ipse enim erat valde constantis zeli: propter quod ad instar cuiusdam tonitrui, Iudæos super excessibus eorum increpauit ita dicens in Actibus Apostolorum 7. *Dura cernice, & incircuncisi cordibus & auribus, vos semper Spiritui sancto resistitis: sicut patres vestri, sic & vos. Quem Prophetarum non sunt persecuti patres vestri? & occiderunt eos, qui prænuntiabant de adventu Iusti, cuius vos proditores & homicide fuistis.*

Nos etiam, vt consortium aliquod cum sanctis Prophetis habere mereamur, debemus corripere delinquentes, vnde dicit Apostolus 1. ad Thess. 5. *Rogamus vos fratres, corripite delinquentes. Hinc etiam legitur in primo Reg. 1. quod Heli, quia filios suos debita animaduersione non corripuit, grauem iram Dei incurrit, & tandem de sede qua sededit, deorsum corruens, fractis cervicibus expirauit.*

Septimum cælum est circulus Saturni, qui est supremus planetarum. Dicitur autem Saturnus quasi satorum Deus. Per istud cælum designatur chorus venerabilium Patriarcharum, qui erant boni fatores; semen enim fidei & religionis seminauerunt in corda suorum. Dicit etenim Eccl. 44. *Laudemus viros glorioſos & parentes nostros in generatione sua, qui virtute prudentie sua nūtiauerunt populis sanctissima verba.* Abraham enim, fidem & legem, quam accepit à Domino, seminauit in cor filij sui Isaac: Isaac autem religionem acceptam à patre, filio suo Jacob recommendauit: ille quoque cultum vnius Dei transmisit in 12. filios suos: & sic per successiones, quilibet Patriarcharum fidem rectam, & vitam bonam transmisit ad posteros suos. Cælum itaque Patriarcharum Beatus Stephanus sibi vidit aperatum; nam & ipse veræ fidei verus domesticus & hospes fuit. Vnde dicitur Act. 6. *quod elegerunt Apostoli Stephanum virum plenum fidei.* Nos etiam charissimi, vt aliquam portionem accipiamus beatitudinis sanctorum Patriarcharum, in fide illa quam docet nos sancta mater Ecclesia, fideliter persistamus: ait enim Apostolus ad Hebr. 11. *Sine fine impossibile est placere Deo.* Quod autem fidem cum bonis operibus hospitari debeamus, testatur Jacob. 2. *Vix scire, ô homo inanis, quoniam fides sine operibus mortua est.* Abraham pater noster ex operibus iustificatus est, offerens filium suum super altare? Vides igitur, quoniam fides cooperabatur operibus illius, & ex operibus fides consummata est.

Octauum cælum est signifer circulus siue zodiacus, in quo duodecim emicant signa, quæ designant, in qua parte cæli sol sit, vel ad quam partem perueniat. Singuli etiam menses anni per hæc duodecim signa signantur. Sunt autem hæc signa: cancer, leo, virgo, libra, scorpio, sagittarius, capricornus, aquarius, pisces, aries, taurus, & gemini. Per istud cælum chorus sanctorum Apostolorum non incongrue figuratur. Apostoli quippe signis & miraculis quæ fecerunt in terris, solem iustitiae Iesum Christum hominibus in infidelitatis membris existentibus, clarissime monstrauerunt. Mittens enim Dominus Apostolos in mundum, dedit eis potestatem,

*D. Alberti Magni Serm.*

vt facerent signa & miracula: vnde dicit Lucas 9. *Conuocatis Iesum duodecim Apostolis, dedit illis virtutem & potestatem super omnia demonia, & ut langores curarent, misericordia illos praedicare regnum Dei, & sanare infirmos.* Hoc etiam cælum Beatus Stephanus meritis suis vidit apertum. Nam & ipse faciebat prodigia & signa magna in populo, sicut legitur Act. 6.

Nos etiam, charissimi, vt saltem in aliquo gaudio sanctorum Apostolorum mereamur esse confortes, signa & miracula faciamus. Sed quomodo faciemus signa & miracula? vt dæmonia eiiciamus, & nouas linguis habeamus, & serpentes tollamus, & sine nocumento venenum bibamus, & vt super ægros, vt bene habeant manus imponamus: sicut dicit Dominus Marci 16. *Signa eos qui crediderint, haec sequentur: In nomine meo dæmonia eiicient, linguis loquentur nouis, serpentes tollent: & si mortiferum quid biberint, non eis nocebit: super ægros manus imponent, & bene habebunt.* 1. Ille dæmonia ejicit, qui vere de peccatis suis conteritur, atque pure confitetur, nec non & dignam pro eis satisfactionem exequitur: per veram quippe pœnitentiam dæmonia eiiciuntur ab anima. 2. Ille loquitur nouis linguis, qui dolos, & malitias, ac turpidines extirpat à lingua sua: eamque deinceps diuino exhibit obsequio per deuotas orationes & deuotas gratiarum actiones, & per bonas ac utiles locutiones. 3. Ille serpentes tollit, qui malorum persecutiones hominum sustinet patienter. Mali quippe homines serpentibus comparantur. 4. Ille etiam sine nocumento venenum bibit, qui ad probra & contumelias malorum hominum non mouetur. 5. Ille quoque super ægros manus imponit, & bene habebunt, qui exemplo bonorum operum infimum & debilem peccatorem roborat, & confortat ad bene viendum.

Nonum cælum est circulus syderum, siue stellarum firmamentum. Et per cælum istud exprimitur chorus omnium Angelorum. Sicut enim stellæ in firmamento sunt fixæ immobiliter: sic etiam sancti Angeli in Deo sunt confirmati, quod deinceps ab eo cadere nequaquam possunt. Præterea sicut stellæ cum firmamento voluantur: ita etiam sancti Angeli voluntati Dei assentient, eamque irresistibiliter exciduntur. Hoc etiam cælum Beatus Stephanus animæ suæ vidit apertum. Erat enim & ipse quasi quidam Angelus Dei. Vnde dicitur in Actibus 6. *Intuentes eum omnes qui sedebant in concilio, videbant faciem eius tanquam faciem Angeli.* Nos etiam, charissimi, vt aliquod participium cum sanctis Angelis mereamur habere, debemus exequi voluntatem Dei: vnde & quotidie petimus in oratione Dominica: *Fiat voluntas tua sicut in celo, & in terra.* Quasi dicamus. Sic & nos ô Pater, & Domine fac tuæ voluntati in terra fideliter obedire. Sed quæ est voluntas Dei? Certe vt castæ viuamus, & bona opera faciamus. De primo dicit Paulus 1. ad Thess. 4. *Hæc est voluntas Dei, sanctificatio vestra, ut abstineatis vos à fornicatione.* De secundo dicitur 1. Pet. 2. *Sic est voluntas Dei, ut bene facientes obnubescere faciatis imprudentium hominum ignorantiam.*


Decimum cælum secundum Philosophos est firmamentum maius, quod omnes prædictos circulos siue cælos moueri facit. Per hoc cælum ipsa

*Q 3 sancta*

sancta Trinitas ac indiuindua vniuersitas figuratur. Deus enim à nullo mouetur, sed ipse potius mouet omne id quod creauit. Vnde dicit Paulus : *In eo vivimus, mouemur, & sumus.* Igitur Beatus Stephanus non solum omnium electorum cælos, sed etiam ipsius sanctæ Trinitatis cælum anima suæ vidit apertum: vnde dicitur in Act. 7. *Cum autem esset Stephanus plenus Spiritu san tho, intendens in cælum vidit gloriam Dei, & Iesum stantem à dextris Dei,* & ait : *Ecce video cælos apertos, & Filium hominis stantem à dextris virtutis Dei.*

Nos etiam, charissimi, corde, ore, & opere Patri, & Filio, & Spiritui sancto seruiamus: vt post labores huins exilij ab ipso sanctæ Trinitatis fonte perpetuum solatium hauriamus.

De tertio nota, quod propter hoc Beatus Stephanus Iesum vidit stantem, & non sedentem, vt videlicet martyrio suo, iam ad se venturo, osculum palmamque porrigeret & coronam. Quæ nobis, &c.



## BEATI IOANNIS Euangelistæ

### S E R M O V.

*Conuersus Petrus vidit illum discipulum, quem diligebat Iesus sequentem.*

Nota, quod quatuor sunt hic prima facie prænotanda.

- I. *Quare se Ioannes discipulum Domini fuisse protestetur?*
- II. *Per quid Dominus eum specialiter dilexisse probetur?*
- III. *Quando Iesum secutus ostendatur?*
- IV. *Quale præmium propter hoc accepit, quia Iesum fideliter sequebatur?*

**D**e primo nota, quod ideo B. Ioannes Euangelista discipulus Domini specialiter asseritur: quia illas quatuor lectio-nes, quas ille magnus & verax Magister Iesus legit, didicit, & operibus adimpleuit. Prima fuit lectio virgineæ veritatis. Secunda fuit inæstimabilis humilitatis. Tertia fuit deificæ charitatis. Quarta fuit eximæ patientiæ seu lenitatis. Primam legit in vtero seu gremio virginali. Secundam legit in præsepio iumentali. Tertiam legit in strato cœnaculo. Quartam legit in crucis patibulo.

*IN PRIMA* igitur lectione, quam ille

bonus Magister Iesus legit in vtero seu gremio virginali, virginea puritas mirabiliter commendatur. Per hoc enim quod Christus de Virgine tantum concipi & nasci dignatus est, & per hoc quod tantum virginea vbera sugere voluit: omnibus hominibus manifeste dat intelligere, quod super omnia amplectitur, & omnium statui hominum præfert virginem puritatem. Vnde scribit Hieron. contra Iouinianum, super locum illum : *Ecce virgo conciperet in vtero. Si non presertur nuptiis virginitas, Spiritus sanctus cur maritatem, cur viduam non elegit?* 2. Nam illo tempore erat & Anna filia Phanuelis de tribu Aser, insignis pudicitia, & semper vacans orationibus, & ieiuniis in templo Dei. Ideo Beatus Ioannes Euangelista ex ipsa divina revelatione sciens Christum summe virginitatem diligere, spreta copula coniugali, virgo permanxit in ævum. 3. Vnde cantatur in quodam Resp. *Diligebat Iesus Ioannem, quem specialis prærogativa castitatis, ampliori dilectione fecerat dignum: quia virgo electus ab ipso, virgo in ævum permanfit.*

Beatus est ergo, qui cum Ioanne propter Christum virgo permanserit. 4. Valde autem miser, & infelix est, qui tanquam iumentum putrescens in stercore suo, in immunditia fornicationis deceperit; dicit enim Apostolus ad Hebr. 12. *Fornicatores & adulteros indicabit Deus. Glosa, aeternaliter condemnabit.*

*SECVNDODOMINUS legit lectionem incomparabilis humilitatis, iacens in præsepio. Nonne enim inæstimabilis erat humilitas, quod ille, quem cælum & celi calorum capere non possunt, sicut dicitur 4. Resp. 8. in arce præsepio reponi voluit, pannis paupertinis inuolutus? Hanc lectionem iste bonus discipulus didicit, & opere executus fuit, quod ex eo manifeste probari potest. 1. quod nusquam, neque in Euangeliō suo, neque in epistolis suis, neque in Apocalypsi sua, Apostolū se nominat, sed tantum discipulū, & seruum Iesu Christi. 2. Humilitas etiam Ioannis in hoc perpendi potest, quod cum annuntiante Maria Magdalena Christum esse sublatum præcurrisset Petro, & venisset prior ad monumēnum, non tamen intravit nisi Petrus prius intrasset. Licet enim eum Petro præcurrere fecisset iuuentutis celeritas: ne tamen sepulchrū prior intraret, reuocauit eum humilitas. 3. Huic etiam Dominus humilitatis magister, humilem virginem, scilicet, matrem suam, quæ se reputauit ancillam, non Dominam: humili virginī, scilicet, Ioanni, qui se non Apostolū nominat, sed discipulū vel seruum, in cruce specialiter commendauit. Nos etiam humilitatem Ioannis imitari debemus: plus enim placet Domino intrinseca cordis humilitas, quam extrinsecarum rerum paupertas. Vnde Hieron. scribit ad Oceanum: *Plus est animum depositisse quam cultum: difficilius arrogantia, quam auro caremus, & gemmis. His enim abiecis, interdum glorioſis tumemus fôrdibus, & vendibilem panpertatem populari aura offerimus.**

*TERTIO* Dominus sedens in cœnaculo grandi strato, secundum quod dicit Marc. 14. docuit lectionem deificæ charitatis. Afferit enim Ioan. 13. quod cœna facta dixit Iesus discipulis suis: *Mandatum nouum do vobis, Ut diligatis inuicem, sicut dilexi vos.* vel Ioan. 16. *Hoc est preceptum,*

*ceptum meum, Ut diligatis iniucem, sicut & ego dilexi vos.* Sequitur aliquibus verbis interpolatis: *Hac mando vobis, ut diligatis iniucem.* Ecce quomodo bonus Magister discipulis suis inculcat lectionem charitatis. Hanc lectionem iste dilectus discipulus optime commendauit memoriae suæ. Vnde & ipse scribit Ecclesiæ fidelibus in prima Canonica sua cap. 3. *Charissimi, hac est annuntiatio, quam audistis ab initio, ut diligatis alterutrum.* Item quarto: *Charissimi, diligatis iniucem, quoniam charitas ex Deo est.* Item ibi dicit: *Si Deus dilexit nos, & nos debemus alterutrum diligere.*

Igitur cum Iesus ter nobis præcipiat, vt nos diligamus iniucem: & Ioannes nos ter inuitet ad idem, omni homini perspicuum esse potest, quod debemus iniucem diligere corde, ore, & opere. Corde, ne aliquem odio habeamus. *Omnis enim qui odit fratrem suum, homicida est.* 1. Ioan. 3. Ore, ne aliquem lingua nostra lèdamus. Vnde Dominus Matth. 32. *Ex verbis tuis iustificaberis, & ex verbis tuis condemnaberis.* Opere, vt animas nostras pro proximis nostris in necessitate ponamus, & vt de substantia nostra pauperibus subueueniamus. De vtroque dicit 1. Ioan. 3. *In hoc cognouimus charitatem Dei quoniam ille pro nobis animam suam posuit, & nos debemus pro fratribus animas ponere.* Qui habuerit substantiam huius mundi, & viderit fratrem suum necessitatem habere, & clauserit viscera sua ab eo: quomodo charitas Dei manet in eo?

*QVARTO* legit Dominus lectionem eximiæ lenitatis, & patientiam in crucis patibulo. 1. Dum enim staret cruci affixus dicebat, sicut ait Luc. 24. *Pater dimittite illis; non enim sciunt quid faciunt.* Super hunc locum dicit Ansel. in libro de beata sufficientia: *Qualis est hic, qui in cunctis pressuris suis nec semel os suum aperuit, ut aut querela, aut excusationis, aut comminationis, aut maledicti verbum aduersus maledicos canes illos proferret, & nouissime verbum benedictionis, quale à seculo non est auditum, super inimicos suos effudit? Quid hoc viro mansuetius, quid benignius, anima mea, vidisti?*

2. Ex hac igitur lectione, & præcedenti quadam correctione Domini, Ioannes charus discipulus factus est mansuetissimus. Legitur enim in Luc. 19. quod cum quadam vice Iesus præmisisset nuntios ante conspectum suum in quadam ciuitatem Samaritanorum, vt pararent illi hospitium: Samaritani non receperunt eum. Quod cum vidissent discipuli eius, Iacobus & Ioannes dixerunt: *Domine, vis dicimus, ut ignis descendat de celo, & consummat illos?* Et conuersus Iesus increpauit illos, & dixit: *Nescitis, cuius spiritus es.* Filius hominis non venit animas perdere, sed saluare. Cum igitur Ioannes super impatiencia sua, & zelo indignationis sic correptus esset à Domino, factus est postmodum patientissimus, & clementissimus, præsertim cum postea assistens cruci in tam clementi patientia Magistrum suum Iesum dolores suos & iniurias cerneret tolerare.

Hinc est, quod cum tempore persecutionis missus esset Ioannes in dolium feruentis olei, feruens oleum in ipsum saeuire non poterat, quia nil saeuiae inuenit in ipso. Ideo refert Tertullianus, quod Ioannes Euangelista à Nerone

missus in feruentis olei dolium, putior & vegetior exierit, quam intrauerit.

Nos etiam, charissimi, ad imitationem Beati Ioannis, debemus esse discipuli Iesu Christi. Præsertim cum ipse propter hoc, vt nos doctrinam & disciplinam suscipiamus ab ipso, pro nobis primus graues disciplinas pertulit impiorum. Vnde dicit Isa. 50. *Corpus meum dedi percutientibus, & genas meas vellentibus: faciem meam non auerti ab increpantibus & conspuentibus in me.* Dicit etiam Isa. de eo 53. *Ipse vulneratus est propter scelera nostra: disciplina pacis noſtre ſuper eum, & linore eius sanati sumus.* 2. Itaque cum Iesus pro nobis disciplinas suscepit ab impiis, multo dignius nos disciplinā debemus suscipere pīj Patris; vnde monet nos Apostolus ad Hebr. 12. *In disciplina perferante, tanquam filiis vobis ſe offert Deus. Quis enim filius, quem non corripit pater?*

Discipulos itaque Iesu oportet esse disciplinatos. Quod autem disciplinati simus, per tria debemus ostendere. Primum est, vt male agere caueamus, vnde Eccl. 11. *Vir disciplinatus, & eruditus custodit ſe.* A quo vero custodiet ſe? Certe ne faciat malum. Secundum. Sed quia sunt non nulli, qui licet abstineant à malis, bonis tamen operibus non multum insudant: propter hoc ſcire oportet, vt bona opera faciamus. Inde dicit Iacob. 3. *Quis sapiens, & disciplinatus inter vos ostendat ex bona conuerſatione, opera sua in mansuetudine.* Hinc etiam ipse Dominus dicit in Euang. Ioan. 14. *In hoc clarificatus est Pater meus, vt frumentum plurimum afferatis, & efficiamini mei discipuli.* Quasi diceret. Si plurimum afferatis bonorum operum, per hoc patet quod mei estis discipuli.

*TERTIVM.* Quia multi sunt, qui hoc gtauite sustinent, quod cum bonis intendant operibus, vel flagellentur à Domino, vel corripientur ab hominibus: propter hoc oportet, vt nec Domini, nec hominum correptionem moleſte feramus. Hinc est, quod dicit Eccl. 17. *Prudens & disciplinatus non murmurabit correptus.* Flagellat enim Dominus in præſenti ſeculo, ne damnet in futuro; vnde dicit Apostolus 1. ad Corinth. 11. *Dum iudicamus à Domino corripimur, vt non cum hoc mundo damnamur.* De tribus supra dictis dicitur in Psal. 36. *Declina à malo;* ecce primum: & fac bonum; ecce ſecundum: inquire pacem, id est, in tuis quare per patientiam: ecce tertium.

De ſecundo nota, quod Iesus Ioannem per tria ſe familiarius dilexiſſe demonſtrat. *PRIMVM* est: quia ei ſinum ſuum & peccatum ad recumbendum non negauit; vnde dicitur Ioan. 13. Cum dixiſſet Iesus discipulis suis: *Vnus ex vobis me tradet, afficiebant ad iniucem discipuli hæſtantes de quo diceret.* Erat ergo recumbens vnlus ex discipulis eius in ſinu Iesu, quem diligebat Iesus. Innuuit ergo hunc Simon Petrus, & dixit ei, *Quis est, de quo dicit?* Itaque cum recubuiſſet ille ſupra petrum Iesu, dicit ei: *Domine, quis est?* Respondit Iesus, *Ille est, cui ego intinctum panem porrexero.*

*SECVNDVM:* quia ei matrem ſuam intemeratam ſpecialiter commendauit; vnde dicit Ioan. 19. *Cum vidifſſet Iesus matrem & discipulum ſtanum, quem diligebat, dicit matri ſuæ: Mulier, ecce filius tuus.* Deinde dicit discipulo: *Ecce mater tua;* & ex illa hora accepit eam discipulus in ſuam, Glosſa, matrem, id est, ita obsequio

obsequiosus fuit ei , ac si esset mater sua.

**T E R T I V M** est : quod ei secreta sua occultissima reuelauit : vnde ipse Ioannes in principio Euangelij sui quasi quædam aquila de superna caelesti hierarchia aduolans, innotescere fecit nobis diuinatem Verbi incarnati, ita scribens: *In principio erat Verbum , & Verbum erat apud Deum , &c.* Sribit etiam Apocalypsim, in qua ei Deus multa reuelauit de statu præterito, præsenti , & futuro militantis Ecclesie , & triumphantis.

De tertio nota , quod Ioannes ter principaliter dicitur Dominum secutus fuisse. **P R I M O** statim post Domini vocationem. Secundo quando Iesus iuit ad passionem. Tertio post celebrem Christi Resurrectionem. Primo igitur secutus fuit Dominum statim post primam vocationem : quod testatur Matth. 4. ita dicens: *Ambulans Iesus iuxtam mare Galilæe , vocauit Petrum & Andream.* Et statim post pauca subdit: *Et procedens inde , vidit alios duos fratres , Iacobum Zebedei , & Ioannem fratrem eius , in nauis cum Zebedeo patre eorum , reficientes retia sua , & vocauit eos.* Illi autem statim relitti retibus & patre secuti sunt eum.

Quod autem Ioannes statim post primam vocationem secutus est Iesum, multum potest confundere tarditatem nostram & pigritudinem , qui tot annis multifarie, multisque modis vocati sumus à Domino , & tamen eum de die in diem, de anno in annum sequi differimus. Vnde dicit Greg. *Nulla discipuli Iesum adhuc facere miracula viderant , nihil ab eo de præmio æternæ retributionis audierant : & tamen ad unum Dei præceptum , hoc quod possidere videbantur , oblii sunt.* Quanta nos eius miracula vidimus , quot flagellis affligimur, quantis minarum asperitatibus deterremur : & tamen vocantem sequi contemnimus.

**S E C U N D O** principaliter secutus fuit Iesum , quando iuit ad passionem : vnde ipse Ioan. in Euang. suo dicit 18. *Cohors & tribunus & ministri Iudaorum comprehenderunt Iesum & ligaverunt eum.* Sequitur: *Sequebatur autem Iesum Simon Petrus , & alius discipulus.* Discipulus autem erat notus Pontifici: & intravit cum Iesu in atrium Pontificis. Sequitur post aliqua: *Vnus assistens ministrorum dedit alapam Iesu , dicens : Sic respondes Pontifici?*

Et **N O T A** , quod Ioannes non solum secutus est Iesum usque in Pontificis atrium , vbi vidi eum colaphizatum ; sed etiam secutus est eum usque ad crucis patibulum , vbi vidi eum clavis confossum, aceto potatum, & lancea perforatum. Quod & ipse Ioan. 19. protestatur, sic inquiens: *Suscepserunt Iesum , & deduxerunt : & bauians sibi crucem , exiuit in eum qui dicitur Caluaria , locum , vbi cruciferunt eum.* Sequitur: *Cum vidisset ergo Iesus matrem , & discipulum stantem , quem diligebat , dicit matri sua: Mulier , ecce filius tuus , &c.* Sequitur: *Cum accepisset Iesus acerum , dixit: Consummatum est. Et inclinato capite tradidit spiritum.* Sequitur: *Vnus militum lancea latus eius aperuit , & continuo exiuit sanguis & aqua.* Et qui vidit, testimonium perhibuit, & verum est testimonium eius.

**T E R T I O** secutus est Iesum post manifestatam Resurrectionem: vnde dicit idem Ioan. 20. quod cum Iesus resurrexisset à mortuis , & ve-

niens inter discipulos, dedisset eis panem , & pisces, & illi prandidissent , dicit Petro: *Sequere me.* Et tunc conuersus Petrus vidit etiam illum discipulum , quem diligebat Iesus sequentem. Nos etiam, charissimi, ad imitationem huius præclarri discipuli , non solum sequi debemus Dominum nobis æterna præmia promittentem ; sed etiam sequi debemus eum pro nobis in cruce dura supplicia patientem , vt tandem in generali resurrectione sequamur eum ad æternum conuiuium præcedentem.

De qua nota , quod Ioannes triplex præmium recepit à Domino, quia eum fideliter sequebatur, videlicet, vitam æternam, lucem perpetuam , & iudiciale potentiam. Hæc enim tria promittuntur eis, qui cum perseverantia secuti fuerint Iesum Christum. De primo dicit Dominus Ioan. 10. *Ones meæ vocem meam audiunt , & sequuntur me , & ego vitam æternam do eis.* De secundo dicit Dominus Ioan. 8. *Ego sum lux mundi.* Qui sequitur me, non ambulat in tenebris , sed habebit lumen vitæ. De tertio dicitur Matth. 9. vbi Petrus dixit ad Iesum: *Ecce nos reliquimus omnia , & securi sumus te : quid ergo erit nobis ?* Iesus autem dixit illis: *Amen dico vobis , quod vos qui secuti estis me , in regeneratione , cum federit Filius hominis in sede maiestatis sua , sedebitis & vos super duodecim iudicantes duodecim tribus Israel.* Rogate ergo, charissimi, Dominum, vt eum sic hic sequamur, vt in futuro vitam æternam, & lucem perpetuam consequamur. Quod nobis præstare dignetur , &c.

## IN FESTO SANCTORVM Innocentium

### S E R M O VI.

*Vidi , & ecce agnus stabat super montem Sion , & cum eo centum quadraginta millia habentes nomen eius , & nomen patris eius scriptum in frontibus suis.*

Quatuor principaliter sunt hic notanda.

- I. *Quid per agnum illum qui stabat super montem Sion , intelligatur?*
- II. *Quid etiam per montem Sion exprimitur?*
- III. *Quid per centum quadraginta milia figuretur?*
- IV. *Quid sit nomen agni & patris eius , quod in frontibus eorum scriptum esse videtur?*



E primo nota, quod per agnum illum, quem Ioannes vidi stare supra montem Sion , ipse Dei Filius intelligitur: *Iste est enim agnus , quem Abel primus obtulit*, in

in Ecclesiæ figura, sicut dicitur Gehef. 4. Per Abel enim qui virgo fuit, sancta Ecclesia figuratur: quæ, sicut Apostolus dicit ad Ephes. 5. *Maculam non habet impunitatis, neque rugam* vetustatis, vt pote sanguine Filij Dei ab omni sorde scelerum emundata; & à peccati vetustate mirabiliter innouata. Hunc ergo agnum quotidie offert Ecclesia virgo sancta; vnde cantamus *Agnus Dei, &c.*

Hic est agnus ille paschalis, quem assūm olim filij Israel comedere iubebantur, cuius etiam sanguine existentis in limine, superliminare, & vterque postis domus liniebatur. Ecce expressa crucis figura, vnde dicitur Exod. 12. *Erit agnus absque macula: non comedetis ex eo crudum quid, nec coctum aqua, sed assūm tantum igni.* Erit enim phasē, id est, transitus Domini. *Fasciculum quoque hyssopi tingite in sanguine, qui est in limine;* & *aspergite ex eo superliminare, & utrumque postem.* Cum autem viderit Dominus sanguinem in superliminari, & in utroque poste, transcendet ostium domus, & non sinet percussorem ingredi domos vestras & ledere. Agnus sine macula, hoc est, Iesus Christus qui feruentissimo passionis igne assūt in veru crucis. Ne autem ex veru crucis laberetur, duris clavis est veru crucis affixus. Hunc filij Israël, id est, boni Christiani, qui ad Deum transire, ipsumque videre desiderant, pio desiderio comedere debent. Debent etiam fasciculum hyssopi, id est, humilem recordationem in sanguine Filij Dei intingere, & ex eo liminare, id est, quamlibet curam de terrenis, & superliminari, id est, quamcunque cogitationem de supernis, & utrumque postem, id est, corpus, & animam quotidie consignare: ne percussor, id est, diabolus, omnium Christianorum aduersarius, eos percutere possit aut ledere. Et nota, si sanguis ille typicus tantæ virtutis erat, vt ille exterminator angelus non posset ledere dominum, quæ erat illo sanguine consignata: quantæ virtutis putas, quod sit sanguis verus Filij Dei?

Iste est agnus, quem Patriarchæ & Prophetæ magnis suspijs & desiderijs longiturnis emitti postulauerunt à Domino, ita clamantes Isa. 26. *Emitte agnum Domine dominatorem terræ, de petra deserti, ad montem filiæ Sion.* Igitur iste agnus, videlicet, Dei Filius, vniuersa terra dominator, diuturnis Patriarcharum desideriis postulatus, & Prophetarum vocibus diu promissus, tandem cum erat tempus misericordiæ eius, venit de petra deserti, hoc est, de eminentia cœli, quod desertum fuit à Lucifero, & à socijs suis, quando inde propter fastum superbiæ corruerunt. *Venit, inquam, ad montem filiæ Sion,* id est, desfilij in Annuntiatione in uterum virginalem: quia B. Virgo est mons, id est, firmitas filiæ Sion, videlicet, militantis Ecclesiæ. Tota enim Ecclesia per B. Virginem protegitur & munitur.

De secundo nota, quod per montem triumphans Ecclesia figuratur; Sion enim speculum, vel speculatum interpretatur; & certe in triumphanti Ecclesia apparet illud speculum sine macula æternæ Dei maiestatis, nullo obiectum velamine, in quod electorum animæ prospiciunt, quod etiam iugiter magno & infatiabili desiderio speculantur. Vix enim hora vel diuidia fit in cœlo silentium huius desiderij & exultatio-

nis ex hac speculatione resultantis.

Et nota, quod non immerito Ecclesia illa mons appellatur, propter excellentiam & firmatatem. Excrevit enim super omne illud, quod prius eam molestabat: firma etiam est propter beatitudinis æternitatem.

De tertio nota, quod licet per illa centum quadraginta quatuor millia illi beati infantes possunt intelligi, qui per Herodianam persecutionem pro Domino sunt occisi, qui tot forsitan, vel plures erant: exprimuntur etiam per illa centum quadraginta quatuor millia omnes electi, qui iam ad beatitudinem peruenierunt, aut peruenient. Centenarius enim est numerus perfectus, qui de laeva transfertur ad dextram. Quadragenarius etiam numerus consistit ex quadruplici denario, id est, ex decem quater duictis, qui etiam numerus est perfectus: per quod innuitur, quod illi qui ad sempiternam beatitudinem peruenire desiderant, seruare debent legis decalogum, id est, decem præcepta Domini. Debent etiam in fide Sanctæ Trinitatis, tres virtutes Theologicas, scilicet, fidem, spem, & charitatem: & quatuor cardinales, videlicet, prudenteriam, temperantiam, iustitiam, & fortitudinem conseruare.

Debent nihilominus corde, ore, opere septies in die, vel in nocte laudes Domino dicere, pro illis septem supplicijs, vel beneficijs, quæ pro nobis sustinuit, vel impedit: in Matutinis, in Prima, in Tertia, in Sexta, in Nona hora, & Vespertina, & in Completorio. Vnde dicitur in Psal. 118. *Septies in die laudem dixi ad te Domine, super iudicia iustificationis tuae.* Omnia enim, quæ Dominus sustinuit, vel fecit in horis supradictis, erant iudicia per quæ iustificatus sumus.

Debent præterea electi cum adiutorio septiformis Spiritus, per veram contritionem & puram confessionem, nec non & plenæ satisfactiōnis executionem destruere illa quinque cornua draconis, quibus nos impellere nititur ad transgressionem decalogi sive decem præceptorum Dei. Illi etiam, qui concupiscunt esse de societate agni, debent sequi doctrinam quatuor Euangelistarum, videlicet Matth. Mar. Luc. & Ioan. quæ doctrina necessaria est ad omnia supradicta:

De quarto nota, quod licet agnus ille multa nomina habeat, quæ omnia debent inscripta esse frontibus electorum suorum: nos tamen ad præsens tantum sex tangemus, quæ data sunt ei in Isa. 9, vbi sic legitur: *Patiulus natus est nobis, & filius datus est nobis, & vocabitur nomen eius admirabilis, consiliarius, Deus fortis, pater futuri seculi, princeps pacis.* Ille patiulus filius, qui nobis & natus est & datus, est ille agnus immaculatus, videlicet Dei, & Virginis filius, qui sex habet nomina, quæ sunt hæc: *Admirabilis, consiliarius, Deus, fortis, pater futuri seculi, princeps pacis.* *Admirabilis* enim fuit in penalitatum nostrarum susceptione. *Consiliarius* fuit in lana & utili prædicatione. *Deus* fuit & est in pia peccatorum receptione. *Fortis* fuit in passione, in limbi confractione, & resurrectione. *Pater futuri seculi* fuit in ascensione, & sancti Spiritus emissione. *Princeps pacis* erit in æternæ beatitudinis collatione.

Primum igitur nomen Christi est admirabile. Valde enim admirabilem se ostendit in natuitate per pœnaltatum nostrarum, & multiplicis incommodi voluntariai susceptionem. Si aliquis rex diues & potens de regali solio suo surgeret, & regalibus indumentis depositis afferruum saccum indueret, seque abijceret in stabulum: nonne Principes eius, & Barones, hoc videntes, possent non immerito dicere? Nimis admirabilis es Domine, quod sic tamquam pauperimus garcio iaceas in stabulo super modicum foeni, cum habeas pulcherrimum palatum, mollibus culcitris delicatissime stratum. Sic itabue admirabilis fuit Dominus noster, cuius admirabile est nomen in uniuersa terra. Ipse enim propter nos surrexit de solio paterni sinus, & purpura suæ diuinitatis superinduit saccum nostræ carnis, & sic iuit iacere in stabulum Bethlehemitanum.

Quod purpura suæ diuinitatis saccum cilicium nostræ carnis superinduerit, testatur in Psal. 68. *Posui, inquit, vestimentum meum, cilicium, & factus sum illis in parabolam.* Hunc verum sic expone: *Posui, id est, ac si deposuerim sic apparui, vestimentum meum, id est, decorum diuinitatis, supple, & indui cilicium, carnem, propter quod factus sum illis in parabolam,* videlicet Iudeis & incredulis. Quod etiam ierit iacere in stabulum, testatur quoddam Resp. in quo sic cantatur: *Stabulo ponitur, qui continet mundum: iacet in praesepio, & in nubibus tonat.* Iacens igitur Dominus in stabulo Bethlemitano, multa pro nobis sustinuit incommoda, & ex hoc à fatuis valde admirabilis iudicari potest, quod commodis incommoda prælegit. Vnde dicit Bern. *Nasciturus Dei Filius, in cuius arbitrio erat, quodcumque vellet, eligere, Christus elegit quod molestius est, presertim parvulo, & pauperis matris filio, que vix pannos haberet ad inuolendum, & presépe ad reclinandum.*

Nos etiam, charissimi, nomen istius admirabilis frontibus nostris inscriptum habere debemus: vt videlicet, sicut ipse pro nobis, ita & nos propter ipsum commodis incommoda præligamus, & præponamus. Vnde ait: Bern. *Christus qui non fallitur, elegit quod carni molestius est. Id ergo melius, id viuus, id potius eligendum: & quisquis alind doceat aut suadeat, ab eo est, tanquam à seductore cauendum.* Et nota, quod qui hunc admirabilem Iesum imitati fuerint in incommodi prælectione, valde mirabilem eum videbunt in maiestatis suæ ostensione; vnde dicitur in Psal. 67. *Mirabilis Deus in Sanctis suis.* Hinc legitur in lib. Esther 9. quod cum Esther, id est, felix anima ingressa esset ad Regem Assuerum, id est, ad Deum, & staret contra Regem, ubi ille residebat super solium regni sui, vestibus regijs auroque fulgens, & pretiosis lapidibus, accepto à Rege oculo, ait ad eum: *Valde admirabilis es Domine, & facies tua plena est gratiarum.*

Secundum nomen Christi, Consiliarius. De isto consilio dicit Iob 12. *Apud ipsum est sapientia & fortitudo: ipse habet consilium & intelligentiam.* Iste est consiliarius, quem unum de mille nobis debeimus eligere, sicut dicitur Eccl. 6. *Consiliarius tibi sit unus de mille.* Et nota, quia licet Dominus existens in terra, multa dederit

hominibus utilia consilia: primum tamen consilium suum fuit de peragenda pœnitentia; vnde Matth. 4. *Cum audisset Iesus, quod Ioannes traditus esset, exinde cœpit prædicare, & dicere: Pœnitentiam agite, appropinquauit enim regnum celorum.* Nota, quod non dicit, Pœnitentiam suscipite, sed pœnitentiam agite. Hoc est contra multos, qui bene forsitan pœnitentiam à confessore suscipiunt, sed non agunt. *Pœnitentia autem, vt dicit Glossa, dicitur à puniendo, qua quisque punit, quod illicite commisit. Panitere etiam est, vt dicit August. antea alia deflere, & deflenda vterius non committere.*

Quia igitur pœnitentia dura est, & aspera, ne propter amaritudinem eius deterreamur ab ea, propter hoc eam quasi quandam acutum hamum dulci esca Dominus pie inescat, videlicet, regno celorum. Accede igitur, ô peccator, accede confiderenter ad hanc escam. Quandiu enim regnum celorum habueris in palato recordationis tuæ, non senties aculeum pœnitentiae: quanto ergo aliquis magis ac magis pœnitentiam suam peregerit, tanto magis appropiat sibi regnum celorum. Quanto etiam quisque pœnitere distulerit, tanto elongat à se regnum celorum. Stulte itaque faciunt, qui pœnitentiam suam agere differunt usque ad finem vitæ suæ. Tunc enim libenter vellent intrare regnum celorum, sed non poterunt, quia pœnitentiam suam adhuc non egerunt, & per hoc regnum Dei à se elongauerunt.

Sed quia sunt aliqui, qui propter hoc contristantur, quod cum aliquandiu pœnitentiam egrent, non statim regno celorum sibi promisso præmiantur à Domino: propterea Mich. dicitur 4. ad quemlibet pœnitentem: *Quare mæorre contraheris? Nunquid Rex non est ibi, aut consiliarius tuus pergit?* Quasi dicat. Noli mæstus esse ô pœnitens, consiliarius tuus regnum quod tibi promisit, habet in potestate sua. Si igitur propter bonum tuum dare tibi illud ad tempus differt, esto securus, quia non auferit.

Tertium nomen parvuli Iesu est Deus: quod idem est, quod bonus. Vnde haec duo nomina, Deus & Bonus, eisdem literis scribuntur in nostro vulgari, scilicet Gott. Hic etiam Christus Iesus dicitur in Matth. 19. *Vnus est bonus Deus.* Solus enim Deus bonus est essentialiter; homines autem boni sunt accidentaliter. Christus igitur se Deum, id est, bonum se ostendit, & exhibuit in pia peccatorum susceptione: quod etiam per semetipsum testatur Matth. 9. *Non veni, inquit, vocare iustos, sed peccatores.* Hinc etiam dicitur Luc. 15. *Erant appropinquantes ad Iesum publicani & peccatores, vt audirent illum. Et murmurabant Scribe & Pharisei, dicentes: Quia hic peccatores recipit & manducat cum illis.* Vnde & adhuc Iesus brachia expansa habet in cruce. Quasi dicat. *Venite ad me omnes peccatores, qui doletis super peccatis vestris, & ego recipiam vos, & amplectar.* Hinc etiam monet nos Psal. in Psal. 94. *Venite, adoremus & procedamus, & ploremus ante Dominum, qui fecit, &c.* Timere etiam possumus, quod si modo venire contempserimus, vt ab iphius bonitate suscipiamur, quod tandem obijciet nobis in iudicio, sicut dicitur Proverb. 1. *Vocavi, & renuisti; extendi manum meam, & non fuit, qui aspiceret.*

Desflexisti

*Despexitis omne consilium meum, & increpationes meas neglexistis, ego quoque in interitu vestro ridebo, & subsannabo, cum vobis, quod timebatis aduenerit.*

Quatum nomen Iesu est fortis. Fuit autem fortis in Passione, sed fortitudinem suam magis ostendit passiones suas humiliter patiendo, quam se ab inimicis suis & crucifixoribus defendendo. Vnde etiam cum Petrus extracto gladio secundum possibilitatem suam vellet defendere, dixit illi Iesus, secundum quod ait Matth. 26. *Converte gladium tuum in locum suum: an putas, quia non possum rogare Patrem meum, & exhibebit mihi modo plus quam duodecim legiones Angelorum?* Hinc etiam dicitur in duabus versiculis:

*Fortior est ferente ferens, nec secula pulchrum.*

*Tam fecisse Deo, quam scelerata pati.*

Nos etiam, charissimi, hanc Christi fortitudinem frontibus nostris inscriptam habere debemus, ut videlicet de qualibet aduersario per fortem patientiam triumphemus. Hinc etiam dicitur Proverb. 16. *Melior est patiens viro forti, & qui dominatur animo suo expugnatore urbium.*

II. Fortem etiam se ostendit in limbi confractione. Cum enim omnes passiones suas patienter sustinendo expirasset in cruce, statim anima Christi cum multa diuinitatis virtute transiit ad inferos: vt inde eriperet animas electorum, diu inibi violenta diaboli potestate retentas. Potestates itaque tartareae animam Christi tanta fortitudine diuinitatis aduenire videntes tremefactæ dixerunt: *Quis est iste Rex gloriae?* Quibus Angeli responderunt qui erant cum anima Christi: *Dominus virtutum, ipse est Rex gloriae.* Dominus, inquam, virtutum cœlestium, terrestrium, & infernorum.

III. Fortem etiam se ostendit in Resurrectione. Surrexit enim de sepulchro inuitis illis armatis militibus, qui ad custodiæ sepulchri deputati fuerunt. Etiam si tunc omnes Iudæi non solum qui erant in Ierusalem, sed qui erant in omni regno Ierosolymitano à Dam vsqne Bersabee custodissent sepulchrum Domini, adhuc omnibus eis inuitis surrexisset à morte. De fortitudine Resurrectionis sue dicitur in Psal. 92. *Dominus regnauit, decorum induit: induitus est Dominus fortitudinem, & præcinxit se virtutem.*

Quintum nomen Christi est pater futuri seculi. Patrem vero futuri seculi se ostendit esse in Ascensione: per hoc enim quod mundo relicto, ascendit in cælum, omnibus hominibus clarissime demonstrauit, quod regnum non esset de hoc mundo, sed in futuro seculo. Vnde etiam dixit ad Pilatum Ioan. 18. *Regnum meum non est hic.*

Patrem etiam futuri seculi se esse declarauit in sancti Spiritus emissione: Discipuli enim suscipientes tunc Spiritum sanctum ita inflammati sunt & accensi desiderio supernorum, ut gaudium esset eis, contumelias & verbera sustinere pro ipso, qui iam eos præcesserat ad superna. Vnde legitur Act. 5. quod Apostoli flagellati ibant gaudentes à confectu conciliij: quoniam digni habiti erant, pro nomine Christi contumeliam pati.

Nos etiam, charissimi, hoc nomen frontibus nostris inscriptum habere debemus, ut videli-

cet vitam futuri seculi toto desiderio concupiscamus; ibi enim est Pater charissimus & omnia bona. Vnde & quotidie oramus: *Pater noster, qui es in celis, &c. Adueniat regnum tuum.* Hanc igitur petitionem quam ore proferimus, bonis operibus exequi debemus. Hinc etiam dicit Apostolus ad Phil. 3. *Quæ retro sunt obliuiscens, ad cævero quæ priora sunt, extendens meipsum, ad destinatum perseguor bracium supernæ vocationis Dei.* Persequor, id est, perseveranter sequor. Nos facimus è contreso, obliuiscimur supercœlestium, & tota mente terrestribus inhiamus: & per hoc manifeste declaramus, quod nos Patrem futuri seculi non amamus.

Sextum nomen Christi est princeps pacis. Pacis autem Principem se esse declarabit in generali resurrectione. Tunc enim quicquid prius infestabat, aut molestabat electos, totum ab electorum finibus elongabit. Tunc omnis Ierusalem, id est, congregatio electorum laudabit Deum suum, quoniam posuit fines suos pacem. De cætero quippe neque mors, neque diabolus, sed nec aliquis homo malus nocere poterit electis Dei. Quod mors vterius nocere non potest, testatur Isa. 25. *Præcipitabit, inquit, Dominus mortem in sempiternum.* Præcipitata igitur morte, à monte sancto Dei insultabunt ei electi Dei, & dicent, secundū quod dicit Apostolus ad Corinth. 15. *Vbi est mors victoria tua? Vbi est mors stimulus tuus?* Quod etiam diabolus electis vterius nocere non possit, testatur Ioan. in Apoc. 12. vbi ait: *Audiui vocem magnam in celo dicentem: Nunc facta est salus, & virtus, & regnum Dei nostri, & potestas Christi eius; quia proielitus est accusator fratrum nostrorum, qui accusabat illos ante conspectum Dei nostri die ac nocte.* Accusabat, id est, ad hoc ut illos accusabiles redderet, laborabat. Nullus etiam malus homo deinceps nocere valebit electis; omnes enim tunc reprobriabunt in ignem æternum. Hinc est, quod dicit ipsa veritas Matth. 25. *Tunc dicet Rex his, qui à sinistris eius erunt: Discedite à me maledicti in ignem æternum, qui preparatus est diabolo & angelis eius.*

Nos etiam dilectissimi, nomen hoc, videlicet Princeps pacis, frontibus nobis superscriptum deferre debemus. Ad hoc igitur, quod sumus de familia eius qui est Princeps pacis, nesciße est, vt nullum vel corde, vel ore, vel opere lædamus: sed quantum in nobis est, cum omnibus hominibus pacem habeamus. In pace enim vocauit nos Deus, *qui non est Deus dissensionis, sed pacis,* sicut dicitur 1. Corinth. 4. & 14. Hinc etiam dicit Apostolus ad Rom. 12. *Si fieri potest, quantum ex vobis est, cum omnibus hominibus pacem habentes.* Hinc etiam est, quod in nativitate Iesu Christi qui est Princeps pacis, pax nuntiata fuit ab Angelis. Tunc etiam tres Missæ dicuntur, & in qualibet Missâ datur osculum pacis: vt per hoc insinuetur, quod oporteat omnes qui volunt esse consortes regni Dei, pacem seruare corde, ore, & opere.

Debemus etiam nomen Patris illius specialis agni deferre scriptum in frontibus nostris. Nomen Patris est id, de quo legitur Exod. 3. vbi cum apparuisset Dominus Moysi in monte Horreb, & iniunxisset ei legationem suam ad filios Israel, ait Moyses: *Si dixerint mihi, Quod est nomen*

*nomen eius, qui apparuit tibi in flamma, de medio rubi: quid dicam eis? Respondit Dominus, Ego sum qui sum, Quasi diceret: Ego sum æternaliter remunerans amicos, qui sum etiam in æternum puniens inimicos. Hoc etiam igitur nomen frontibus nostris inscriptum habeamus, ut vide licet æternam remunerationem totis desiderijs appetamus, totaque mente perpetua supplicia fugiamus. Quod nobis præstare dig.*



## DE BEATA AGNETE

Virg. &amp; Martyre

## S E R M O VII.

*Qui gloriatur, in Domino gloriatur. 2. Cor. 10.*



OTA, quod licet præmissa verba de qualibet virgine legi possint: specialius tamen, ut ita dicam, de Beata Agneta leguntur. Ipsa enim in Domino, quem solum ex omnibus in sponsum elegerat, misericorde gloriabatur: commendans eum à quinque, videlicet, à generis claritate, ab omnimoda potestate, ab aspectu venustate, ab amoris suavitate, & ab omnis gratiæ bonitate.

Cum enim Beata Agnes à filio præfecti Romanæ urbis amaretur, & ei pretiosissima ornamenta offerrentur, omnesque mundi diuitiae promitterentur; tale iuueni dedit responsum: *Discede à me fomes peccati, nutrimentum facinoris, pabulum mortis: discede à me, quia iam ab alio amatore preuenta sum, qui mihi satis meliora obtulit ornamenta, & qui anulo fidei sue subarrhaui me.* Non ergo potero vel alium aspicere amatorem ad contumeliam prioris amatoris, qui generositate, celsior, potestate fortior, aspectu pulchrior, amore suauior, & omni gratia elegantior. Ecce quinque, de quibus commendat sponsum suum: videlicet Iesum Christum, propter quæ gloriabatur in ipso. Et nota, quod beata Agnes hæc quinque adhuc prosequitur commendando. 1. Generositatem quippe Christi commendat, vbi ait: *Cuius mater virgo est, cuius pater fæminam nescit.* Valde nobilis est Christus, qui ex Deo Patre natus est, & ex Virgine matre, quæ virgo fuit ante partum, & in partu, & post partum virgo permanxit. 2. Potestatem Christi ostendit, vbi ait: *Cui Angeli seruunt.* Valde potens est ille, quod non tantum homines, sed & Angelos seruos habet. 3. Maiestatem enim suam laudant Angeli, adorant dominationes, tremunt potestates. 4. Venustatem siue pulchritudinem Christi declarat Agnes, vbi subdit; *Cuius pulchritudinem sol & luna mirantur.* Mirabiliter pulcher est, qui in pulchritudine incomparabiliter præcedit solem & lunam. 5. Suavitatem amoris eius insinuat, vbi ait: *Quem cum amaueris, casta sum; cum tetigeris, munda sum: cum accepero, virgo sum.* Valde suavis & sanctus est

amor ille, qui nec cor coinquiat, nec corpus polluit, nec etiam virginitatem tollit, vel in aliquo laedit. 6. Bonitatem etiam gratiæ Christi manifestat, vbi ait: *Induit me cyclade auro texta, & immensis monilibus ornavit me: à quo mibi thalamus collocatus est, cuius mihi organa vocibus resonant modulatis. Iam mel & lac ex eius ore suscepit, & sanguis eius ornavit genas meas.* Valde bonus commendabilis ab omni gratia Iesus Christus, qui sponsas suas in cælestibus auro, & monilibus adornat, qui eis ad pausandum delicatum thalamum collocat, qui aures earum organicis vocibus oblectat, & qui eas melle diuinitatis & laetè humanitatis suæ iugiter cibat, & potat. *Qui igitur gloriatur cum Beata Agneta, & alijs sanctis virginibus in tali Domino glorietur.*

Verba enim prædicta, videlicet, *Qui gloriatur, in Domino gloriatur, non solum exponuntur de immaculatis virginibus, sed etiam intelliguntur de quibuslibet Christi fidelibus.*

Vnde tria principaliter sunt hic notanda.

- I. *Qui sint illi qui possint in Domino merito gloriari?*
- II. *Quæ sint illa in quibus oporteat fidem hominem gloriari?*
- III. *Quæ etiam sint in quibus non debet aliquis gloriari?*



E primo nota, quod tria genera hominum possunt in Domino gloriari. Primi sunt rectum cor habentes. Secundi sunt Christum intime diligentes. Tertij sunt omnia opera sua ad honorem Domini simpliciter facientes.

Primi igitur rectum cor habentes gloriari possunt in Domino. Vnde dicitur in Psal. 31. *Lætamini in Domino, & exultate iusti, & glorimini omnes recti corde.* Nota, quod rectum cor habent, qui Deum esse credunt, & qui iustum eum esse afferunt, & qui rerum omnium gubernationem ei attribuunt. Prauum autem, id est, distortum cor habent, qui non credunt esse Deum, vel qui proclamant eum esse iniustum, vel qui negant, quod sit gubernator omnium rerum; vnde dicit August. super istum locum: *Et gloriamenti omnes recti corde.* *Praui corde, id est, distorti, tres habent sententias.* Aut non est Deus: hoc dicit impius, cui displicet, quidquid illi accidit preter voluntatem. Aut iniustus est Deus, cui ista placent, & qui hoc facit. Aut non gubernat Deus res humanas, nec cura est illi de omnibus. In ipsis tribus sententijs est magna impietas, aut negare Deum, aut dicere iniustum, aut illi auferre gubernationem rerum.

Secundi, qui gloriari possunt in Domino, sunt hi qui intime diligunt Filium eius: vnde dicitur in Psal. 5. *Gloriabitur in te omnes, qui diligunt nomen tuum: quoniam tu benedices iusto.* Nota, quod nomen Dei Patris, est ipse Filius Dei Iesus Christus. Sicut enim persona hominis per nomen suum manifestatur, & discernitur: ita etiam Dei Filius Iesus Christus

Deum

Deum Patrem manifestauit mundo. Qui igitur in veritate diligit nomen Domini, videlicet Iesum Christum; tunc gloriari poterit in Domino, quando illa gloria benedictione benedicit cuilibet iusto; *Venite benedicti Patri mei, possidete paratum vobis regnum à constitutione mundi.*

Tertij, qui gloriari possunt in Domino, sunt hi, qui omnia opera sua proptet honorem Domini faciunt: sicut monet nos Apostolus 1. Corinth. 10. *Sicut manducatis, sine bibitis, vel aliud quid facitis: omnia in gloriam Dei facite.* Hi ergo, qui omnia opera sua faciunt ad gloriam Dei, merito gloriari possunt in Domino. Ostendet enim eis Dominus gloriam suam, & beatificabit illos in gloria, & induet eos stola gloriae. De quolibet enim seruo Christi dicitur Eccl. 45, *Ostendet illi gloriam suam, & beatificabit illum in gloria, & induet eum stola gloriae.*

II. Videndum est, in quibus sit gloriandum. Et nota, quod Sancti in hac vita in septem praeципue gloriatur: gloriatur, dico, id est, in gloriando latentur. Primum enim Sancti gloriatur in vera & summa scientia. Secundo in bona & pura conscientia. Tertio in bonorum operum efficientia. Quarto in tribulationum patientia. Quinto in infirmitatum frequentia. Sexto in diuinæ crucis honorificentia. Septimo in spei filialis eminentia.

Prima itaque Sanctorum gloria est in vera & summa scientia. Vera autem & summa scientia, scire & nosse Deum. Propter hoc dicit ipse Dominus Ier. 11. *Non glorietur fortis in fortitudine sua, & non glorietur dives in divitiis suis; sed in hoc glorietur qui gloriatur, scire & nosse me.* Scire igitur debeimus Dominum fidei intellectu: nosse autem debemus eum per intimum amoris affectionem, & sic in ipso gloriari poterimus.

Secunda gloria Sanctorum est in bona & pura conscientia. Vnde dicit Apostolus 2. ad Corinth. 1. *Gloria nostra hec est testimonium conscientiae nostræ.* Dicit etiam Paulus ad Corinth. 13. *Confidimus, quia bonam conscientiam habemus, in omnibus bene volentes conuersari.* Hinc etiam dicitur in Psal. 44. *Omnis gloria eius filia Regis ab intus, videlicet, in conscientia pura & bona.*

Tertia gloria Sanctorum est in bonorum operum efficientia. Hinc dicit Apostolus ad Rom. 12. *Habeo gloriam in Christo Iesu ad Deum; non enim audeo aliquid loqui eorum, que per me non efficit Christus verbis & factis.* Hinc etiam dicit Apostolus ad Gal. 6. *Opus suum probet unusquisque, & sic in semetipso tantum gloriam habebit, & non in altero: unusquisque enim onus suum portabit.*

Quarta gloria Sanctorum est in tribulationum patientia siue sufferentia. Vnde ait Apostolus ad Rom. 5. *Gloriamur in tribulationibus, scientes quod tribulatio patientiam operatur, patientia autem probationem, probatio vero spem, spes autem non confundit.* Et: Vere dignum est gloriari in tribulationibus: quia tribulatio exaudibilem reddit vocem hominis Christiani. Vnde dicitur in Psal. 119. *Ad Dominum cum tribularer, clamaui, &c.*

Quinta gloria Sanctorum est in infirmitatum frequentia. Hinc est quod ait Apostolus 2. ad Cor. 11. *Si gloriari oportet, que infirmitatis meæ sunt, gloriabor.* Item dicit 2. ad Cor. 12. *Libenter gloriabor in infirmitatibus meis: ut inhabitet in me.*

D. Alberti Magni Serm.

*virtus Christi: propter quod placebo mibi in infirmitatibus meis, in contumelij, in necessitatibus, in persecutionibus, in angustijs pro Christo. Cum enim infirmor, tunc potens sum.* Legitur in vit. SS. Patrum, quod senex quidam erat, qui frequenter ægrotabat. Contigit autem eum uno anno non ægrotare, qui affligebatur grauter, & plorabat, dicens: Dereliquit me Dominus, & non visitat me.

Sexta gloria Sanctorum est in crucis Christi honorificantia; vnde dicit Apostol. ad Gal. 6. *Mihi autem ab sit gloriari, nisi in cruce Domini nostri Iesu Christi, per quem mihi mundus crucifixus est, & ego mundo.* Nota, quod non est indignum, ut gloriemur in cruce Christi. Crux enim Christi, ut ait August, de locis suppliciorum iam transit ad frontes Imperatorum. Idem: In frontibus regum pretiosius est signum crucis, quam gemma diadematis. Legitur etiam in tripart. histor. quod Constantinus Imp. signum S. crucis semper ante se deportari præcepit; signo etiam crucis suorum militum arma signauit.

Septima gloria Sanctorum, quæ ex præcedentibus glorijs resultat, est spei filialis eminentia. Vnde dicit Apostol. ad Rom. 5. *Gloriemur in spe gloria filiorum Dei.* Ne autem tollatur homini spes huius gloriae, proter hoc etiam ipsam mortem corporalem debet gratissime sustinere. Vnde ait Apostol. 1. ad Cor. 9. *Bonum est mihi magis mori, quam ut gloriam meam quis evanesceret.* Et nota, quod gloria filiorum Dei, de cuius spe nos oportet gloriari, hæc est, quod videlicet Deum contemplabimur facie reuelata, & quod à claritate virtutum transformabimur in beatitudinem claritatem. Hinc scribit Apostolus 2. ad Cor. 3. *Nos omnes reuelata facie gloriam Domini contemplantes in eandem imaginem transformamur à claritate in claritatem tanquam à Domini spiritu.*

Tertio sciendum est, quod in septem, quæ prædictis septem sunt contraria, non est gloriandum. Quidam enim gloriatur in mundanæ sapientiæ vanitate. Alij gloriatur in humanæ laudis fatuitate. Tertij gloriatur in suorum operum malignitate. Quarti gloriatur in diuinitiarum instabilitate. Quinti gloriatur in sanitatem, & robusta ætatem. Sexti gloriatur in turpi voluptate. Septimi gloriatur in præsentis gloria breuitate.

Contra primam gloriam bonorum, quæ est ex hoc, quod sciunt & noscunt Deum, mali gloriatur in mundanæ sapientiæ vanitate. Contra hoc ipse Dominus loquitur Ierem. 9. *Non glorietur sapiens in sapientia sua, sed in hoc glorietur qui gloriatur, scire & nosse me.* Contra sapientiam huius mundi loquitur Paulus 1. ad Corinth. 3. *Sapientia huins mundi stultitia est apud Deum.* Ait etiam Paulus 1. ad Corinth. 8. *Scientia inflat, charitas vero edificat.* Super hunc locum ait August. *Præponenda est scientia scientie.* Melius est enim scire infirmitatem nostram, quam naturas rerum: *laudabilior est enim animus, cui nota est infirmitas sua, quam qui ea non respecta, syderum vias scrutatur, & terrarum fundamenta, & cælorum fastigia.*

Contra secundam gloriam bonorum, quæ est in puritate conscientiæ, reprobi gloriatur in humanæ laudis fatuitate. Contra hoc Apostolus ait

P ait

ait 1. ad Corinth. 3. *Nemo glorietur in hominibus.*  
Et iterum: *Non quesiimus gloriam à vobis, neque ab alijs.* Ille gloriam querit ab hominibus, qui laudari desiderat ab hominibus. Stultum autem est, si bonum vel pulchrum propter hoc reputare, si bonus vel pulcher ab hominibus appellatur; talis enim non in corde, sed in facie gloriatur: sicut dicit Apostolus 1. ad Corinth. 5.  
*Qui in facie gloriatur, non in corde.*

Contra tertiam gloriam bonorum, quæ est in effectu bonorum operum, impij glorianter in malitia & in iniquitate: contra quos dicitur in Psal. 51. *Quid gloriaris in malitia, qui potens, &c. tota die iniustiam cogitant lingua tua, sicut nouacula acuta fecisti dolium.* Sequitur: *Propterea Deus destruet te in finem, exellet te, & emigrabit te de tabernaculo tuo, & radicem tuam de terra viuentium.* Ecce quid sequatur eos, qui in malitia & in iniquitate glorianter. Cum enim peruenient in finem huius transitoriae vitæ, in corpore & in anima pariter destruentur. Corpus enim illorum de tabernaculo huius terrestris habitationis evanescet, vt in sepulchro à vermis comedatur. Radix autem ipsorum, id est, anima per quam truncus corporis vixit, à terra viuentium in regionem mortis perpetuæ demergetur, vt ibi absque ulla miseratione à dæmonibus affligatur.


Contra quartam gloriam electorum, quæ est in tribulationum varietate, mali glorianter in diuitiarum instabilitate: contra tales dicitur in Psal. 48. *Qui confidunt in virtute sua, & in multitudine diuitiarum suarum glorianter, relinquunt alienis diuitias suas, & sepulchra eorum domus illorum in æternum.* Stultum igitur est in diuitiarum multitudine gloriari, cum necesse sit homines in talibus glorianter, alienis relinquere diuitias suas, & oporteat etiam, quod sepulchra infernalia sint domus illorum in æternum. Vnde legitur Luc. 16. *Mortuus est autem & dines, & sepultus est in inferno.* Hinc dicit Eccles. 10. *Qui gloriatur in substantia, paupertatem vereatur.* Quam vero paupertatem verebitur? Certe paupertatem illius diuitis qui, cum Lazarus in paupertate tribulabatur, *Ipsè quotidie spendide epulabatur:* sed postea ad tantam paupertatem deuenit, quod etiam guttam aquæ, ad refrigerium ardoris linguae petiuit, sed obtinere non potuit.

Contra quintam gloriam bonorum, quæ est in infirmitatum frequentia, mali glorianter in corporis sanitatem ac robustam æstate. Contra hoc dicitur Proverb. 26. *Ne gloriaris in crastinum, ignorans quid superuentura pariat tibi dies.* In crastino glorianter, qui longæuam & sanam vitam sibi meti ipsi promittunt, & propter hoc superbiunt, & lætantur. Et certe propter hanc stultam reprobationem multi damnati sunt; unde dicitur Eccl. 29. *Repromissio nequissima multos perdidit,* diligentes, supple, hanc vitam transitoriam. Propter hoc etiam dicit Eccl. 5. *Noli attendere ad possessiones iniquas, & ne dixeris: Est mihi sufficiens vita.* Ibi dicit Glossa, *Causa anaritiae est longæ vitæ reprobatio.*

Contra sextam gloriam iustorum, quæ est in cruce Domini nostri Iesu Christi, reprobi glorianter in turpi, & confusibili voluptate. De istis dicit Paulus ad Phil. 3. *Muli ambulant,*

*quos sepe dicebam vobis, nunc autem & flens dico, inimicos crucis Christi, quorum Deus venter est, & gloria in confusione ipsorum.* Nota, quod inimici crucis Christi, in qua, & de qua virgo Filius virginem matrem virginis discipulo commendauit, præcipue sunt luxuriosi, *quorum Deus est venter, & ea qua sunt sub ventre: gloria enim eorum est in confusione,* id est, De talibus glorianter, de quibus potius confundi ac dolere deberent. Et certe horum finis est, nisi acriter pœnituerint, *interitus semipiternus.* De talibus etiam dicitur in Psal. 96. *Confundantur omnes, qui adorant sculpitia, & qui glorianter in simulachris suis.* Simulachra luxuriosorum sunt foeda corpora mulierum, quas plus diligunt, quam crucifixum qui passus est pro eis in cruce: & propter hoc procul dubio confundentur opprobrio semipiterno.

Contra septimam gloriam Sanctorum, quæ est in spe gloriæ filiorum Dei, reprobi glorianter in præsentis gloriæ breuitate. Contra hoc dicitur Eccl. 11. *In vestitu ne gloriari umquam, nec in die honoris tui extollaris.* Ibi dicit Glossa. *In honoribus mundanis non est superbiendum, quia transit mundus & concupiscentia eius.* Hinc dicitur Isa. 40. *Vox dicentis, Clama. Et dixi, Quid clamabo? Omnis caro fœnum, & omnis gloria eius quasi flos agri: exiccatum est fœnum, & cecidit flos, quia Spiritus Domini sufflavit in ea.* Stulta itaque faciunt, qui propter pompticum ornatum vestium, & propter momentaneum florem huius seculi renuntiant spei æternæ gloriæ filiorum Dei. Rogate igitur, &c.



## DE EODEM FESTO S. Agnetis

### S E R M O VIII.

*Surge, propera, amica mea, columba mea, formosa mea, & veni. Cant. 2.*

**A**Ec enim verba bene & conuenienter possunt exponi de qualibet virginine, & specialiter de sancta Agneta. Vnde sex principaliter sunt hic notanda.

- I. *Quare Beata Agnes à Domino surgere iubeatur?*
- II. *Quare etiam ut properet, admoneatur?*
- III. *Ob quam causam amica dicatur?*
- IV. *Cur columba appelletur?*
- V. *Cur etiam formosa vocetur?*
- VI. *Propter quid ut veniat, inuitetur?*



E primo nota, quod surgere iubetur Beata Agnes ad fidei defensionem. Certe ipsa non surrexit ludere, sed potius fidem Domini verbis & tactis, tanquam bellatrix egregia defendere.

Surrexit

Surrexit siquidem, & clypeum teneri corporis sui, omnibus inimicorum fidei constanter obiecit, pro fide Domini defendenda. Nobis etiam necesse est, ut quotidie surgamus, id est, in fide & alijs virtutibus proficiamus. Vnde ait Hieron. *Quotidianis ac repentibus virtutum incrementis instauranda mens est.* Tandiu enim non relabimur retro, quandiu ad priora contendimus; at vbi cœpimus stare, descendimus: nostrumque non progredi, iam reuerti est. Certe si planta tua, quam in horto tuo plantasti, non surgeret, doleres: ira & Christus vult, ut de virtute in virtutem proficias.

De secundo nota, quod dicitur Beatae Agneti à Domino, ut properet per martyrij passionem: vnde ista properauit, quia sicut de ea legitur, decimo tertio ætatis suæ anno mortem perdidit, & vitam inuenit. Quid igitur nos barbati, qui ita segnes, tanquam asini sumus, in opere Domini: quid, inquam, in excusatione nostra sumus dicturi in die iudicij, cum istam iuuenculam tympanistriam, istam teneram puellam, corpus suum tenerimum ad ignem, ad gladium, & ad diuersa fortiter obtulisse tormenta videamus? istam delicatam in via Domini aspera constanter & alacriter cucurrisse? Profecto ista virgo virago surget in iudicio cum viris effeminatis, & condemnabit eos.

De tertio nota, quod Beata Agnes amica Domini appellatur proter tria, videlicet, 1. propter fidei firmitatem, 2. propter supereruidam charitatem, 3. & propter Deo placitam humilitatem. Primo igitur amica Domini fuit Sancta Agnes, propter fidelem fidei firmitatem. Vnde & ipsa dicit: *Ipsi soli seruo fidem, ipsi me tota deuotione committo.* Item ait: *Posuit signum in faciem meam, ut nullum preter eum amem.* Ipsa enim fide desponsata, & anulo Dominicæ passionis subarrhata, fidem thori seruauit illibata, adulterum admittere designata. Vnde & Dominus eam nunc è conuerso in amplexibus suis, tanquam suam fidelem sponsam cubare facit quietissime, nec eam suscitari sinit, quoque ipsa velit.

Secundo amica Domini dicitur propter supereruidam charitatem. Vnde & ipsa dixit: *Amo Christum, in cuius thalamum introiui.* Introiui, dico, per charitatis feroarem me illuc deferentem. Ait etiam ad Dominum. *Ecce venio ad te, quem amavi, quem quasui, quem semper optavi.* Vnde dicitur, quod fuit amica Domini per supereruidam charitatem: quia id quod feruet, ut scitis, quadam caloris & incendij vehementia iactatur extra se, attollitur supra se: & ipsa sine dubio propter nimium charitatis & desiderij æstum extra se, & supra se iactata fuit, sempitescam videlicet contemnens, & tota in ipsum transiens, ut scilicet unum esset cum ipso.

Tertio Beata Agnes amica Dei dicitur, per Deo placitam humilitatem. Sciens enim superbos Deo esse odiosos, in humilitate Deo placere studuit altissimo. Hinc etiam legitur, quod Esther, cum esset collapsa, oculis Assueri Regis complacuit: in quo datur intelligi, quod cum homo se deiicit per humilitatem, tunc coram Domini oculis assequitur gratia dignitatem: vnde dicit Eccl. 3. *Quanto magnus es humili-*

D. Alberti Magni Serm.

*late in omnibus, & coram Deo innuenies gratiam: quoniam magna potentia Dei solius, & ab humilibus honoratur.*

De quarto nota, quod Beata Agnes columba appellatur propter magnitudinis tranquillitatem. Hæc est illa columba prudens, quæ coruum perfidiæ, id est, filium præfecti ipsam sua impudicitia denigrare volentem, fortiter à se repulit, & abegit, sic dicens: *Discede à me pabulum mortis, nutrimentum facinoris: discede à me, quia iam ab alio amatore præuenta sum.* Mansuetudinis tamen sibi insitæ non est obliterata: quia eundem præfecti filium, propter suam impudicitiam à diabolo suffocatum, postea resuscitauit ad vitam. Ad spiritum mansuetudinis inuitat nos Eccl. 3 ita dicens: *Fili, in mansuetudine opera tua perfice, & super hominum gloriam diligeris.*

De quinto nota, quod Beata Agnes formosa vocatur per candidam virginitatem. Vnde & cum vestibus suis expoliata fuisset, in testimonium candidæ virginitatis suæ, candidissima stola transiessa fuit ipsi à Domino, ut per eam tegeret corpus suum. Igitur per formositatem virginitatis, Beata Agnes topazio comparatur, qui in strictroram supernæ Ierusalem collocauit. Dicit enim Glossa super Apocalypsim, quod topaziū est lapis pulcherrimus, qui in aspectu suum singulariter prouocat aspicientes; & nihil est eo charius inter diuitias regibus.

Et vere virginitas in aspectum suum singulariter prouocat aspicientes. Candida enim virginitas paradisi chara est colonis. Vnde & ipse Dominus dicit ad quilibet virginem Cant. 2. *Ostende mihi faciem tuam: facies enim tua decora.* Nihil enim virginitate charius est inter diuitias Regibus regni cælorum, scilicet, Patri, & Filio, & Spiritui sancto. Vnde dicit Eccl. 26. *Omnis ponderatio non est digna continentis anima.* Hinc etiam votum continentia non recepit dispensationem, quia non habet recompensationem.

De sexto nota, quod propter quatuor Beata Agnes inuitata fuit, ut veniret: *Veni, inquit Dominus, ut humanitatem meam renelata facies speculeris.* Item. *Veni, ut vestibus induita regalibus coroneris.* *Venietam, ut mei oris osculo consoleris.* Item. *Veni, ut in coniuio meæ diuinitatis semper epuleris.*

Primo igitur Beata Agnes propter hoc venit ad Dominum, ut humanitatem eius pulcherrimam specularetur. Et vere humanitas eius est pulcherrima. Pulchritudinem enim ipsius, sicut eadem Agnes testatur, Sol & Luna mirantur. Procul dubio hæc Beata ad aspectum Christi, faciem suam non tegit, quemadmodum Rebecca, viso Isaac sponso suo terrestri, faciem suam velauit: non libenter hoc faceret hæc virgo; certe non pro toto mundo. O quam beati oculi, qui non vespertina, sed meridiana & clarissima visione faciem eius videlicet merentur in iubilo! Cuius? Eius: Eius certe, qui est candor lucis æternae, & speculum sine macula æterna maiestatis, & qui intuentes se latificat gaudio cum vultu suo.

Secundo venit Beata Agnes, ut vestibus induitis regalibus coronaretur: vnde & ipsa exultans

P 2 dicit:

dicit: *Induit me Dominus vestimentis salutis, & indumento iustitiae circundedit me, quasi sponsum decoratum corona.* Hæc est illa regina, quæ in vestitu deaurato circundata varietate assit modo à dextris Regis æterni. Hæc est profecto, quæ, si-  
cuit legitur Exod. 33, tamquam vere existens al-  
tare thymiamatis & mensa propositionis, duplice au-  
reola est coronata, utpote martyr & virgo; quæ  
etiam in choro superni palatij ferens fertum ro-  
sa & lili, inter Sion inuenctas, & Ierusalem filias, speciale decantans canticum, sequitur  
*Agnus quocunque ierit.* Hinc est, quod post  
mortem suam visa est à parentibus suis, iuxta spe-  
ciosissimum agnum ambulare cum pulchra vir-  
ginum multitudine: & tunc ista verba dixit:  
*Congaudete mecum & congratulamini, quia cum  
bis omnibus lucidas sedes accepi.*


Tertio venit Beata Agnes, ut oscularetur eam Dei Filius osculo oris sui. Vnde ipsa dicit: *Mel & lac ex eius ore suscepit.* Ecce iam peruererat ad osculum. Hæc est illa vera Esther, utpote per gloriam in populis eleuata, quam Rex Assuerus, id est, ille beatus Deus incessanter oscula-  
tur.

Et nota, quod non solum sanctæ Virgines, sed & omnes electi peruenient ad osculum Iesu Christi. Vnde dicitur Gen. 45. *Osculatus est Ioseph omnes fratres suos.* Per Ioseph quem Pharaon Saluator mundi appellauit, vere Iesus Christus intelligitur: ipse enim verissime est Saluator mundi. Fratres autem sui sunt omnes electi, quos omnes recipiet ad osculum suum: vnde dicit Dionylius. *Benignus Iesus ad se venientibus totus preobviat, & præcurrit, & totus totos deosculatur.* Ecce mirabile, & notabile verbum, quod videlicet totus totos deosculatur electos.

Quarta catifa, quare Beata Agnes venire iufsa fuit, ut scilicet in conuiuio diuinitatis epularetur. Vnde modo secure cantare potest: *Ecce, quod concupini, iam video; quod speravi, iam teneo: illi sum iuncta in celis, quem in terris posita tota deuotione dilexi.* Si iuncta est Domino, ergo fruitur ipso. O quam felix est hæc virgo, quæ cum illis beatis Angelis, qui fruuntur, nec fastidiunt, quo fruimur sicut: illa summa diuinitatis suauitate sine tædio perficitur. Et nota, quod gaudium illud, quo electi cum Domino perfuerint, est sufficientissimum. Vnde dicit Augustinus: *Pleno corde, plena mente, plena anima, pleno toto homine, adhuc supra modum supererit gaudium.*

Rogate ergo charissimi Dominum, ut sic in praesenti vestigia Beate Agnetis prosequamur, ut in futuro cum ipsa supercaelesti gaudio perfui-  
mere amur. Quod nobis præstare  
dignetur, &c.

\* \*



## IN CONVERSSIONE BEATI Pauli

### SERMO IX.

*Vas electionis est mihi iste, ut  
portet nomen meum coram  
Regibus, & Gentibus, & fi-  
liis Israel. Act. 9.*

Duo principaliter sunt hic notanda.

- I. *Quare Beatus Paulus à Domino vas electionis appellatur?*
- II. *Quid per Gentes, & Reges, ac filios Israel figuretur?*



E primo nota, quod Beatus Paulus ideo vas electionis appellatur à Domi-  
no, quia valde eligibilis, & commen-  
dabilis est, propter sex causas.

- I. *Enim commendatur à materia dignitate.*
- II. *Ab ornatus nobilitate.*
- III. *A capaci profunditate.*
- IV. *A iugi puritate.*
- V. *A solida firmitate.*
- VI. *A multiplici utilitate.*

I. Igitur Beatus Paulus vas electionis appellatur propter materiæ dignitatem. Et certe au-  
rum omne metallum dignitate præcellit. Erat  
autem vas aureum. Vnde legitur Eccl. 50. *Simon sacerdos magnus, quasi vas aurum solidum, ornatum omni lapide pretioso.* Simon interpretatur obe-  
diens, & optime signat Beatum Paulum, qui in  
primo instanti visitationis suæ factus est obe-  
diens Iesu Christo. Vnde cum iaceret prostra-  
tus in terra, dixit ad Dominum: *Domine, quid  
me vis facere?* Glossa. *Indica voluntatem tuam, &  
ego obediam.*

Conuenienter etiam Sacerdos magnus appellatur, quia mox ut visitatus fuit à Domino, non  
pecus aliquod extrinsecus Christo obtulit, sed  
semetipsum. Per totum quippe triduum conuer-  
sionis suæ neque manducauit, neque babit, sed  
orauit. Corpus itaque suum Domino obtulit, à  
cibis & potibus abstinentendo: animam vero suam  
Christo immolauit, in orationibus persistendo.  
Hinc est, quod legitur Act. 9. *Erat tribus diebus  
non videns, & non manducauit, neque babit.* Domi-  
nus etiam ait ad Ananiam: *Surge & vade in vi-  
cum, qui vocatur Rectus: & quare in domo Iude  
Saulum nomine, Tarsensem: ecce enim orat.*

Igitur Beatus Paulus obediens Sacerdos Do-  
mini erat, quasi vas aurum solidum. Qui enim prius  
fuerat quasi ferreus, id est, crudelis & impius, po-  
stea diuina operatione mutatus in virum alterum,  
factus

factus est quasi aureus, id est, mitis & bonus. Aurum enim temperantius & nobilis est omni metallo, & propterea designat mansuetudinem & bonitatem, quæ connaturalis est Deo. *Natura enim Dei est bonitas, Dei etiam proprium est misericordia semper & parcere.*

Quod autem Paulus ferreus fuit, id est, crudelis & impius, ostenditur in Act. 9. vbi Ananias dicit ad Dominum: *Domine, audiui à multis deo viro hoc, quanta mala Sanctis tuis fecerit in Ierusalem: & hic habet potestatem à principibus Sacerdotum alligandi omnes qui invocant nomen tuum.* Quod autem mutatus fuerit in aurum, id est, effectus fuerit mitis & bonus, per hoc euidenter patet, quod Ananias ait ad eum: *Saul frater, Dominus Iesus misit me, qui apparuit tibi in via, qua veniebas: ut videoas, & implearis Spiritu sancto.* Per hoc quod frater appellatur, & implendus dicitur Spiritu sancto, manifeste probatur, quod iam erat mitis & bonus, utpote frater repletus Spiritu sancto: Spiritui enim sancto aurea bonitas & benignitas attribuitur, sicut dicitur ad Gal. 5.

Aureus igitur erat apostolus Paulus per medium bonitatem, unde dicitur 2. ad Cor. 8. *Prouidemus bona non solum coram Deo, sed etiam coram omnibus hominibus.* Ipse etiam inuitat nos ad hoc, ut boni simus ad Rom. 12. *Odientes malum, diligentes bonum, prouidentes bona non tantum coram Deo, sed etiam coram omnibus hominibus.* Prudentes, id est, prouide agentes. In quo vero præcipua bonitas consistat, ostendit ibidem ita dicens: *Benedicite per sequentibus vos, benedicite & nolite maledicere. Si esurierit inimicus tuus, ciba illum, si sit, potum da illi.* Nota, bis dicit: *Benedicite,* Quasi dicat. Benedicite corde, & benedicite ore. Ecce, in quo præcipua bonitas consistit, ut videlicet inimicis nostris corde & ore benedicamus, ipsisque cibum & potum, dum indigent, præbeamus & demus.

II. Vas istud commendatur ab ornatus nobilitate. Ornatum enim erat omni lalide pretioso, sicut dicitur Eccl. 1. Igitur ut de multis aliis preciosis lapidibus taceamus, ornatus erat ad minus bisseno lapide pretioso, quibus etiam olim in lege rationale Summi Pontificis extitit adornatum, sicut legitur Exod. 28. Primus igitur lapis erat Iaspis. Secundus, Saphirus. Tertius, Sardius. Quartus, Topazius. Quintus, Carbunculus. Sextus, Chrysolithus. Septimus, Smaragdus. Octauus, Amethystus. Nonus, Ligurius. Decimus, Beryllus. Undecimus, Achates. Duodecimus, Onychinus. Per Iaspidem notatur fidei fortitudo. Per Saphirum spes celitudo. Per Sardium memoria Dominicæ passionis. Per Topazion conformitas bonæ conuersationis. Per Carbunculum claritas sapientiæ. Per Chrysolithum veritas cordis & linguæ. Per Smaragdum virens humilitas. Per Amethystum honorabilis sobrietas. Per Ligurium dulcis consolatio. Per Beryllum ardens increpatio. Per Achatem fortis obedientia. Per Onychinum læta perseuerantia.

Primus igitur lapis pretiosus quo ornatum fuit hoc vas electionis, erat Iaspis, per quem intelligitur fidei fortitudo. Legitur enim de Iaspide, quod hominem effecit tutum timore deposito: omnibus etiam maleficijs, & incantationibus resilit. Sic & fideles credentes in Christum non pereunt, sed vitam æternam habebunt. Fides

D. Alberti Magni Serm.

etiam est quasi quoddam nobile scutum, quod omnia tela nequissimi hostis extinguunt, sicut dicitur ad Ephes. 6.

Fide igitur Sanctus Paulus erat ornatus: unde ait ad Galat. 2. *Scientes, quod non iustificabitur homo, nisi per fidem Iesu Christi.* Quod autem nunc viuo in carne, in fide viuo Filius Dei, qui dilexit me, & tradidit semetipsum pro me.

Ipse etiam hortatur nos, ut contra diabolum fortiter stemus in fide: propter quod ait 1. ad Corinth. 6. *Vigilate & state in fide, viriliter agite, & confortamini in Domino, & omnia vestra in charitate fiant.* Ait etiam ad Hebr. 11. *Sine fide impossibile est placere Deo.* Et quia impossibile est, quod aliquis placeat Deo sine fide, propterea scribit 2. ad Corinth. 14. *Si estis in fide, ipsi vos probate.*

Secundus lapis attinens ad ornatum vasis istius, erat Saphirus, per quem notatur spes celitudo. Sicut enim Saphirus colorem cælo similem habet, & sicut in ipso quedam stella rutilat, per quam virtus eius dignoscitur: præterea Saphirus membra hominis vegetat, & interiorem ardorem refrigerat: ita etiam spes ea quæ sursum sunt in cælo desiderat, & quodam dulci & lucido affectu cor illustrat: spes etiam membra debilia ad laborandum alleuiat, & omnem intrinsecum ardorem tribulationum refrigerat.

Quod autem Beatus Paulus gemma spes fuerit adornatus, testatur ad Rom. 5. *Gloriamur, inquit, in spe glorie filiorum Dei.* Item ait 1. ad Corinth. 15. *Si in hac vita tantum in Christo sperantes sumus, miserabiliores sumus omnibus hominibus.* Item ait 1. ad Timoth. 6. *Divitibus huius seculi præcipe, non sublimie sapere, neque sperare in incerto divitiarum, sed in Deo viuo, qui præstat nobis omnia abunde ad fruendum.*

Tertius lapis in ornatu vasis istius, erat Sardius, per quem exprimitur memoria Dominicæ passionis: Sardius enim rubeum colorem habet: ita in passione rubeus factus est Dominus noster Iesus Christus; unde ascende eo in cælum, quidam Angeli occurrentes ei dixerunt, ut ait Isa. 63. *Quare rubeum est vestimentum tuum, & vestimenta tua sicut calcantium in torculari?* Quibus respondit Dominus: *Torcular calcaui solus.* Ibi dicit Glossa. *Crucem, & omnia tormenta passus sum,* in quibus quasi prælo sum pressus, ita ut etiam sanguis funderetur. Præterea in præsentia Sardi, non potest nocere onix; qui lapis, ut dicitur, lites multiplicat, & homines promouet ad rixas: ita etiam passio Domini ad memoriam efficaciter reducta, omnes lites dissoluit, & homines compescit à rixis: Dominus enim in passione quasi agnus mansuetus, coram tendente se obmutuit, & non aperuit os suum.

Quod autem Beatus Paulus memor, immo imitator semper fuerit Dominicæ passionis, insinuat ad Galat. 5. *Christo confixus sum cruci: viuo autem iam non ego, vivit vero in me Christus.* Item ad Galat. 6. *Michi autem absit gloriari, nisi in cruce Domini nostri Iesu Christi, per quem mihi mundus crucifixus est, & ego mundo.* Ego enim stigmata Domini Iesu Christi in corpore meo porto.

Hortatur etiam nos, ut cum Christo, & pro Christo patiamur; unde ait ad Philip. 1. *Hoc vobis donatum est à Christo, ut non solum in eum credatis, sed ut etiam pro illo patiamini.* Dicit etiam ad Philippen. *Hoc sentite in vobis, quod & in*

CHRISTO IESU, qui humiliauit semetipsum, factus obediens usque ad mortem, mortem autem crucis.

Quartus lapis pretiosus in ornamento huius vasis erat Topazius, per quem signatur conformitas bonæ conuersationis. Topazius enim, ut dicit Glossa super Exod. lapis est pretiosissimus, & est omnium colorum, & maxime aurei: vnde Topazius dicitur, quasi topadion, id est, omnium colorum. Dicitur etiam multum valere fluxum sanguinis patientibus.

Ita etiam Beatus Paulus conformitate bonæ vitæ omnibus se conformauit, vt omnes lucrificeret, eosque ab immunditia sanguinei fluxus, id est, criminum liberaret: vnde ait 1. ad Corinth. 9. *Cum liber essem ex omnibus, omnium me seruum feci: ut plures lucrifacarem. Factus sum Iudeis tanquam Iudaus; ut Iudeos lucrarer. Factus sum infirmis infirmus; ut infirmos lucrifacarem: Omnibus omnia factus sum; ut omnes facerem saluos.*

Ipse etiam monet nos, vt imitatione sui cuiilibet homini per bonam conuersationem nos conformemus; ait enim 1. ad Corinth. 10. *Sine offensione estote Iudeis, & Gentilibus, & Ecclesiæ Dei: sicut & ego per omnia & in omnibus placebo, non querens quod mihi utile est, sed quod multis: ut salvi fiant.* Glossa. Hoc est omnibus per omnia placere, sine scandalo, cuique agere ad profectum aliorum, vt & illis, & huic sit utile.

Quintus lapis quo vas istud egregium fuit ornatum, erat Carbunculus, per quem claritas sapientiae figuratur. Sicut enim Carbunculus lucet in tenebris, & res circa se existentes illustrat; ita & Beatus Paulus per sapientiam sibi diuinatus inspiratam, huius mundi tenebras illustrauit. Vnde & cantatur de eo: *O gloriosum lumen omnium Ecclesiarum, sole splendidius, o vere Apostolicum sydus Altissimi S. Paulus, qui Ecclesiæ solem splendidum te Gentibus infundit.* Legitur etiam in Collecta: *Deus, qui uniuersum mundum Beati Pauli Apostoli predicatione donasti.*

Quod autem mirabili sapientia fuerit insignitus, testatur de seipso 1. ad Cor. 2. *Sapientiam loquimur inter perfectos: sapientiam vero, non huius seculi, neque principum huius seculi, qui destruuntur: sed loquimur Dei sapientiam.* Sapientiam vero suam Paulus desuper acceperat, vnde dicit ad Gal. 1. *Notum vobis facio fratres Euangelium, quod euangelizatum est a me, quia non est secundum hominem: neque enim ab homine accepi illud, neque didici: sed per revelationem Iesu Christi.*

Ipse etiam inuitat nos, vt sapientiam carnis fugientes prudentiam spiritus imitemur; vnde ait ad Rom. 8. *Qui secundum carnem sunt, que carnis sunt, sapiunt; qui vero secundum Spiritum, que sunt Spiritus, sentiunt.* Nam prudentia carnis, mors est: prudentia autem Spiritus, vita & pax: quoniam sapientia carnis inimica est Deo. Et qui in carne sunt, Deo placere non possunt. Ait etiam ad Roman. 16. *Volo vos sapientes esse in bono, & simplices in malo.* Item ad Colof. 4. *In sapientia ambulate ad eos qui foris sunt, tempus redimentes.* Sermo uester semper in gratia sit sale conditus: vt sciat, quomodo oporteat vos unicusque responderem.

Sextus lapis vas istud gloriosum adornans,

erat Chrysolithus, per quem cordis & linguae veritas figuratur. Chrysolithus enim, vt legitur, auro similis est in colore: qui etiam eum fixum in auro supra se porraverit, reddit eum tutum à timore nocturno. Cum igitur per aurum, quod est optimum metallum, ipse Deus intelligatur, qui optimus esse non dubitatur: sine dubio veritas per omnia Deo similis existit, quia Deus verax est, vt dicitur Ioan. 4. 1. Ipse Dei Filius se afferit esse veritatem Ioan. 14. *Ego sum veritas.* Sicut etiam Chrysolithus in auro fixus, se portantem tutum reddit à timore nocturno: sic etiam veritas hominis in Domino immobiliter perseverans, eundem hominem à dæmonibus perambulantibus in tenebris protegit & tuetur; vnde dicitur in Psal. 90. *Scuto circundabit te veritas eius: non timebis à timore nocturno.*

Quod autem Beatus Paulus veritate fuerit ad ornatus, testatur 2. ad Corinth. 11. *Est veritas Christi in me, quoniam hec gloriatio non confringetur in me in regionibus Achaea.* Item 2. ad Corinth. 7. *Omnia vobis in veritate locutus sumus.* Item scribit 1. ad Timoth. 2. *Ego predictor & Apostolus veritatem dico, non mentior, Doctor Gentium in fide & veritate.*

Monet etiam nos, vt semper veritatem loquamur, ad Ephes. 4. *Deponentes mendacium, loquimini veritatem unusquisque cum proximo suo: quoniam sumus in unicem membra.* Quasi diceret. Loquimini veritatem: quia valde inconueniens est, vt vnum membrum aliud decipiatur per falsitatem.

Septimus lapis spectans ad ornatum vasis istius erat Smaragdus, quo signatur virens humilitas. Smaragdus enim omnium virentium gemmarum principatum tenet: caducos etiam morbos mirifice sanare perhibetur. Sic etiam humilis homo est quasi lignum, quod transplantatur super aquas, cuius folium erit viride: & in tempore siccitatis non erit sollicitum, nec aliquando definet facere fructum: sicut dicitur Ierem. 17. Humilitas etiam sanat ad caducum morbum, id est, pestem superbie. Omnis enim qui se in praesenti exaltat, humiliabitur, id est, cadet: & qui se humiliat, exaltabitur in futuro.

Quod autem humilis fuerit Beatus Paulus, ipsum nomen eius declarat. Nam Paulus hebreæ, latine modicus sonat. Vide & ipse humilitatem suam insinuans scribit 1. ad Corinth. 15. *Ego sum minimus Apostolorum, qui non sum dignus vocari Apostolus: quoniam persecutus sum Ecclesiam Dei.* Ait etiam etiam 1. ad Timoth. 1. *Fidelis sermo, & omni acceptione dignus, Quia Iesus Christus venit in hunc mundum peccatores saluos facere, quorum primus ego sum.* Glossa, id est, pejor.

Ipse etiam ad humilitatem nos inuitat ad Phil. 2. *Nihil, inquit, agatis per contentionem, neque per inanem gloriam: sed in humilitate superiores sibi in unicem arbitrantur.* August. *Vere existimemus posse esse aliquid occultum in alio, quo nobis sit superior: etiam si bonum nostrum, quo illo videmur superiores esse, non sit occultum.*

Octauus lapis ornans hoc nobile vas, erat Amethystus, per quem honorabilis sobrietas optime figuratur. Amethystus enim legitur esse contrarius ebrietati: præterea de facili sculpi potest. Sic etiam sobrietas ebrietatem elidit. Sobrius etiam

etiam homo adhuc aptus est, vt sculpturam recipiat, id est, doctrinam.

Quod autem Paulus sobrietate fuerit ornatus, ostendit 2. ad Timoth. 1. *Dedit nobis Deus spiritum sobrietatis.* Ait etiam in Actib. 26. *Veritatis & sobrietatis verba loquor.* Admonet etiam nos, vt sobrij sumus 1. ad Theff. 5. Non dormiamus, sicut & ceteri: sed vigilemus, & sobrij sumus. Qui enim dormiunt, nocte dormiunt: & qui ebrij sunt, nocte ebrij sunt. Nos autem qui diei sumus, sobrij sumus. Ait etiam 1. ad Cor. 5. *Qui ebrius est, cum eiusmodi nec cibum sumite.* Vel 1. ad Cor. 6. *Ebrios regnum Dei non possidebunt.*

Nonus lapis in ornatu huius vasis, erat Ligurius, per quem dulcis consolatio demonstratur. Legitur enim, quod Ligurius discoloratis colorum restituit, & omnes dolores stomachi mirifice mitigat. Sic etiam dulcis & pia consolatio, per desperationem discoloratis colorem speciei restituit, omnesque dolorosas perturbationes cordis lenit & mitigat. Hinc est, quod Lucas ait de Paulo Act. 27. *Neque sole neque syderibus apparentibus per plures dies, & tempestate non exigua imminente, iam ablata erat spes omnis salutis nostra, &c.* Stans Paulus in medio dixit: *Suadeo vobis bono animo esse. Amisso enim nullius anima erit in vobis preterquam nauis.* Propter quod rogo vos accipere cibum pro salute vestra; quia nullius vestrum capillus de capite vestro peribit. Et cum dixisset, sumens panem gratias egit Deo in conspectu omnium: & cum fregisset, cepit manducare. Animæquiores autem facti omnes, & ipsi sumpserunt cibum. Animæquiores. Glossa, exhortationis verbo, & operis exemplo.

Igitur Beatus Paulus ornatus fuit gemma piæ consolationis passiuæ & actiuæ; vnde dicit 2. ad Corinth. 1. *Benedictus Deus & Pater Domini nostri Iesu Christi, qui consolatur nos in omni tribulazione nostra: ut possimus & ipsi consolari eos, qui in omni pressura sunt.* Quoniam sicut abundant passiones Christi in nobis, ita & per Christum abundat consolatio nostra. Item 2. ad Corist. 6. *Repletus sum consolatione, & superabundo gaudio in omni tribulazione nostra.*

Monet etiam nos, vt nos consolemur ad inuicem. 1. ad Theffal. 4. *Nolumus vos ignorare fratres, de dormientibus ut non contristemini sicut ceteri, qui spem non habent.* Si enim credimus, quod Christus mortuus est, & resurrexit: ita & Deus eos qui dormierunt per Iesum, adducet cum eo. Et infra: *Itaque consolamini inuicem in verbis istis.* Item Prælatos inuitat ad consolationem subditorum 1. ad Theff. 5. *Rogamus vos fratres.* Glossa. Prælatos: *Corripite inquietos, consolamini pusillanimes, suscipe infirmos, patientes estote ad omnes.* Hinc etiam dicitur Act. 15. *Consolati sunt fratres, & firmaverunt eos.* Idem Paulus ostendit 1. ad Theff. 2. quam paternæ solatus fuerit credentes in Christum. Vnde ait: *Scitis qualiter vnumquemque vestrum (sicut pater filios suos) deprecantes vos & consolantes, testificati sumus ut ambularetis digni Deo, qui vocauit vos in suum regnum & gloriam.*

Decimus lapis existens in huius vasis ornatu, fuit Beryllus, per quem potest ardens increpatio figurari. Beryllus enim dexteram tenentis, si conficeretur, exurit. Aqua etiam in qua iacuit, oculis efficaciter prodebat narratur. Ita etiam

increpatio sancto zelo ardens frigidos & desidiosos accedit, & oculos cæcitatem ignorantiae obtusos illuminat.

Hoc lapide se Beatus Paulus ostendit ornatum, dure increpans Galathas, qui iudaizare volebant, 3. cap. *O insensati Galatha! qui vos fascinavit non credere veritati? Ante quorum oculos Iesus Christus est, & in vobis crucifixus.* Quendam etiam magum, qui Barieu sive Elymas vocabatur, quia proconsulem Sergium Paulum apud Paphum existentem, à fide quærebatauertere, dure corripuit, ita dicens Act. 13. *O plene omni dolo, & omni fallacia, fili diaboli, inimice omnis iustitie, non desinis subvertere rectas vias Domini?* Et runc, ecce manus Domini super te, eris cæcus non videns solem usque ad tempus; & confessim cecidit in eum caligo, & tenebra, & circuens quærebat qui ei manum dare.

Ipse etiam scribit Prælatis, vt corripiant inquietos, ita dicens 2. ad Timoth. 4. *Prædicta verbum, insta opportune, importune: argue, obsecra, increpa in omni patientia & doctrina.* Item in epistola ad Titum 1. *Sunt multi inobedientes, vanilous, & seductores, quos oportet redargui, qui universas domos subuertunt, docentes quæ non oportet, turpis lucri gratia: quam ob causam increpa eos dure.*

Videcimus lapis in hoc electionis vase, fuit Achates, per quem fortis obedientia denotatur. Achates enim nigrum habet colorem, & quibusdam candidis ramis cingitur. Ita etiam verus obediens niger, id est, despctus est in oculis suis, & candidis circulis præceptorum se cingi permittit. Multum etiam Achates prodest contra venenum, & maxime viperæ. Sic etiam vera obedientia contra incentiuum, sive inflammatum venenum superbiæ hominem forti defensione tuetur. Habet etiam aquila prædictum lapidem in nido suo, ad custodiendum pullos suos. Ita etiam per veram obedientiam pullos operum nostrorum à mortuï infernalis serpentis tueri debemus. Contra verum enim obedientiem nihil præualeat inimicus.

Gemma igitur fortis obedientiæ statim in primo instanti sua conuersionis ornatus fuit: vnde & ait ad Iesum. *Domine, quid me vis facere?* Quasi dicat. Paratus sum tibi in omnibus quæcumque iussoris obedire. Bern. *O verbum breve, sed plenum, sed viuum, sed efficax, sed dignum omni acceptance.* Quam pauci inueniuntur in hac perfecte obedientiæ forma, qui suam ita abiecerint voluntatem, vt non quod ipsi, sed quid Dominus velit, omni hora requirant!

Beatus etiam Paulus omnibus insinuans, ait ad Phil. 2. quod humiliavit se Iesus Christus factus obediens usque ad mortem, mortem autem crucis. Quemlibet monet, vt obediatur Euangeliu Iesu Christi: vnde ait 2. ad Theff. 1. *Qui non obediunt Euangeliu Domini nostri Iesu Christi, pœnas dabunt in interitu aeternis, remoti à facie Domini, & à gloria virtutis eius, cum venerit glorificari in Sanctis suis, & admirabilis fieri in omnibus qui crediderunt.* Vxores etiam vt maritis, filios vt parentibus, seruos vt Dominis obdiant, adhortatur, & ait ad Colof. 3. *Mulieres estote subditæ viris, sicut oportet in Domino.* Glossa, non contra Dominum. *Fili obedite parentibus vestris per omnia: hoc enim placitum est in Domino.* Serui obedite,

*obedite per omnia Dominis carnalibus, non ad oculum seruientes, quasi hominibus placentes: sed cum simplicitate cordis timentes Dominum scientes, quod à Domino recipietis retributionem hereditatis. Quid etiam è conuerso viri vxoribus, parentes filijs, & Domini seruis teneantur exhibere, declarat ad Colos. 3. Viri diligite uxores vestras, & nolite amari esse ad illas. Patres nolite ad iracundiam prouocare filios vestros. Domini, quod iustum est, & aequum, seruis prestate, scientes quod & vos Dominum habetis in celo.*

Duodecimus lapis quo vas istud erat ornatum, fuit Onychinus, per quem læta perseuerantia datur intelligi. Onychinus enim permixtum in se habet colorem, ad modum vnguis humani. Quia igitur vnguis extremitas est corporis, non immerito per Onychinum finalis perseuerantia figuratur. Onychinus etiam, sicut legitur, collo suspensus, vel digito portatus tollit tristitiam. Sic etiam qui læta perseuerauerit in bono, nunquam per pusillanimitatis tristitiam molestatur.

Quod autem Paulus gemma perseuerantiae fuerit adornatus, ostendit ad Phil. 3. vbi dicit: *Quæ retro sunt obliuiscens, ad ea vero quæ sunt priora, extendens meipsum, ad destinatum perseguor, ad brauium superna vocationis Dei in Christo Iesu. Perseguitur, id est, perseueranter sequitur. Hinc etiam loquitur 2. ad Timoth. 4. Bonum certamen certavi, cursum consummaui, fidem seruavi. In reliquo, reposita est mihi corona iustitiae, quam reddet mihi Dominus in illa die iustus index.*

Ipse etiam ad lætam perseuerantium nos inuitat ad Heb. 12. *Recogitate eum qui tales sustinuit à peccatoribus aduersum semetipsum contradictionem. In disciplina perseuerate: tanquam filijs, vobis se offert Deus.*

III. Vas istud commendatur ab amplitudine & profunditate. Mirabiliter enim amplum erat & profundum per largam & altam charitatem, qua salutem omnium desiderans, ad omnes homines sese extendit; vnde ait 2. ad Corinth. 6. *Os nostrum patet ad vos, ô Corinthij. Cor nostrum dilatarum est.* Item ait 2. ad Corinth. 12. *Non quero, quæ vestra sunt, sed vos. Ego autem libentissime impendam & superimpendar ipse pro animabus vestris.* Item ait ad Philip. 1. *Testis est mihi Deus, quomodo cupiam vos omnes esse in visceribus Iesu Christi.* Item 1. ad Theffal. 2. *Tanquam si nutrix foueat filios suos: ita desiderantes vos cupide volebanus impendere vobis, non solum Euangelium Dei, sed etiam animas nostras, quoniam charissimi nobis sancti estis.*

Ipse etiam monet nos, ut per veram charitatem dilatetur adiuicem: propter quod ait 2. ad Co. 6. *Tanquam filii dico, dilatamini & vos.* Item ad Rom. 13. *Nemini quicquam debeatis, nisi vt inuicem diligatis.*

IV. Vas istud dignum est commendari à iungi puritate. Nunquam enim Beatus Paulus per luxuriam fuit inquinatus, sed virginitatis integratem continuo seruauit illibatam. Vnde & in testimonium virginitatis ipsius, dum decollatur, lac prius quam sanguis exiit de collo eius. Quia igitur virgo fuit, optauit & consuluit, ut omnes tales essent, qualis ipse fuit: vnde dicit 1. ad Cor. 7. *Volo omnes homines esse sicut meipsum.*

Glos. scilicet continentes. Item in eodem capitulo: *De virginibus praeceptum Domini non habeo, consilium autem do. Glossa, à sancto Spiritu mihi inspiratum. Super locum istum dicit August. Supergreditur virginitas conditionem humanæ naturæ, per quam homines Angelis assimilantur: major tamen victoria virginum est quam Angelorum. Angeli enim sine carne viuunt, virgines vero in carne triumphant.*

Quia ergo Beatus Paulus vas mundum erat & sanctum omnes ad sanctificationem inuitat & munditiam 1. ad Theffalon. 4. *Hac est voluntas Dei sanctificatio vestra, ut abstineatis vos à fornicatione, ut sciat unusquisque vestrum suum vas possidere in sanctificatione & honore, non in passione desiderij, sicut & Gentes quæ ignorant Deum. Non enim vocavit nos Deus in immunditiam, sed in sanctificationem.*

V. Vas istud commendatur à solida firmitate. Valde enim solidum fuit & firmum, quod nec flagellis, nec virgis, nec lapidibus, nec aquarum concussionibus, sed nec aliquibus alijs violentis confringi poterat instrumentis. Legitur enim 2. Corinth. 11. quod à Iudeis quinque vicibus flagellatus fuit, ita ut qualibet vice quadragenias percussionses acceperit, vna minus, quæ quasi pro misericordia subtracta fuit ei. Ter etiam à Gentilibus virgis cæsus fuit, semel lapidatus fuit, ter naufragium pertulit. Præter hæc multos labores & ærumnas, multas etiam vigilias, multam famem & siti, multa ieunia, multum frigus & pluuiam, nuditatem saepe sustinuit, multaque alias tribulationes: & tamen per impatientiam confringi non potuit: vnde ait 2. ad Corinth. 11. *A Iudeis quinque quadragenias una minus accepi, ter virgis cæsus sum, semel lapidatus sum, ter naufragium feci. Glossa, id est, pertulit. Nocte & die in profundo maris fui, in labore & ærumnâ, in vigiliis multis, in fame & siti, in ieuniis multis, in frigore & nuditate.* Hæc omnia sustinere poterat à Domino confortatus; vnde ait ad Phil. 4. *Omnia possum in eo qui me confortat.*

Ipse etiam inuitat nos ad patientiam tribulationum, sic dicens 2. ad Corinth. 6. *In omnibus exhibeamus nos sicut Dei ministros in multa patientia. In quibus autem patientes esse debeamus, statim subdit: In tribulationibus, in necessitatibus, in angustijs, in plagis, in carceribus, in seditionibus, in laboribus, in vigiliis, & in ieuniis.* In omnibus præmissis patientia est nobis necessaria, de qua ait Apostolus ad Heb. 12. *Patientia vobis necessaria est, ut voluntatem Dei facientes reportetis reprobationem.*

VI. Commendatur vas istud honoris à multiplici utilitate. Et nota, quod olim erant quatuor genera vasorum, quæ utilitati, Deo in tabernaculo ministrantium deferuiebant. Et hæc vas erant de auro purissimo. De ipsis vasis dicit Dominus ad Moysen Exod. 25. *Parabis & acetabula, ac phialas, thuribula, ac cyathos, in quibus offerenda sunt libamina ex auro purissimo.* Nota etiam, quod secundum quosdam in acetabulis acetum, in phialis vinum, in thuribulis thus, in cyathis vero oleum solebat offerti. Horum ergo quatuor vasorum similitudinem gerit Apostolus Paulus. Erat enim acetabulum per pœnitentia persuasionem, erat phiala per tristum exhilarationem, erat thuribulum per orationum profusionem;

lionem: fuit nihilominus cyathus per supercælestium contemplationem.

Primo igitur erat acetabulum, per pœnitentia persuasionem. Sicut enim acetum, quod secundum quosdam in acetabulis offerebatur, mordax est, & acutum: ita etiam pœnitentia mordax est, & omnium præteritarum delectationum punituum. Hanc Paulus persuasit omnibus criminosis; unde ait Act. 17. *Annuntiat Deus omnibus, ut omnes ubique pœnitentiam agant, eo quod statuit diem, in qua indicaturus est orbem in equitate.* Item ait Paulus ad Agrippam Act. 26. *O rex Agrippa, non fui incredulus cœlesti visioni: sed his, qui sunt Damasci primum, & Ierosolymis, & in omni regione Iudeæ, & Gentibus enuntiabant, ut pœnitentiam agerent, & conuerterentur ad Deum digna pœnitentia opera facientes.* Et nota, quod tam pio zelo peccatores inuitauit ad pœnitentiam, ut etiam lucent fecerit super tales qui pœnitere noblebant. Unde ait 2. ad Cor. 12. *Tímeo, ne forte cum venero, non quales volo, inueniam vos, & lugeam multos ex his qui antea peccauerunt, & non egerunt pœnitentiam super immunditia, & fornicatione, & impudicitia, quas gesserunt.*

Secundo Beatus Paulus fuit, ut phiala, per tristum exhilarationem. Sicut enim vinum, quod latifacit cor hominis, in phialis offerri consuevit: ita etiam Paulus tristes exhilarauit, inuitans eos ad gaudium; unde ait ad Phil. 4. *Gaudete in Domino semper, iterum dico, gaudete.* Quasi diceret. Gaudete, quia vos à presenti miseria liberauit. Gaudete etiam, quia vos in cælis honore & gloria coronabit. Item ait 2. ad Corinth. 13. *De cetero fratres gaudete, & perfecti estote, exhortamini, idem sapite, pacem habete: & Deus pacis & dilectionis erit vobis.* Item ad Thefl. 5. *Semper gaudete in Domino. Sine intermissione orate, in omnibus gratias agite. Hec est enim voluntas Dei in Christo Iesu, in omnibus vobis.*

Tertio fuit thuribulum, per orationum profusionem. Sicut enim per thus, quod in thuribulis offerebatur, Dominus placabatur, & ideo per thus deuota oratio figuratur: ita etiam Beatus Paulus pro his quos conuerterat, deuotas orationes effudit ad Dominum. Unde ait 2. ad Corinth. 13. *Oramus Deum, ut nihil mali faciatis.* Item ait ad Phil. 1. *Oro, ut charitas vestra magis ac magis abundet in scientia, & in omni sensu, ut probetis poriora, ut sitis sinceri, & sine offensa in diem Christi, repleti fructu iustitiae per Iesum Christum in tandem & gloriam Dei.* Item 2. ad Thefl. 1. *Oramus semper pro vobis, ut dignetur vos vocazione sua Dominus noster, & impleat omnem voluntatem bonitatis, & opus fidei in virtute, ut clarificetur nomen Domini nostri Iesu Christi.* In præcedentibus tribus auctoritatibus tria bona notari possunt, in quibus pro subditis suis orat Apostolus. In prima enim auctoritate orat, ut nihil mali faciant. In secunda orat, ut in charitate & operibus charitatis proficient. In tertia orat, ut ad æternam claritatem ad quam vocati sunt, perueniant.

Iste etiam nobile thuribulum è conuerso petit orari pro se, ad Rom. 15. *Obsecro vos fratres per Dominum nostrum Iesum Christum, & per charitatem Spiritus sancti, ut adiuuetis me in orationibus vestris pro me ad Deum, ut liberer ab infidelibus qui sunt in Iudea, & obsequij mei oblatio fiat accep-*

*ta in Ierusalem Sanctis, ut veniam ad vos in gaudiō per voluntatem Dei, ut refrigereret vobis.* Amen. Item 2. ad Thefl. 5. *De cetero fratres, orate pro nobis, ut sermo Domini currat & clarificetur, sicut & apud vos: ut liberer ab importunis & malis hominibus.* Ecce quod dat Apostolus hoc exemplum Prælatis, ut desiderent & pertant orationes subditorum suorum. Quomodo vero orare debamus, declarat 1. ad Cor. 14. ubi ait: *Orabo spiritu, orabo & mente. Debet igitur non tantum ore, vel voce, sed spiritu, & mente orare, qui vere & efficaciter vult orare.*

Quarto fuit cyathus, per supercælestium contemplationem. Sicut enim oleum, quod in cyathis offerri solebat, alijs liquoribus superfertur: ita & Paulus contemptis inferioribus, mente & contemplatione in cælestibus ferebatur; unde ait ad Philip. 3. *Nostra conuersatio in cælis est.* Item 2. ad Cor. 5. *Sine mente excedimus Deo, sine sobrietate vobis, charitas enim Christi urget nos.* Glossa. Excedens mente Apostolus omnem humanam fragilitatem, omnem seculi temporalitatem, omnia quacunque nascendo & occidendo vanescunt, & transiunt, habitabat corde in quadam ineffabili contemplatione, ubi audiuit ineffabilia verba quæ non licet homini loqui. Ipse etiam hortatur nos ut spretis vanitatibus huius mundi superna queramus. Unde ait ad Colos. 3. *Si confirrexitis cum Christo, que sursum sunt querite, ubi Christus est in dextera Dei sedens: que sursum sunt, sapite, & non quæ sunt super terram.*

Item nota, quod in domo Dei magna, adhuc sunt quatuor alia vasorum genera. Sunt enim vasa parvulorum, musicorum, castrorum, & medicorum: quibus omnibus Beatus Paulus comparari potest. Hinc est, quod dicitur Isa. 22. *Figam Eliachim seruum meum paxillum in loco fideli. Et suspendent super eum omnem gloriam domus patris eius, vasorum diuersa genera, ornare vas parvulum à vas craterarum usque ad ornare vas musicorum.* Eliachim interpretatur Deus meus frater eorum, & signat Dei Filium, qui licet per creationem esset Deus noster, per carnis tamen assumptionem factus est frater noster, quem tanquam paxillum Deus Pater erexit in Ecclesia, ut super eum omnia vasa Ecclesie, id est, omnes electi suspendantur in gloria.

I. Fuit itaque Beatus Paulus vas parvulorum, id est, crater tornatilis aureus, quo parvuli, id est, simplices lactarentur. Propinavit enim eis lac humanitatis Iesu Christi, unde ait 1. ad Cor. 3. *Tanquam parvulus in Christo lac vobis dedi, non escam. Nondum enim poteratis, sed nec nunc quidem potestis.* Quasi diceret. Quia ulti parvuli nondum mel diuinitatis poteratis attingere, propterea vobis lac humanitatis, *per quod crescat in salutem*, prouide propinaui. Verum cum proponitur omnibus humanitas Salvatoris nostri, nunquam debet eius Passio subticeri; propter hoc legitur Exod. 14. quod Moyses vitulinum sanguinem misit in crateris, ipsumque respergit in populum, & ait: *Hic est sanguis fœderis, quod pepergit Dominus vobiscum.* Sic etiam Paulus sanguinem Christi respergit in nos, dicens ad Heb. 9. *Si sanguis hircorum & taurorum, & cinis vitule aspersus inquinatos sanctificat ad emundationem carnis, quanto magis sanguis Christi, qui per Spiritum sanctum semel ipsum obtulit immaculatum Deo,*

*Deo, mundabit conscientiam nostram ab operibus mortuis ad seruendum Deo viuenti? Beatus etiam Paulus moner fortiores, vt infirmis tanquam paruulis condescendant, eosque benigne suscipiant, vnde ait ad Rom. 24. Infirnum in fide suscipe, non in disceptationibus cogitationum. Item 1. ad Theff. 5. Rogamus vos fratres, suscipe infirmos.*

**II.** Fuit etiam vas musicorum, vt pote quædam dulcis cithara, vel figella, qua conuiuantum aures delectarentur. Intulit enim auribus nostris delectabile canticum de supernis, ita canens 1. ad Cor. 2. *Oculus non vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis ascendit, quæ preparauit Deus his qui diligunt illum: nobis autem reuelauit Deus per Spiritum suum. Spiritus enim omnia scrutatur, etiam profunda Dei.* Item canit ad Rom. 8. *Non sunt condignæ passiones huins temporis ad futuram gloriam, quæ reuelabitur in nobis.*

**III.** Fuit etiam Beatus Paulus vas castrorum in excelsis, sicut dicitur Eccl. 43. *Fuit enim quasi tuba argentea, cuius clangore castra Dei munirentur.* Vnde etiam Paulus, os tubæ interpretatur. Igitur certam vocem dans hæc tuba moner nos, vt à foyno peccati surgamus, & induti armis lucis præparemur ad bellum. Hinc est, quod clangit ad Rom. 12. *Hora est iam nos de somno surgere. Abiçiamus ergo opera tenebrarum, & induamur arma lucis.* Quæ vero sint arma lucis, ostendit ad Ephes. 6. vbi ait: *Induite vos armaturam Dei; vt possitis stare aduersus infidias diaboli. State ergo succincti lumbos vestros in veritate, & induti loricae iustitia, & calceati pedes in preparationem Euangelij pacis: in omnibus sumentes scutum fidei, in quo possitis omnia tela nequissimi ignea extingueare, & galeam salutis assumite: & gladium Spiritus, quod est verbum Dei.*

**IV.** Fuit etiam Beatus Paulus vas medicorum, vt pote quædam pixis aurea continens species salutiferas, quibus infirmi & languidi curarentur. Maltas enim per eum medicus ille cœlestis virtutes, & miracula faciebat: quæ omnia longum esset sermone perstringere. Propter hoc dicitur Act. 19. *Virtutes non modicas quaslibet faciebat Deus per manus Pauli: ita ut etiam super languidos deferrentur à corpore eius sudaria, & semicinctia, & recedebant ab eis langores, & spiritus nequam egrediebantur.*


De secundo nota, quod licet olim ad literam Gentibus, & Regibus, & filiis Israel, id est, Iudæis fideliter prædicauerit verbum Christi: tamen & adhuc & Gentibus, & Regibus, & filiis Israel prædicare non desinit verbum Dei. Per Gentes enim quilibet peccatores accipiuntur. Per Reges vero Prælati cuiuscunque dignitatis sint, intelliguntur. Verum per filios Israel virgines, viduae, & religiosi quilibet exprimuntur. Primo igitur insinuat Gentibus, id est, gentiliter viuentibus, videlicet peccatoribus, quod si in peccatis decesserint, regnum Dei non possidebunt. Vnde ait 1. ad Corinth. 6. *An nescitis, quia iniqui regnum Dei non possidebunt? Nolite errare: neque fornicarij, neque idolis seruientes, neque adulteri, neque molles, neque masculorum concubitores, neque fures, neque ebriosi, neque auari, neque maledici, neque rapaces regnum Dei possidebunt.*

Secundo prædicat Regibus, id est, Prælatis,

ostendens quales esse debeant; vnde ait 1. ad Timoth. 3. *Oportet Episcopum irreprehensibilem esse, unius uxoris virum, vigilantem, sobrium, prudentem, pudicum, ornatum, hospitalem, doctorem, non vinolentum, non percussorem: sed modestum, non litigiosum, non cupidum: sua domui bene propositum, filios habentem subditos cum omni castitate. Siquis autem domui sue praefesse nescit: quomodo Ecclesia Dei diligentiam habebit? non neophytum: ne in superbiam elatus, in iudicium incidat diaboli. Oportet autem illum & testimonium habere bonum ab ijs qui foris sunt, vt non in opprobrium incidat & in laqueum diaboli.* Item ad Tit. 1. *Oportet Episcopum sine crimine esse, sicut Dei dispensatorem: non superbum, non iracundum, non vinolentum, non percussorem, non turpis lucri cupidum: sed hospitalem, benignum, sobrium, iustum, sanctum, continentem: amplectentem eum qui secundum doctrinam est, fidelem sermonem, vt potens sit exhortari in doctrina sana, & eos qui contradicunt arguere.*

Tertio prædicat filijs, id est, virginibus, viduis, & omnibus alijs religiosis, sive sint in claustro, vel in mundo. De virginibus sic loquitur 1. ad Cor. 7. *Mulier innupta & virgo cogitat quæ Domini sunt, vt sit sancta, & corpore & spiritu. Cogitat, id est, cogitare debet. De viduis autem 1. ad Timoth. 5. *Qua vere vidua est & desolata: speret in Deum, & instet obsecrationibus & orationibus nocte & die. Nam quæ in deliciis est: viuens mortua est. Ad quoilibet religiosos sic ait ad Phil. 2. *Omnia facite sine murmurationibus & hastationibus: vt sitis sine querela, & simplices filii Dei sine reprehensione in medio nationis pravae & peruersæ, inter quas lacetis sicut luminaria in mundo, verbum vita continentis.***

Rogate ergo Dominum, charissimi, vt omnem doctrinam istius pretiosi vasis ita operibus exequamur, vt tandem eius meritis & precibus æternam claritatem feliciter assequamur. Quod nobis præstare, &c.



## IN PURIFICATIONE

Beatæ Mariæ Virg.

S E R M O X.

*Tulerunt Iesum in Ierusalem, vt sisterent eum Domino. Luc. 2.*

Quatuor hic prima facie notare potes.

- I. Qui tulerint?
- II. Quem tulerint?
- III. Quo tulerint?
- IV. Propter quid tulerint?

 *Vi? Ioseph & Maria. Quem? Puerum Iesum. Quo? In Ierusalem. Propter quid? vt sisterent eum Domino. Glos. id est, offerrent & consecrarent. Et nota, quod sicut Ioseph & Maria tulerunt puerum Iesum in Ierusalem*

lem, vt offerrent eum Domino; sic & nos moraliter facere debemus.

Primo debemus spiritualiter esse Ioseph & Maria: vt videlicet corpore quasi Ioseph, anima vero Maria simus. Sicut enim Ioseph Mariam coniugem suam non polluit, sed quasi fidelis custos, ei seruuit: ita etiam corpus non debet animam quæ coniuncta est ei, polluere, sed potius ipsi fidei custodia deseruire. Hinc est, quod Dominus loquitur Leuit. 11. *Nolite contaminare animas vestras. Ego enim sum Dominus Deus vester: sancti es tu, quia ego sanctus sum. Ne polluatis animas vestras.*

Et nota, quod non incongrue per Ioseph qui interpretatur appositio, corpus intelligitur, quod de die in diem tendit ad hunc finem, vt in se pulchro mortuorum ossibus apponatur. Hinc est, quod legitur Gen. 34. *Completi sunt dies Isaac centum octuaginta annorum: consumptusque aetate mortuus est, & appositus populo suo.* Legitur etiam Gen. 49. *Finitis Iacob mandatis quibus instruebat, collegit pedes suos super lectum, & obiit, appositusque est ad populum suum.* Convenienter etiam per Mariam quæ illuminans interpretatur, pura anima figuratur. Per animam siquidem corpus illuminatur. Nam post abscessum animæ à corpore, corpus cinereum iacet & pallidum; vnde absentia eius probat, quid praefentia conferebat.

Secundo debemus ferre puerum Iesum. Ad hoc monet nos Apostol. 1, ad Cor. 6. *Empti estis pretio mego: glorificate ergo & portate Deum in corpore vestro.* Ille in anima portat Dominum, qui ei seruit ex toto intellectu, & ex tota voluntate, omnique memoria. Anima enim ad hoc se dare debet, vt bonum intelligat: bonum vero quod intelligit, velle debet: id etiam bonum quod vult, semper debet habere in memoria. Ille etiam in corpore suo portat Christum, qui omnia membra corporis, videlicet, oculos, aures, os, linguam, dorsum, ventrem, & vtrumque latus, manus, & pedes exhibit, & extendit in obsequio Iesu Christi. Vnde dicit Apostolus ad Rom. 6. *Sicut exhibuisti membra vestra seruire immunditiae, & iniquitati ad iniquitatem: ita nunc exhibete membra vestra seruire iustitiae in sanctificationem.*

Et nota, quod dignum est vt portemus Christum, propter sex causas. Prima causa est; quia ipse pro nobis tulit dolores verberum, & flagellorum: vnde dicit Isa. 53. *Vere langores nostros ipse tulit, & dolores nostros ipse portauit.* Secunda causa est, quia ipse portauit pro nobis spineam coronam, qua acriter pungebatur; vnde dicitur Ioan. 19. *Milites pleientes coronam de spinis, imposuerunt capiti eius.* Exiit ergo Iesus portans coronam spineam. Tertia causa est: quia ipse pro nobis tulit crucis patibulum; vnde dicitur Ioan. 19. *Batiulans sibi crucem Iesus, exiuit in eum qui dicitur Calvaria locum: ubi eum crucifixerunt.* Quarta causa est: quia ipse peccata nostra, id est, pœnam peccatorum pertulit in ligno crucis, vnde dicit Petrus 1. Can. 2. *Qui peccata nostra ipse pertulit in corpore super lignum, ut peccatis mortui iustitia vivamus.* Pertulit, id est, persecutus tulit. Quinta causa est: quia nos ab uestito matris usque ad canos portat in peccatis nostris: vnde dicit in Isa. 46. *Audite me, qui portamini à meo vtero. Usque ad senectam ego ipse, & usque ad canos ego portabo. Ego feci, & ego seruam: ego portabo, & saluabo.* Vterus Domini est misericordia eius, in qua peccatores usque ad senectam & senium longanimiter portat, dissimulans peccata hominum propter pœnitentiam. Sexta causa est: quia si eum portauerimus modo, facit nos tandem portati ab Angelis in sinum Abraham; vnde dicitur Luc. 19. *Factum est, ut moreretur mendicus, & portaretur ab Angelis in sinum Abrahæ.* Septima causa est: quia non solum in sinum ad requiem, sed ad ubera portabimur ad refectionem: vnde dicit Isa. 46. *Ad ubera portabimini, & super genna blandientur vobis. Quomodo, si cui blandiatur, ita ego consolabor vos, & in Ierusalem consolabimini.*

Tertio non debemus Iesum ad tempus portare, & postea à nobis cum reiijcere, sicut multi faciunt, qui forsitan per susceptionem pœnitentiæ ipsum in Quadragesima portare incipiunt; sed statim ipso sancto die Pascha, vel in crastino cum à se reiijciunt, comensationibus, ebrietatis, ludis prohibitis & lascivis, nec non & luxurijs vacantes, sicut prius facere consueuerunt. Portandus itaque est Iesus perseveranter, donec perueniatur in Ierusalem, per quam superna patria figuratur. Ierusalem quippe visio pacis interpretatur. Et vere in illa cœlesti superna patria vera pax videtur & est; vnde dicitur in Psal. *Lauda Ierusalem Dominum, qui posuit fines tuos pacem.* Hinc etiam Tob. 13. *Ierusalem ciuitas Dei, beati sunt omnes qui diligunt te, & qui gaudent super pacem tuam.*

Quarto debemus puerum Iesum in Ierusalem offerre Deo Patri. Illam enim supernam Ierusalem, etsi nondum adhuc corpore possimus: quotidie tamen mente, & corde ingredi debemus, vt Deo Patri puerum Iesum offeramus. Tunc autem puerum Iesum Deo Patri offerimus, cum simpliciter petimus, vt misereatur nostri propter omnia quæ pro nobis sustinuit puer Iesus, videlicet, propter nativitatem eius, & circuncisionem; propter paupertatem, vigilias, lacrymas, & labores eius: propter colaphas, alapæ, & irrisiones, quas pro nobis sustinuit; propter spuma, quæ in facie suscepit, propter flagella quæ pertulit, propter spineam coronam quam in capite portauit, propter sœua vulnera quæ pro nobis in cruce pallus fuit, & propter multa alia quæ pro nobis fecit, vel sustinuit dulcissimus Iesus. Vnde Ecclesia omnes orationes suas sic concludit. *Per Dominum nostrum Iesum Christum Filium tuum.* Hinc est etiam, quod ait Apostolus ad Heb. 13. *Per ipsum offeramus hostiam laudis semper Deo, id est, fructum labiorum confitentium nomini eius.* Hostia laudis est hostia laudabilis. Hæc autem hostia non tantum debet esset oratio, sed & fructus eorum qui Domino labijs confitentur.

Et nota, quod Beata Maria Virgo non solum obtulit puerum suum Iesum, sed & obtulit cum eo talem oblationem quam paupercula puerpera secundum legem Moyisi confueuit offerre, cuius videlicet manus præ paupertate agnum non poterat inuenire. Hæc autem oblatio erat vel duo turtures, vel duo pulli columbae sicut legitur Leuit. 12. Ponamus ergo pro mysterio, quod obtulerit unum pullum columbae, & unum turturem,

turturem. In his duabus auibus, vt de multis carum proprietatibus taceamus, quatuor notantur, quæ optime conueniunt Beatae Dei genitrici Mariae. In columba quippe notatur prudens Simplicitas, & prolixi fœcunditas: in turture vero notatur perpetua continentia, & lenitatis patientia.

I. In columba igitur notatur prudens Simplicitas. Prudentia eius in hoc perpenditur, quod vitat insidias accipitris. Vnde libenter nidificat in talibus locis, ad quæ accipiter accessum habere non potest. Simplicitas eius in hoc attenditur, quod non curat de immundis cadaueribus: tantum puro grano vescitur, illoque contenta est. Sic etiam Beata Virgo prudens columba fuit, quæ cauens insidias infernalis accipitris, in Nazareth habitauit. Nazareth enim flos, vel sanctitas interpretatur. Et certe in flore sanctitatis commorantem diabolus nulla persuasione poterat attingere. Simplicitatem etiam suam commendabilem in hoc ostendit, quod omni transitoria delectatione contempta, solum illud cælestis granum elegit, quod erat in sinu Dei Patris, per quod ipsa etiam impleta fuit omni bono. Vnde & Angelus dixit ad illam: *Ave gratia plena.*

II. In columba etiam notatur prolixi fœcunditas. Vnde dicit Aristot. in lib. de animalib, Columbae ouant omni tempore, & faciunt pullos: cum fuerit locus suæ mansionis calidus, & fuerit cibus earum paratus. Item dicitur in sexto de animalibus. Columbae ouant decies in anno, & aliquando cubant undecies, & aliquando duodecies, vt in Ægypto. Igitur à fœcunditate prolixi commendatur Virgo beata: quia illum nobis genuit, qui melior est omnibus his qui vñquam nati fuerunt, vel adhuc nascentur in terris. Vnde bene potest ei adaptari verbum illud, quod dicunt mulieres de Noemi in libro Ruth: *Natus est tibi de nro tua, qui te diligit: & multo melius tibi, quam si septem haberet filios.* In veritate natus est Beatae Virgini non de nro sua, sed & de seipso talis filius, de quo multo malius est ei, quam si mille filios genuisset, & illi omnes essent Imperatores.

III. In turture etiam notatur perpetua continentia. Vnde dicit Aristoteles in octavo libro de animalibus: Fæmina turturum non associatur alicui mari, nisi vni solum: & nullo modo accipiunt alium masculum post. Sic etiam Beata Virgo non solum post mortem sancti Ioseph, sed etiam ante mortem suam semper casta permanxit. Licit enim viro fuerit despota: nunquam tamen in contumeliam virginitatis ab eo fuit attacta.

IV. In turture etiam notatur lenis patientia. Vnde dicit Arist. in 14. libro de animalibus. In turture non inuenitur fel. Felle igitur, quod amarum est & iracundiæ excitatiuum, prorsus caruit Beata Virgo. Omnes enim tribulationes suas, & aduersitates huius mundi in multa patientia sustinuit, & lenitate.

Nos etiam ad imitationem Beatae Mariæ cum puero Iesu columbam offerre debemus, & turturum. I. Columbam offerimus, si prudenter simplices sumus, & prole fœcundi. Ad prudentiam columbinam inuitat nos Dominus Ierem. 48. *Estate quasi columba nidificans in summo ore foraminis.* Quasi dicat. Nidificate sicut prudentes

columbae in foramine lateris mei. Item ait Cant.

2. *Veni columba mea in foraminibus petre, in caverna macerie.* Glos. dicit, quod petra est Christus, foramina vero petræ sunt illa quatuor vulnera manuum eius ac pedum. Caverna vero maceria est vulnus lateris eius: in quibus ab infidijs accipitris nidificare oportet columbam Christi. Simplicitatem etiam columbae imitari debemus: vt sicut illa in cibum eligit purum granum, sic & nos Deum eligamus, qui est illud granum frumenti, quod cadens in terram, id est, Beatâ Virginem in annuntiatione, mortuum fuit in Passione, & multum fructum attulit in Resurrectione & in Ascensione. Hoc granum elegerat ille qui dicit in Psal. 72. *Quid enim mihi est in celo? & à te quid volvi super terram?*

II. Sicut columba fœcunda est in prole, sic & nos debemus esse imitatores generosæ columbae, vt singulis annis 12. pullos bonorum operum Domino proferamus. Hi autem 12. pulli sunt 12. opera misericordiæ. De primis sex pullis dicit Dominus Matth. 25. *Venite benedicti Patris mei, possidete paratum vobis regnum à constitutione mundi. Esuriui enim, & dedistis mihi manducare. Ecce primus pullus. Sitiui, & dedistis mihi bibere. Ecce secundus. Hospes eram, & collegistis me. Ecce tertius. Nudus, & cooperiuitis me. Ecce quartus. Infirmus, & visitastis me. Ecce quintus. In carcere eram, & venistis ad me. Ecce sextus. Septimus est, vt mortuos sepeliamus; vnde dicitur Tob. 12. *Quando orabas cum lacrymis, & sepeliebas mortuos: ego obtuli orationem tuam Domino.* Octauus est, vt sine spe lucri mutuum demus; vnde dicit Dominus Matth. 5. *Volentem mutuari à te ne auerteris.* Item Luc. 6. *Mutuando, nihil inde sperantes.* Nonius est, vt errantes conuertamus. De hoc dicitur Iac. 1. *Qui conuerti fecerit peccatorem ab errore via sue, saluabit animam eius à morte, & operiet multitudinem peccatorum.* Decimus est, vt desolatis solatium praebamus. De hoc dicit Iob 19. *Cumque federem quasi rex circumstante exercitu; eram tamen marenium consolator, & cor vidua consolatus sum.* Multi sunt hodie oppresores pauperum, & viduarum: propter quod bene indigerent bono consolatore, vnde dicitur Eccl. 4. *Vidi calumnias, quæ sub sole geruntur, & lacrymas innocentum, & consolatorem neminem; nec posse resistere eorum violentie, cunctorum auxilio destitutos.* Undecimus pullus est, vt peccantibus in nos ignoscamus. De hoc dicit Dominus Luc. 6. *Dimitte, & dimittetur vobis.* Item Matt. 5. *Diligite inimicos vestros, & benefacie his qui oderunt vos.* Duodecimus est, vt pro peccatoribus orationes effundamus; vnde dicit Dominus Matth. 12. *Orate pro persecutibus & calumniantibus vos, vt fitis filii Patris vestri, qui in celis est.**

III. Debemus etiam turturem offerre Domino, vt videlicet ad similitudinem turturis, quando ablatus est à nobis sponsus noster Iesus Christus, lugeamus, nec cor nostrum alicui rei mundanæ deletabili apponamus, donec ad consolabilem eius præsentiam veniamus: & præterea vt in tempore luctus nostri sine omni felle amaritudinis exeentes, quidquid nobis aduersitatis acciderit, leni patientia toleremus. Quod nobis, &c.

ITEM  
IN PURIFICATIONE  
Beatæ Mariæ  
SERMO XI.

*Ecce homo erat in Ierusalem,  
cui nomen Simeon, & homo  
iste iustus & timoratus, ex-  
pectans consolationem Israel:  
& Spiritus sanctus erat in  
eo. Et venit in Spiritu in  
templum. Et ipse accepit Ie-  
sum in vlnas suas. Luc. 2.*

**N**O T A , quod sicut sanctus Simeon , quem demonstratiuum aduerbum , Ecce , à multis commendabilem esse demonstat , hodie Christum accepit in vlnas suas : ita & nos hunc laudabilem Simeon imitari debemus , vt digni simus Christum recipere in vlnas animæ nostræ , modo per gratiam , & in futuro per gloriam .

Ad hoc autem octo requiruntur , quæ in verbis supra positis notari possunt .

Primo ergo debemus esse homines per mortalitatis nostræ recognitionem . Vnde dicit , Ecce homo . Homo enim secundum definitionem , est animal rationale mortale . Et vere , quod homo mortalis sit , & breuis sit vita eius ; per hoc probatur , quod comparatur tribus valde cito transeuntibus , videlicet , aquæ in terram dilabenti , & fumo fugienti , & vapore modicum apparenti . De primo dicit mulier Thecuites ad David 2. Reg. 14. *Omnes morimur , & quasi aquæ in terram dilabimur , quæ non reuertuntur .* De secundo dicit Iob 13. *Homo natus de muliere , brevi viuens tempore , repletur multis miserijs : qui quasi flos egreditur & conteritur , & fugit velut umbra , & nunquam in eodem , &c.*

De tertio dicit Iac. 4. *Quæ est vita nostra ? Vapor est , & ad modicum parens , & deinceps exterminabitur .* Cum igitur mortalis sit homo : mirabile est , & miserabile , quod audet se erigere contra Altissimum ; sicut fecit Antiochus , de quo legitur 2. Mach. 1. quoc ita erat repletus superbia , vt videretur sibi fluctibus maris imperare , & montium altitudines in statera appendere : arbitrabatur etiam se sydera celi attingere : sed tamen ad agnitionem sui venire compulsus est , diuina plaga percussus . *Nam de curru regali cadens in terram , in gestatorio portabatur , & de corpore impij vermes scaturiebant , ac vincentes in doloribus carnes eius effluebant . Odore etiam ipsius & fætore exercitus granabatur .* Et cum nec ipse iam fætorem suum ferre posset , ita ait : *Iustum est subditum esse Deo , & mortalem non paria Deo sentire .* Cum ergo mortales simus , consultum est nobis , ne Deum peccatis

D. Alberti Magni Serm.

nostris impugnemus , sed potius cum ipso pacem habeamus .

Secundo morari debemus in Ierusalem per internæ pacis conseruationem . Vnde dicitur : *Ecce homo erat in Ierusalem .* Ierusalem interpretatur pacifica . Tunc autem sumus in Ierusalem , cum pacem habemus ad Deum , nec eum criminibus nostris impugnamus . Vnde dicit Apostolus ad Rom. 5. *Iustificati ex fide pacem habeamus ad Deum .* Quam autem pacem nos oporteat habere ad Deum , declarat 6. capitulo , vbi ait : *Non regnet peccatum in vestro mortali corpore , ut obediatis concupiscentijs eius .* Et vere expedit nobis , vt non peccatum , sed potius Spiritus sanctus regnet in nobis , vt videlicet eius operacione nostra misera mortalitas gloriosam induat immortalitatem . Vnde dicit Apostolus ad Roman. 8. *Spiritus eius qui suscitauit Iesum Christum à mortuis , habitat in nobis : vivificabit & mortalia corpora vestra propter inhabitantem spiritum eius in vobis .* Dicit etiam 1. ad Corinth. 15. *Oportet hoc corruptibile indudere incorruptionem , & mortale hoc induere immortalitatem .*

Verum , quoniā illi , in quorum cordibus pax Christi exultat , vt dicitur Col. 3. debent compati miserijs miserorum : propterea tertio debemus habere nomen Simeon per viscerosam compassionem . Vnde sequitur , Cui nomen Simeon . Simeon interpretatur audiens misericordem , & signat illos , qui viscerosa compassione audiunt pauperes moerentes , & clamantes . Talis est ipse Iesus Christus . Vnde dicit Apostolus ad Hebr. 4. *Non habemus Pontificem , qui non possit compati infirmitatibus nostris .* Talis etiam erat Iob , qui dicit 30. cap. *Flebam quandam super eo qui afflictus erat , & compatiebatur anima mea pauperi .* Tales quoque nos esse debemus . Vnde ait Apostolus 1. ad Corinth. 12. *Siquid patitur unum membrum , compatiuntur omnia membra .*

Sed qui vero corde compatitur , etiam extrinsecus eleemosynas manu largitur : propter hoc quarto iusti esse debemus per eleemosynarum largitionem . Vnde sequitur : *Et homo iste iustus erat .* Quod autem iustum sit , quod diues pauperi eleemosynas suas largiatur , testatur Psal. qui ait in Ps. 111. *Dispersit , dedit pauperibus : iustitia eius manet in seculum seculi .* Ex isto loco sufficienter potest haberi , quomodo eleemosyna debet dari . Dicit enim , dispersit , id est , diuersimode sparsit , non totum in unum locum proiecit . *Dedit pauperibus , non diuitibus , & non vni tantum , sed pluribus .* Melius est enim plures patronos habere , quam vnum , vel paucos ; & saepe plurimum orationes efficaciores sunt apud Deum , quam vnius . Item , quod iustus teneatur eleemosynas erogare , probatur Proverb. 21. vbi dicitur : *Qui iustus est , tribuet , & non cessabit .* Item dicitur in Ps. 36. *Iustus miseretur & retribuet , id est , res tribuet .* Et post pauca : *Iustus tota die miseretur & commodat ; & semen illius in benedictione erit .* Iustus ergo dupliciter miseretur , videlicet , res suas dando pauperibus , & commodando .

Sed quia nullus de iustitia sua nimis debet confidere , sed potius se seruum inutiliter reputare ; propterea quinto debemus esse timorati per trepidantem humilitatem . Vnde sequitur : *Et timoratus .* Talis erat Iob , qui ait 9. cap. *Verebar omnia opera mea ,*

Q sciens

*Sciens quod non parceres delinquenti. Si lotus fuero quasi aquis nivis, & fulserint quasi mundissima manus mea: tamen sordibus intinges me. De his autem, qui timorati sunt, id est, per humilitatem in timore fundati, dicit Dominus in Isa.66. Ad quem respiciam, nisi ad pauperculum & contritum spiritu, & trementem sermones meos?*

Verum quia non debemus solum Domino servire in timore; sed etiam oportet ut exultemus ei cum tremore, id est, ut tremori exultationis solatium adiungamus: ob hoc sexto debemus esse expectantes consolationem Israel per certæ spei hilaritatem. Vnde sequitur: *Expectabat consolationem Israel.* Igitur quia spes est certa expectatio futuræ beatitudinis; debemus per hilaritatem spei consolationem filiorum Dei expectare: propter quod dicit Apostolus ad Heb. 6. *Spern sicut anchoram habemus animæ tutam ac firmam, & incidentem usque ad interiora vel amnis.* Item ad Hebr. 10. *Teneamus spei nostræ confessionem indeclinabilem. Fidelis est enim, qui repromisit.*

Sed quoniam ille qui separat æternam consolationem, talem se exhibere debet, ut dignus sit illius rei quam expectat; propterea septimo Spiritus sanctus esse debet in nobis per omnitudinem vitae puritatem. Vnde sequitur: *Et Spiritus sanctus erat in eo.* Hospitari itaque debemus Spiritum sanctum per omnitudinem vita munditiam. Mundus enim est Spiritus sanctus, *nec habitabit in corpore subditio peccatis,* sicut dicitur Sapient. 1. Hinc est, quod legitur Luc. 2. quod Iesu baptizato descendit Spiritus sanctus corporali specie *sicut columba in ipsum.* Per quod datur intelligi, quod in neminem descendit Spiritus mansurus cum eo, nisi purus sit & mundus; purus corpore, & mundus corde. Vnde Palus ait 1. ad Corinth. 6. *Corpus non fornicationi debetur, sed Domino & Dominus corpori.* An nescitis quoniam membra vestra, templum sunt Spiritus sancti qui in vobis est, quem habetis a Deo, & non estis vestri?

Verum quoniam ille, in quo habitat Spiritus sanctus per castitatem concupiscit in atria Domini; propter hoc octauo debemus venire in templum non manu factum, sed per assiduitatem feruentis desiderij. Vnde sequitur: *Et in Spiritu venit in templum.* Sic etiam legitur Luc. 2. de illa beata Anna vidua & Prophetissa, quod non recedebat de templo, ieunijs & obsecrationibus seruiens Deo die & nocte. Ille igitur in Spiritu venit in templum, qui quotidie per feruens desiderium rapitur usque in tertium cælum: sicut loquitur Apostolus de se 2. ad Cor. 12. Primum cælum est dulcis societas omnium electorum. Secundum cælum est speciosa claritas omnium Angelorum. Tertium cælum est ipsa gloria Trinitas, à qua fluit omnis societas beatorum. Qui ergo in hoc cælum fuerit Spiritu raptus, talis potest accipere Iesum in vlnas suas, ac dicere: *Nunc dimittis Domine seruum tuum in pace: quia viderunt oculi mei salutare tuum.* Potest etiam laetus cantare: *Suscepimus Deus misericordiam tuam in medio templi tui.*

Rogate ergo, charissimi, Dominum, ut sic Beatum Simeonem bonis operibus imitemur, ut tandem cum ipso Beatae Mariæ virginis filium in vlnas nostras læti suscipere mereamur. Quod nobis præstare, &c.



## TERTIUM IN PURIFICATIONE Beatæ Mariæ

### SERMO XII.

*Lumen ad reuelationem Gentium, & gloriam plebis tuae Israel. Luc. 2.*



OTA, quod Beatus Simeon sacerdos, tenens Iesum in manibus & vlnis suis, multas gratias egit Deo super hoc, quod merebatur videre Filium suum, qui quasi lumen erat in terris missum ad reuelationem, id est, ad illuminationem Gentium, non credentium, & ad gloriam plebis Israël, Deum per fidem intuentium: vnde legitur Luc. 2. quod statim nato hoc lumine, *claritas Dei circumfusæ pastores vigilantes, & custodientes vigilias noctis super gregem suum.* Cum igitur Beata Virgo istud gloriosum lumen hodie portauerit in Ierusalem, & obtulerit in templum: nos etiam ad imitationem ipsius, istum præclarum cereum in manibus bonorum continuo portare debemus. Verum cum non solum parvulo baptizato, sed etiam homini iam morituro, secundum quorundam hominum consuetudinem lumen detur in manum; cum etiam hodie cerei benedicti portentur ab hominibus, & præterea circa feretrum defuncti quatuor ardentes candelæ ponantur: videndum est, quid omnia ista lumina significant? Vnde nota, quod lumen quod datur parvulo baptizato, & homini morituro, est lumen baptismalis innocentiae; lumen vero quod hodie portatur, est lumen filialis eminentiae. Quatuor lumina circa feretrum haec sunt. Primum est vera sapientia. Secundum est iustitia benevolentiae. Tertium est mandatorum conseruatio. Quartum virtutum congregatio.

Primum igitur lumen, quod datur parvulo baptizato in manum, est lumen baptismalis innocentiae. De isto lumine dicitur in Psal. 55. *Domine apud te est fons vite, & in lumine tuo videbimus lumen.* Quasi dicat. O Domine fons vite est apud te: in lumine tuo, id est, in innocentia quam per gratiam tuam consecuti sumus in baptismo, videbimus lumen, id est, claritatem tuam.

Hoc autem lumen consistit in triplici reuolutione. Debet enim innocentia esse in corde, ore, & opere: ut videlicet homo nec malum corde meditetur, nec lingua loquatur, nec manibus operetur. Qui autem hoc lumen apportauerit ante Dominum, benigne suscipietur a Domino; vnde dicitur in Psal. 40. *Me autem propter innocentiam suscepisti, & confirmasti me in conspectu tuo in aeternum.* Veruntamen si lumen istud extinctum fuerit illis tribus modis, quibus contingit

tingit extingui lumina (videlicet per fortē ventum superbiæ, vel per aqueum humorem luxuriæ, sive etiam per violentiam oppressionem auaritiae: omnis enim violentia surgit ex auaritia) rursus debet accendi per ignem ardoris pœnitentiae, & sic homo cum ardentī cereo suo fiducialiter vadit ante faciem Dei sui: propter quod & homini morituro, secundum aliquorum consuetudinem, accensus cereus datur in manum, quasi dicatur: cum eadem innocentia qua exiit de baptismo, egreditur etiam de hoc mundo, ut suscipiat à Domino.

Secundum lumen, quod hodie portatur per vniuersam sanctam Ecclesiam, est lumen filialis eminentiae, id est, Iesus Christus altissimi Patris Filius. Quod autem ipse sit lumen, testatur per semetipsum Ioan. 8. dicens: *Ego sum lux mundi. Qui sequitur me, non ambulat in tenebris, sed habebit lumen vita.* Ioan. etiam Euang. asserit eum esse lumen in principio Euang. sui ita scribens: *Erat lux vera, quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum.* Sic etiam dicitur in Job 25. *Super quem non fulget lumen illius?*

Et nota, quod Filius Dei non solum est lumen huius mundi per militantium illuminationem, verum etiam est lumen cœli per triumphantium glorificationem; unde ait Tob. 5. *Quale gaudium mihi qui in tenebris sedeo, & lumen cali non video?* Dicitur etiam Apoc. 21. *Civitas illa non eget sole, neque luna, ut luceat in illa: nam claritas Dei illuminat eam, & lucerna eius agnus est.*

Hoc igitur lumen consistit ex tribus, videlicet, lichmo, vel lichmine, cera, & flamma. Per lichmum notatur caro Christi mundissima. Per ceram vero intelligitur anima ipsius clarissima. Per flamam autem figuratur diuinitas eius glorioſissima. Istud ergo benedictum lumen iugiter mundis manibus bonorum operum portare debemus, ut per illud purificatis mentibus Deo Patri praesentari mereamur.

Nota etiam, quod si alicui nocte transendum esset per aliquem locum periculosum, vbi saeuentes inimici iacerent in insidijs circum circa se, videlicet, ante & retro, & dextris & à finistris: talis bene indigeret forti & lucido comitatu, qui cum ibi ab hostibus tueretur, ut vide licet fortes haberet armigeros praecedentes, & subsequentes, & ab utroque latere gradientes. Sic igitur oportet ut quatuor lumina fidelem Christianum in hoc seculo transmigrantem ex omni parte ambiant, eumque in omnibus vijs suis custodian ab insidijs dæmonum, qui sunt principes infernalium tenebrarum. Et haec quatuor lumina signantur per illos quatuor cercos, qui circa feretrum defuncti ponuntur.

Primum lumen quod ponitur ad pedes defunctorum, ut videlicet eum præcedat, est lumen veræ sapientiae. De hoc dicitur Sap. 7. *Super salutem & speciem dilexi sapientiam, & proposui pro luce habere illam: quoniam inextinguibile est lumen illius.* Venerunt autem mihi omnia bona pariter cum illa, & innumerabilis honestas per manus illius: *& latatus sum in omnibus, quoniam antece debat me ista sapientia.* Et nota, quod lumen veræ sapientiae consistit ex duobus magnis & pretiosis, videlicet, ex timore Domini, & amore Dei. Nullus vere sapiens est, nisi timeat, & amet Deum. Vtrumque probat Eccl. 1. Plenitu-

D. Alberti Magni Serm.

do, inquit, sapientia est timor Domini. Item. *Di lectio Dei, honorabilis sapientia.* Hæc autem duo postea coniungit & facit inde cereum unum dicens 2. cap. *Qui timet Dominum, diligite illum, & illuminabuntur corda vestra.*

Secundum lumen quod ponitur ad caput mortui, ut videlicet sequatur eum, est benevolentia iustitiae. De isto lumine dicit Dominus in Isa. 58. *Frange esurienti panem tuum, & egenos vagosque induc in domum tuam. Cum videris nondum operi eum, & carnem tuam ne despiceris. Tunc erumpet quasi mane lumen tuum, & sanitas tua citius orietur & anteibit faciem tuam iustitia tua, & gloria Domini colliget te.* Iustitia igitur operum misericordiae, quæ modo pauperibus impenduntur: statim cum facta sunt ipsa opera, præcedit faciem hominis, ut obtineat ei in prælenti diuinam propitiacionem. Cum vero mortuus fuerit homo, sequitur eum, ut protegat ipsum ab insidijs inimicorum, & repræsentet eum gloriæ sempiternæ.

Quod autem opera miserantis iustitiae sequuntur hominem, probatur per Apoc. 14. vbi dicit Ioan. *Audiri vocem de celo dicentem: Scribe, beati mortui qui in Domino moriuntur: opera enim illorum sequuntur illos.* Et nota, quod lumen istud benefacientis iustitiae consistit ad minus in illis septem operibus misericordiae, de quibus supra habes in illo sermone: *Tulerunt Iesum in Ierusalem.* Igitur quanto plura opera misericordiae fecerit homo, tanto clarius lucebit cereus iste.

Tertium lumen, quod ponitur ad laevam defunctorum, est mandatorum Dei conseruatio. Hoc autem lumen tuetur eum, ne aliquid aduersitatis attingat eum à finistris suis. De isto lumine dicit Ps. 118. *Lucerna pedibus meis verbum tuum, & lumen semitis meis.* Item in Psal. 118. *Declaratio sermonum tuorum illuminat.* Quod autem mandata Dei bene custodita custodiant hominem ex hoc seculo transseuntem, ostendit Eccl. 15. vbi ait: *Si volueris mandata conseruare, conseruabunt te.*

Lumen autem mandatorum Domini consistit ad minus in illis decem præceptis, quæ dedit Dominus Moysi in monte Sinai, sicut legitur Exod. 20. Sunt autem haec præcepta. Primo, *Non habebis deos alienos coram me.* Secundo, *Non assumes nomen Dei tui in vanum.* Tertio, *Memento ut diem sabbati sanctifices.* Quarto, *Honora patrem tuum & matrem tuam.* Quinto, *Non occides.* Sexto, *Non mœchaberis.* Septimo, *Non furtum facies.* Octauum, *Non loqueris contra proximum tuum falsum testimonium.* Nonum, *Non concupisces domum proximi tui, nec omnia quæ illius sunt.* Decimum, *Nec desiderabis uxorem eius.* Cum autem darentur haec præcepta, cunctus populus audiebat voces, & videbat lampades: ut per hoc innueretur, quod mandata Dei essent lumina æternæ vita.

Quartum lumen quod ponitur ad dexterum latus defunctorum, est sanctorum virtutum congregatio: ut non solum per custodiā mandatorum Domini cadant à sinistro latere eius mille, sed etiam per comitatum virtutum cadant à dextris eius decem millia inimicorum: fortes enim sunt virtutes, & ad bella doctissimæ. Sunt autem hæ: fides, spes, castitas, sobrietas, humilitas, simplicitas, veritas, obedientia, patientia, perse-

Q. 1. terantia

uerantia, cæteræque virtutes, quæ omnes sunt quasi clarissima lumina: utpote à Patre lumen desursum descendentia. Vnde dicit Iac. i. *Omne datum optimum, & omne donum perfectum, desursum est, descendens à Patre lumen*, id est, sanctorum virtutum, per quas irradiantur electi. Hinc etiam ait 1. Pet. 2. *Vos estis genus electum, regale sacerdotium, gens sancta, populus acquisitionis: ut virtutes annuntietis eius, qui de tenebris vos vocauit in admirabile lumen suum.* Quasi dicat. O Christiani, vos estis, id est, esse debetis, electum genus, mundum videlicet contemnendo. *Omne enim quod natum est ex Deo, vincit mundum.* Estis etiam regale sacerdotium, id est, debetis esse Reges & Sacerdotes, vosmetipso videlicet regendo, & Deo iugiter offerendo. Debetis nihilominus esse gens sancta, carnis immunditias respundo: & populus acquisitionis, proximos vestros post vos bonis exemplis pertrahendo. Et præterea debetis annuntiare omnes virtuosas bonitates eius, qui vocauit vos de tenebris vitiorum in admirabile lumen virtutum.

Quia igitur illi qui cum prædictis luminibus non aduenient, projectur in tenebras exteriore, ubi erit fletus & stridor dentium: rogate, charissimi, Dominum, ut sic cum hoc gloriofo lumen comitatu ex huius exilio tenebris transseamus; ut in patriam claritatis æternæ, ubi lux perpetua lucet electis, feliciter veniamus. Quod nobis, &c.

## IN FESTO CATHEDRÆ S. Petri

### SERMO XIII.

*Tu es Christus Filius Dei viui.*  
Luc. 16.



Ota, quod hæc est confessio fidei Apostolicæ, quæ paucis verbis multa complectitur, quæ pertinent ad commendationem Iesu Christi.

- I. *Recognoscit enim in ipso Pontificalem dignitatem.*
- II. *Confitetur in eo regiam sublimitatem.*
- III. *Afferit eum Patri æqualem per diuinitatem.*
- IV. *Afferit ei deberi paternam hereditatem.*

Prima duo innuuntur in hoc quod dicit, *Christus, id est, vñctus.* Residua duo innuuntur per hoc quod dicitur *Filius Dei viui.*

Igitur primo commendat cum à Pontificali dignitate, in hoc quod dicitur *Christus*, quod interpretatur *vñctus*. Vnxit enim eum Deus Pater tanquam verum Pontificem, oleo exultationis præ particibus suis. Quod autem Iesus sit Pontifex, testatur Pau. ad Hcb.7. *Iesus eo quod maneat in æternum sempernum habet sacerdotium.* Vnde & salvare in perpetuum potest accedens personam ipsius ad Deum: semper viens ad interpellandum pro nobis. Talis enim decebat ut nobis esset Pontifex sanctus, innocens impolitus segregatus à peccatoribus. *Sanctus* in mundi huius conuersatione;

sancfte enim conuersatus fuit in mundo. *Innocens in Passione: innocenter enim passus fuit. Impollitus in limbi confractione: quia enim impollutus fuit, destruxit mortis imperium. Segregatus à peccatoribus in gloriola Resurrectone, & excelsior celis factus, in admirabili Ascensione.* 1. Iste est Pontifex, qui calicem Passionis pro nobis bibit Matth.26. *Pater mi, si non potest transire hic calix nisi bibam illum, fiat voluntas tua.* 2. Hic est Pontifex, qui eundem calicem suis fidelibus porrigit Matth.10. *Potestis bibere calicem, quem ego bibiturus sum?* Quasi dicat. Nisi biberitis mecum calicem Passionis, non biberis calicem consolationis. 3. Hic est Pontifex, qui claves ligandi atque soluendi Pontificibus & Sacerdotibus concessit. Matt.16. *Tibi dabo claves regni celorum: & quodcumque ligaueris super terram, erit ligatum & in celis.* Vnde iusta sententia excommunicationis vehementer est timenda. Excommunicationis enim separat, excludit, infirmat, tradit iniquo: separat à Deo, excludit à suffragijs Ecclesiæ, infirmat hominem ad resistendum vitiis tentationibus, tradit iniquo, id est, diabolo & tortoribus infernalibus.

Secundo commendat eum à regia dignitate, per hoc quod dicitur *Christus*, id est, *vñctus:* quia reges etiam inunguntur. Et certe iste per illum pulchrum & rubicundum David expressus fuit, qui in regem inunctus fuit. Vnde legitur in 1.Reg.16. *Erat David rufus, & pulcher aspectu, decoraque facie. Tulit ergo Samuel cornu olei, & vnxit eum in medio fratrum eius: & directus est spiritus Domini in David à die illa; & deinceps in reliquam.* Per David ergo Christus, & per Samuelem Deus Pater intelligitur. Iste est rex, qui hominibus regni sui, hoc est, filiis gratiæ leges edidit & proposuit castitatis, æquitatis, & pietatis. 1. De lege castitatis Matth.6. *Audistis, quia dictum est antiquis, Non mœchaberis. Ego autem dico vobis, quod omnis qui viderit mulierem ad concupiscendum eam, mœchatus est eam in corde suo.* 2. De lege æquitatis Luc.6. *Diligite inimicos vestros, & benefacite, & mutuum date nihil inde sperantes: date & dabitur vobis.* Iste est, cui commissum est viuos & mortuos iudicare. Vnde in Ps.71. *Deus iudicium tuum regi da,* &c.

Testatur etiam eum æqualem esse Patri per diuinitatem ibi, ubi dicitur, *Filius Dei viui: Filius enim Dei, secundum fidem Catholicam, coæternum est Deo Patri & æqualis secundum diuinitatem.* Vnde Athanasius. *Æqualis Patri secundum diuinitatem, minor Patre secundum humilitatem.* Ioan.19. *Non credis Philippe, quia ego in Patre, & Pater in me est?*

Quarto innuit etiam Petrus Christo Iesu debet paternam & cælestem hereditatem, & hoc ostenditur per hoc, quod dicitur *Filius Dei viui.* Si enim est Filius, consequens est etiam, ut sit heres: sicut dicit Apostolus ad Gal.4. *Quod si filius, & heres per Deum, subauditur, iure.* Et nota, quod Iesus, qui est Filius Dei, per unionem nos cohæredes suos fecit, qui sumus filii per adoptionem: vnde ad Rom.8. *Ipse spiritus testimonium reddidit spiritui nostro, quod sumus filii.* Si autem filii, & heredes: heredes quidem Dei, cohæredes autem Christi.

Hæreditas autem ista consistit in tribus: in vita perpetuitate, in diuinitatum yberitate, & in gloriæ

gloria subtilitate. Vnde Proverb. 5. *Longitudo dierum in dextera eius, & in sinistra illius diutia gloria.* Rogamus ergo Pontificem istum, & Regem, ut in regno Patris sui nos suos faciat cohæredes. Quod nobis præstare dignetur, &c.

## DE BEATO MATTHIA Apostolo

### S E R M O X I V.

*Tollite iugum meum super vos, & inuenietis requiem animabus vestris: iugum enim meum suave est, & onus meum leue.* Matth. II.

Tria primo sunt hic notanda.

- I. *Quod sit iugum, quod tolli præcipitur?*
- II. *Quæ sit requies, qua inuenitur?*
- III. *Quare iugum Domini suave assertur?*

**D**E primo nota, quod triplex est iugum Domini. Primum est iugum sanctificationis. Secundum dilectionis. Tertium tribulationis. 1. Iugum sanctificationis attenditur in castitate corporis, & animæ: vt videlicet Christianus homo, vel seruet castitatem coniugalē, vel continentiam vidualem, aut mundiam virginalem. Vnde Apost. 1. ad Thess. 4. *Hec est voluntas Dei sanctificatio vestra, ut abstineatis vos à fornicatione, ut sciat unusquisque restrum suum vas, id est, corpus, vt dicit Glos, possidere in sanctificatione & honore: non in passione desiderij, sicut & Gentes que ignorant Deum. Non enim vocavit nos Deus in immunditiam, sed in sanctificationem.* 2. Iugum dilectionis consistit in charitate Dei & proximi, siue ille sit amicus, aut inimicus, vnde Matth. 22. *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & ex tota anima tua, & in tota mente tua. Hoc est primum & maximum mandatum.* Secundum autem est simile huic: *Diliges proximum tuum sicut te ipsum. In his duobus mandatis uniuersa lex pendet & Propheta.* 3. Iugum tribulationis attenditur ex flagello diuino, quo Deus hominem percutit per corporales infirmitates. Consistit etiam ex temptationibus quibus diabolus hominem infestat, & ex iniurijs & damnis quibus malus homo bonum inquietat. De his omnibus 2. ad Timoth. 3. *Omnis qui pie volunt vivere in Christo, persecutionem patientur.* Hinc etiam Iac. 1. *Omne gaudium existimat fratres mei, cum in temptationes varias incideritis: scientes quod probatio fidei vestre patientiam operatur.* Patientia autem opus perfectum habeat: ut suis perfecti & integri, in nullis deficientes.

Nota autem, quod multi rumpunt hoc triplex iugum. Primum rumpitur per animæ & corporis immunditiam, secundum per cordis & operis

*D. Alberti Magni Serm.*

malitiam, tertium per blasphemiam & impatiens.

De secundo nota, quod hi qui portant iugum Domini, duplice invenient, videlicet, sinus, & mensa. Optima enim requies est in lecto, & in mensa. 1. De requie sinus Domini Luc. 16. *Factum est, ut moreretur mendicus, & portaretur ab Angelis in sinu Abrahe, per quem Deus Pater intelligitur. Item Isa. 40. In brachio suo congregabit agnos, & in sinu suo leuabit.* Suauissime stratum est animabus Sanctorum in sinu Domini. Inquietissime autem animæ peccatorum iacebunt in sinu diaboli, vbi subter eos sternetur tinea, & operimentum eorum erunt vermes. 2. De requie mensæ Job 36. *Requies mensæ tua erit plena pinguedine.* Isa. 25. *Faciet Dominus exercituum omnibus populis in monte hoc, conuinium vindemie, pinguium medullariorum, vindemias defacata.*

De tertio nota, quod iugum Domini suave & leue dicitur propter tres causas. Prima est Dominicæ passionis recognitatio; vnde apostolus ad Hebr. 12. *Recognitatem eum, qui talen sustinuit à peccatoribus aduersus semetipsum contradictionem, ut non fatigemini, animis vestris deficientes: nondum enim usque ad sanguinem restititis.* Secunda est intrinseca sancti Spiritus consolatio; vnde Isa. 5. *Comprobescet iugum à facie olei,* videlicet, Spiritus sancti. Item 2. ad Corinth. 1. *Benedictus Deus, & Pater Domini nostri Iesu Christi, Pater misericordiarum, & Deus totius consolationis, qui consolatur nos in omni tribulatione nostra:* videlicet per Spiritus paracliti intrinsecamunctionem. Tertia est gloriosa remunerationis expectatio; vnde 2. Cor. 4. *Id quod in praesenti est momentaneum & leue tribulationis nostræ, supra modum in sublimitate eternum gloria pondus operatur in nobis.* Quod nobis, &c.

## IN ANNVENTIATIONE Beatæ Mariæ

### S E R M O X V.

*Ave Maria gratia plena, Dominus tecum, benedicta tu in mulieribus.* Luc. 1.

**A**Ec sunt verba Gabrielis Archangeli ad Virginem Mariam. Elisabeth autem addidit, *Et benedictus fructus ventris tui.*

Igitur quinque sunt hic notanda.

- I. *Quare Virgini haec salutatio Ave proferatur?*
- II. *Cur esse gratia plena dicatur?*
- III. *Quomodo cum ea Dominus esse dicatur?*
- IV. *Quare super omnes mulieres merito benedicitur?*
- V. *Cur etiam fructus ventris sui benedicti, ab omnibus mereatur benedicti.*

**D**E primo nota, quod Beata Virgo propter quatuor hoc verbo *Ave* salutatur. *Ave* enim sonat, quasi sine va. Eua namque quadruplici va subiacuit: ipsa enim per virum violenter

*Q;* fuit

fuit deflorata , ipsa per concetus multiplices fuit onerata, ipsa in partu filiorum fuit angustiata, ipsa etiam tandem fuit in puluerem resoluta. Vnde propter prædicta dixit ei Dominus Gen. 3. *Sub viri potestate eris, & ipse dominabitur tui*, quantum ad violentiam deflorationis. *Multiplicabo erumnas tuas & conceptus tuos*, quantum ad onera conceptionis. *In dolore paries filios tuos*, eccè dolor in parris effusione. Sequuntur verba que Dominus dixit ad virum, quæ etiam intelliguntur dicta ad mulierem : *Puluis es, & in puluerem reverteris*. Ecce testimonium de incineratione.

Beata igitur Virgo ab hoc vñ quadruplici immunitate fuit : ipsa enim per Dei conceptionem virginitate non fuit spoliata : ipsa per eum quem conceperat, non fuit aliquo modo grauata : ipsa etiam post mortem, secundum fidem laudabilem, non fuit incinerata. Sicut enim Eua quæ fuit ex offibis Adæ, & caro de carne eius, cum coniuge suo participauit maledictionem corruptionis & incinerationis: ita è conuerso dignum fuit, vt Beata Virgo cum Filio, (de qua ex eius carne & sanguine carnem assumperat & sanguinem) participaret benedictionem incorruptionis. Sicut enim caro Filij non vidit incorruptionem, sic nec caro matris.

De secundo nota, quod Beata Virgo propter quatuor dicitur esse gratia plena. Fuit enim mundissima, vacuissima, solidissima, & quietissima. Sicut enim quatuor ad minus ad hoc requiruntur, quod materiale vas, vel dignum sit, vel possit impleri : videlicet, vt sit mundum, sit capax seu vacuum, sit solidum, id est, non ruptum: sit quietum, id est, non mouetur, dum liquor infunditur. 1. Ita & Beata Virgo fuit mundissima ab omni labe vitiorum. Nunquam enim mortaliter, vel etiam venialiter peccauit; sed semper in cogitatu suo, & verbo, & opere merebatur. Et certe hoc quasi plusquam homo hic. Non est enim homo, qui non peccet. Vnde i. Ioan. 1. *Si dixerimus quoniam peccatum non habemus, ipsi nos seducimus, & veritas in nobis non est.* 2. Fuit etiam vacuissima ab omni desiderio terrenorum. Non enim cor suum & animum habuit circa ista terrena & inferiora : sed semper desiderio circa supercælestia versabatur. Ipsa siquidem temporalia, quæ auari summo studio colunt, contemptibilia & quasi stercore reputabat. 3. Fuit etiam solidissima & integerrima per omnium virtutum ordinatam & indiuiduam custodiā. Omnes enim virtutes citca ipsam aggregatae, ita solidam & integrę can conseruauerunt, vt non posset lœdi aliquo tentationis impulsu. 4. Fuit etiam quietissima per pacem cordis, & omnium affectuum tranquillitatem. Pacem enim quam filius suus dedit discipulis, ipsa præcipue conseruavit: ipsa etiam nunquam indebitē vel concipiuit, aut timuit: nec doluit, aut gauisa fuit indebitē.

De tertio nota, quod Dominus cum ea esse dicitur, tanquam sponsus in secreto cubiculo. Dei enim Filius in camera virginalis vteri humanam naturam assumpit, eamque sibi tanquam sponsam gratissimam inseparabiliter vniuit. Secundo cum ea fuit, tanquam miles, arma induens in tabernaculo. Dominus enim congressurus cum diabolo, tunicam carnis nostræ in sanctissimo tabernaculo virgini corporis induit, quæ

cum in passione per flagella, & spinas, & clavos, ac lanceam laceraretur, & perforaretur; virtus diuinitatis, quæ sub ea occulta fuerat, struit diabolum. Tertio Dominus cum ea fuit, tanquam rex in throni sui consistorio. Dei enim Filius vtpote verus Salomon, id est, rex pacificus, sedet in ipsa tanquam in reali solio, iudicans omnes fines terræ. Medio siquidem tempore, quo in Virginis vtero gestabatur, non minus ea quæ sursum erant in cælo, & quæ in terra deorsum, prudentissime gubernauit. Quarto cum ea fuit, tanquam hospes prandens in triclinio. Sedens enim infantulus in Virginis vtero, & Patre plenissime fruebatur, & mundis affectibus matris, ac sanctis operibus delectabiliter pascebatur.

De quarto nota, quod propter quatuor in mulieribus dicitur benedicta. Primo, quia serpenti non obaudiebat. Cum enim & ipse Dei Filius tentatus fuerit, verisimile est, quod Beata Virgo quandoque etiam tentata fuit, sed ipsa nunquam diabolice tentationi assensit. Secundo, quia opprobrium fœminarum diluit & abstersit. Sicut enim Eua causa extitit perditionis humanae: ita & Maria causa fuit nostræ redēptionis. Vnde mulieres deinceps verecundari non debent, tanquam per fœminam genus humanum sit amissum, cum & per fœminam fuerit recuperatum. Tertio dicitur benedicta, quia per frumentum vitæ, quem edidit suspendendum in ligno crucis, vitam restituit. Eua namque per pomum vetitum, quod decerpit ab arbore, & sibi & viuieræ parentelæ suæ mortem propinavit: Maria vero pretiosum fructum ventris sui mundo edidit, qui pro salute generis humani in patibulo suspensus fuit, & sic mortem fugauit, ac vitam restituit. Quarto dicitur benedicta, quia clave David, hoc est, per filium suum, paradisum aperuit. Sicut enim propter Euam paradisi portæ clausæ fuerunt: ita & per Mariam Virginem sunt referatae, extincta ignea rumphaea per sanguinem Iesu Christi.

De quinto nota, quod fructus ventris intermeratae Virginis propter quatuor dicitur benedictus. Primo propter charitatitam sui sanguinis effusionem. Et certe ipse non fuit parcus in suo sanguine, quo nos redemit, sed largissimus: vnde sit ipse per secula benedictus. Secundo propter exulantium animarum è limbo reuectionem. Quomodo enim creditis, quod ab illis animabus fuerit benedictus, quas ipse de regione mortis eripiens in patriam lucis æternæ transiit: quarum quedam etiam quinque milibus annorum passæ fuerant exilium. Tertio propter beatorum quotidiam refectionem. Quandiu enim in hoc seculo sumus, peregrinamur à Domino. Prima & summa refectio animarum nostrarum, est corpus & sanguis Domini nostri Iesu Christi, quo quotidie pascamur & potamur. Quarto dicitur benedictus propter regnantium in patria delectabilem remunerationem. Ibi enim merces omnium filiorum Dei, est gloriōsus fructus ventris immaculatae Virginis Mariae.

Rogate ergo Dominum, vt à vitijs emundati meritis Beatæ Virginis sic in hac vita Dei gratia repleamur, vt post hanc vitam gloriosum fructum ventris sui in præmium asequamur. Quod nobis, &c.

ITEM  
IN EODEM FESTO  
Annuntiationis B. V. M.

S E R M O X V I .

*Aue gratia plena. Luc. i.*

**N**O T A , quod hæc sunt verba , quibus Angelus alloquitur Virginem Mariam. Et nota , quod sicut munda pixis,nobili electuario repletur ; ita etiam Beata Virgo tanquam aurea pixis , gratia repleta fuit. Dicit ergo Angelus ad eam , *Aue gratia plena*. Quasi diceret. Aue virgo sanctissima , quia tu es pixis aurea , quæ nobili electuario gratiæ vsque quam à summo pigmentario es impleta. Quod autem Beata Virgo sit vas gratiæ , testatur Sequentia , in qua sic cantatur : *Salve mater Salvatoris , vas electum , vas honorabile , vas caelestis gratia*.

Duo igitur principaliter sunt hic notanda.

- I. *Quæ virtus huic electuario quod gratia vocatur, inesse credatur?*
- II. *Ex quibus speciebus electuarium conficiatur?*

**D**E primo nota , quod hoc electuarium , quod gratia vocatur , quatuor egregias virtutes habere probatur. Prima virtus est, quod homo per gratiam ab omni peccati ægritudine liberatur. Secunda , quod homo ad virtutum exercitia per gratiam mirifice reboratur. Tertia , quod homo per gratiam bonis supercælestibus locupletatur. Quarta , quod homo per gratiam in regno Dei honorifice sublimatur.

Prima igitur virtus huius electuarij , quod gratia vocatur , in hoc consistit, quod homo per illud ab omni peccati langore curatur. Beata igitur Virgo Maria tantam abundantiam gratiæ consecuta est à Domino , quod etiam in matris vtero ab originali peccato extitit emundata , & quod omnis ægritudo formitis in ea penitus est extincta. Vnde scribit Beatus Bernardus ad Canonicos Lugdunenses. *Quod vel paucis mortaliū constat fuisse collatum , vt videlicet sancti exirent ex vtero , fas non est suspicari tantæ Virginis esse negatum , per quam omnis mortalitas emersit ad vitam : ego puto , quod & copiosior sanctificationis benedictio in ea descenderit , quæ ipsius non solum sanctificaret ortum , sed & vitam deinceps ab omni peccato custodiret , quod nemini alteri in natis quidem mulierum creditur esse donatum.*

Nos etiam charissimi , cum simus peccatores ,

necessarium nobis est electuarium gratiæ , vt per illud à peccatorum infirmitatibus liberemur. Vnde gratiam nobis optat Apostolus ad Rom. i. *Gratia , inquit , vobis & pax à Deo Patre nostro & Domino Iesu Christo.* Glos. Per gratiam liberamur à peccatis : per pacem autem reconciliamur Deo. Hinc etiam scribit Apostolus ad Eph. 2. *Deus qui diues est in misericordia , propter nimiam charitatem suam qua dilexit nos: cum essemus mortui peccatis , conuiuicauit nos Christo , cuius gratia saluari estis.* Per gratiam itaque Christi saluamur à peccatis , quæ animam faciunt grauiter infirmari. Propter quod necesse est, vt electuarium gratiæ mundificatuum iugiter à Deo postulemus.

Secunda virtus huius electuarij , hæc est , vt videlicet per illud deperdita restaurentur , & totus homo per hoc ad virtutum exercitia roboretur. Beata igitur Maria , quidquid Eua per culpam amiserat , recuperavit per gratiam toti mundo. Ipsa etiam tanquam mulier fortis , manus mittens ad fortia , viriliter in virtutum exercitijs desudauit ; vnde dicitur Luc. i. quod post salutationem angelicam , *exurgens Maria abiit in montana cum festinatione , & intravit domum Zacharie , & salutauit Elizabeth : apud quam etiam mansit quasi mensibus tribus , ministrans ei in nativitate Ioannis precursoris Domini.* Super prædictum locum dicit. Glos. quod Beata Virgo ita fortis & robusta fuerit per gratiam , vt eam asperitas itineris non retardarit.

Nos etiam vt fortis in bonis operibus existamus , indigemus electuario gratiæ restauratio atque confortatio. Vnde dicit Apostolus ad Hebr. 13. *Optimum est gratia stabilire cor , non escis , quæ non profuerunt ambulantibus in eis.* Ipse etiam Beatus Paulus fortis fuit & strenuus per gratiam ; vnde dicit de semetipso 1. Cor. 15. *Gratia Dei sum id quod sum , & gratia eius in me vacua non fuit , sed abundantius omnibus illis laboravi.* Monet etiam nos 2. Cor. 6. *Ne in vacuum gratiam Dei recipiamus.* Ille in vacuum gratiam Dei recipit , qui secundum gratiam à Deo acceptam in bonis operibus non desudat.

Tertia virtus est huius electuarij , quod hominem bonis supercælestibus locupletat. Quia igitur Beata Virgo per gratiam fuit emundata , propterea summo & vero bono spiritualiter & corporaliter fuit adimpta. Erat enim nobile triclinium totius Trinitatis , fuit nihilominus camera sive hospitale sanctæ humanitatis. Ipsa enim Dei Filium secundum carnem concepit , & in utero suo mundissimo nouem mensibus baiulauit. Vnde cantatur de ipsa . *Salve mater pietatis , & totius Trinitatis nobile triclinium ; verbi tamen incarnati spirituale maiestati preparans hospitium.* Quod autem vero & summo bono fuerit adimpta , testatur in cantico suo , vbi ait: *Magnificat anima mea Dominum , &c. & infra: Esurientes impleuit bonis.* Ipsa quippe summum & verum bonum esurij , propter quod & eo usque ad summum repleta fuit. Non est dubium quin in cælis , in latere Filij residens , bonis omnibus repleatur. Consentaneum quippe rationi est , quod filius matrem suam filiali affectu honorans , plenam ei super omnia bona sua dederit potestatem.

Nos etiam electuarium gratiæ denotissimis  
Q. 4 precibus

precibus postulare debemus, ut ipsius beneficio bonorum supercælestium participes effici meamur. Eis enim qui in gratia fuerint constituti, bona supercæstia conferentur: vnde dicitur Eccl. 40. *Gratia sicut paradisus in benedictionibus*. Hinc etiam est, quod Dominus latroni pœnitenti, quem in gratiam suam receperat, omnia bona paradisi communicauit, dicens Luc. 23. *Amen dico tibi, hodie tecum eris in paradiſo.*

Quarta virtus huius electuarij, quod hominem glorificat & sublimat. Beata igitur Virgo Maria, quia plena fuit gratia: propterea super omnes choros Angelorum est exaltata, & digna est vocari cælorum Regina. De exaltatione vero Mariæ matris misericordia sic legitur Esther 2. *Erat Esther formosa valde, & incredibilis pulchritudine, omniumque oculis grata & amabilis videbatur. Dulca est itaque ad cubiculum Regis Assueri, & amavit eam Rex plus quam omnes mulieres, habuitque gratiam & misericordiam coram eo super omnes mulieres, & posuit diadema regni in capite eius.*

Esther interpretatur preparata in tempore, & signat Beatam Virginem, quam Deus Pater ad hoc præparauit, ut Filius suus unigenitus ex ea conciperetur, & nasceretur, quando aduenit tempus miserendi eius. Assuerus interpretatur beatitudo, & signat Filium Dei, à quo tanquam à fonte beatitudinis lucidissimo profluit omne bonum. Esther itaque, id est, Beata Virgo formosa erat per immaculatam virginitatem, erat etiam incredibilis pulchritudinis per virtutum omnium venustatem. Omnes siquidem virtutes in ea aggregatae mirabiliter venustauerant eam. Omnia quoque & Angelorum, & hominum oculis grata & amabilis videbatur per viscera fam charitatem. Hæc itaque Virgo in assumptione Angelorum comitatu, ad cubiculum Regis æterni solenniter est adducta: & quoniam gratiam apud Deum inuenierat, super omnes mulieres, id est, super omnes fideles animas, est amata, & diademate regni cælestis honorifice coronata. Necessarium etiam nobis est electuarium gratiae in terris, ut per illud gloriam mereamur adipisci in cælis. Vnde dicitur in Psal. 83. *Gratiam & gloriam dabit Dominus*. Hic manifeste innuitur, quod per gratiam peruenitur ad gloriam. Piomo enī Dominus dat gratiam, & postea his qui perseverauerint in gratia, superaddit & gloriam.

De secundo nota, quod nobilissimum gratiae electuarium ex sex speciebus conficitur. Hæc autem sex species sunt virtutes, propter quas gratia spiritualiter obtinetur. Prima est castitas. Secunda, bonitas. Tertia, pietas. Quarta, veritas. Quinta, humilitas. Sexta, patientia sive æquanimitas. Has sex virtutes habuit dulcis Virgo Maria, quas etiam nos ad imitationem sui debemus habere.

Prima igitur species ex qua conficitur electuarium gratiae, est castitas. Vnde dicitur Eccl. 26. *Gratia super gratiam mulier sancta & pudorata*. Beata Virgo sancta fuit mente, & pudorata corpore: propter quod gratiam habuit in omni abundantia. Debet etiam quilibet Christianus sanctus esse mente, & pudoratus corpore, si desiderat Dei gratiam possidere. *Gratia enim Spiritus sancti non habitabit in corpore subditio peccatis luxuriae & impudicitiae.*

Secunda species est bonitas. Vnde dicitur Proverb. 12. *Qui bonus est, haeret sibi gratiam à Domino*. Nota, quod bonitas in hoc consistit, quod homo omnibus prodesse appetat: neminem autem laedit aut offendat. Bona igitur & valde bona fuit Virgo Maria: omnibus enim prodesse appetit: nullum vero vel verbo, vel facto laedit, aut offendit. Vnde & ipsa eum qui essentialiter bonus est, concipere meruit, & huic mundo proferre. Nos etiam ad imitationem Beatæ Virginis boni esse debemus, ut videlicet omnibus prodesse appetamus, nullique malum, vel verbo, vel opere faciamus. Ille quippe, qui malum non facit proximo suo, in monte sancto Dei sub umbra diuinæ gratiæ requiescat.

Tertia species est misericordia sive pietas. Vnde dicitur Eccl. 44. *Conseruauit homines misericordie inuenientes gratiam in oculis omnis carnis*. Nota, quod Dominus conseruabat homines misericordiæ & pietatis quorum non defuerunt. Inueniunt enim gratiam in oculis omnis carnis, id est, oculis illius, qui carnem suam in cibum, & sanguinem suum in potum fidelibus administrat. Quia igitur Beata Virgo eximia pietatis erat ac misericordia, propterea gratiam excellentissimam apud Deum inueniens mater meruit effici pietatis. Quod autem magnæ pietatis sive misericordia fuerit Beata Maria, probari potest in Ioan. 2. vbi deficiente vino in nuptijs, dicit mater Iesu ad eum: *Vinum non habent*. Super hunc locum dicit Bern. *Compassa est eorum verecundia, sicut misericors sicut benignissima*. Quid de fonte pietatis procedet, nisi pietas? Quid, inquam, mirum, si pietatem exhibit viscera pietatis? Nonne qui pomum in manu sua tenuerit dimidia die, reliqua diei parte pomi feruabit odorem? Quantum igitur viscera illa virtus pietatis affecit, in quibus nouem mensibus requieuit? Nam & ante mentem repleuit, quam ventrem: & cum processit ex utero, non recessit ab animo. Nos etiam ad exemplum piæ Virginis pij & misericordes esse debemus, quatenus gratiam apud Dei misericordiam in extremæ necessitatis tempore consequamur. Dicitur enim Iac. 2. quod *iudicium illi erit sine misericordia, qui non facit misericordiam*.

Quarta species est veritas. Vnde dicitur Proverb. 3. *Misericordia & veritas non te deferant, & inuenies gratiam & disciplinam bonam coram Deo & hominibus*. Quia igitur Beata Virgo verax fuit, & veritatem in omni verbo, & facto seruauit: propter hoc digna facta facta est, ut mater fieret veritatis. Ipse enim Iesus Virginis veracis Filius dicit de semetipso Ioan. 14. *Ego sum veritas*. Verum, quia in multiloquio sæpe declinatur à via veritatis, & incurrit periculum falsitatis: propterea non multiloqua, sed tardiloqua fuit B. Virgo Maria. Quod probari potest Luc. 1. vbi legitur, quod in nativitate Iesu, cum venissent pastores, & inuenissent Mariam & Ioseph, & infantem positum in praesepio, videntes cognoverunt de verbo, quod dictum erat illis ab Angelo de pueru hoc: & omnes qui audierant, mirati sunt, & de his, que dicta sunt pastoribus ad ipsos. Et statim subditur: *Maria autem conseruabat omnia verba hac conferens in corde suo*. Legitur etiam Luc. 2. quod Iesus cum esset annorum 12. & remansisset in Ierusalem, & cum dixisset ei mater sua: *Fili, quid fecisti*

fecisti nobis sis : ecce ego & pater tuus dolebamus quarentes te. Cui etiam cum responderet : Quid est, quod querebatis me? Nesciebatis, quia in his quae Patris mei sunt, oportet me esse? Subditur, quod mater eius conservabat omnia verba haec conferens in corde suo. Quia igitur Beata Virgo tam solicite verba quae audiuit, conservabat in corde, nec ad ea respondit : patet euidenter eam non multiloquam fuisse, & per hoc omne mendacium declinasse. Præterea cum Angelus eam, ut hodie legitur, tam magnifice salutasset ; non statim respondit, sed turbata est in sermone, & cogitabat, quae esset ista salutatio. Nos etiam, ut per veritatem gratiam Dei obtainere possimus, non solum mendacium, sed & multiloquium, quod seminarium est mendacij, fugiamus ; dicitur enim Proverb. 10. In multiloquio non decrit peccatum. Dicit etiam Philosophus. Tardiloquum te esse iubeo, & prope erit tibi Deus.

Quinta species est humilitas. Vnde dicitur Eccl. 3. Quanto maior es, humiliare in omnibus, & coram Deo inuenies gratiam. Dicit etiam Iacob. 4. Deus superbis resistit, humiliis autem dat gratiam. Ait etiam 1. Pet. 5. Omnes iniucem humiliatem insinuate : quia Dominus superbis resistit, humiliis autem dat gratiam. Magnæ humilitatis fuit Virgo Maria. Cum enim Angelus eam gratia plenam, & Dominus cum ea, & ipsam inter mulieres benedicendam assereret : cumque eam etiam conceptoram & filium parturam, qui magnus esset futurus, & in domo Iacob in æternum regnaturus ; respondit humiliiter, Ecce ancilla Domini, fiat mihi secundum verbum tuum. Per humilitatem etiam ad Elisabeth, quam iam grauidam esse cognoverat, pedibus suis ambulauit, eamque prior salutauit, ipsi quoque fidelier ministravit. Nos etiam exemplo B. Virginis & B. Petri admonitione humilitatem nobis insinuare, id est, intra sinum animæ collocare debemus ; ne Deum nobis in iudicio resistentem inueniamus, sed potius tunc de ipsis gratia gaudeamus.

Sexta species in qua conficitur electuarium gratiae est patientiae tranquillitas. Vnde dicitur 1. Pet. 2. Quæ est gratia, si peccantes colaphizari suffertis? sed si bene facientes patienter sustinetis, hac est gratia apud Deum. Beata Virgo per gratiam & protectionem Altissimi ab omni peccato fuerat custodita : & tamen per multas tribulationes & angustias colaphizata fuit in hoc mundo, quas omnes tribulationes tanquam columna immobilis, in multa patientia sustinuit lenitare. Nonne per hoc multum tribulata fuit, quod cum parvulo Iesu vix adhuc anniculo fugit in Ægyptum, ibi septena passa fuit exilium. Nonne etiam, ut multa alia transeamus, per hoc supra modum passa fuit & angustiata, puod intellectu filium suum innocentissimum capi, ligari, conspici, alapari, colaphizari, denudari, flagellari, spinis coronari, arundine verberari, patibulo crucis onerari, & demum eundem in cruce leuari, & pedes eius ac manus clavis lacerari : ubi etiam vidit eum acetum potari, & à transcutibus blasphemari, & postremo latus eius lancea perforari. Hæc omnia tormenta cordis sui mira patientia tolerauit. Licet enim passionem filii amarissimam cum inenarrabili dolore cordis aspiceret, non tamen doloribus excitata in male-

dictiones aut comminationes prorupit, nee etiam contra crucifixores filij aliquem rancorem in corde suscepit, sed potius pro ipsis imitatione filij, ut ad paenitentiam conquererentur, orauit.

Nos etiam exemplo istius patientissimæ Virginis omnes adueritates, quæ nobis adueniunt in hoc mundo, cum patientia toleremus. Oremus etiam pro persecutibus, & calumniantibus nos, sicut monet nos ipse Dominus Matth. 5. Diligite inimicos vestros, benefacite his qui vos oderunt, & orate pro persecutibus & calumnianibus vos, ut sitis filii Patris vestri qui in celis est. Rogate ergo, charissimi, istam gloriosam Virginem omni gratia plenam, ut pijs eius intercessionibus nobis aliquam portiunculam gratiae & gloriae à filio impetrare dignetur. Quod nobis, &c.



## D E

# SANCTO GEORGIO Martyre

## S E R M O X V I I I .

*Militia est vita hominis super terram. Job 7.*



ORATE, quod hodie festum agitur illustrissimi ac victoriosissimi militis beati Georgij, qui triplicem hostem, videlicet mundum, carnem, ac dæmones gloriose debellauit. Ipse enim bona huius mundi contempnit, ipse concupiscentias carnis sibi subegit, ipse etiam contra hostes fidei, hoc est, dæmones & eorum ministros decertans profide, quam plurima tormenta sustinuit & deuicit. Hæc autem erant tormenta Beati Georgij. Primo in equuleum fuit extensus. Secundo ungulis fuit laceratus. Tercio lampadibus fuit adustus. Quarto verberibus ac diuersis plagiis fuit cruentatus. Quinto sal missum fuit in vulnera eius. Sexto retrusus in carcere tenebrosum. Septimo babit calicem veneno ac maleficio plenum. Octavo positus fuit in rotam æneam gladiis acutissimis vndique circumscriptam, & sic de alto fuit demissus. Nonno missus fuit in sartaginem æneam plumbo repletam bullientem. Decimo prostratus in faciem distractus fuit per vicos & plateas. Undecimo gladio percussus fuit & occisus.

Nos igitur, charissimi, ad imitationem triumphatoris istius, Christi milites esse debemus : *Militia enim est vita hominis super terram.*

Vnde tria sunt hic notanda.

1. Qui sunt hostes, contra quos dimicamus?

II. Quibus

II. Quibus armis uti debeamus?  
 III. Quæ sit merces, quam, si vicerimus, expetiamus?

**D**E primo nota, quod triplex est hostis noster, videlicet, mundus, caro, & diabolus. De ipsis tribus hostibus cantatur in quadam Sequentia:

Mundus, caro, demonia,  
 Diversa mouent prælia,  
 In cursu tot phantasmatum.  
 Turbatur cordis sabbatum.

Mundus impugnat nos telis avaritiae & acedie: mundus enim facit hominem avarum, quia bona temporalia præponit æternis. Facit etiam hominem acediosum & pigrum ad Dei seruitium: non enim sapiunt ea quæ Dei sunt. Caro impugnat nos telis gulæ & luxuriae: curam enim ventris Deo præponit, & semetipsum per turpem luxuriam polluit. Diabolus impugnat nos telis superbiae, & iræ. Ipse enim per superbiam cecidit, & vt cadamus, eandem nobis fuggitur. Inuidia etiam diaboli mors intravit in orbem terrarum. Vnde & ipsam seminat in corda nostra, vt morte moriamur æterna. Diabolus, vt dicitur in Apoc. *Iram magnam habet, sciens quoniam tempus modicum habet.* Vnde & nos inflammat ad iram: vt dissipet in nobis vultum Dei.

Et nota, quod isti tres hostes valde concordes sunt in impugnatione nostra. Quilibet enim istorum exacuit tela alterius, & commodat alteri tela sua. De primo hoste, videlicet, de mundo dicitur 1. Ioan. 5. *Scimus quoniam mundus totus in maligno positus est.* In maligno, id est, in malignitate. Significatus etiam est mundus per Cain, qui occidit fratrem suum. De secundo hoste, scilicet, carne dicit Apost. ad Galath. 5. *Caro concupiscit aduersus spiritum, spiritus autem aduersus carnem.* Propter quod ait 1. Pet. 2. *Charissimi, obsecro vos abstinere a carnalibus desideriis, que militant aduersus animam.* De tertio hoste, videlicet, diabolo dicit Apostolus ad Ephel. 6. *Non est nobis colluctatio aduersus carnem & sanguinem, subauditum tantum, sed aduersus principes & potestates; aduersus mundi rectores tenebrarum harum, contra spiritualia nequitiae, in caelestibus, id est, pro caelestibus.* Propterea accipite armaturam Dei, vt possitis resistere in die malo, & in omnibus perfetti stare. Quia igitur monet nos Apostolus accipere armaturam Dei, propterea videre debemus, quibus armis uti nos oporteat.

De secundo nota, quod Paulus ad Ephes. 6. hortatur nos armari senaria armatura. Primo monet vt lumbos nostros castitatis balteo præcinctamus, ibi: *State igitur succincti lumbos vestros in veritate.* Seminarium siquidem luxuriae dicitur in lumbis esse, & propter hoc admonet, vt vera, & non tantum apparenti continentia præcinctantur. Secundo monet, vt loricam iustitiae induamus, ibi: *& induiti loricam iustitiae.* Iob 28. *Iustitia indutus sum.* Hæc lorica debet vndique nos munire, vt nec corde, nec opere, nec ore proximo noceamus. Et si eum in aliquo læsimus, ita plene ei satisficiamus,

sicut nobis satisfieri vellamus, si læsi essemus. Tertio monet, vt pedes affectuum nostrorum pacis calceis muniamus, ibi, *& calceati pedes in preparatione Euangelica pacis.* Necesse enim nobis est, vt pedes animæ nostræ, ne spinis iræ lacerantur, vel ab inuidia serpente mordentur: ne etiam ad aliquem extrinsecæ perturbationis lapidem offendantur: pace quam Dominus tradidit in Euangelio, muniamus. Dicit enim Ioan. 14. *Pacem relinquo vobis, pacem meam do vobis.* Quarto monet, vt scutum fidei deferamus, ibi: *in omnibus fumentes scutum fidei, in quo possitis omnia tela nequissimi, id est, diaboli, ignea extingui.* In hoc scuto esse debet sculpta vel depicta crux Dominica, & sic fidem crucis Dominicæ humero patientiae deferentes contra omnium hostium iacula muniemur. Quinto monet, vt capiti spei galeam imponamus; vnde sequitur quinto: *Et galeam salutis assumite.* Galea salutis est spes, quæ extendit nos, & animat ad apprehendendam salutem æternam. Et certe hac spe semper caput rationis nostræ debet armari pariter & ornari. Sexto monet, vt nos charitatis gladio defendamus. Sexto. *Et gladium spiritus assumite, quod est verbum Dei,* id est, charitas, quæ verbo Dei specialiter iniungitur Matth. 22. vbi Dominus dicit: *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & ex tota anima tua, & ex tota mente tua.* Et diliges proximum tuum sicut te ipsum. In his duabus mandatis uniuersa lex pendet & Prophetæ. Quia vero & equus necessarius est militi. Septimo monet, vt in equo sancti Spiritus contra hostes procedamus; vnde ad Galat. 5. *Si spiritu viuimus, spiritu & ambulemus.* Ibi dicit Glossa, quod Spiritus sanctus est dux & auctor libertatis nostræ. Iste est equus, qui etiam ipsum Dominum duxit in desertum à Spiritu, vt tentaretur à diabolo. Octavo necessaria est lancea conuersionis ac confessionis. Vix enim ita strenue pugnare possumus, nisi ab hostibus animæ solo tenus nutare cogamur: sed nos mox vt casum nostrum aduertimus, per contritionem & confessionem resurgentem, vires nostras recuperare debemus.

Tertio videndum est, quæ sit merces, quam Christi victores expectant? Et certe hæc corona gloriae; vnde scribit Paulus 2. ad Timoth. 2. *Labora sicut bonus miles Christi Iesu: nam qui certat in agone, non coronatur, nisi legitime certauerit.* Igitur à contrarijs qui legitime certauerit, coronabitur, maxime corona ornata omni lapide pretioso. Quam coronam nobis dare dignetur. &c.

IN FESTO S. MARCI  
Euangelistæ  
SERMO XVIII.

*Animal primum simile leoni, & quatuor animalia singula eorum habebant alas senas, & in circuitu, & intus plena sunt oculis. Ezech. i.*

**N**O T A , quod quatuor Euangelistæ per illa quatuor animalia figurantur , quæ vidi Ioan. in Apoc. in circuitu sedis Dei , quorum primum simile fuit leoni. Secundum simile vitulo. Tertium erat quasi faciem habens hominis. Et quartum simile erat aquila volanti.

Tria igitur sunt hic notanda.

- I. *Quare per leonem S. Marcus significetur?*
- II. *Quid per senas animalium alas intelligi detur?*
- III. *Quid per oculos quos in circuitu & intus habebat , figuretur?*



E primo nota , quod natura leonis hæc est , quod rugitu suo tercia die resuscitat catus suos , quos leæna profuderat mortuos ; & propter hoc Beatus Marcus per leonem accipitur , quia plenius quam alij Euangelistæ , scribit de resuscitatione seu resurrectione Filij Dei. Nota etiam , quod quemlibet Christianum oportet assimilari illis quatuor animalibus , quæ stant ante thronum Dei. Oportet igitur & nos quandam naturam leonis imitari : leo enim cum se senserit agitari , delet cauda sua vestigia pedum suorum , vt sic cautius persecutioes venatoris euadat. Sic & nos facere debemus : necesse siquidem nobis est , vt vestigia malorum operum , quæ fecimus ad infernum , cauda boni finis , videlicet , per contritionem , confessionem , & satisfactionem mature deleamus , ne in manus diaboli , qui est animarum venator acerius , incidamus. De isto venatore dicitur in Gen. 10. *Nemrod caput esse potens in terra , & erat robustus venator , scilicet , hominum coram Domino. Nemrod interpretatur tyrannus , vel apostata , & signat diabolum , qui tyrannidem crudelitatis exercet super animas damnatorum : qui etiam ad hoc laborat , vt apostatare faciat à Deo fideles , qui ad consortium pertinent electorum.*

De secundo nota , quod per sex anima- lium , sex intelliguntur virtutes , quas si non ha- buerit anima , non poterit volare ante specio-

fissimum Dei vultum ; sed quasi plumbeum demergetur in profundum. Prima ala est veritas , de qua dicit Dominus Matth. 5. *Sicut sermo vester , Est est , non non.* Glos. Ideo dicit bis , Est est , non non : vt quod dicis , operibus comprobès : quod verbis negas , factis non comprobès , vel confirmes. Sed heu pauci hanc alam vere possident , quod deploratur Ierem. 9. *Quis , inquit , dabit capiti meo aquam , & oculis meis fontem lachrymarum ? & infra : extenderunt lingua suam quasi arcum mendacij , & non veritatis. Docuerunt enim linguam suam loqui mendacium.*

Secunda ala est æquitas sive iustitia. De hac dicitur Sapient. 1. *Diligite iustitiam , qui iudicatis terram.* Sequitur 6. cap. *Iusti in perpetuum vivent , & apud Dominum est merces eorum , & cogitatio eorum apud Altissimum.* Ideo accipiunt regnum decoris , & diadema spei de manu Domini. Tertia ala est tranquillitas , sive mansuetudo. De hac dicit Dominus Matth. 5. *Beati mites : quoniam ipsi possidebunt terram , subaudi , viuentium.* Item de hac dicitur in Psal. 36. *Mansueti autem hereditate possidebunt terram , & delectabuntur in multitudine pacis.*

Quarta ala est latitas sive misericordia. De hac dicitur in Jacob. 2. *Iudicium sine misericordia illi qui non facit misericordiam. Superexaltat autem misericordia iudicium , hoc est , misericordia & largitas tenet manum iudicis , ne per sententiam feriat misericordem. Monet autem Iacobus , vt pauperum misereamur : quia ipsi iudices diuinitum erunt : vnde dicitur 5. cap. *Ecce index ante ianuam afficit.**

Quinta ala est castitas , sive continentia. De hac dicitur 2. Corinth. 6. & 7. *Immundum netigeritis : & ego recipiam vos , & ero vobis in patrem : & vos eritis mihi in filios & filias , dicit Dominus omnipotens. Has igitur habentes promissiones , charissimi , mundemus nos ab omni inquinamento carnis & spiritus , perficientes sanctificationem in timore Dei.*

Sexta ala est sobrietas. Et nota , quod diffinitio sobrietatis hæc est : Sobrietas est virtus , qua excessum cibi & potus cohibemus. Sobrietas vero ita necessaria est , vt & Episcopis & presbyteris , senibus & inuenibus , viduis & coniugatis ab Apostolo præcipiat. De primo ad Tim. 3. *Oportet Episcopum sobrium esse.* De secundo ad Titum 1. *Oportet presbyterum sobrium esse.* De tertio ad Tit. 2. *Tu loquere que decent sanam doctrinam : senes ut sobrij sint.* De quarto ad Tit. 2. *Iuuenes similiter hortare , ut sobrij sint.* De quinto ad Timoth. *Oportet mulieres similiter sobrias esse & fideles in omnibus.* De sexto ad Tim. 2. *Adolescentulas hortare sobrias esse , & domus curam habentes.*

De tertio nota , quod sicut animalia pennata oculos in circuitu debemus habere. Oportet ergo oculatos nos esse retrosum , antrorsum , dextrorsum , & sinistrorsum. Primo igitur oculos habere debemus retrosum , vt mundus , qui retro abiiciendus est , respiciamus , & contemnamus , vnde Nahum 3. *Vae tibi ciuitas sanguinum , uniuersa mendacij. Omnis qui viderit te , resiliet à te.* Per ciuitatem sanguinum intelligitur mundus iste , qui contemnendus est propter tria. Est enim instabilis ; vnde 1. Ioan. 2. *Mundus transibit & concupiscentia eius.* Est etiam immundus

mundus : vnde sicut pix inquinat inhærentes sibi. *Qui enim tangit picem, inquinabitur ab ea.* Est etiam infidelis: quia quos inquinavit immunis osculis, & amplexibus, tradit æternæ damnationi, dicens cum impio Iuda : *Quemcunque osculatus fuero, ipse est, tenete eum.*

Secundo oculos antrorsum habere debemus, vt videlicet iudicium Dei videamus & pauemus; vnde Nahum 1. *Dominus æmulator, & vlciscens Dominus, vlciscens Dominus, & habens furorem: vlciscens ipse inimicis suis.* Ter ponit vlciscens. Vlciscetur enim Dominus in die iudicij fœdas & prauas cordium machinationes. Vlciscetur etiam turpes & nocuas oris locutiones. Vlciscetur nihilominus immundas & iniquas manuum, & tortius corporis operationes. Tertio sinistrorum oculos habere debemus, vt gehennam, in quam stantes ad sinistram mittendi sunt, videamus. Fugiamus quæ merito fugienda sunt propter pœnarum diueritatem, atrocitatem, & interminabilitatem. Vnde Angelus clamat Zach.

2. *O, ô, ô, Fugite de terra Aquilonis.*

Quarto dextrorum oculos habere debemus, vt regnum Dei, in quod ad dexteram statuendi introducentur, intueamur, & concupiscamus: quod dignum est concupisci propter tria: propter Regis illius, qui illi regno præterit, bonitatem: propter proprij corporis & animæ felicitatem: propter imperturbabilem charissimorum societatem.

Nota etiam, quod intus oculos habere debemus per iugem nostri ipsius discussionem, & correctionem, vt defectus nostros quotidie discutiamus & corrigamus, & ad virtutum profectus iugiter ascendamus. Rogate ergo Dominum, vt sic per prædicta sanctis Euangelistis similes esse laboremus, vt throno Dei cum laudibus astare mereamur. Quod, &c.

### IN FESTO SS. PHILIPPI & Iacobi Apostolorum

#### S E R M O X I X.

*Stabunt iusti in magna constantia aduersus eos qui se angustiauerunt, & qui abstulerunt labores eorum. Sap. 5.*

Quatuor hic occurunt notanda.

- I. *Quis sint illi, qui teste sapientia stabunt?*
- II. *Quando hoc eueniet, quod stabunt?*
- III. *Quis sit ille princeps, coram quo stabunt?*
- IV. *Qui dicantur esse aduersus quos iusti stabunt?*



E primo nota, quod illi qui teste sapientia stabunt, sunt iusti. Dicitur etiam supra: *Stabunt iusti in magna constantia.* Notandum vero secundum etymo-

logiam, quod iusti dicuntur quasi ius vel iura tenentes. Et nota quod, quoniam senarius numerus primus numerus est perfectus, propterea etiam Dominus Matth. 5. Ius senarium edidit, quod qui obseruauerit, iustus redditur & perfectus. Primum igitur ius Domini, quod Dominus edidit, monet, vt casti & mundi etiam mentaliter existamus. Secundum, vt nullum iuramentum sine necessitate proferamus. Tertium, vt corruptelam mendacij fugiamus. Quartum, vt contra iniurias per patientiam muniamur. Quintum, vt opera veræ charitatis excquamur. Sextum, vt iusti coram Deo in omnibus inueniamur.

De primo dicitur Matth. 5. *Audistis, quia dictum est antiquis, Non mæchaberis. Ego autem dico vobis, Quoniam omnis qui viderit mulierem ad concupiscendum eam, iam mæchatus est eam in corde suo.* Nomine mæchiæ omnis illicita carnis delectatio intelligitur, quæ non solum opere, sed anima est fugienda. De secundo dicit Dominus Matth. 3. *Iterum audistis, quia dictum est antiquis, Non periurabis, reddes autem Domino iuramenta tua.* Ego autem dico vobis, non iurare omnino, neque per cælum, quia thronus Dei est: neque per terram, quia scabellum pedum eius est: neque per Ierosolymam, quia ciuitas magni Regis: neque per caput tuum iuraueris, quia non potes unum capitulum album facere aut nigrum. Iste locus ita intelligendus est, quod Dominus prohibet nos iurare, nisi magna utilitas, aut eidens necessitas nostrum iuramentum requirat. Nihil tamen ad hoc nos compellere debet, quod periuri efficiamus.

De tertio dicit Dominus Matth. 5. *Sit sermo vester, Est est, non non.* Hic monet veritatem seruare: vt est, vel non, quod ore proferimus, etiam corde teneamus. De quarto dicit Dominus in 5. *Audistis, quia dictum est: Occulum pro oculo, & dentem pro dente.* Ego autem dico vobis, non resistere malo: sed si quis te percusserit in dexteram maxillam, præbe ei & alteram; & qui vult tecum in iudicio contendere, & tunicam tuam tollere: dimitte ei & pallium: & quicunque angariauerit te mille passus, vade cum illo alia duo. Hic monemur, vt in triplici iniuria patientes existamus, videlicet, in cruciatu corporum ibi: *Siquis te percusserit.* In damno rerum ibi, & tecum in iudicio contendere, In angarijs operum ibi, quicunque te angariauerit.

De quinto, id est, de operibus dicit Dominus Matth. 5. *Qui petit à te, da ei: & volentimutuari, ne auertaris.* Sequitur: *Audistis, quia dictum est antiquis: Diliges proximum tuum, & odio habebis inimicum tuum.* Ego autem dico vobis: *Diligite inimicos vestros, benefacite his qui vos oderunt, & orate pro persecutibus & calumniantibus vos:* vt sitis filii Patris vestri, qui in calis est. In quatuor igitur opera veræ charitatis consistunt. Primo, vt amicis & pauperibus res nostras demus. Secundo, vt eisdem etiam nostra sine usuris mutuemus. Tertio, vt inimicis, & etiam nostris benefaciamus. Quarto, vt pro ipsis fideliter orationes effundamus.

De sexto dicit Dominus Matth. 5. *Attendite, ne iniuriam vestram faciatis coram hominibus, vt videamini ab eis, alioquin mercedem non habebitis apud Patrem vestrum qui in cali est.* Nota quod

quod Dominus sic prohibet iustitiam fieri coram hominibus, ne videlicet laus hominum appetatur, vnde August. in Glos. Non prohibet videri ut Deus laudetur, sed videri ut ipsi laudentur.

Nota, quod Dominus subsequenter ponit tres partes iustitiae, videlicet, eleemosynam, orationem, & ieunium. De primo, hoc est, de eleemosyna dicit Dominus Matth. 5. *Cum facis eleemosynam, noli tuba canere, sicut hypocrita faciunt in synagogis & vicis, ut honorificentur ab hominibus. Amen dico vobis, receperunt mercedem suam.* De secundo, videlicet, de oratione dicit Dominus Matth. 6. *Et cum oratis, non eritis sicut hypocrita, qui amant in synagogis, & in angulis platearum stantes brare, ut videantur ab hominibus. Amen dico vobis, receperunt mercedem suam.* De tertio, scilicet, de ieunio dicit Dominus Matth. 2. *Cum ieunatis, nolite fieri sicut hypocrita, tristes: exterminant enim facies, ut appareant hominibus ieunantes. Amen dico vobis, receperunt mercedem suam.*

De secundo nota, quod tunc iusti in magna constantia stabunt, quando dies iudicij aduenerit, & quando impij, qui modo videntur esse in dextra parte, per proprias ipsorum iniurias ad sinistram partem, hoc est, inter damnados traducentur: vnde dicitur Sap. 4. *Venient impij in cogitatione peccatorum suorum timidi, & traducent illos ex aduerso iniurias ipsorum.* Sequitur immediate: *Tunc stabunt iusti in magna constantia.*

De tertio nota, quod iusti stabunt cum illo principe, cui Psaltes petit committi iudicium, ita orans in Psal. 71. *Deus iudicium tuum regi da, & iustitiam tuam filio regis.* Ipse autem Regis filius dicit in Psal. 74. *Cum accepero tempus, ego iustitias iudicabo.* Stabunt igitur, qui modo imbecilles, licet tamen vero fortissimi in Christo: stabunt, inquam, coram fortissimo: vnde Sap. 6. *Accipiet armaturam zelus illius, & armabit creaturam ad ultionem inimicorum, & pugnabit cum illo orbis terrarum contra insensatos.* Stabunt etiam qui modo reputantur stulti, cum tamen vere sint sapientes: stabunt, inquam, coram sapientissimo: vnde Sap. 6. *Interrogabit opera, & cogitationes scrutabitur.* Stabunt nihilominus iusti, licet tamen eorum iustitiae contemnerentur: stabunt, inquam, coram iustissimo: vnde Sap. 6. *Pusillum & magnum ipse fecit, & equaliter cura est illi de omnibus.* Qui enim custodierint iustitiam, iuste iudicabuntur. Nullus igitur isti iudici per potentiam poterit resistere, nullus poterit eum decipere, nullus etiam per pecuniam poterit corrumpere.

De quarto nota, quod iusti aduersus eos qui se angustiauerunt, & qui abstulerunt labores eorum, stabunt in magna constantia, de ipsis Domino conquerentes. Et nota, quod daemones bonos homines angustient in anima per diuersimodas tentationes: angustiant etiam eos in corpore per infirmitatum vexationes: ipsis etiam bonorum hominum spirituales labores auferunt, id est, quotidie nituntur auferre, & propter hoc iusti contra eos in magna constantia stabunt. Nota etiam, quod iniqui homines saepe angustiant bonos in corporibus suis, videlicet, eos percipientes, vel in carcerem retrudentes: & auferunt eis labores eorum materiales, id est, res illorum

laboribus & sudoribus conquisitas. Et certe iusti pauperes contra eos stabunt in magna constantia suas iniurias Domino conquerentes. Rogate Dominum, ut sic iustitiae executores existamus, ut & nos cum iustis Domino astare mereamur. Quod, &c.

## DE INVENTIONE Sanctæ Crucis SERMO XX.

*Sicut Moyses exaltauit serpem in deserto, ita exaltari oportet Filium hominis. Ioan. 3.*



O T A , quod Dominus ad minus ter per crucem est exaltatus, id est, honorificatus: in passione, in crucis inuentione, & in eiusdem exaltatione.

Primo igitur exaltatus fuit Dominus, id est, honorificatus in passione. Stans enim in cruce Filius Dei, licet apud aspectum hominum vilius fuerit, & despiciens: magnæ tamen gloriae fuit coram Deo Patre, & Angelis eius. Si enim complacuit Deo Patri in humiliitate Filii, qua se servi manibus subiecit baptizandum, ita ut voce de cælis emissa diceret: *Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi complacui:* multo fortius delectatus fuit in humilitate & charitate, in obedientia & patientia Filii, quibus inimicorum manibus se subiecerat crudeliter occidendum. Tunc enim præclara Angelorum militia audiente dicere poterat: *Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui, ipsum audite, ipsique in omnibus obedite.* Hæc vero exaltatio præfigurata fuerat in exaltatione illius ænei serpentis, quem Moyses exaltauerat, id est, in pertica suspenderat in deserto, ut videlicet percussi à serpentibus, aspicientes in eum à suis vulneribus curarentur.

Secundo Dei Filius apud homines exaltatus fuit, id est, honorificatus, in crucis inuentione. Tunc enim à Constantino Romanorum Imperatore & semper Augusto, & ab Helena matre eius mirabiliter fuit per vniuersum mundum sanctæ crucis gloria sublimata.

Tertio Dei Filius exaltatus fuit, id est, honorificatus apud homines in crucis exaltatione: quando videlicet Heraclius Imperator virtute signi sanctæ crucis victor existens, ipsius sanctæ crucis gloriam magnis laudum præconijs predicauit. Cum igitur Dominus per crucem materiam tam multiplici exaltatione, & apud Deum & homines exaltati meruerit, oportet ut & nos inueniamur in cruce, si æternæ beatitudinis exaltationem assequi desideramus.

Et nota, quod sicut à quibusdam creditur, & firmiter asseritur, quinque ligna ad crucem

R. Domi

Dominicam concurrerunt, videlicet, lignum cedrinum, cypressinum, palmæ, rosæ, & oliuæ. Et hæc ligna notantur in ordine Eccl. 24. vbi in persona crucis dicitur: *Quasi cedrus exaltata sum in Libano, & quasi cypressus in monte Sion: quasi palma exaltata sum in Cades, & quasi plantatio rosæ in Iericho, & quasi oliua speciosa in campis.* Per hæc vero ligna notantur feruens contritio, pura confessio, eleemosynarum largitio, carnis mace ratio, & deuota oratio.

Igitur primo nota, quod basis sanctæ crucis erat ex ligno cedrino. Quidam enim truncus cedrinus erat rupi immensus, & huic trunco desuper cauato sancta crux fuit imposita, & erat truncus ille quasi pes sanctæ crucis. Hæc autem basis sive pes cedrinus signat feruentem contritionem. Sicut enim lignum cedrinum cum incensum fuerit, odore suo serpentes fugat: sic etiam, vbi cor ardet igne contritionis accensum, omnia fugantur dæmonia: sicut patet in Beata Maria Magdalena, de qua, quia igne contritionis ardebat secus pedes Domini, septem exierunt dæmonia: sicut testatur Luc. 8. Rogandus autem est Dominus, vt der nobis contritionem filiale. Multi enim in hora mortis conteri videntur, & dolere: quæ tamen contritio, vel dolor plus procedit ex timore seruili, quam amore filiali: magis enim timent tormentis infernalibus cruciari, quam dulcis Dei visione priuari. Et certe pauci sunt ex talibus, si conualuerint, nisi in peccata pristina relabantur.

Secundo nota, quod lignum, quod à trunko sursum ascendebat, erat cypressinum, & signat puram & integrum confessionem. Cypressus enim, vt testatur liber graduum Constantini, intestinorum vulnera curat. Ita etiam pura confessio animarum vulnera sanat. Sicut autem Dominus toto corpore suo, quod erat à pedibus sursum usque ad humeros, huic ligno accubuit: ita & homo confiteri debet omnia peccata sua, quæ vel affectione vel cogitatione, vel operacione commisit. Per pedes enim notatur affectio, ex corde procedit cogitatio, & per humeros intellegitur operatio.

Tertio nota, quod lignum transuersum, cui manus Domini affixa fuerunt, fuit ex palma, & signat eleemosynarum largitionem. Sicut enim fructus palmae, licet diu expectetur, tamen multæ est dulcedinis: ita etiam Dominus licet aliquando moretur, tandem eleemosynarum largitoribus magnam & inestimabilem beatæ retributionis dulcedinem largietur: vnde dicitur in Psal. 30. *Quam magna multitudo dulcedinis tua Domine, quam abscondisti timentibus te.*

Quarto nota, quod sicut quidam dixerunt, quedam cauilla apposita fuit cruci Dominicæ, quæ crux tunc erat in modum Thau facta, & hæc cauilla fuit ex ligno rosæ, quod est magnæ quantitatis in partibus transmarinis. Ista cauilla signat carnis macerationem. Sicut enim rosa frigida est, & odorifera, & propterea mirabiliter reuma restringit: sic etiam corpora eorum qui carnem suam macerant per ieiunia, per continentiam, contra vitiorum aestum infrigidantur? boni etiam odoris fiunt in conspectu Domini velut sacrificium vespertinum. Omnis etiam in eis fluxus luxuriæ compescitur & exiccatur.

Quinto nota, quod prædictæ cauillæ quæ-

dam tabula ex transuerso erat affixa, in qua scriptum erat, *Iesus Nazarenus Rex Iudeorum,* & hæc tabula fuit ex oliua, & figurat deuotam orationem. Sicut enim oleum oliuæ dolores corporis lenit, & alios humores superexcellit: ita etiam deuota oratio lenit, & placat iram Dei. Dicit enim auctoritas: Oratio Deum lenit, lacryma cogit: hæc vngit, illa pungit. Præterea deuota oratio per vitæ puritatem & innocentiam leuitatem sursum fertur, & vt negotium hominis agat, se paterno vultui repræsentat.

Nota etiam, quod sicut Iesus Christus crucifixus affixus fuit: ita & nos cruci nostræ prædictæ quatuor clavis affigi debemus, vt in ea imitatione Christi usque ad mortem finaliter persistamus. Primus igitur clavis est timor incertæ mortis. Cum enim mors incerta sit, debet homo contra eam quotidie præparari, debet etiam horis omnibus expectari: vnde Seneca. *Si mors timenda est, semper timenda: quod enim morri tempus exemptum est?* Secundus clavis est timor iusti iudicis: vnde ipse iudex dicit in Psal. 74. *Cum accepero, id est, recepero, tempus, ego iusticias iudicabo.* Nota, quod non dicit simpliciter iustitiam, sed iusticias: ipse enim non solum in personis pauperum, sed & in personis diuinitum iuste iudicabit. Tertius clavis est timor horrendi carceris. Carcer enim impiorum omnibus miserijs est repletus. Quartus clavis est timor crudelissimi tortoris. Diabolus in miseros sibi traditos infatigabiliter desæuet. Ibi enim, vt dicit Aug. *Nec qui torquetur, moritur: nec qui torquet, fatigatur.* Rogate ergo Dominum, charissimi, vt sic in cruce nostra inueniamur, vt in regnum Iesu cum gudio colligamur. Quod, &c.



## DE NATIVITATE BEATI Ioannis Baptiste

### S E R M O   X X I .

*Puer crescebat & confortabatur  
Spiritu, & erat in deserto  
usque in diem ostensionis sua  
ad Israel. Luc. i.*

Sunt quatuor principaliter hic notanda.

- I. *In quibus iste puer, id est, Beatus Ioannes creuerit?*
- II. *Contra que Spiritu sancto confortatus fuerit?*
- III. *Quare in desertis habitare voluerit?*
- IV. *Ad quid se filijs Israel ostenderit?*



De primo nota, quod iste venerabilis puer, videlicet, Ioannes Baptista crevit in duabus, scilicet, in Dei dilectione, & in boni operis actione. Intantum autem crevit in his

his duobus, quod effectus est præclara lucerna ardens, & lucens: ardens per Dei dilectionem, & lucens per bonam operationem. Vnde & ipse Dei Filius testatur de illo Ioan. 5. *Ioannes, inquit, erat lucerna ardens, & lucens.* Nos etiam, charissimi, ad imitationem Beati Ioannis crescere debemus in Dei dilectione, & in bona actione: vt videlicet de die in diem Deum ardentius diligamus, ipsique de tempore in tempus fortius seruiamus. Sed heu hodie multi faciunt contrarium! Olim enim Deum plus dilixerunt, ipsique plus quam modo faciunt, seruerunt. Et certe hoc satis est monstruosum, quod magnus vir interim quotidie deficiat, quod tandem conuertatur in paruum granum.

De secundo nota, quod contra quadruplicem spiritum fuit Spiritu sancto confortatus, videlicet, contra spiritum superbie, avaritiae, luxuriae, & gulæ. Hi enim quatuor spiritus sunt quatuor rotæ in curru diaboli, in quo multi & innumeri ad poenæ perpetuas deducuntur.

I. Fuit igitur contra superbiam spiritum Spiritu sancto confortatus. Præclaræ liquidem extit humilitatis: vnde dicitur Luc. 3. *Existimanto populo & cogitantibus omnibus in cordibus suis de Ioanne, ne forte ipse esset Christus.* Repondit Ioannes dicens omnibus: *Venit fortior me post me, cuius non sum dignus soluere corrigiam calceamentorum eius.* Ecce in quantum se humiliat. Bonum igitur est, vt & nos Ioannis humilitatem imitemur. Humilitas etiam eius attenditur in vilitate vestimentorum eius: ipse enim Ioannes, vt dicitur Matth. 3. *habebat vestimentum de pilis camelorum, & zonam pelliceam circa lumbos suos.*

II. Accepit etiam fortitudinem à Spiritu sancto contra spiritum avaritiae. Quod enim nihil curauerit de pecunia, quæ hodie tam liberter videtur & accipitur, ex hoc evidenter appetit, quod nulli homini adulari solebat. Pharisaorum namque & Sadducæorum societas dum ceteruatim venirent ad Baptismum, dixit eis: *Progenies viperarum, quis vobis menstruavit fugere à ventura ira? Facite ergo fructum dignum penitentia.* Quasi dicat. Non tantum in baptismo meo confidatis, quod per hoc solum vos saluari credatis, nisi etiam ab excessibus vestris veram penitentiam peragatis. Ioannes etiam ipsum regem Herodem super suis vitijs arguebat, dicens ei Marc. 16. *Non licet tibi habere uxorem fratris tui.* Heu quam grauia peccata hodie à Prælatis & iudicibus propter pecuniam dissimulantur.

III. Confortabat etiam Spiritus sanctus Ioan., contra spiritum fornicationis, & luxuriae. Vnde & ipse à matris utero usque ad mortem in virginitate permanxit, & propter virginitatis præuilegium agnum virginum Virginis filium, virgineo indice demonstrare, nec non & virginis manibus, meruit baptizare. Quod agnum Dei demonstrauerit, testatur Ioan. Euang. 1. vbi ait: *Vidit Ioannes Iesum venientem ad se, & ait: Ecce agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi.* Quod etiam baptizaverit Christum, testatur Matth. 3. vbi ait: *Venit Iesus à Galilæa in Iordanem ad Ioannem, vt baptizaretur ab eo.* Beatus igitur est, qui eius castitatem fuerit imitatus,

*D. Alberii Magni Serm.*

IV. Confortabatur etiam à Spiritu sancto contra spiritum gulæ. Vnde dicit Matth. 3. *Esa eius erat locusta, & mel sylvestre.* Glos. Morali-ter in ueste Ioan. docemur, vt asperis vtamur ad refrænationem carnis: in cibo, vt non arte patratis, sed naturalibus vtamur cibis.

De tertio nota, quod propter tria in desertis manebat. Prima causa fuit, ne in vasis sensuum suorum mundanis delectionibus inquinaretur. Vnde Seneca: *Inimica est multorum conuersatio. Nemo enim est, qui non aliquid nobis virium aut commendat, aut imprimit, aut nescientibus aperit: utique quo maior est populus, cui miscemur, hoc periculi plus est.* Nihil vero tam damnosum bonis moribus, quam in aliquo spectaculo residet. *Auarius redet, ambitiosor, imo vero crudelior & inhumanior, quia inter homines fui.* Item propter hoc in desertis manebat, vt eo liberius in lege Dei sui meditaretur. Ipse erat ille beatus vir, de quo legitur in principio Psal. *Beatus vir qui non abiit in consilio impiorum, & in via peccatorum non stetit, & in cathedra pestilentie non sedet.* Tertia causa, quare in desertis manebat, hæc est, vt eo secretius in oratione cum Deo, & Angelis loqueretur. Bonum est etiam, quod nos propter prædictas tres causas praua hominum consortia fugiamus.


De quarto nota, quod tandem ostendit se filijs Israel propter tres causas. Prima causa fuit, vt eos ad fidem & vitæ rectitudinem informaret: vnde dicitur Luc. 3. *Facite fructus dignos penitentie. Iam enim securis uidelicet arboris positæ est.* Omnis ergo arbor non faciens fructum bonum, excidetur, & in ignem mittetur. Monuit etiam turbas dicens: *Qui habet duas tunicas, det non habenti: & qui habet escas, similiter faciat.* Dixit etiam Publicanis: *Nihil amplius, quam quod constitutum est vobis, faciatis.* Docuit etiam milites dicens: *Neminem concutias, neque calumnias faciatis, sed contenti estote stipendijs vestris.*

Secunda causa ostensionis suæ fuit, vt duplum aduentum Domini prænuntiaret: vnde Matth. 3. *Qui post me venturus est, fortior me est, cuius non sum dignus calceamenta portare.* Item. *Baptizabit vos in Spiritu sancto & igne.* Hæc dicuntur de primo aduentu Domini. Ipse enim veniens in carnem instituit baptismum fluminis, in quo virtute sancti Spiritus emundamur, cuius copia si non habetur, in igne contritionis vel passionis homo poterit baptizari. Sequitur de secundo aduentu, cuius ventilabrum in manu eius, & purgabit aream suam: & congregabit triticum suum in horreum, paleas autem comburet igni inextinguibili. Glos. Ventilabrum est examen iudicij, quo discernuntur leues & vacui à fructu boni operis.

Tertia causa quare se ostendit Ioannes, est vt credentes & penitentes baptizaret; vnde dicitur Matth. 3. *Exibat ad Ioannem Ierosolyma, & omnis turba, & omnis regio circa Iordanem: & baptizabantur in Iordanem ab eo confessantes peccata sua.* Imitemur, charissimi, & nos Ioannem in tribus prædictis, vt videlicet mores nostros de vitijs ad virtutes reformatos, vt nobis in ipsis aduentum iudicij quotidie prænuntiemus, & nos in ipsis à iudicibus peccatorum nostrorum in proprijs lacrymis

R. 2 emen

emendemus. Rogate ergo Dominum, vt sic prædicta exequamur, vt Angelorum consortium assequi mereamur, &c.



I N

## FESTO BEATI PETRI Apostoli

### S E R M O XXII.

*Beatus es Simon Bariona: quia caro & sanguis non reuelauit tibi, sed Pater meus, qui in celis est. Et ego dico tibi, quia tu es Petrus, & super hanc petram adificabo Ecclesiam meam. Matth. 16.*

**N**ota, quod in praesenti Euang. Dominus B. Petrum principem Apostolorum beatificat, & commendat, & in hac commendatione appellat eum *Simonem Bariona, & Petrum*. Simon autem interpretatur obediens, Bariona filius columbae, & Petrus dicitur firmus.

De primo nota, quod appellat eum Simonem, id est, obedientem, propter duo: videlicet Dominicæ iussionis executionem, & propter Angelicæ monitionis adimpletionem. De executione Dominicæ iussionis dicitur in Matth. 4. quod *ambulans Iesus iuxta mare Galilee vidit duos fratres: Simonem qui vocatur Petrus, & Andream fratrem eius, mittentes retia sua in mare, & ait illis: Venite post me, faciam vos fieri pescatores hominum. At illi continuo, relictis retibus & navi, securi sunt eum.*

Nos etiam, charissimi, huius Beati Simonis imitatione triplex rete relinquere debemus, & venire post Dominum. Primum est rete superbie. De hoc dicitur Habacuc 1. *Quare Domine taces, denorante impio iustiorum se? Totum in hamo sublevauit, traxit illud in fagenas sua, & congregauit in rete suum.* Superbia enim rete est diaboli, per quam tamen ipse primum cecidit: & licet per eam ceciderit, tamen adhuc per ipsam trahit in sublimi residentes. Secundum est rete auaritiae. De hoc dicitur Isa. 19. *Tramid, inquit Dominus, Agyptum in manum dominorum crudelium. Merebunt pescatores, & expandentes rete super faciem aquarum, emarcescent.* Agyptus est mundus iste, qui in die iudicij tradetur in manus dominorum crudelium, id est, dæmonum: dæmones enim tunc desæuent in homines huius mundi. Et tunc pescatores, id est, auarii, qui rete auaritiae expanderant super faciem orbis, emarcescent, cum penuria inciderit omnis boni.

Tertium est rete luxuriae. De hoc dicitur Pro. 7. *De fenestra domus meæ per cancellos profexi. Et considero recordem iuuenem, qui transit*

per plateas. Et ecce mulier occurrit illi ornata metrio preparata ad decipiendas animas. Et infra. Irretinuit eum multis sermonibus, & blanditijs laborum prostravit illum. Statim eam sequitur quasi bos ductus ad victimam, & quasi agnus lascivius, & ignorans nescit, quod ad vincula fultus trahatur: donec transfigat sagitta iecur eius. Sagitta secundum Glossam est sententia iudicis, qua corda luxuriosorum in die iudicij transfigentur.

De adimpletione admonitionis Angelicæ legitur in Actibus Apostolorum, vbi dicitur, quod cum Petrus Apostolus Ierosolymam missus esset in carcерem Herodianum, & nocte inter duos milites dormiret vinculus catenis duabus: ecce Angelus Domini aspit, & lumen resulfit in habitaculo carcерis, percussoque latere Petri, excitauit eum dicens: Surge velociter, & ceciderunt catene de manibus eius. Et addidit Angelus: Praecingere & calceare calceis tuis, circunda tibi vestimentum tuum, & sequere me. Et dicitur ibi, quod Petrus ita serverit. Nota, quod per Herodem, qui interpretatur pellibus glorians, diabolus significatur. Ipse enim de pellibus suis, id est, nequitia & versutia sua gloriatur. Per Petrum vero in loco isto peccator quilibet designatur, quem Herodes, id est, diabolus in carcere criminalium peccatorum sua forti custodia detinet alligatum. Per Angelum vero diuina gratia figuratur, quæ venit cum lumine, id est, vera recognitione sui assertur peccatori, quæ etiam tangit latus peccatoris, id est, cum compunctione eum recordari facit, quod propter ipsum lancea percussum fuerit latus sui Salvatoris.

Et nota, quod sicut Petrus Angelo obediuit in liberatione sua corporali: ita necesse est, ut nos peccatores gratia Dei obediamus in liberatione nostra spirituali. Ad hoc autem, sicut probari potest ex premissis, quinque requiruntur.

Primum est, ut velociter surgamus è strato fodæ ac criminosa voluptatis. Qui enim non surrexerit de lecto transitoria delectationis, mittetur in lectum æternæ tribulationis. Vnde de Izabel, quæ interpretatur sterquilinium, & signat carnis voluptatem, dicitur Apoc. 2. Ecce mittam eam in lectum: & qui fornicantur cum illa, in tribulatione maxima erunt.

Secundum est, ut præcingamus cingulo castitatis. Qui enim non fuerit præcinctus cingulo castitatis, accingetur funibus aspermis sub pressura perpetua fœditatis. Vnde dicitur in Job 12. *Balteum regum dissolutus, & præcinctus funeris eorum.* Per balteum intelligitur gloria temporalis, quæ in his, si male seipso rexerunt, dissoluerit, & quorum renes fune æternæ asperritatis accingentur.

Tertium est, ut pedes nostrorum affectuum calceis, id est, exemplis Sanctorum muniamus. Qui enim pedes animæ suæ non calceauerit exemplis Sanctorum, mordebitur morsu vermum & scorpionum, & lacerabitur dentibus infernalium bestiarum. Vnde Eccl. 39. *Omnia hec ad vindictam creatam sunt, bestiarum dentes, scorpis, & serpentes.*

Quartum est, ut nos charitatis pallio vestiamus. Qui enim veste charitatis non fuerit cooperatus, à conuiuio Domini eiectus æternæ confusione subiacebit. Vnde Apoc. 3. *Suadeo, ut induaris vestimentis albis, & non appareat confusio nuditatis*

*nuditatis tue. Hinc etiam dicit Petrus 1. Can. 3.  
Charitas operit multitudinem peccatorum.*

Quintum est, ut gratiam Domini sequamur ducentem nos per viam pœnitentiae, per viam iustitiae, & per viam patientiae. Hæc enim tria sunt nobis necessaria, ut videlicet per pœnitentiam ea quæ male gessimus, in nobis in metiis puniamus, ut per iustitiam in bono opere deinceps persistamus, & ut per patientiam quicquid nobis aduersi contigerit, sustineamus.

De secundo nota, quod Petrus à Domino Bariona appellatur. Bariona vero interpretatur filius columbae, id est, Spiritus sancti. Fuit igitur Petrus filius columbae, hoc est, Spiritus sancti per veram fiduci confessionem, & per sinceram Domini dilectionem. Veram fidem profectus fuit Matth. 16. vbi dicit ad Dominum. *Tu es Christus Filius Dei vini.* Hæc verba exposta sunt supra in festo cathedrali Petri. Quod etiam sincere Dominum dilexerit, patet in Ioan. 21. vbi cum Dominus ter à Petro requireret, an eum diligenter, respondit etiam ter Petrus: *Domine, tu scis quia amo te.* Quasi diceret. Amo te ex omni cordis cogitatione, ex omni oris locutione, ex omni operis exhibitione. Quia igitur, charissimi, impossibile est sine fide, & sine charitate Deo placere: debemus ipsum, ut veram fidem & charitatem perfectam nobis tribuat, iugiter implorare.

De tertio nota, quod Dominus principalem Apostolorum appellavit Petrum. Petrus autem idem est quod firmus. Et vero ipse firmus fuit & constans per sententiam districtæ animaduersionis, & per fortē tolerantiam Iudaicæ persecutionis, & Neronianæ Passionis. Firmus igitur constans fuit Petrus in sententia iustæ animaduersionis, quam protulit contra Ananiam & Saphiram, qui sub verbis increpationis eius cadentes in terram expirauerunt. Fortem etiam sententiam protulit contra Simonem magum, dicens ei: *Pecunia tua tecum sit in perditionem.* Firmus etiam fuit in tolerantia Iudaicæ persecutionis. *Ibat enim Petrus ac alijs Apostoli gaudentes à conspectu concilij: quoniam digni habiti sunt pro nomine Iesu contumeliam pati.* Fortiter etiam tandem passionem martyrij tolerauit. Rogate ergo, charissimi, Dominum, ut sic Beatum Petrum in omnibus imitemur, ut ipsi in regno Deo iugiter collætemur.

Quod, &c.

\*\*

D. Alberti Magni Serm.

## IN COMMEMORATIONE Beati Pauli Apost. SERMO XXIII.

*Bonum certamen certavi, cursum consummaui, fidem seruavi: de reliquo reposita est mihi corona iustitiae, quam reddet mihi Dominus in illa die iustus index. 2.ad Tim. 4.*

 *Æ*c sunt verba, quæ Beatus Paulus, qui est gloriosum lumen omnium Ecclesiarum, de seipso scribit. Vnde in præmissis verbis quatuor sunt notanda.

- I. *Quod sit bonum certamen, quod certauit?*
- II. *Quis sit cursus, quem consummauit?*
- III. *Quæ sit fides, quam seruauit?*
- IV. *Quæ sit corona, quam Dominus sibi preparauit?*



E primo nota, quod Beatus Paulus bonum certamen certauit, quia in certamine triumphauit. Triplex autem certamen habuit: videlicet, 1. contra inquietam carnem, 2. contra malum hominem, & contra peruicacem dæmonem. Inquietudinem carnis vicit per disciplinatam continentiam. Malitiam hominum superauit per patientiam. Peruicaciam dæmonum conculcauit per sui ipsius displicantiam. 1. De victoria primi hostis, id est, carnis, scribit Apostolus 1. ad Corinth. 9. *Sic pugno non quasi aerem verberans: sed castigo corpus meum, & in servitutem redigo, ne forte cum alijs predicanerim, ipse reprobus efficiar.* 2. Quod etiam per patientiam superauit omnes tribulationes ab hominibus sibi illatas, testatur ad Rom. 8. *Quis separabit nos à charitate Christi? tribulatio, an angustia? an famæ? an miseria? an persecutio? an periculum? an gladius? sicut scriptum est, quia propter te moriscamur tota die, estimati sumus sicut oves occisionis: sed in his omnibus superamus propter eum qui dilexit nos.* 3. Peruicaciam etiam dæmonis, eum per superbiam & inanem gloriam infestantem, vicit per humilitatem & sui ipsius displicantiam. Vnde dicitur 1. ad Corinth. 15. *Nouissime omnium tanquam abortivo visus est & mihi Christus.* Ego enim sum minimus Apostolorum, qui non sum dignus vocari Apostolus, quoniam persecutus sum Ecclesiam Dei. Humiliat autem se ita scribens 1. ad Timoth. 1. *Fidelis sermo & omni acceptione dignus, Quia Christus Iesus venit in hunc mundum peccatores saluos facere, quorum ego sum primus.* Glos. id est, peior.

Debemus igitur Apostolum imitari, ut vide-licet carnis luxuriam vincamus per illustrem continentiam. Item ut hominum malitiam superemus per fortē patientiam, & ut tertio

R 3 dæmo

dæmoniacam superbiam conculcemus per veram nostri disponentiam , vnde & ipse scribit 1. ad Tim.6. *Certa bonum certamen.*

De secundo nota, videlicet de cursu quod ipse Apostolus scribit 1. ad Corinth.9. *Ego sic curro non quasi in incertum.* Ipse etiam ibidem inuitat nos ad currendum, ita dicens: *Nescitis quod hi qui in stadio currunt, omnes quidem currunt: sed unus accipit brauum: Sic currite ut comprehendatis.* Nota vero, quod currenti ad hoc ut brauum comprehendat, tria sunt necessaria. Primum est oneris & fasciculorum depositio. Secundum est omnium obstatorum admonitio. Tertium est rei propter quam , & ad quam curritur,dilectio. De his tribus dicit Apostolus ad Hebr.12. *Deponentes omne pondus, & circumstans nos peccatum, per patientiam curramus ad propositum nobis certamen, aspicientes in authorem fidei & consummatorem Iesum, qui proposito sibi gaudio sustinuit crucem, confusione contempta, atque in dextera Dei sedet.* Monet igitur nos Apostolus , vt per patientiam aduersitatum præsentium curramus ad regnum Dei , vbi est vera quies. Monet etiam nos , vt omne mortale peccatum deponamus, & abieciamus. Mortale quippe peccatum , sicut graue pondus, hominem onerat ac premit. Viam etiam eius,qua ad Deum curritur,impedit ac præcludit. Monet nos præterea Apostolus , vt propter aduersitates & fatigations , qua nobis in via Dei occurrerint , à cursu non desistamus : sed semper in dulcem Iesum, propter quem,& ad quem currimus,inspiciamus.Sic & ipse Iesus olim,cum passurus esset,gaudium Resurrectionis à Patre sibi propositum prævidens,& inspiciens, sustinuit crux contemptibilem & amaram , confusione contempta.

De tertio nota, quod Beatus Paulus se fidem seruasse testatur. Quadrupliciter autem Apostolus Deo fidem seruavit. 1. Ipse enim , quod in baptismo sub manu Ananiae Deo promisit, non violauit. 2. Ipse Euangeliū Christi infatigabiliter ac intrepide nuntiauit. 3. Ipse res Dei, id est , animas sibi commissas fideliter conseruavit. 4. Ipsum quoque nullum incommodum à Dei amicitia separauit.

Sic etiam nos hanc quadruplicem fidem Deo seruare debemus. 1. Promissionem enim in baptismo factam , & omne votum quod emisimus, non debemus aliquatenus violare. Vnde Eccl.5. *Siquid vonisti Deo, ne moreris reddere. Disflicet enim Deo infidelis & stulta promissio.* 2. Debemus etiam proximis nostris animabus eorum utilia nuntiare. *Mandauit enim Dominus uniuicue de proximo suo,* sicut dicit Eccl.7. vnde dicitur in Apoc.22. *Sponsus & sponsa dicunt, Veni. Et qui audit, dicat, Veni.* Sponsus est Iesus Christus, sponsa est triumphans Ecclesia.Hi vnicuique existenti in Ecclesia militanti dicunt , vt veniat. Et quicunque sponsi ac sponsæ verba per inspirationem audiuit, dicat proximo suo, Veni. 3. Debemus etiam rem Deo charissimam , hoc est, animam nostram Deo fideliter reseruare. Vnde dicit Psal.106. *Anima mea in manibus meis semper.* Item Job 15. *Animam meam porto in manibus meis.* Præterea non debemus nos à Christo propter aliquid incommodum disgregare. Vnde Paulus ad Rom.8. *Certus sum, quia neque mors, neque vita, neque, subaudi bona vel mala instan-*

*tia, vel futura, neque creatura alia poterit nos separare à charitate Dei.*

De quarto nota, quod in corona, quæ data est Beato Paulo,& quæ dabitur omni homini bene certanti , cursum consummanti , ac fidem seruant, quatuor sunt lapides principales,videlicet, Topazius,Smaragdus, Carbunculus,& Saphirus. 1. Per Topazium , qui inter omnes gemmas dicitur esse maximus , & qui omni colore resplendet , cuius tamen color principalior auro est vicinior : intelligitur Pater , per quem datur omnipotentia. 2. Per Smaragdum , qui omnium gemmarum nitentium principatum tenet, & qui bene positus , ad modum speculi reddit imagines : exprimitur Filius , per quem datur omnis scientia. 3. Per Carbunculum , qui omnes ardentes gemmas in virtute superat , & qui emittrit radios ad modum igniti carbonis: figuratur Spiritus sanctus,per quem datur feruentissima charitas. 4. Per Saphirum , in quo stella rutilat,& qui colorem habet cælo similem, & qui multum valet ad reformandam pacem:designatur Virgo Maria, de qua resultat inestimabilis claritas.Aliæ plures gemmæ erunt in corona, per quas intelliguntur specialia gaudia, quas electa anima de vniuersis Angelorum ordinibus accipiet, & de singulis choris ac sedibus electorum.Rogate ergo Dominum,vt cum Beato Paulo sic bonum certamen certemus,& sic cursum nostrum consummemus , sic etiam Domino fidem seruemus , vt tandem coronam gloriae de manu Domini accipientes exultemus. Quod nobis, &c.



## IN FESTO BEATÆ

Margaritæ

### S E R M O X X I V .

*Simile est regnum calorum homini negotiatori quarenti bonas margaritas. Inuenta autem una pretiosa margarita, abiit, & vendidit omnia quæ habuit, & emit eam. Matth.13.*

Quatuor hic sunt notanda.

- I. *Quis sit homo negotiator, qui bonas margaritas quæsivit?*
- II. *Quæ sit pretiosa margarita, quam inuenit?*
- III. *Quomodo & nos boni negotiatores esse debeamus?*
- IV. *Quæ sit pretiosa margarita, quam necesse est ut emamus?*



E primo nota , quod homo negotiator, qui bonas margaritas quæsivit, & quærit , est ipse Dei Filius Iesus Christus, qui de cælis venit ad terras , vt bonas quereret marga-

margaritas, id est, prædestinatur animas ad regna cælestia reuocare: prædestinatur quippe animæ dicuntur bonaæ margaritæ, ex quibus nient portæ illius glorioſæ ciuitatis Dei nouæ Ierusalem. Istum vero negotiatorem B. Maria Virgo deduxit ad terras: ipsa quippe fuit nauis illius nobilis institutoris, de quo dicitur Proverb. 30. *Facta est quasi nauis institutoris, de longe portans panem suum.* De hoc institore siue negotiatore dicit August. *O bone mercator, gratias agimus tibi, quia redemiſti nos.*

De secundo nota, quod pretiosa margarita quam iste negotiator quæſiuit, inuenit, & emit, est Beata Margarita. Hanc enim tunc quæſiuit, cum eam ab initio & ante secula ad gloriam prædestinavit. Tunc eam inuenit, quando pro ipsa carnem aſſumpſit. Tunc eam emit, cum omnia quæ in terris habuit, pro ipsa poffidenda vendidit, videlicet, cum ſuppendendus in cruce omnia vefimenta ſua exuit, & cum dilectam animam in manibus inimicorum dedit: ſicut dicitur Ierem. 12. Et cum pretiosum ſanguinem ſuum fudit.

Et nota, quod ſicut de Beata Margarita dictum eſt: ita etiam Christus quamlibet aliam sanctam virginem, imo quemlibet Christianum & electum quæſiuit, inuenit, & emit.

Nota, quod Beata Margarita bene dicitur margarita, tum propter vocabuli conſonantiam, tum etiam propter multas proprietates margaritæ, quarum prima eſt, quod margarita in conchis marinis inuenitur. Et quid erat Theodosius Gentilium Patriarcha pater huius puellæ, niſi quædam concha marina? Ipſe enim à fluctibus huius mundi iactabatur, & in vnda perfidiæ morabatur.

Secunda proprietas, quod illa Margarita commendabilior eſt, quæ per naturam perforata eſt, quam quæ per violentiam perforatur. Sic & Beata Margarita commendabilis fuit per obedientiam voluntariam. Ipsi quidem non coacta, ad hoc ſe humiliauit, vt paſceret oves nutricis ſuæ. Obedientiam enim voluntariam signat naturalis perforatio Margaritæ. Hinc moneantur filii, vt parentibus ſuis obedient in his quæ ſunt ad Deum. Vnde Paulus ad Ephes. 6. *Filiij obedite parentibus vestris in Domino, hoc enim iustum eſt.* Item ad Colof. 4. *Filiij obedite parentibus vestris per omnia, hoc enim placitum eſt Domino.*

Tertia proprietas eſt, quod illa margarita nobilior eſt, quæ candet & clara eſt, quam illa, quæ flauescit: illam enim iuuentus & ros matutinus candidam fecit & claram, hanc ſenectus & ros vespertinus perduxit ad obscuritatem. Sic & Beata Margarita commendabilis eſt propter virgineam claritatem. Plus enim commendatur in hac puella candor virgineus quem Deo obtulit, cum erat 15. annorum, quando videlicet in ea viguit feruor iuuenilis, quam commendetur castitas in vidua, quam tunc primo Dco offert, quando eſt circa annos 50. vel 60. quando ſcilicet in ea teput ignis iuuentutis. Igitur propter hanc virgineam puritatem immensus draco, qui Margaritam absorbere volebat, nihil contra eam poterat præualere, ſed disruptus fuit. Item propter virgineam claritatem Margaritæ tenebroſiſimus carcer in quem missa fuit, diuino lu-

mine extitit illustratus. Præterea propter munidam huius virginis niuea columba veniens de cælo, & coronam auream apportans, ſedit ſuper humeros eius, & conſolabatur eam. Bonum eſt ergo, charifimi, ut fornicationis immunditiam fugientes casti ſimus & mundi, ne ab ore geheninalis draconis absorbemur, & ne in tenebras exteriores proijciamur: ſed ut corona gloriae coronari mereamur.

Quarta proprietas margaritarum eſt, quod contra aſtum febrium valere dicuntur. Sic & B. Margarita impetravit à Domino, quod quiunque eam veneratus fuerit, & implorauerit in omni neceſſitate ſua, pium, & velox ſentiet ſubleuamen.

Quinta proprietas margaritarum eſt, quod valent contra ſympopen & cardiacam paſſionem. Vnde de eis fit quoddam electuarium, quod diamargariton appellatur. Et vere B. Margarita per mirabilem constantiam, quam in grauiflimis tormentis habuit, confortat omnes timidos, & confundit nos ſenes, & rusticos, qui tam pauca pro Domino uſtinere valeamus. 1. Ipsi enim cum nollet negare Christum Iesum, ſuſpensa fuit in aere, & tam grauiter virgis fuit cæla, quod ſanguis de corpore eius in modum riuiuli decurrebat. 2. Item ſuſpensa fuit in aere, & carnes eius ſæuiffimiſ vngulis laceratae fuerunt. 3. Expoliata fuit, & in acerem ſuſpensa, & latera eius cum lampadibus accenſa fuerunt. 4. Ligatis manibus & pedibus in aquam miſſa fuit, ut ſubmergeretur. 5. Et acuto gladio fuit decollata, & ſic Angeli animam eius uſcipientes portauerunt in iucundos amplexus ſponsi ſui Iesu Christi. Quis hæc conſiderans non accipit fortitudinem, ut leues ac momentaneos huius vitæ labores pro Domino patiatur? Beata igitur Margarita eſt illud nobile diamargariton, quod ſumere debemus ad restaurandam fortitudinem cordis nostri.

De tertio nota, quod & nos negotiatores eſſe debemus, ut videlicet demus ea quæ habemus, propter illa quæ non habemus. Tria vero habemus, ſcilicet, res, corpus, & animam. Primo igitur res noſtras debemus circa egentes fideliter erogate. Vnde dicit Dominus Luc. 12. *Vendite quæ poſſideis, & date eleemosynam.* Sed heu quidam non ſolum non dant ſua egentibus, ſed etiam id ipsum quod habent, accipiunt à pauperibus. Secundo debemus etiam corpus noſtrum ſpiritualium exercitijs mancipare, ut videlicet ploremus, vigilemus, oremus, ieūnemus, & alios labores corporis peragamus, inquantum tamen hoc corpus noſtrum uſtinere potest. Tertio debemus animam noſtram fidelibus depositarijs commendare, videlicet, Patri, & Filio, & Spiritui sancto. Vnde Apost. 2: ad Tim. 1. *Scio cui credidi, & certus sum quia potens eſt depositum meum ſeruare in illum diem.*

De quarto nota, quod illa pretiosa margarita quam rebus, corpore, & anima comparare debemus, eſt ipſe dulcis Iesus Christus. Hæc pretiosa margarita inuenta fuit in illa nobili concha marina, videlicet, in Virg. Maria. Et dicitur hæc margarita pretiosa, id eſt, præ omnibus gratiosa. De hac dicitur Sap. 7. *Preposui illam regnis & ſedibus, & dinitias nihil eſſe duxi in comparatione illius, nec comparari illi lapidem pretiosum;*

*sum: quoniam omne aurum in comparatione illius arena est exigua, & tanquam lutum estimabitur argentum in conspectu illius. Rogemus ergo Dominum, ut pro ipsius pretiose Filio tam efficaciter laboremus, ut ipsum in nostrorum laborum præmium recipiamus. Quod, &c.*



## IN FESTO S. MARIAE

Magdalena

## SERMO XXV.

*Dixit Iesus ad mulierem: Fides tua te saluam fecit, vade in pace. Luc.7.*

Tria principaliter sunt hic notanda.

- I. *Quæ sit mulier, quam Iesus affatur?*
- II. *Quæ sit fides, per quam ipsa salvatur?*
- III. *Quæ sit pax, in qua ei dicitur, ut gradiat?*



E primo nota, quod mulier ista est Beata Maria Magdalena, quæ secundum etymologiam huius vocabuli duplicit mulier dicitur. Dicitur enim mulier, quasi mollis hero; vel dicitur mulier, quasi molliens herum. Et nota, quod herus idem est, quod dominus. Duo vero sunt heri, sive domini, videlicet, Deus, & diabolus. De ipsis duobus Dominis ipsa veritas dicit Matth.6. *Nemo potest duobus Dominis servire.* Igitur Beata Maria Magdalena appellatur mulier, id est, mollis hero, id est, diabolo. Ipsa quippe, vt pote cerea cum esset, mollis ei fuit, id est, obediens ad peccandum. Vnde legitur in praesenti Euang. *Et ecce mulier quæ erat in ciuitate peccatrix.* Peccata vero ipsius peccataris mulieris per hoc exagitantur, quod manifeste peccauit, & cum multis.

Quod autem manifeste peccauerit, per hoc innuitur, quod dicitur, *Ecce.* Ecce quippe est aduerbum demonstrandi. Quod etiam cum multis peccauerit, per hoc ostenditur, quod sequitur, *Quæ erat in ciuitate.* Non enim in aliqua parua villula peccauit, sed in ciuitate, vbi multi erant qui per eius pulchritudinem illecti, ipsius libidinem appetebant. Sed vt vbi abundauit delictum, superabundaret & gratia, sicut dicit Apost. ad Rom. 5. Maria Magdalena per diuinam misericordiam visitata, sicut fuerat prius mulier, id est, mollis hero, hoc est, diabolo: ita etiam postmodum facta est mulier, id est, molliens herum, hoc est, dulcem Creatorem suum, per pœnitentia syncretitatem, in qua tam seriose perficit, quod *vultus eius non fuit amplius in diversa muta-*

*tus:* sicut legitur in lib. Reg. de Anna matre Samuelis. Pœnitentiam enim quam initiauit procumbens ad pedes Salvatoris sui, ita firmam tenuit & inuiolabilem, quod nunquam deinceps visus est in ea aliquis actus, aut vultus dissolutus, vel etiam aliqua hilaritas. Per hoc nos admonemur, ne pœnitentias nobis iniunctas tam faciliter relinquamus. Multi enim sunt, qui pœnitentias sibi iniunctas in Quadragesima, statim in ipso sacro sancto paschali die reliquunt, ad choreas discurrentes & ad tabernas: imo quamplurimi sunt, qui mox ut à Sacerdote recesserint, iniunctæ sibi pœnitentiae sunt obliiti.

De secundo nota, quod fides Mariæ Magdalena erat hæc, videlicet, quod credebat Iesum Christum venisse ad peccatorum pœnitentium susceptionem. Credebat etiam ipsum venturum ad ipsorum qui non pœnituerint, condemnationem. Et hæc duplex fides saluam eam fecit. Suggestit enim ipsi: ut peccatis relictis curret ad pium ac dulcem pœnitentium suscepptorem, ne postmodum incideret in manus seuerissimi Iudicis punientis. Et nota, quod hæc fides Mariæ Magdalena tribus sodalibus suffulta fuit, videlicet, timore, dolore, & amore. Timor in hoc notatur, quod stetit retro, & quod non ad caput, sed ad pedes accessit. Qui enim timent se Dominos suos offendisse, non audent se repræsentare vultibus eorum, quos offenderunt: si tamen accesserint, potius ipsorum pedibus prouoluuntur, quam sibi osculum dari petant. Dolor in hoc ostenditur, quod amarissimis lacrymis pedes Domini nostri rigauit, & quod eisdem crinibus suis quos saepè pompatice ornauerat, tersit. Amor autem in hoc declaratur, quod osculabatur pedes Domini: quia osculum est signum amoris. Amor eius in hoc innuitur, quod pedes Iesu pretioso vnguento perunxit. Si enim non amasset eum, tales expensas circa tale vnguentum non fecisset. Præterea Dominus ipse hoc manifeste declarat, quod ipsa dilexit eum, loquens ita ad Phariseum: *Dico tibi, remittuntur ei peccata multa.*

Bonum est igitur, charissimi, quod & nos fidem Mariæ Magdalena, & sodales fidei ipsius habeamus, videlicet, vt credamus Dominum paratum ad receptionem peccatorum, si ex toto corde ad ipsum conuersi fuerint: credamus etiam eum iam accinctum ad vltionem peccatorum, si ad ipsum per pœnitentiam mature redire noluerint. Primum ad hoc valebit, ne ex consolatione facinorum in desperationem cadamus. Secundum nos admonebit, ne per nimiam præsumptionem de diuina misericordia de die in diem nostram pœnitentiam differamus.


Fidei etiam ipsius sodales habere debemus, videlicet, timorem, dolorem, & amorem. Timor quippe peccatum quod hominem defecdat, expellit. Dolor expulsi peccati maculas diluit. Amor vero peccatis dilutis ornatum boni operis superducit. De timore dicitur Eccl.1. *Timor Domini expellit peccatum: nam qui sine timore est, non poserit iustificari.* De dolore dicit Dominus per Isa.1. *Lanamini, mundi estote, auferite malum cogitationum vestrarum ab oculis meis.* De amore dicitur 1. Pet. 4. *Charitas operis multitudinem peccatorum,*

peccatorum. Amor itaque operit multitudinem peccatorum, sicut fasciculus delectabilium florū, operit aliquem locum, qui recenter à soribus est purgatus.

Quod autem praedicta tria nobis sunt necessaria, probatur per simile. Si enim aliquem nobilem & honestum hospitem suscepimus, & aliquod immundum animal domum tuam defecasset: primo necesse esset, ut illud animal expelleretur. Secundo, ut immunditia eius, quam reliquerat, ejiceretur. Tertio, ut vbi inquinamentum immundi animalis iaceat, florū ornatum spargeretur.

III. Videndum est, quæ sit pax, de qua dicitur Mariæ Magdalenæ: *Vade in pace.* Et nota, quod hæc pax appellatur amicitia diuina. Dicitur ergo, *Vade in pace.* Quasi dicat ei, vade & sis certa, quod amicus tuus sim. Sis etiam certa, quod deinceps contra te præualere non poterit inimicus. Et nota, quod Dominus in multis ostendit Mariæ Magdalenæ signa veræ amicitiae. 1. Dominus quippe eam ad pedes suos familiariter sedere permisit, & partem eius plus quam partem sororis commendauit: sicut dicitur Luc. 10. 2. Dominus etiam ea plorante, lacrymatus est, & ad preces eius Lazarum resuscitauit, sicut testatur Ioan. 11. Dominus etiam ei prius quam alicui Discipulorum post Resurrectionem suam apparuit, sicut legitur Ioan. 20. 3. Dominus etiam post Ascensionem suam multis annis eam ministerio Angelorum in aera subleuauit, ibique certis horis cælesti dulcedine satiavit, sicut de ea scriptum inuenitur.

Beatus igitur est, cuius amicus fuerit Deus. Amicitiam autem Dei, si volumus, per quatuor spiritualiter possumus comparare, videlicet, per corporis puritatem, per cordis humilitatem, per mentis lenitatem, & per eleemosynarum largitatem. Quod nobis, &c.



## ITEM

### IN EODEM FESTO S. Mariæ Magdalenæ SERMO XXVI.

*Dimissa sunt ei peccata multa,  
quoniam dilexit multum.  
Luc. 7.*

 Ed quoniam fatuæ mulieres in tribus maxime peccant, fatuos iuuenes attrahendo, scilicet oculis, capillis, & osculis, oculorum aspectus illicite faciendo, & luxuriose amando. Vnde Isa. 3. *Et nubibus oculorum ibant.* Proverb. 6. *Vir inutilis graditur ore peruerso, annuit oculis.* 2. Pet. 3. *In conniujs luxuriantes, &c.* Item capillis suis peccant, eos ornantes margaritis, & componendo, & tingendo: contra quod 1. Pet. 2. *Mulieres subdita sint viris suis, quarum non sit extrinsecus*

*capillatura aut circundatio auri.* 1. Timoth. 2. *Mulieres in habitu ornato cum verecundia, & sobrietate ornantes se, non in tortis crinibus, aut auro, aut margaritis.* 3. Item osculis peccant, dulciter & luxuriose osculando. Vnde Proverb. 7. *Ecce mulier occurrit ornata meretricio, preparata ad capiendas animas: apprehensumque deosculatur insenem, & procaci vultu, &c.*

Ideo tria ponit Lucas, in quibus Maria Magdalena obsequium exhibuit Christo. 1. Nam oculos, quos ad lasciuendum, & ad videndum non videnda obtulerat, modo ad bonum usum, id est, ad effusionem lacrymarum exhibuit. 2. Capillis quoque, quos ad lenocinium saepe ornauerat, iam pedes Dominicos tergit. 3. Os quoque, quo saepe non dicenda dixerat, & quo saepe imprudenter osculata fuerat, iam ad osculandos pedes Domini humiliabat, sicque adimpluit in se illud Apostoli ad Rom. 6. *Sicut exhibuisti membra vestra, &c.*

Ingressus domum Pharisei discubuit. Per Phariseum istum intelliguntur claustrales. Pharisæus enim interpretatur diuisus. Et claustrales ab alijs sunt diuisi, & merito. Præterea iste vocabatur Simon, quod interpretatur obediens. Et bene conuenit claustralibus, quia veniunt ad obedientiam cum talibus, & libenter Dominus prandet cum eis. Simon leprosus est claustralis, quia causa agendi pœnitentiam claustrum intravit, & peccata sua libenter confitetur. In domo huius recumbit.

Item. *De qua ejecerat septem dæmonia.* Vtrum hæc ita ad literam, non est discussum. Sacri Expositores volunt, ut per septem dæmonia intelligentur vniuersa peccata, quia septenarius numerus est vniuersitatis. Dicamus ergo dæmonia septem, id est, vniuersitatem peccatorum, siue septem criminalia, quæ septem nominibus dæmonum repertis in sacra Scriptura conueniunt, quæ sunt: Diabolus, Behemoth, Leviathan, Asmodæus, Satanæ, Exterminator, Dæmon.

1. Diabolus interpretatur deorsum fluens, & significat superbiam, quæ Luciferum ciecit de cælo, & Adam de paradiſo. Vnde Luc. *Qui se exaltat, humiliabitur, &c.* 2. Behemoth Iob 40. & interpretatur alit. Vnde signat gastrimargiam, quæ facit hominem quasi bestiam effluentem super omnem escam sine omni discretione. Vnde Iob 40. *Fænum quasi bos comedet, & infra 41. Effusus est quasi vitulus super herbam.* Vnde Psal. 31. *Nolite fieri sicut equus & mulus, &c.* 3. Leviathan Iob 40. & interpretatur additamentum eorum: vnde signat auaritiam, quæ superaddit domum domui, agrum agro. Isa. 5. *Væ qui coniungitis, &c.* 4. Asmodæus Tob. 5. & interpretatur iudicij diluuium, & significat luxuriam, per quam Dominus mundum diluuio iudicauit Gen. 6. *Cum vidisset terram esse corruptam, omnis quippe caro corruperat, &c.* Vnde sequitur ad Noe: *Finis vniuersæ carnis venit coram me.* 5. Satanæ Matth. 16. & interpretatur aduersarius, vnde signat inuidiam, quæ semper maioribus aduersatur. Iob 5. *Parvulum occidit inuidia.* 6. Exterminator 1. Corinth. 10. & signat iram, quæ ponit animam extra terminos suos. Psal. 57. *In ira populos confringes, &c.* 7. Dæmon Matth. 8. & interpretatur

pretatur sufficiens iniquitas : vnde signat accidiam , quæ sufficit ad puniendum hominem , cum nihil dilectionis habeat . Eccl. 30. Multos occidit irsitia , & non est uirtus in illa , &c.



## IN FESTO S. IACOBI

Apostoli

### S E R M O X X V I I .

*Dic ut sedeant hi duo filij mei ,  
unus ad dexteram tuam , &  
alius ad sinistram tuam in  
regno tuo. Matth. 20.*

In verbis præmissis duo principaliter sunt hic notanda.

I. *Quare ad dexteram & ad sinistram Iesu sessio filijs à matre petatur?*

II. *Per quid ad dexteram & ad sinistram gloriam Domini veniatur?*



E primo nota , quod mater Iacobi & Ioannis forsitan audierat , vel scriptum legerat , Proverb. 3. *Longitudo dierum in dextera eius , & in sinistra eius diutiae & gloria.* Et propterea petiuit vni filiorum sessionem ad dexteram , & alteri ad sinistram . Tria enim hæc parentes filijs suis specialiter optant , videlicet , vitæ diurnitatem , operum vertatem , & gloriæ claritatem . Rogauit igitur & hæc mater Iesum Christum , ut cum yeniret in regnum suum , transferret & conferret eis beatæ vitæ perennitatem , ac opum cœlestium vertatem , nec non & regalis gloriæ claritatem . Has enim tres principales dignitates , è dextra & sinistra Dominus porrigit suis principibus in regno suo .

De istis tribus dicitur Sapient. 5. *Iusti in perpetuum uiuent . Ecce felicis vitæ perennitas . Dicitur etiam Isa. 25. Precipitabit mortem in sempiternum . Sequitur . Et apud Dominum est merces eorum , & cogitatio eorum apud Altissimum . Ecce supercœlestium diuinarum vertas . Multum enim solent homines cogitare pro diuinitijs , & certe hæc sunt apud Altissimum ; vnde ipse Altissimus dicit Prou. 8. *Mecum sunt diutiae & opes superbae .* Sequitur . *Accipient regnum decoris , & diadema speciei de manu Domini .* Ecce regalis gloriæ claritas .*

Et nota è conuerso , quod illi miseri qui cadent à dextra , & sinistra Domini ( Cadent enim

à latere eius milte , & decem millia à dextris eius quod , inquam , illi miseri cadent in acerbæ mortis æternitatem , in paupertatis ac inediæ grauitatem , in contemptus ac vilitatis interminabilitatem . De istis tribus dicitur Apoc. 18. *In una die venient plaga eius , mors , & famæ , & igni comburetur .* Hæc dicuntur de anima peccatrice .

I. Dicit ergo , *In una die , id est , in die iudicij , venient plaga eius , mors .* Ecce semper mortis æternitas . De morte autem dicitur in Psal. 77. *Viam fecit semita ire sue , & non pepercit à morte animabus eorum .* Nota , quod modo ira Dei , quasi in semita est : quia modo quasi capta est , & reposita in vineula misericordie Dei nostri . Veruntamen in die iudicij soluetur , & tunc de semita intrabit in viam . Tunc enim late se expandet ad ultionem inimicorum suorum . Et certe tunc non parcer à morte animabus imploratum .

2. Sequitur , *Famæ .* Ecce paupertatis ac inediæ grauitas . O quam gravis paupertas ibi erit , vbi de omni æterno ac temporali bono , nec ynam micam , vel guttam miser peccator habebit : vbi non solum simile delicata & dulces morselli , nec non & præclara vina negabuntur : immo ut taceam de pane rusticano , etiam ipse porcorum siliquæ miseris esurientibus non dabuntur ! Propter hoc monet nos Eccl. 18. *Memento paupertatis in die abundantie , & necessitatem paupertatis in die dñiarum .* Si hoc fecisset ille diues epulo , sapienter egisset , antequam venisset ad illum locum , vbi ei etiam greta aquæ negabatur .

3. Sequitur , *Et igni comburetar .* In hoc notatur contemptus ac vilitatis interminabilitas . Sicut enim pulices ac alij minuti vermes hominem mordentes , quia contemnuntur ac odiuntur , in ignem mittuntur ; sic & miseri , qui nunc elati ac superbi , viles reputabuntur , ut pulices & bufones : vnde & in ignem mittentur æternum , & ibi luto vilius erit vita illorum . Vnde Sap. 20. *Luto vilius vita illius : quoniam ignorauit eum qui se finxit , & qui inspirauit illi animam .*

II. Videndum est , per quid veniatur ad dextram & sinistram Dei uiui : Et est scendum , quod per calicem passionis , quem certe ipse Dei Filius biberat . Vnde dicitur Ioan. 18. quod Petrus , cum veller defendere Dominum , & amputasset seruo Pontificis auriculam , dixit Iesus ad Petrum : *Mitte gladium in vaginam suam : calicem quem dedit mihi Pater , non vis ut bibam illum ?* Hunc etiam exhibuit Iacobo , & Ioanni ad bibendum . Vnde cum mater ad suggestionem ipsorum rogasset illos ponit ad latera Domini , respondit ei Iesus dicens : *Potestis bibere calicem quem ego bibiturus sum ?* Quasi dicceret . Vos desideratis quasi magni Praelati & Principes sedere ad dextram & ad sinistram meam in regno : sed hoc sciatis , quod illuc venire non potestis , nisi calicem quem ego bibiturus sum , bibatis .

Nota ergo , quod ex hoc calice tria bibuntur , quæ respondent illis tribus , que sunt in regno Dei . Primum est contemptus ac vilitas ; hæc perducunt hominem ad gloriæ claritatem . Secundum est rerum paupertas ; hæc

hæc perducit hominem ad diuitiarum vberatatem. Tertium est mortis acerbitas ; hæc perducit hominem ad iucundæ vita perennitatem. 1. Vilitatem & contemptum ipse Dominus primo babit. Vnde dicit in Psal. 20. *Ego sum vermis & non homo, opprobrium hominum & abiectio plebis. Omnes videntes me deriserunt me, locuti sunt labijs, & mouerunt caput.* Bibamus & nos cum ipso, vt secure clamare possimus ad ipsum, sicut dicitur in Psal. 22. *Miserere nostri Domine, miserere nostri : quia multum repleti sumus despectione, quia multum repleta est anima nostra, opprobrium hominum, & despectio superbis.*

2. Paupertatem etiam Dominus babit, sicut de seipso testatur in Psal. 87. ita clamans in cruce : *Pauper sum ego, & in laboribus à innuentute mea : exaltatus autem in crucis patibulo, humiliatus sum, quia ut fursum suspensus, & conturbatus, secundum timorem naturalem. Venit enim princeps huius mundi, id est, diabolus captans in animam meam, sed in me non habet quicquam.* Bibamus etiam nos cum ipso : multum enim commendat paupertatem : vnde dicit Matth. 5. *Beati pauperes spiritu : quoniam ipsorum est regnum celorum.* Pauper spiritu est ille, qui in diuitijs se per superbiam non eleuat, qui res suas pauperibus libenter administrat, qui contra iustitiam nihil lucri desiderat, qui bona cum tanto timore possidet, quasi iam de eis rationem redditurus ante Deum assifstat,

3. Babit etiam Dominus mortis acerbitas : vnde dicit in Psal. 17. *Circundederunt me dolores mortis, & torrentes iniquitatis conturbauerunt me.* Torrentes iniquitatis erant impij Iudæi Christo insultantes, ipsumque blasphemantes. Item de dolore suo clamat Thren. 1. *O vos omnes qui transitis per viam, attendite, & videte si est dolor sicut dolor meus.* Debemus etiam & nos, cum fidei necessitas hoc exegerit, libenter mori cum Domino. Quotidie vero oportet nos in nobis meti ipsi virtiosas concupiscentias & carnis desideria trucidare : sicut monet nos Apostolus ad Col. 3. *Mortificate, inquit, membra vestra que sunt super terram, fornicationem, immunditiam, libidinem, concupiscentiam malam, & auaritiam que est idolorum seruitus.*

Rogate ergo Dominum, vt sic suas amaritudines cum ipso bibamus, vt etiam ad ipsius consolationes perueniamus, &c.

\* \*



I N

## FESTO AD VINCVLA S. Petri Apostoli

### S E R M O X X V I I I .

*Tu es Petrus, & super hanc petram edificabo Ecclesiam meam.* Matth. 16.

Tria sunt principaliter hic notanda.

- I. *Quare princeps Apostolorum à Domino Petrus appellatur?*
- II. *Quæ sit petra, cuius mentio hic habetur?*
- III. *Quæ Ecclesia super hanc petram edificetur?*



E primo nota, quod in eo, quod Dominus dicit ad Petrum, *Tu es Petrus, commendat eum à tribus, videlicet, 1. à fidei claritate, 2. à spei firmitate, 3. & à forti charitate.* Et hæc tria possunt elici ex interpretatione huius nominis, Petrus, agnoscens, siue discalceans, aut dissoluens. 1. Petrus igitur primo interpretatur agnoscens. Ipse enim agnouit Christi diuinitatem per fidei claritatem, dicens : *Tu es Christus Filius Dei vivi.* Vnde & Dominus respondit ei : *Beatus es Simon Bariona; quia caro & sanguis non renelauit tibi, scilicet, hanc fidei professionem, sed Pater meus qui in celis est.* 2. Petrus etiam interpretatur discalceans. Ecce spei firmitas. Ipse enim discalceauerat pedes affectuum suorum ab omnibus concupiscentijs, & desiderijs terrenorum. Vnde & propter spem cœlestium se ostendit reliquissimam possessionem terrenorum, ita cum fiducia loquens ad Dominum Matth. 19. *Ecce nos reliquimus omnia, & secuti sumus te: quid ergo erit nobis?* 3. Petrus etiam interpretatur dissoluens. Ecce fortis charitas. Charitas enim dissoluit, quicquid iniquitas ligat. Per charitatem igitur Petrus animam dissoluerat à mundo, & ligauerat Christo. Vnde legitur Ioan. 6. quod *cum multi discipulorum retro abiissent, nec iam cum Christo ambularent, & Dominus dixisset ad duodecim: nunquid & vos vultis abire?* respondit ei Simon Petrus, *Domine ad quem ibimus?* Quasi diceret. Anima mea & cor meum sic alligata sunt tibi per dilectionem, quod non possunt à te aliquatenus separari.

1. Debemus etiam & nos, charissimi, in predictis tribus imitatores esse Beati Petri, vt videlicet simus primo agnoscentes, siue videntes per fidei claritatem. Fides autem tria videt, videlicet, infima, media, & summa. Debemus igitur infima videre per metum, media per contemptum

temptum, suprema per appetitum. Infima itaque sunt supplicia peccatorum, quæ debemus videre cum metu. De his supplicijs dicit Petrus 2. Can.2. *Si Deus Angelis peccantibus non pepercit, sed rudentibus, id est, duris catenis, inferni detracitos in tartarum tradidit in iudicium crucianos reseruari. Nouit etiam Dominus iniquos in diem iudicij cruciando reseruare.* Debemus etiam media, id est, bona gaudia huius mundi videre cum contemptu. Nullius enim pretij vel momenti sunt bona & gaudia huius mundi, futura gloriae comparata. Vnde Paulus ad Roman.8. *Non sunt condigna passiones huius temporis ad futuram gloriam, que reuelabitur in nobis.* O quam pauci bona & gaudia huius mundi contemnunt! Debemus etiam videre summa, hoc est, cælestis patriæ iucunditatem cum omnis desiderij appetitu. De hoc dicitur Deut.33. *Oculus Iacob in terra frumenti & vini.* Per Iacob intelligitur qui libet bonus Christianus, qui quotidie contra diabolum & virtia luctatur. Huius oculus debet esse in terra frumenti & vini, id est, in patria supercælesti, ubi Iesus Christus tanquam panis & vinum confortat & lætitificat corda electorum suorum. Hinc etiam dicitur ad Heb.11. *Iuxta fidem defuncti sunt omnes isti, non acceptis reprobationibus: sed à longe eas aspicientes, & salutantes, & confitentes, quia peregrini & hospites sunt super terram.*

2. Debemus etiam esse discalceantes per spei firmitatem, ut videlicet cor nostrum à carnalibus desiderijs & concupiscentijs terrenis discalceemus, ut ita digni simus videre Deum deorum in Sion. De hac discalceatione & visione legitur in Exod.3. quod *Moyses cum pasceret oves saceri sui, & venisset ad interiora deserti, vidit Dominum in medio rubi qui ardebat, & non comburebatur. Dixit ergo Moyses: Vadam & videbo visionem hanc magnam. Cui Dominus, Selue calceamenta tua de pedibus tuis: locus enim in quo sis, terra sancta est.* Quasi diceret. Nisi solueris calceamenta tua, non poteris ad me propinquare.

Nota, quod quandoque dulces fructus crescunt in rubo: vnde per rubum intelligitur dulcedo consolationum, & magna multitudo dulcedinis Dei: de quibus dicitur in Psal.30. *Quam magna multitudo dulcedinis tua Domine, quam abscondisti timentibus te!* Vnde rubus ille dicitur fuisse in interioribus deserti, per quod desertum cælum intelligitur. Et certe in medio consolationum suarum ac dulcedinis suæ ostendet se ibi Christus Iesus. Quæ consolations dulci charitatis igne accensæ suauiter ardentes: sed nunquam consumuntur. Ad has consolationes & ad Christum, qui in medio corum est, qui pertingere voluerit, oportet ut animam suam discalceet ab omnibus concupiscentijs terrenis & immundis.

3. Debemus etiam esse dissoluentes per formem charitatem, ut videlicet per charitatem dissoluamus & discindamus omnes funes peccatorum nostrorum, quibus à Deo trahimur in profundum abyssi. Peccata enim sunt funes inferni, quibus miser homo, licet peccatis excusat, hoc non videat, quotidie trahitur ad infernum. De his funibus dicit David Rex 2. Reg.22. *Funes inferni circundederunt me, prænene-*

*runt me laquei mortis.* Necessarium ergo nobis est, vt hos funes mature virtute charitatis dissoluamus, de qua dicitur Cant.8. *Fortis ut mors dilectio, lampades eius lampades ignis atque flammam.*

De secundo nota, quod petra de qua habetur, est ipse Iesus Christus: de qua dicit Apostolus 1. ad Cor.10. *Petra autem erat Christus.* Est autem haec petra commendabilis propter plura. 1. Est enim refugium peregrinantium, 2. & securitas transmigrantium, 3. & multiformis beatitudo regnantium. Est igitur primo refugium peregrinantium. Vnde dicitur Cant.2. *Veni columba mea, scilicet & larita in foraminibus petrae, & in cauernis maceriarum.* Per columbam intelligitur anima boni Christiani, quæ quandiu peregrinatur in hoc corpore, persecutionem patitur ab infernali accipitre. Vnde summe necesse est ei, ut fugiat in foramina petrae, id est, in quinque vulnera Iesu Christi. Debet etiam fugere in cauernas maceriarum, id est, Beatae Virginis ac aliorum Sanctorum praesidia implorare. Et nota, quod haec petra non solum est refugium columbis, id est, iustis, & innocentibus, sed etiam erinacijs, id est, peccatoribus, spinis peccatorum circumseptis: si tamen per veram penitentiam recurrerint ad Christum. Vnde in Psal.3. *Petra refugium erinacys.*

Secundo, Est etiam haec petra securitas transmigrantium, id est, morientium. Vnde 2. Reg.

22. *Dominus petra mea, & robur meum, & scutum meum.* Item Psal. 39. *Statuit Dominus supra petram pedes meos, & dirigit gressus meos.* Ita dicit anima iusti, quando in morte ex corpore euolauerit. Vere beatus est, cuius anima basis tunc Deus fuerit, ut super eum tunc puteus inferni non vrgeat os suum.

Tertio, Est etiam haec petra beatitudo regnantium. Tres enim doles animæ fluunt ex hac petra, videlicet, clara cognitio, suavis dilectio, & dulcis fruitio. Prima dos est riuus fontis lucidissimi. Secunda dos est riuus olei suauissimi. Terra est riuus mellis dulcissimi. De prima dicitur Num.20. quod *Moyses virga percussit petram, & egressæ sunt aquæ largissime.* De secunda dicit Iob 19. *Petra fundebat mihi riuos olei.* De tertia dicitur Deut. 32. *Constituit eum super excelsam terram, ut sugeret mel de petra.*

De tertio nota, quod Dominus super seipsum ædificat Ecclesiam suam. Et nota, quod duplex est Ecclesia, videlicet, Ecclesia Dei, & ecclesia diaboli. Prima signatur per Ierosolymam, secunda per Babyloniam. De prima dicitur Psal. 34. *Confitebor tibi in Ecclesia magna, in populo graui laudabo te.* De secunda dicitur in Psal.25. *Odii ecclesiam malignantum, & cum ipsis non sedeo.* Ecclesia igitur Dei est congregatio iustorum, quibus ut dicitur ad Eph. 3. *Est unus Dominus, una fides, unum baptisma, unus Deus, & Pater omnium.* Quilibet autem iustus est quasi quidam lapis viuus, qui per virtutes & bona opera ædificatur super Christum, qui est fundamentum omnium electorum. De hoc dicit Petr. 1. Can.2. *Accedentes ad lapidem viuum, ab hominibus quidem reprobatum, à Deo electum & honorificatum: & ipsi tanquam lapides viui superædificamini in domos spirituales.*

Et nota, quod in hac Ecclesiæ ædificatione fides

fides animæ Christum ostendit, spes animam ad Christum adducit, Charitas autem quasi optimum clementum animam Christo alligat & unit. Cauere vero debet quilibet qui de Ecclesiæ Dei consortio esse desiderat, ne portæ inferi, id est, superbia, avaritia, luxuria præualeant aduersus eum.

Rogate ergo Dominum, ut sic Petri imitatores existamus, sique super Dominum structuram animarum nostrarum ponamus, ut in die iudicij cum Christo fiduciam habeamus. Quod, &c.



## IN FESTO BEATI Laurentij

### S E R M O   X X I X .

*Probasti Domine cor meum, &  
visitasti nocte: igne me exa-  
minasti, & non est inuenta  
in me iniquitas. Psal. 16.*

**S**T E versus cantatur ab Ecclesia, & in nocturno officio, & in diurno de B. Laurentio. Vnde notandum est, quod tria innuuntur in præmissis verbis, quæ faciunt ad commendationem Beati Laurentij.

- I. Probatio,
- II. Visitatio,
- III. Examinatio.

**N**ota etiam, quod in probatione non fuit inuenta in ipso iniquitas avaritiæ, in visitatione non fuit inuenta in eo iniquitas impatientiæ, in examinatione vero non fuit inuenta in ipso iniquitas perfidiæ.

I. Igitur probatus fuit per thesauri commissiōnem. Commissit enim ei tanquam fideli & prudenti dispensatori Sixtus Papa omnem thesaurum Ecclesiæ, sed in hac probatione cordis sui non fuit inuenta in eo vlla iniquitas avaritiæ. Nihil enim sibi usurpauit ex omnibus illis bonis quæ sibi commissa fuerunt, quod certe facere poterat, si voluisset. Vnde conuenit ei illud, quod Eccl. dicit 31. *Beatus diues, qui inuentus est sine macula superbiæ, avaritiæ, atque luxuriæ (hæ sunt enim maculæ diuitium) & qui post aurum non abiit, declinando à iustitia, nec sperauit in pecunia & thesauris: sicut quidam faciunt, qui denarios suos in illis super terram fodunt, credentes quod in diebus infirmitatum suarum, magnum ex eis habebunt solatium. Quis est hic, & laudabimus eum? fecit enim mirabilia in vita sua.* Vere valde pauci sunt, qui tales sint, sicut iste diues describitur. Sequitur: *Quis probatus est in illo, & perfectus inuentus est? & erit illi gloria eterna.* Vere qui in ista probatione perfectus

D. Alberti Magni Serm.

inuentus fuerit, æternam gloriam consequetur.

Hac probatione probantur omnes diuites huius mundi, sive sint laici, seu clerici. Omnes enim sunt villici Domini, & de bonis sibi commissis sunt rationem Domino reddituri. Dicet quippe eis Dominus illud Luc. 16. *Redde rationem villicationis tuae.*

Vnde tria sunt necessaria his, quibus Dominus bona huius mundi ad tempus concessit. Primum est, ut animas suas redimant. Secundum est, ut veros sibi amicos acquirant. Tertium est, ut æternos thesauros conquerant.

De primo dicit Proverb. 13. *Redemptio animæ viri, diuitia sue: qui autem pauper est, increpatiō nem non sustinet.* Stultus est, qui animam non redimit. Nota, quod dicit, Diuitia sue, id est, ex vero & iusto patrimonio, vel ex labore fideli & iusta negotiatione habitæ: non per rapinam, vel furtum, vel usuram, vel fraudem aliquam conquisitæ.

De secundo dicit Dominus Luc. 16. *Facite vobis amicos de mannoa iniquitatis: ut cum deficeritis, recipient vos in eterna tabernacula.* Mammoma iniquitatis idem est quod pecunia inæqualitatis. Per pecuniam enim diues inæqualis est pauperi. Per hanc debemus nobis veros fidèles & potentes amicos acquirere, qui post mortem nostram & velint & possint nobis suffragari. Vnde dicit Glos. super prædictum locum: *Facite vobis amicos, non quoilibet pauperes, sed eos qui possunt vos recipere in eterna tabernacula.* Sed quidam potius pecuniam suam suffodiunt lapidibus quam distribuant bonis pauperibus: propter quod Eccl. 29. *Perde pecuniam propter amicum, & non abscondas illam sub lapide in perditionem.* Amicus noster est Christus Iesus, qui veram amicitiam in multis, nobis ostendit. Propter hunc pecunia felici perditione est perdenda. Feliciter perditur ille denarius, qui mille marcas auri reportabit.

De tertio, videlicet, quod bonis transitorijs æternos thesauros conquerere debemus, monet nos Dominus Luc. 12. *Vendite que possidetis, & date elemosynam. Facite vobis sacculos qui non veterescunt, thesaurum non deficientem in calis: quod fur non appropiat, neque tinea corrumpit.*

De secundo nota, quod visitatus etiam fuit Beatus Laurentius nocte, id est, per tenebroſi carceris inclusionem. Per noctem enim tenebroſus carcer intelligitur. Fuit incarcерatus in carcere Hyppolyti: sed in hac carcerali visitatione non fuit inuenta in eo iniquitas impatientiæ: patienter enim sustinuit incommoda carceris. Sciebat nempe, quod Dominus dixerat Luc. 21. *Iniicient vobis manus suas: & persequentur tradentes in synagogas & custodias, trahentes ad Reges & Praefides propter nomen meum.* Et infra. *In patientia vestra possidebitis animas vestras.* O charissimi, ubi est patientia vestra? Si impatienter audis verbum Dei, ubi tibi viginti dierum indulgentia conferatur: quomodo audies verbum Christi, ubi ad carcerem & supplicia traheris?

De tertio nota, quod examinatus fuit igne, id est, per multam & duram corporis afflictionem. Primo enim expoliatus fuit, & scorpionibus cæsus. Secundo fustibus fuit percussus. Tertio laminis ferreis ad latera adustus fuit.

S Quarto

Quarto cum plumbatis verberatus fuit. Quinto os sancti Laurentij cæsum fuit cum lapidibus. Sexto in cruce ferrea multis prunis subactis fuit afflatus. In hac multiplici examinatione non fuit inuenta in eo iniquitas perfidie. Per omnia quippe supplicia sibi inficta non poterat ab eo extorqueri, ut sacrificium diis offerret. Vnde & ipse dixit: *Ego me obtuli Deo sacrificium in odorem suavitatis.*

Dolendum est, charissimi, quod multi sunt, qui Deo contempto, corpora sua immolant gulae & luxuriae. De primis dicit Apostolus ad Phil. 3. *Multi ambulant, quos sepe dicebam vobis (nunc autem & flens dico) inimicos crucis Christi: quorum finis interitus, quorum Deus venter est, & gloria in confusione ipsorum.* De ebrietate quippe gloriantur, de qua deberent magis confundi. De secundis dicit Apost. 1. ad Corin. 6. *Corpus non fornicationi debetur, sed Domino: & Dominus corpori. Nescitis quoniam corpora vestra membra sunt Christi? Tollens ergo membra Christi, faciam membra meretricis?* Absit. Rogate, charissimi, Dominum, ut sic auaritiam & impatientiam, sic gulam & luxuriam fugiamus, ut Deo nostro in gloria iugiter astare increamur. Quod, &c.



ITEM  
IN EODEM FESTO  
S. Laurentij

SERMO XIX.

*Amen, amen dico vobis, nisi granum frumenti cadens in terram, mortuum fuerit, ipsum solum manet: si autem mortuum fuerit, multum fructum affert. Ioan. 12.*

Tria sunt hic notanda.

- I. *Quid per granum frumenti intelligatur?*
- II. *Quomodo hoc granum frumenti moriatur?*
- III. *Quis fructus ex hoc grano frumenti proferatur?*



E primo nota, quod per granum frumenti ipse Christus Dei Filius, & Beatus Laurentius, necnon & quilibet Christianus intelligitur. Et hoc propter quinque, videlicet propter grani candorem, ruborem, muram, virtutem, & dignitatem.

Nota igitur primo, quod granum frumenti, id est, tritici, est candidum interius, & candidus panis ex eo conficitur. Sic & Christus candidus fuit per omnitudinem vitæ munditiam: vnde Sap. 7. *Candor est lucis æterne, & speculum sine macula Dei maiestatis.* Vnde propter incomparabilem vitæ candorem datum est ei à Patre, ut sedeat super thronum candidum, & iudicet omnes fines terræ. Hinc dicitur Apocal. 20. *Vidi thronum iudiciale magnum candidum: quia magna sententia ibi datur, & unusquisque candor ibi requiritur, & sedentem super eum Christum, à cuius conspectu fugit terra & celum, propter faciem eius severitatem, & incomparabilem cælestibus & terrestribus claritatem, & locus non est inuenitus eis, in quem iudicium Dei effugerent, Et vidi mortuos magnos, & pusillos, id est, nobiles & ignobiles, vel diuites & pauperes, stantes in conspectu throni, & libri conscientiarum apertos sunt: & alius Liber, qui est vitæ, apertus est, id est, Christus qui ostendet ibi cicatrices quinque vulnerum suorum: & indicati sunt mortui ex his, que scriptæ erant in libris, secundum operam ipsorum.*

Candidus etiam fuit Beatus Laurentius per vitæ puritatem. Vnde etiam cantatur de eo, *quod puritate innocentis vita, fortissimeque mortis triumpho, Apostolico se confortio sociauit.* Debemus etiam & nos candidi esse per cordis puritatem, & corporis castitatem. Legitur etiam Apoc. 19. *Veniunt nuptiae Agni, & uxor eius preparavit se.* Et datum est illi ut cooperiat se bissino splendenti, & candido. Sponsa Agni est fidelis anima, quæ oportet, ut le cooperiat bissino splendenti & candido, id est, munditia mentis & corporis, ut sit digna recipi in felices amplexus illius immaculati Agni, videlicet, Iesu Christi: si hoc non fecerit, non erit sponsa Agni, sed sponsa draconis. Eccl. 9. *Omnis tempore sim vestimenta tua candida.*

Secundo nota, quod granum tritici quodammodo rubet extrinsecus: sic & Christus rubuit in Passione. Vnde sponsa Cant. 5. *Dilectus mens, inquit, candidus, & rubicundus.* Beatus etiam Laurentius ruborem habuit grani triticei. Ipse quippe toto corpore martyrum forti patientia tolerauit, sicut optime patet in legenda sua. Debemus etiam & nos rubicundi esse per fidem & memoriam Dominicæ Passionis. Vnde dicunt Christo Angeli Isa. 63. *Quare rubrum est indumentum tuum, & vestimenta tua sicut calcantium in torculari?* Vestimenta Domini, quibus ipse in gloria in conspectu Patris vestitur, sunt omnes boni Christiani. Hæc vestimenta debent esse rubra per fidem, & iugem memoriam Dominicæ Passionis. Debent etiam boni Christiani sitire martyrium: quia hoc est, ut dicit Hiero. *vera compensatio, ubi sanguis sanguine compensatur.* Heu quanti sunt, qui etiam ab insanis vanitatibus, id est, à choreis nolunt abstinere propter reverentiam sanguinis Iesu Christi. Quomodo tales cum Christo, & pro Christo, probra & contumelias & saeva corporis supplicia paterentur? Rubri etiam erimus, si pallia animalium nostrarum in sanguine vuæ, id est, in sanguine Christi lauemus: vnde Gen. 49. *Lauabit in vino stolam suam, & in sanguine vuæ pallium suum.*

Tertio

Tertio nota, quod granum triticeum quādam fissura in vno latere diuisum esse videtur. Sic & Christus per viscera misericordiam patet omnibus, quantumcunque etiam peccatoribus, dummodo per veram pœnitentiam redire velint ad ipsum: vnde Zachar. 13. *In die illa erit fons patens domus David, & habitantibus Ierusalem in ablutionem peccatoris, & menstruare.* Per fontem istum intelligitur fons misericordia Iesu Christi, qui licet semper patuerit peccatoribus, tamen spiritualiter apertus fuit ad emundationem criminum & sordium nostrarum, quando *vniuersitas militum lancea latus eius aperuit, & continuo exiit sanguis & aqua:* sicut testatur Ioan. 19.

Beatus quoque Laurentius patuit ad pauperes per largam pietatem: *Dispersit enim thesauros Ecclesiae, & dedit pauperibus:* vnde *iustitia eius manet in seculum seculi,* coronata coram Domino. Ipse quippe sciens scriptum: *Qui parce seminat, parce & metet:* copiose seminavit, vt & copiole meteret.

Debemus & nos etiam cor & manus habere apertas per compassionem & misericordiam largitatem: vnde dicitur Proverb. 31. *Manum suam aperuit inopi, & palmas suas extendit ad pauperem.* Qui modo aperit cor & manum per compassionem & largitatem, certe ipsi aperientur portae iustitiae: sicut dicitur in Psal. 117. *Aperite mihi portas iustitiae, & ingressus in eas confitebor Domino.* Hæc sunt verba piæ animæ.

Quarto nota, quod granum frumenti virtutem habet confortatiuam. Sic & de Christo, qui est ille panis viuus qui de cælo descendit, dicitur in Ps. 103. *Panis cor hominis confirmet.* Multi sunt, quorum animæ naucent super pane isto suauissimo, & propterea sicut scenum arescit cor ipsum. Vnde in Psal. 101. *Percussus sum ut scenum, & aruit cor meum: quia oblitus sum comedere panem meum.*

Beatus etiam Laurentius exemplo suæ patientiæ quam habuit in tormentis, multos confortauit & confortat. Vnde signatus est per illum panem similagineum, qui *assis in craticula, oleo que confersus* olim Domino consuevit offerri, sicut habetur in Leuit. 2. Nam & ipse tanquam panis afflatus fuit in craticula, vt debiles eo ampius confortaret.

Debemus etiam & nos virtutem habere triticæm, vt quilibet alterum & sanis verbis & bonis exemplis in omni seruitio corroboret & confortet. Vnde Dominus dixit ad Petrum Luc. 22. *Ego rogavi pro te, ut non deficiat fides tua: & tu aliquando conuersus, confirma fratres tuos.* Hinc etiam dicit Apostolus ad Rom. 15. *Debemus nos firmiores imbecillitates infirmorum sustinere.* Hic vehementer redarguendi sunt, qui dissuadent proximis suis, ne aggrediantur viam salutis æternæ.

Quinto nota, quod inter cætera grana seminum dignius est granum tritici: vnde de ipso fit panis nobilium ac principum. Sic etiam Christus vocatur frumentum electorum Zach. 9. *Quid bonum eius, & quid pulchrum eius, nisi frumentum electorum, & vinum germinans virginis?* Quia igitur Christus adipe frumenti & militante Ierusalem satiauit, & triumphantem: propter hoc dicit Glossa, quod mos cœpit Ecclesiæ de hoc solo grano conficiendi corpus Domini. Et certe Bea-

tus Laurentius bene huic digno grano comparatur: quia multi principes ac nobiles eius suffragia frequenter implorant.

Debemus, charissimi, etiam nosmetipsos, quasi panes triticeos, mensæ Dei repræsentare, vt videlicet omnes Angelorum dignitates, siue sint potestates, vel principatus, ac dominaciones, propter nostram pœnitentiam & salutem coram Dei Filio gaudent & lætentur.

De secundo & tertio nota, quod Christus, qui granum frumenti appellatur, quia mortuus fuit in Passione, multum fructum Deo Patri attulit in Ascensione, & quotidie afferit in peccatorum conuersione. Beatus etiam Laurentius, quia mortuus fuit in constantia fidei, multum fructum gaudiorum inuenit in præsentia dulcis Iesu. Vnde, charissimi, bonum est, vt nōs vitijs & concupiscentijs huius mundi quotidie moriamur, vt & nos animabus nostris fructum æternæ beatitudinis afferre mereamur. Quod, &c.



## D E A S S U M P T I O N E B. Mariæ Virg.

### S E R M O X X I .

*Intrauit Iesus in quoddam castellum, & mulier quædam Martha nomine excepit illum in domum suam, & huic erat soror nomine Maria. Luc. 20.*

In præsenti Euangeliō quod consuevit legi de Assumptione gloriæ Virg. Mariæ, tria principaliter hic notanda.

- I. *Quid per castellum quod Christus intrauit, exprimat?*
- II. *Quid per Martham & Mariam sororem eius intelligatur?*
- III. *Quam recompensationem Dominus Marthæ negotio, & Maria otio largiatur?*

E primo nota, quod per castellum intelligitur mundus iste. De isto castello dicit Matth. 21. *Misi Iesus duos Discipulos dicens eis: Ite in castellum, quod contravos est, & statim inuenietis asinam alligatam, & pullum cum eo: soluite & adducite mihi.* Per asinum intelliguntur peccatores, qui ad praua exempla scenum recenter in peccata deciderunt. Vtrosque Dominus per duos discipulos, videlicet, timorem & amorem vocat: quia Dominus opera eorum, id est, pœnitentiam desiderat, vt dicit Luc.

Et nota, quod in tribus locis, videlicet, in Matth. 21. & in Mar. 11. & Luc. 9. hoc castel-

lum dicitur contra nos esse. Triplici enim hoste impugnat nos mundus iste, videlicet, carnis petulantia, oculorum concupiscentia, & vita superbia: sicut testatur Ioan. 1. Can. 1. *Omne quod est in mundo, concupiscentia carnis est, & concupiscentia oculorum, & superbia vita.* Et bene mundus iste dicitur castellum diminutum vocabulo: fragilis enim est & caducus. Vnde Ioan. 1. Canon. 1. *Mundus transibit, & concupiscentia eius.* Notabile etiam est, quod Matth. Marc., & Luc. dicunt pullum adductum. Solus Matth. scribit etiam aliam adductam. Per hoc innuitur, quod rarius & difficilius senes conuerti possunt, quam iuuenes.

In hoc castellum Dei Filius venire voluit, ut homines huius castelli Deo Patri per suum sanguinem reconciliaret. Vnde ad Colos. 1. *Deo Patri complacuit per Christum Iesum reconciliari omnia in ipso, pacificans per sanguinem crucis eius, sine qua in terris, sine in celis sunt.* Item ad Roman. 5. *Si cum inimici essemus, reconciliati sumus Deo per mortem Filii eius: multo magis reconciliati salvi erimus in vita ipsius.*

De secundo nota, quod per has duas sorores, Martham & Mariam, exprimuntur caro & anima intemerata Virg. Mariæ. Caro enim eius gerit figuram Martha. Legitur namque de Martha, quod Iesus cum in quoddam castellum intraret, accepit illum in domum suam. Sic & caro Beatæ Virginis, cum Iesus per incarnationem mundum intrare voluit, excepit illum in domum vteri mundi & fecundi. Quod autem vterus Beatæ Virginis fuerit fecundus & mundus, testatur ipse Filius Dei ita dicens Cant. 7. *Filia principis, venter tuus sicut aceruus tritici vallatus lilijs. Aceruus tritici: ecce copiosa fecunditas. Vallatus lilijs: ecce munda virginitas.*

Exceptit autem hæc Martha, id est, caro Beatæ Virginis Iesum, exceptit, inquam, id est, ex omnibus alijs cepit. Vnde Beata Virgo dicit Cant. 5. *Dilectus meus candidus & rubicundus, electus ex millibus.* Nolebat enim concipere alium, nisi solem Dei Filium. Item exceptit, id est, ex se sola cepit. Non enim ex sermonibus, sed ex solo sanguine Virginis conceptus Deus Filius.

Hæc etiam Martha, id est, caro Beatæ Virginis, fatagebat circa frequens ministerium. Vnde & Luc. 1. Cum annuntiasset Angelus Mariæ, quod conceptura esset Iesum, respondit: *Ecce ancilla Domini, fiat mihi secundum verbum tuum,* &c. Et vere ista beata ancilla fatagebat secundum carnem circa frequens ministerium. Ipsa enim, sicut Luc. ait 1. intellecta conceptione præcursoris Domini exurgens cum festinatione abiit in montana, & intrauit domum Zacharie, & salutauit Elisabeth, & mansit cum illa quasi mensibus tribus, & ministravit ei: ita ut etiam forte obstetricis officium gereret. Nam ipsa, sicut legitur in libro iustorum, præcursum Domini natum primo leuauit à terra. Postea hæc benedicta ancilla, cum impleti essent dies eius, ut pareret, peperit filium suum primogenitum, & pannis eum inuoluit & reclinavit in praesepio, quia non erat ei alius locus in diuersorio. Laetauit etiam eum ubere de calo pleno. Post haec die 40. vt dicit Luc. 2. *Cum impleti essent dies purgationis eius secundum legem Moysi, tulit filium suum in*

*Ierosalem cum hostijs, vt sifteret eum Doming.* Deinde, ut dicit Matth. 2. ad admonitionem Angeli fugit in Aegyptum cum filio suo, ibique Dominum septem annis in multa paupertate educauit. Demum reuersa est Nazareth, ibique multa solicitudine puerulum enutriuit. Maritum quippe suum, id est, Beatum Ioseph, qui quasi erat maritus Beatae Mariæ, misit ad fortia opera. Ipse enim erat faber lignarius, & digitus eius apprehenderunt fusum, ut se & filium enutriret, ut dicitur Proverb. 30. Ecce Martha satagens circa frequens ministerium Iesu Christi.

Per Mariam vero anima Beatæ Virginis figuratur, quæ coram se in contemplatione diuinitatis suspenderat. Vnde dicitur sedisse secus pedes Domini, & audire verbum illius. In sessione notatur quietæ contemplationis suauitas. Per pedes vero Domini, intelligitur misericordia & veritas diuina: per has enim diuinitas inducta humanitatem assumpsit. Et certe secus hos pedes Domini sedens anima Beatæ Virginis audiens verbum illius, id est, auscultabat suauissimam harmoniam verbi illius, quod erat in principio apud Deum. De prædictis pedibus Domini dicitur in Psal. 88. *Misericordia & veritas precedent faciem tuam. Beatus populus, qui scit iubilationem.*

Igitur anima Beatæ Virginis tam auida inseparabilitate Christi diuinitatem conremplante, poterat dicere caro eiusdem Virginis: *Domine, non est tibi cura, quod soror mea reliquit me solam ministrare? dic ergo illi, ut me adiuuet, id est, ut mecum circa tuæ humanitatis ministeria sollicitetur: cui respondit Dominus: Martha, Martha, sollicita es, & turbaris erga plurima.* Quasi dicat. O caro matris meæ, sollicita es naturalibus affectibus circa meam educationem & sustentationem, & turbaris erga plurima, quæ patior & patiar propter Iudaicam persecutionem. Turbaris enim propter multas calumnias & opprobria, quæ patior, & patiar à Scribis & Phariseis & principibus Sacerdotum. Turbaris etiam, quod capiar, & colaphis & alapis feriar, & sputis inquinabor. Turbaberis etiam, quia flagellabor, & spinis coronabor, & cruci clavis affixus felle & aceto potabor, & ab irridentibus subsannabor, & postmodum lancea perforabor. Propter hæc, inquam, & multa alia turbaberis.

Porro vnum est necessarium, Glossa, Deo iugiter inhærere. Vnde Maria, id est, soror tua anima, optimam partem elegit, quæ non auferetur ab ea. Quasi dicat. O caro materna bona & valde bona est pars tua. Me etenim verum Deum & hominem concepisti, & in vtero tuo nouem mensibus baiulasti, & demum terris edidisti, & in sinu tuo fonsisti: sed soror tua anima optimam partem elegit, quæ non auferetur ab ea. Ipsa quippe mea diuinitate semper fruebatur in terris per gratiam, semper etiam fruetur in celis per gloriam.

De tertio nota, quod hodie Dominus noster Iesus Christus ut matris ministeria recompensaret, exceptit eam & ipse in dominum suam, quam sibi præparauerat ab æterno. Creditur enim à pluribus Sanctis, quod Dominus matrem suam & corpore & anima assumperit super omnes ordines Angelorum. Exceptit ergo eam, id est, excellentius omnibus Angelis

Angelis & alijs Sanctis suscepit. Et vere dignum fuit, quod ille, qui præceperat Exod. 20. *Honor patrem tuum & matrem tuam, ut sis longeius super terram*, scilicet, viuentium, ut & ipse corpus matris suæ speciali prærogatiua honoraret.


Igitur de domo illa, in quam corpore & anima assumpta est Beata Virgo Maria, legitur in 2. Paral. 8. *Transtulit Rex Salomon filiam Pharaonis de ciuitate Dauid in domum quam adificauerat ei.* Salomon interpretatur pacificus, vel retributor, & signat Filium Dei, qui est summe dulcis & pacificus cum electis suis in gloria, qui etiam æterna supplicia retribuit peccatoribus pro suis criminibus & delictis. Pharao interpretatur dissipans virum, & signat Deum excelsum, qui viros, id est, eos, qui confidunt in virtute sua, quam cito voluerit, dissipat, & tamquam vas fragili confringet eos. Huius filia fuit & est Beata Maria. Per ciuitatem vero Dauid intelligitur militans Ecclesia, de qua dicitur Cant. 4. *Sicut turris Dauid collum tuum, quæ adficiata est cum propnaculis: mille clypei pendent ex ea, omnis armatura fortium.* Sicut enim collum vnitur capiti, sic etiam sancta militans Ecclesia vnitur Christo capiti per fidem & charitatem. Et certe in hac Ecclesia pendent mille clypei, & omnis armatura fortium, videlicet, exempla sanctorum Patriarcharum, Prophetarum, Apostolorum, Martyrum, Confessorum, Virginum, & omnium electorum, quibus quisque fidelis existens in Ecclesia contra insultus dæmonum protegitur & armatur.

Igitur verus Salomon, videlicet, Dei Filius transtulit hodie B. Mariam fororem suam matrem & sponsam de ciuitate Dauid, hoc est, de Ecclesia militante in domum speciosissimam, opulentissimam, quietissimam, ac eminentissimam, vtpote super omnes Angelorum ordines fabricatam. Et vere decebat, ut illa quæ erat virtutum decore speciosissima, & bonis operibus opulentissima, & pace cordis quietissima, necnon & diuina contemplatione eminentissima, talem domum inueniret.

Nota de prædicta domo, in quam Rex Regnam dicitur transtulisse, quod erat, sicut Magister dicit in historijs, marmore, cedro, argento, & auro, opulentissime decorata. Per aurum intelligitur inæstimabilis charitas, per argentum mundissima virginitas, per cedrum ancillaris humilitas, per marmorem martyrij asperitas: per quæ Beata Virgo, licet quamplurimis alijs virtutibus suffulta fuisset, spiritualiter transferri meruit in domum sibi à Deo mirifice præparatam. Per aurum igitur quod omni metallo est nobilis, intelligitur inæstimabilis charitas Beatæ Virginis. Creditur enim charitate etiam Seraphim transcendisse. Per argentum quod clarum est, & tinnulum, figuratur mundissima virginitas Beatæ Mariæ, quod à virginibus canatur ante sedem Dei & agni. Per cedrum quæ altior est alijs omnibus arboribus, intelligitur ancillaris humilitas Beatæ Virginis, per quam super omnem creaturam Dei cælestem ac terrestrem meruit exaltari. Per marmor quod ferram patitur, & quandoque rubeis maculis est respersum, notatur martyrij asperitas, quæ erat in visceribus & corde Beatæ Mariæ. Vnde dixerat ei Simeon Luc. 2. *Tuam ipsius animam pertransibit*

D. Alberti Magni Serm.

*gladius. Hieron. Constat, quod alijs Sancti, eis passi sunt pro Christo in carne: tamen in anima, quia immortalis est, pati non potuerunt. Beata vero Dei genitrix, quia in ea parte passa est, quæ impassibilis habetur, ideo, ut ita fatear, quia spiritualiter & atrocius passa est gladio Passionis Christi, plus quam martyr fuit.* Rogate ergo Dominum, ut sic gloriosæ matri eius in hac vita seruianus, ut claritatem eius in patria videamus. Quod, &c.



## I N E O D E M


### FESTO ASSVMPTIONIS B. Mariæ

#### S E R M O   X X X I I .

*Quæ est ista quæ progreditur  
quasi aurora consurgens, pul-  
chra ut luna, electa ut sol,  
terribilis ut castrorum acies  
ordinata?* Cant. 6.

**N**O T A , quod hæc verba per admirationem dicuntur de admirabili matre mirabilis Dei nostri. Vnde quinque principaliter sunt hic notanda.

- I. *Quare Beata Virgo progredi dicatur?*
- II. *Quæ sit causa, quod aurora vocatur?*
- III. *Quæ sit ratio, quod pulchra ut luna nuncupatur?*
- IV. *Propter quid electa ut sol afferatur?*
- V. *Cur etiam terribilis ut castrorum acies astruatur?*



**G**IT VR sciendum est, quod hæc quinque quasi ex ipso nomine gloriosæ Virginis innuntur. Ipsa enim Maria vocatur. Hoc nomen constitut ex quinque literis, videlicet M. A. R. I. A. Ponamus ergo Pro M Mediatrix, pro A Alleuiatrix, pro R Reparatrix, pro I Illuminatrix, pro A Auxiliatrix. Et inuenimus, quare de Beata Virgine dicatur, quod progreditur, & quasi aurora consurgit, & quod pulchra est ut luna, & electa ut sol, ac terribilis ut castrorum acies ordinata.

Et nota, quod vniuersum genus humanum propter peccata primorum parentum, videlicet Adæ & Ève, & etiam propter proprios excessus, quinque mala inciderat, scilicet, Dei Patris offenditionem, interni langoris vexationem, spiritualium virium defectionem, mentis ac cordis obtenebrationem, & crudelium hostium infestationem: sed propter hæc quinque mala tollenda facta est Dei genitrix Mediatrix, Alleuiatrix, Reparatrix, Illuminatrix, & Auxiliatrix.

S ; De

De primo nota: *Glossa*, Dei genitrice inter dulces amplexus serenissimi filij ad cælos ascende, omnes Angelici spiritus, & vniuersæ animæ electorum in laudem Beatae Mariae prorumpentes dicunt: *Quæ est ista?* id est, quam bona, quam pia, quam laudabilis, & quam admirabilis, pie progradientur, id est, pro reis graditur, velut Mediatrix. Recognoverunt enim, quod ipsa Iesum genuerat, qui mundum Deo Patri per proprium cruentum reconciliauerat: vnde dicit Paulus 2. ad Corinth. 5. *Deus erat in Christo mundum reconcilians sibi.* Vnde & quotidie cantamus in Missa: *Agnus Dei, qui tollis peccata mundi*, &c. Recognoverunt etiam omnes Angelici ciues, quod propterea Beata Virgo super omnes Angelorum choros eleuabatur, vt pro peccatoribus quasi pia Mediatrix iugiter intercedat. Vnde & dicit secreta Oratio. *Munera nostra apud clementiam tuam Deus, genitricis commendet oratio, quam idcirco de presenti seculo transtulisti, ut pro peccatis nostris apud te fiducialiter intercedat.* Hinc etiam verus Salomon, id est, Dei Filius dicit ad matrem suam 3. Reg. 2. *Pete mater mea, neque enim fas est ut auertam faciem tuam.*

Vt autem Filius apud Patrem, & Mater apud Filium pro nobis efficacius intercedat, bonum est, ne aliquis nostrum vel Filium vel Matrem offendat. Ille Filium & Matrem offendit, qui in diebus Dominicis Resurrectionis Filij consecratis, & in solennitatibus B. Virg. choroas frequentat ac tabernas, & qui tunc ludis, in quibus multa iuramenta proferuntur, vacat & luxurijs. Certe B. Virgo nunquam lusit. Vnde & ipsa dicit Tob. 3. *Nunquam cum ludentibus miscui me, neque cum his qui in leuitate ambulant, participem me prebi.*

Sequitur de secundo, *Quasi aurora consurgens.* Hic recognoscunt Angeli & sancte animæ, quod B. Virgo est ægrotantiæ Alleuiatrix. In ortu siquidem auroræ ægrotantes lenius consueuerunt habere. Legitur etiam in Gen. quod Angelus Iacob in ortu auroræ benedixit. Et nota, quod aurora dicitur quasi aurea hora. Tempus enim auroræ præ alijs horis ægrotis est charissimum. Et vere Beata Virgo præ omnibus alijs Sanctis, infirmis peccatoribus charissima est, atque gratissima. Ipsa quippe Dei Filium, qui est medicina omnium infirmitatum, protulit toti mundo. Vnde Eccl. 38. *Altissimus de terra creauit medicinam, & vir prudens non abhorrebit eam.* Itaque Beata Virgo est illa benedicta terra, de qua Altissimus, id est, Deus Pater, medicinam fidelium, id est, Iesum Christum secundum corpus creauit, & animam: secundum diuinitatem quippe semper exitit increatus. Et vere prudens qui fuerit, non abhorrebit hanc medicinam. Hæc autem medicina quotidie nobis exhibetur in venerabili Sacramento Corporis & Sanguinis Domini nostri Iesu Christi. Vnde & in quadam complenda oramus: *Sit nobis, quesumus Domine, medicina mentis & corporis, quod de sancti altaris tui benedictione accipimus, &c.* Multi mulierem fornicariam, vel pecuniam, vel aliam rem male acquisitam huic medicinæ præponunt. Malunt enim carere Christi corpore, quam amasiam dimittere, vel pecuniam, seu aliam rem iniuste acquisitam restituere.

Sequitur de tertio, *Pulchra ut luna.* Hic testatur omnis familia Regis æterni, quod Beata Virgo est debilium Reparatrix. Sicut enim luna in suo incremento corporibus humores recuperat: sic & Beata Maria Deum Israel concepit & peperit, qui dat virtutem & fortitudinem plebi sua, ut dicitur in Psal. 67. De hac luna dicitur Eccl. 43. *Luna crescens admirabiliter in consummatione.* Beata nempe Maria creuit ut luna, non autem decreuit. *Ibat enim de virtute in virtutem,* donec fieret luna perfecta in æternum. Ita & nos, charissimi, in virtutibus & bonis operibus de die in diem crescere debemus. Hinc est, quod Dominus dixit in Gen. Noe & filiis eius: *Crescite & multiplicamini, & replete terram.* Per Noe intelliguntur diuites & Prelati, per filios eius notantur pauperes & subditi. His omnibus dicit Dominus: *Crescite in virtute & multiplicamini in bonis operibus:* sic enim replebitis terram viuentium. Quidam autem è conuerso quotidie deficiunt, & peiores efficiuntur.

Sequitur de quarto, *Eleæta ut sol.* Hic proclamat cælestis exercitus, quod Beata Virgo celi & terræ est Illuminatrix. Sicut enim sol illustrat tenebras huius mundi: ita & ipsa æterno Soli præparauit tabernaculum suum, qui ortus est ex ea, & illuminauit his, qui in tenebris sunt & umbra mortis. Ortum huius solis prædicterat Malach. 4. *Orietur vobis timentibus nomen meum sol iustitiae: & sanitas in pennis eius.* Christus igitur est sol iustitiae, qui mundum istum vita præclarissima, & doctrina rectissima illustravit. Qui etiam in iudicio excessus impiorum declarabit. Et vere sanitas in pennis eius. Ad quemcunque enim sol iste tunc volauerit, id est, cuius corpus & animam tunc glorificauerit, sanitatem ei largietur æternam. Dicitur etiam Eccl. 42. de Filio Dei & Matre eius: *Sol illuminans per omnia respexit, & gloria Domini plenum est opus eius.* Hæc verba sic intellige, quod duplex est sol cæli, videlicet, Dei Filius, & Mater eius. Hi ergo soles per omnia respiciunt, id est, cuilibet de omni seruitio, quod ipsis impensum fuerit, speciales scutellas æternæ retributionis transmittent, sicut principes facere consueuerunt.

Sequitur de quinto, *Terribilis ut castrorum acies ordinata.* Hic innuitur, quod Beata Virgo fidelium contra dæmones & septiformem turram vitiorum dimicantium est fortis Auxiliatrix: vnde de ipsa dicitur Cant. 4. *Sicut turris David collum tuum, qua adificata est cum propugnaculis: mille clypei pendent ex ea, omnis ornatu fortium.* Nota, quod per collum intelligitur Beata Virgo, per ipsam enim quasi excellentissimam totum corpus Ecclesiæ vnitur capiti Christo. Hæc est sicut turris David, id est, manus fortis: quia fideles in ea forte refugium inueniunt. Et hæc est adificata cum propugnaculis, id est, adiutorium habet à Patre & Filio & Spiritu sancto. *Mille etiam clypei,* id est, omnium Angelorum præsidia pendent ex ea ad defensionem ipsorum, qui configuerunt ad ipsam. *Omnis etiam armatura fortium pendet ex ipsa,* quia omnes electi eum, quem ipsa adiuuare voluerit, adiuuabunt.

Bonum est ergo, charissimi, quod per veram

ram pœnitentiam sic modo ad istam fortem Auxiliatricem configiamus , vt per ipsam protectionem in die iudicij contra omnes nostros aduersarios habeamus. Quod, &c.



## ITEM IN ASSUMPTIONE Beatæ Mariæ SERMO XXXIII.

*Veni in hortum meum, soror mea sponsa.* Cant.5.

**D**Ec sunt verba Regis æterni vocantis gloriosam Matrem suam in semipernam requiem. Vnde tria sunt hic notanda.

- I. *Quare mater Dei à Filio soror & sponsa appellatur?*
- II. *Quæ sit causa, quod in hortum suum vocetur?*
- III. *Quis sit hortus, in quem mater à Filio dulciter inuitatur?*

**D**E primo nota : Beata Virgo soror Dei appellatur & sponsa , propter vitæ conformitatem , & hæreditatis identitatem , ac inæstimabilem charitatem. Ipsa denique Filio suo conformis erat in vita. Sicut enim Filius virgo fuit , ita & Mater semper virgo permanxit : præterea idem regnum , & eandem hæreditatem tanquam cohaeres participat cum Filio , & propter has duas causas soror appellatur. Dicitur etiam sponsa , propter inæstimabilem charitatem , qua reciprocè se diligunt Mater & Filius. Filius enim ex omnibus millibus Angelorum & hominum à Matre electus est , & præelectus. Ipse vero è conuerso ex omni numero fæminarum elegit eam , & præelegit , vt incarnaretur ex ea.

De secundo nota : Filius Dei propter hoc Matrem suam inuitat in hortum suum : quia & ipsa olim eum , dum incarnari voluit : receperat in hortum suum , id est , in virginalem mentem & ventrem. Vnde & ipsa dixerat Cant. 5. Angelo sibi nuntiante , quod esset Dei Filius suscepura : *Veniat dilectus meus in hortum suum, ut comedat fructum pomorum suorum.* Non dicit, meum , sed suum : quia se , & omnia sua obtulerat voluntati diuinæ. Et vere Beata Virgo fuit hortus deliciosus propter septem , quæ commendabilem faciunt hortum , quorum primum est clausuræ firmitas. Secundum , arborum condensitas. Tertium , florum speciositas. Quartum , graminis viriditas. Quintum , fontis riuulositas.

Sextum , cantus suauitas. Sextum , aromatum nobilitas.

Primo igitur fuit Beata Virgo hortus firma sepis clausura munitus. Vnde & Dei Filius dicit de ea Cant. 4. *Hortus conclusus, soror mea sponsa, hortus conclusus.* Bis dicit , hortis : circunsepta quippe fuit firma corporis munditia , & forti cordis patientia. Munditia corporis oblitus oblectationibus mundi. Cordis vero patientia resistit aduersitatibus seculi , ne videlicet per delectationes & aduersitates mundi huius frustus Virginis à dæmonibus auferatur.

Debemus & nos , charissimi , quasi hortus fructiferus circunsepi circuus custodia 10. præceptorum Domini : vbi enim sepes ista non fuerint , diripitur à dæmonibus omnis possessio bonorum operum. Vnde Eccl. 36. *Vbi non est sepes, diripiatur possessio.*

Secundo fuit arbóribus consita. Arbores autem istæ fuerunt diuersæ virtutes , videlicet prudenteria , fortitudo , temperantia , atque iustitia : de quarum pomis & fructibus Dei Filius vescebat. Vnde & ipsa dicit ad Filium Cantic. 7. *Omnia poma noua & vetera, dilecle mi, seruani tibi. Poma vetera erant exempla Patrum veteris testamenti , poma noua erant exempla Patrum noui testamenti : quæ omnia B. Virgo Dei Filiò in se obtulit ad edendum. Debemus & nos charissimi , prædictas arbores in nobis plantare , vt per prudentiam inter bonum & malum discernamus , per fortitudinem malo resistamus , per temperantiam vero nunquam modum debitum excedamus.*

Tertio Beata Virgo fuit ornata floribus , videbatur lilio virginitatis , rosa charitatis , ac viola humilitatis. Vnde & quidam sanctus in laude ipsius ait : *Trium florum in te miramur excellentiam, quorum odore suauissimo totam domum Domini replevit. O Maria, viola humilitatis, lily castitatis, rosa charitatis.* Accipiamus & nos , charissimi , mutuo de floribus istis , eosque in cordis nostri viridario transplantemus , vt propter odorem ipsorum & venustatem , Dei Filius nobiscum habitare dignetur.

Quarto delectabilis fuit propter viriditatem graminis. Per viride gramen signatur virens fides Virginis intemerata. Christo quippe moriente , omnibus in fide vacillantibus , ipsa sola quasi columna immobilis persistit in fide. Debemus & nos viridi fide , id est , fide quæ per dilectionem Dei bona operatur , quasi quoddam viridarium facere in corde nostro , in quo Deus delectabiliter requiescat. Quidam in arido gramine confidunt , qui credunt se posse saluari , si tantum fidem habeant , & non opera : contra quos dicit Iacob. 2. *Quid proderit , fratres mei, si fidem quis dicat se habere , opera autem non habeat? Nunquid potest fides saluare ipsum?* Quasi dicat , Non.

Quinto commendabilis est propter fontem , qui ex ipsa scaturiens totam Ecclesiam irrigat abundanter. Hic autem fons est compassio & misericordia B. Mariæ , per quam fluit ad omnes quantumlibet etiam peccatores. De hoc fonte dicitur Cant. 4. *Fons hortorum, puto aquarum viventium, quæ fluunt impetu de Libano.* In Libano itaque , id est , in eminentia diuinæ contemplationis B. Virgo haustis aquas compal-

sionis ac misericordia, ouibus ex se diffusis tanquam fluminis impetu lætitiat ciuitatem Dei. Debemus & nos imitari B. Virginem, ut habeamus aquas compassionis in cordibus nostris, quibus per pias eleemosynas ariditates & paupertates egentium irrigemus.

Sexto laudabilis est propter cantus suauitatem, quæ in ea fuit, & semper erit. Deuotæ siquidem gratiarum actiones & sanctæ meditationes, necnon & piæ cogitationes ipsius quasi quedam ancillæ alis alacris spei in altum subleuatæ, suauem faciebant harmoniam in auribus Dothini. Nonne cantabat Domino, quando in gratiarum actiones prorumpens ait Luc. 1. *Magnificat anima mea Dominum, &c.* Et certe ipsa adhuc quasi canticum nouum, quod ante sedem Dei & agni cantatur. Debemus & nos cantare Domino, hoc est, gratias agere ipso super omnibus beneficiis suis. Vnde Apostolus ad Col. 3. *Estate in gratia cantantes in cordibus vestris Deo.*

Septimo commendatur propter aromatum nobilitatem, quæ fuerint in ipsa. Vnde de seipsa dicitur in Eccl. 24. *Sicut cinnamomum & balsamum aromatizans odorem dedi, quasi myrrha electa dedi suauitatem odoris.* Per cinnamomum quod tanto est charitus, quanto gracilis, notatur virginalis humilitas. Non enim mirabile iudicatur, si aliqua est humilis, quæ olim multis peccatis subiavit: sed si virgo immaculata humilis fuit, hæc est laude digna. Per balsamum quod valde calidum est, ita quod gustantis palatum vehementer accedit, notatur materna charitas, per quam feruens Maria super omnem estimationem hominum dilexit Filium Dei. Per myrrham electam, quæ multæ amaritudinis esse dignoscitur, intelligitur viduæ aduersitas. Omnem enim myrrham, id est, omnes amaritudines Passionis quas Filius Dei bibit: bibit & ipsa, & quodammodo plus ipsa. Lancea quippe, quæ perforauit latus Saluatoris, dolorem non fecit Filio, sed matri. Quod etiam post mortem seductor appellatur, dolorem Filij non aggrauat, sed genitricis ipsius. Igitur propter tria predicta summe odorifera est Virgo benedicta. Debemus & nos per bona opera & famam ipsorum, bonum odorem spargere ad ædificationem proximorum nostrorum. Vnde dicit Paulus 2. ad Corinth. 2. *Bonus odor sumus Deo in his qui salvi fuimus, & in his qui pereunt.* Item Eccl. 7. *Melius est nomen bonum, quam unguenta pretiosa.* Item Eccl. 41. *Curam habet bono nomine: hoc enim magis permanebit tibi, quam mille thesauri magni & pretiosi.*


De tertio nota: Quia venerabilis Virgo olim Dei Filium receperat in hortum mentis & corporis, & ipse eam vice reciproca intuitat in hortum suum supercælestem, ita dicens ad ipsam: *Veni in hortum meum soror mea sponsa.* Et nota, quod cælum, in cuius requiem Beata Maria innixa super dilectum suum hodie introiuit, bene horto comparatur propter septem supra dicta. Primo propter pacis firmitatem. Vnde dicitur in Psalm. 147. *Lauda Ierusalem Dominum, qui posuit fines tuos pacem, & adipè frumenti satiat te.* De hac pace dicitur 2. Paral. 20. *Quieuit regnum Iosaphat, & prebuit Dominus pacem per circuitum.* Iosaphat interpretatur ipse iudicans, & signat Dei Filium, cui Pater commisit iudicium: & certe in huius regno pax est per circuitum.

Secundo regnum Dei vocatur hortus proprie atborum condensitatem, inter quas una est altissima & speciosissima, videlicet, trinus & unus Deus. De hac arbore dicitur in Genes. 1. quod *lignum vita erat in medio paradisi*, cuius umbra electorum animæ proteguntur, & fructu reficiuntur. Sub hac arbore sedet Beata Virgo in regali folio sublimata ac deauratis vestibus circumornata, necnon & imperiali diademate coronata. Vnde & ipsa dicit in Cant. 2. *Sicut malus inter ligna syluarum, sic dilectus meus inter filios: sub umbra illius quem desideraueram, sedi: & fructus eius dulcis gutturi meo.*

Tertio regnum Dei floridum est floribus amoenissimis, videlicet, rosis, violis, ac liliis: per quos flores intelliguntur, Martyres, Confessores, ac Virgines, & Continentes. Quarto est ibi viriditas graminis, id est, dulcis respectus, & intuitus diuinae humanitatis, quæ mirabiliter reficit oculos electorum. Quinto regnum Dei commendatur à fonte & à fluvio, qui egreditur à sede Dei & agni. Vnde dicitur Apoc. 22. *Ostendit mihi flumen aque vita splendidum tanquam crystallum, procedentem de sede Dei & Agni.* Iste fluvius est inenarrabilis suauitas, quæ fluit à tota Trinitate. De hoc fluvio bibunt amici, & inebriantur charissimi, sicut dicitur Cant. 5. Per amicos intelliguntur, qui tantum præcepta custodiunt. Per charissimos vero notantur illi, qui præceptis etiam consilia superaddunt: vt potest virgines, & omnia pro Christo relinquentes.

Sexto commendatur à cantu suauissimo. Ibi enim est suauissimus concentus Angelorum, & animarum sanctorum. *Misericordias enim Domini in eternum cantabunt.* Quo cantico, ut dicit Augustinus in gloriam gratiæ Christi, cuius sanguine liberati sumus, nihil erit profecto illi ciuitati iucundius. Septimo commendabile est regnum Dei ab aromatibus. Ibi quippe, ut taceam de animalibus electorum, & odor suauissimus ac nobilissimus emanabit à corporibus beatorum. Vnde dicitur Cant. 4. *Odor vestimentorum tuorum sicut odor thuris.* Vestimenta quippe Sanctorum sunt corpora eorum, quorum odor erit sicut nobilissimi thuris, qui redolet in diebus æstatis. Rogate ergo Dominum, ut sic nunc Beatam Virginem imitemur, ut coram ipsa in horto Regis æterni cum lætitia congregemur. Quod nobis, &c.

\* \* \*



IN FESTO

BEATI BARTHOLOMÆI  
Apostoli.

## SERMO XXXIV.

*Vos estis qui permansistis mecum  
in temptationibus meis, & ego  
disponam vobis, sicut dispo-  
suit mihi Pater meus regnum,  
ut edatis & bibatis super  
mensam meam in regno meo.  
Luc. 22.*

Ec verba dicuntur Apostolis, quorum unus erat S. Bartholomæus: dicuntur etiam omnibus Christianis, qui Christo fideliter adhærent in prosperis & aduersis. Vnde tria sunt hic nota.

- I. Quæ sunt temptationes, in quibus Apo-  
stoli cum Domino permanserunt?
- II. Quod sit regnum, quod sibi à Dei Filio  
disponi meruerunt?
- III. Quæ sit mensa, ad cuius refectionem  
iamdudum lètanter accesserunt?

**D**E primo nota: Tentationes Domini erant persecutions Iudaorum, quibus eum tripliciter, videlicet, corde, ore, & opere persequebatur. 1. Corde quippe bonum Deum oderunt, & amabilem contempserunt. Vnde ipse dicit in Ioan. 15. *Si mundus vos odit, scitote quia me priorem vobis odio habuit.* Et infra: *Si opera non fecissim in eis que nemo alius fecit: peccatum non haberent: nunc autem & vide- runt, & oderunt & me, & Patrem meum.* Sed ut adimplatur sermo qui in lege eorum scriptus est: *Quia odio habuerunt me gratis.* Item dicit Dominus Ioan. 7. *Me odit mundus: quia testimonium per- hibeo de illo, quia opera illius mala sunt.*

Beatus etiam Bartholomæus & cæteri Apostoli odia malorum hominum sustinuerunt, quod & nos facere debemus. Vnde dicit Dominus Mar. 13. *Eritis odio omnibus hominibus propter no- men meum.* Qui autem sustinuerit usque in finem, saluus erit. Item dicit Matth. 24. & Luc. 21. Item Ioan. 15. *Si de mundo fuissetis, mundus quod suū erat, diligenter: quia vero de mundo non estis, sed ego elegi vos de mundo, propterea edit vos mundus.* Item monet nos Luc. 6. *Vt bene agentes lètanter iniquorum hominum odia patiamur:* dicit enim: *Beati eritis cum vos oderint homines propter Filium hominis, gaudete in illa die: ecce enim merces vestra multa est in celis.*

Corde etiam amabilem contempserunt. Vnde

dicit Isa. 53. *Vidimus eum, & non erat aspectus, & desiderauimus eum: despœtum, & nouissimum viro- rum.* Summo quippe desiderio Prophetæ illius aduentum postulauerunt, & quem Scribæ & Pharisæi quasi nouissimum, id est, vilissimum despexerunt. Item de contemptu Domini dicitur Luc. 23. *Spreuit autem illum Herodes cum exercitu suo & illusit.* Quod autem Iudæi amabilem Dei Filium contemptibilem reputauerunt, per hoc satis claret; quia eum conspuerunt, sicut testatur Matth. 26. & Marc. 14. Apostoli etiam contemnebantur. Vnde & si nos Deo seruientes contemnimus, patienter sustinere debemus. Vnde dicit Dominus Luc. 10. *Qui vos spemini, me spernit.* Et vere hodie boni & simplices contemnuntur: nequam autem & versuti homines extolluntur. Vnde dicitur in Job 12. *Deridetur insi- simplicitas. Lampas contempta apud cogitationes diu- nitum, parata ad tempus statutum.* Simplicitas itaque pauperum licet hodie contemnatur apud cogitationes diuinitum versutorum: ipsa tamen quasi lampas clarissima lucebit in tempore extre- mi iudicij, quando discutientur merita singu- lorum.

Christo etiam in facie male locuti fuerunt. Sex enim crimina imposuerunt ei. Dicebant enim eum esse voratorem, potatorem, male agen- tium amatorem, turbarum seductorem, dæmoniorum receptatorem, & gentis subuersorem. De primis tribus dicit ipse Dominus Matth. 11. *Venit Filius hominis manducans & bibens, & dicunt: Ecce homo vorax & potator vini, publicatorum & peccatorum amicus.* Q.d. Ipse consentit eis, & approbat eorum facta. De quarto dicit Ioan. 7. *Murmur multum erat de Iesu in turba. Quidam enim dicebant, Quia bonus est: ali⁹ dicebant, Non, sed seducit turbas.*

De quinto dicit Ioan. 7. *Dixit turba ad Iesum, dæmonium habes.* Item dicunt Iudæi ad Domi- num Ioan. 8. *Nonne bene dicimus nos, quia Sa- maritanus es tu, & dæmonium habes? nunc cognouimus, quia dæmonium habes.* Q.d. Tu es ræceptator dæmoniorum, quorum ministerio facis quæcun- que agis. De sexto dicitur in Luc. 23, vbi dicunt ad Pilatum de Christo: *Hunc inuenimus subver- tentem gentem nostram, & prohibentem tributa dari Cesari.* Multa etiam alia probra & falsa testimo- nia dixerunt in facie Iesu.

Item in absentia eius corporali in multis de- traxerunt ei, & facta eius optima inuerterunt. Cum enim Dominus quendam curasset, qui cæ- cuscus erat & mutus, & à dæmonio obsecrus, vt dicitur Matth. 12. Pharisæi dicebant: *Non ejicit dæ- monia, nisi in Beelzebub principe dæmoniorum.* Item cum quendam illuminasset, qui cæcus natus fuerat, vt dicit Ioan. 9. dicebant quidam ex Pharisæis: *Non est hic homo à Deo, qui sabbatum non custodit: nos scimus quia hic homo peccator est.* Sic etiam in cæteris factis suis detraxerunt ei, eaque semper in malum conuerterunt.

Et vere adhuc hodie multi Christiani sunt, qui maledicunt Domino, & opera Dei blasphemant & inuertunt, maxime potatores & lusores, aratores & vinitores. Lusores enim blasphemant Dominum cum amittunt. Aratores autem & vi- nitores auram & fructus sibi à Deo concessos quamplures reprehendunt. De hoc dicitur in 2. Reg. 16. quod quidam vir nomine Semei procede- bat, &

*bat, & maledicebat, mittebatque lapides contra Dauid, & contra uniuersos seruos eius regis Dauid. Omnis autem populus & uniuersi bellatores à dextro & sinistro latere regis incedebant. Dixit autem Abisai regi: Quare maledicit canis hic moriturus Domino meo regi? vadam & amputabo caput eius. Et ait rex: Dimitte eum, ut maledicat.*

Dauid interpretatur manu fortis, vel vultu desiderabilis, & signat Dei Filium, qui est manu fortis per iustitiam, & vultu desiderabilis per misericordiam: qui etiam vallatus est ex utroque latere, forti multitudine ministrorum. Ut enim Daniel ait 7. *Millia millium ministrant ei, & decies millies centena millia afflunt ei.* Audet tamen aliquis miser homuncio maledicere & blasphemare principem regum terræ, & contra discretum ordinatorem Christum lapides projicere detractionum, & licet Abisai, qui interpretatur patri rugitus, & signat seueritatem diuinam, dicat: *Vadam & amputabo caput eius, dicit tamen diuina longanimitas & patientia: Dimitte, dimitte, ut maledicat, si forsitan postea convertatur & paeniteat.*

Multa nihilominus ei mala fecerunt, ipsumq; denique ceperunt, vinxerunt, faciem eius velauerunt, colaphis & alapis ceciderunt, flagellaerunt, spinis coronauerunt, arundine caput plenum doloribus percusserunt, patibulo crucis dorsum eius ornauerunt, vestibus eum spoliauerunt, in crucem extenderunt, manus eius & pedes perfoderunt, aceto & felle potauerunt, nouissime lancea perforauerunt, & gloriam Resurrectionis eius, data pecunia, quantum poterant, celauerunt. Hæc & multa alia Iesu benigno fecerunt, in quibus omnibus 12. discipuli corde, & sine corpore cum Domino permanserunt.

De secundo nota, videlicet de regno Dei, cuius heredes Apostoli meruerunt effici, quod dicitur in Dan. 4. *Iudicium sedebit, ut magnitudo regni detur populo sanctorum Altissimi.* Hoc autem regnum commendatur à tribus. Primo ab inestimabili claritate. Vnde in Matth. 13. *Tunc iusti fulgebunt sicut sol in regno Patris eorum.* Quomodo non esset ibi clarum, ubi quilibet iustus fulgebit sicut sol? E conuerso, horrendæ tenebrae erunt in inferno: quicquid enim tetur est & horrendum, defluet in infernum. Commendatur etiam à pacis tranquillitate. Vnde dicitur 1. Paral. 22. *Pacem & otium dabo in Israel cunctis diebus.* Item 2. Paral. 20. *Quieuit regnum Iosaphat, & præbuit Dominus pacem per circuitum.* Iosaphat interpretatur Dominus iudex & signat Filium Dei. E conuerso, nulla pax, sed iugis dæmonum inquietatio erit in inferno. Commendatur tertio à totius boni vertute: vnde dicitur Deuter. 30. *Abundare te faciet Dominus Deus tuus in vertute terra & in rerum omnium largitate.* E conuerso, in inferno erit perpetuus defectus omnis boni: ibi nihil est, nisi malum.

De tertio nota: Mensa Domini, ad quam iam accedit, terunt Apostoli & alii electi, est fruitio divinitatis & humanitatis Domini nostri Iesu Christi, cuius mensæ fercula sunt innumerabilia. De hac dicit Job 36. *Requies mensa tua erit plena pinguedine.* Rogate ergo Dominum, ut omnia aduersa mundi tam patienter sustineamus, ut ad te gnum & mensam Dei Filij perueniamus. *Quod nō obis, &c.*



## IN DECOLATIONE

B. Ioannis Baptistæ.

### SERMO XXXV.

*Herodes misit ac tenuit Ioannem, & vinxit eum in carcere, & missō spiculatore decollauit eum. Marc. 6.*

**H**æc verba loquuntur de decollatione venerabilis viri S. Ioannis Bapt. qui quoniam Herodem arguebat, quia vxorem fratris sui habebat, missis ministris suis fecit eum teneri & vinciri, & incarcерari, & tandem ad suggestionem Herodiadis præcepit eum in carcere decollari. Et nota, quod sicut Herodes præcursum Domini occidit corporaliter, ita diabolus conatur quemlibet Christianum occidere spiritualiter. Vnde tria sunt hic notanda.

I. *Quid per Herodem intelligatur?*

II. *Quid per Ioannem exprimatur?*

III. *Qualiter Ioannes occidatur?*



E primo nota: Per Herodem diabolus intelligitur. Herodes interpretatur pellibus gloriens. Et vere diabolus de pellibus, id est, de decoro sibi collato gloriabatur. Vnde dicit Dominus ad diabolum in Ezech. 28. *Tu signaculum similitudinis, plenus sapientia, & perfectus decoro. In deliciis paradisi Dei fuisti: omnis lapis pretiosus operimentum tuum. Et eleuatum est cor tuum in decoro tuo: perdidisti sapientiam in decoro tuo, in terram proiecisti te: nihil factus es, & non eris in perpetuum.* Quia igitur dæmones in decoro suo contra Altissimum se conati sunt eleuare, proiecti sunt de cælo empyreo in hunc aërem caliginosum, & ceciderunt à beato esse in esse miseria: & propterea dicitur de diabolo, quod nihil factus est.

Et certe adhuc dæmones de pellibus suis, id est, de versutia nequitiarum gloriantur: sicut legitur in vita S. Patrum, quod filius cuiusdam Gentilis vidi quadam nocte in templo idolorum satanam cum agminibus suorum satellitum sedentem. Et veniens quidam dæmon gloriabatur se in triginta diebus ad hoc laborasse, quod multus sanguis hominum in quadam bello esset effusus, & multi essent occisi. Aliter procedens iactauit se in viginti diebus hoc effecisse, quod multi periclitati & submersi essent in mari. Tertius veniens cum iactantia dixit, quod decem diebus ad hoc laborasset, quod in quibusdam nuptiis multis interemptis, & ipse sponsus esset occidus. Quartus vero superueniens rumores suæ nequitiae attulit gloriofos, videlicet, quod in quadra

quadraginta annis quendam virum religiosum de quadam muliere tentasset, & modo eum tandem fornicari fecisset, qui solus præ cæteris cum magnis laudibus à satana est suscepitus. Nimirum quippe diabolus casum iustorum desiderat. Hæc omnia iuuenis ille videns & audiens factus est Christianus.

De secundo nota : Per Ioannem Baptistam quilibet Christianus accipitur. Ioannes enim interpretatur in quo est gratia, & vere in quemlibet Christianum, dum baptizatur, gratia Christi descendit. Tunc quippe efficitur vas Spiritus sancti , qui prius erat vas diaboli. Et certe vix aliquis est , quin aliquam spiritualem gratiam à Domino recepit , quam ad alterum administrare debet. Ad quod monet 1. Pet. 2. *Vnusquisque sicut accepit gratiam, in alterutrum administrantes, sicut boni dispensatores multiformis gratia Dei.* Debet etiam quilibet pœnitens esse Baptista Domini, vt videlicet Deum & propriam conscientiam quotidie quasi baptizet in aquis lacrymarum suarum.

De tertio nota : Quinque modis diabolus ad hoc laborat, vt anima iusti hominis spiritualiter moriatur: & hoc innuitur in praesenti Euangelio, vbi legitur, quod Herodes primo misit, secundo tenuit, tertio vinxit, quinto incarcerauit, quinto Ioannem in carcere decollauit. Primo igitur diabolus mittit satellites per temptationem & suggestionem. Septem quippe peccata mortalia, videlicet, superbia, ira, inuidia, acedia, auaritia, gula, & luxuria, sunt satellites, ac apparitores diaboli , qui ad captiuandas iustorum animas emittuntur. De ipsis legitur in 1. Reg. 19. *Misit Saul apparitores, qui raperent David.* David interpretatur manu fortis , & signat quemlibet Christianum, quem Saul, id est, diabolus, ministerio apparitorum suorum, id est, septem criminalium peccatorum nititur captiuare. Secundo, diabolus tenet animam per consensum & delegationem. Quandocunque enim fidelis homo tentatur & inquietatur à diabolo , immisione temptationum per Angelos malos non Oberit ei, quandiu non consentit & delectatur in eis: sed mox vt consentire cœperit & delectari, capitur & tenetur manu diaboli. Hinc est, quod quilibet fidelis monet Tob. 3. *Omnibus diebus vita tua in mente habeto Dominum, & caue ne peccato consentias.*

Tertio diabolus vincit & ligat animam per peccati commissionem. Peccata enim sunt vincula & catenæ diaboli , quibus quadriformiter peccatoresvinciuntur.

1. Quidam enim sunt, quorum pedes & crura peccatis quasi quibusdam compedibus vinciuntur, utpote chorizatores , & illi qui noctibus vadunt ad furta committenda & homicidia perpetranda: de quibus dicitur Prouer. 1. *Fili mi, si dixerint peccatores, Veni nobiscum, insidiemur sanguini. Omnem pretiosam substantiam reperiemus, amplebinus domos nostras spoliis.* Sortem mitte nobiscum, marsupium unū sit omnium nostrum. Fili mi, ne ambules cum eis: pedes enim eorum ad malum currunt. De ipsis compedibus dicitur in Psal. 104. *Humilauerunt, scilicet, daemones, in compedibus, scilicet, Sanctorum, pedes eius, videlicet, peccatoris.*

2. Alij sunt, qui circa ventrem & femora fer-

reis vinculis alligantur, didelicet, gulosi & luxuriosi. Ad istos dicit Isa. 58. *Si abstuleris de medio tui catenam, requiem dabit tibi Dominus Deus semper.* Q.d. Propheta : O gulose, & ô tu luxuriose, quorum Deus venter est, si gulam & luxuriam, quibus quasi quadam dura catena ligamini , de medio vestrum abstuleritis , requiem vobis conferat Dominus sempiternam. Alioquin in æternis tormenta projiciemini, vbi vnius horæ malitia obliuione faciet maximæ gulæ & luxuriae.

Tertij sunt, quorum collum & fauces graui vinculo constringuntur , & ligantur, videlicet, illi qui turpiter & immunde loquuntur , & qui detrahunt, & peierant, & blasphemant. Ad tales dicit Dominus Isa. 52. *Solue vincula colli tui captiuua filia Sion.* Quarti sunt, quorum manus & brachia sunt vinculis ferreis alligata , videlicet, fures, raptore, incendiarij, usurarij, falsarij, & illi qui cum tafferibus & globis ludunt , & breuiter omnes illi qui cum manibus & brachiis opera iniquitatis excent. Et certe tales indigent , vt contingat eis , sicut contigit Petro, vt videlicet visitentur ab Angelo magni consilio Iesu Christo, & sic cadant catenæ de manibus eorum.

Quarto, diabolus peccatorem incarceraat per peccandi affluationem : consuevit nempe peccatum carcer esse diaboli : quantoque peccatum saepius iteratur, tanto firmius peccator sub potestate diaboli conseruatur. Propter hoc dicitur Thren. 3. *Circumedificauit aduersum me, ut non egredi ar. Quinto, diabolus peccatorem decollat per desperationem, quando videlicet miser peccator peccatorum suorum diuturnitatem ac magnitudinem considerans desperat, quod vñquam possit ad penitentiam consurgere , vel peccata relinquere, & de eis Domino satisfacere. Vnde dicitur in Prou. 18. *Impius cum in profundum venerit peccatorum, contennit: sed sequitur eum ignorinia & opprobrium.* Rogate ergo, charissimi, diuinam misericordiam , vt nos per veram penitentiam de vinculis , & carcere diaboli quantocius eripiatis, ne videlicet Herodias, id est, inuidia diaboli de nostro interitu glorietur , sed potius omnis exercitus Angelorum Dei de nostra salvatione gratuletur. Quod nobis præstare dig.*



## IN NATIVITATE B. Mariæ Virginis.

### S E R M O   XXXVI.

*Ego mater pulchra dilectionis, & timoris, & agnitionis, & sanctæ spei. Eccl. 24.*



Videtur inenarrabiliter de Nativitate B. Virginis gaudere debeamus , optime insinuat nobis Spiritus sanctus , qui hodie per Ecclesiasticum in persona eiusdem Beatae Mariae Virginis loquitur, ita dicens : *Ego mater pulchra dilect. &c.* Et nota , quod vñi- uersum

uersum genus humanum ante ortum B. Mariæ ab hæreditate paradisi expulsum fuit, & propter peccata primorum parentum in deuio iacebat, & languidum erat, & infirmum. Vnde & tribus indiguit:

I. *Vt haberet vecturam in qua veheretur;*

II. *Vt vera via ei ostenderetur,*

III. *Vt hæreditati perpetua restituere tur.*

Primo itaque quia languidi & infirmi sumus, currum nobis exhibet B. Maria, in quo deportemur. De quatuor autem rotis huius currus ipsa: *Ego mater pulchra dilectionis, & timoris, & agnitionis, & sanctæ spei.* Igitur pulchra dilectio, & timor Domini, & agnitus, id est, fides, & sancta, id est, firma spes, sunt quatuor rotæ in currus sive quadriga B. Mariæ. Qui in hoc currus deportatus non fuerit, nunquam late faciem Dei videbit. De hoc currus dicitur in Psalm. 67. *Currus Dei decem milibus multiplex, millia letantium: Dominus in eis.* Hæc verba sic intellige, quod currus Dei, & Beatae Mariæ matris eius decem milibus electorum est multiplex. Et vere non solum *decem*, imo innumerabilia *millia letantium* animarum sunt in eo ad regnum perpetuum deportata. Et certe *Dominus est in eis*, id est, in medio omnium electorum suorum.

Niti ergo debemus, charissimi, vt habeamus pulchram dilectionem sive charitatem, & timorem Domini, & agnitionem, id est, veram fidem, & sanctam spem. Sine his enim quatuor virtutibus saluari non possumus. Vnde bonum est scire definitiones harum virtutum. Charitas est mentis affectus ad Deum, & proximum, feruenter & ordinate porrectus. Timor Domini est fide & moribus diuinorum præceptorum vigilans custodia. Fides est studio sancto ad inuisibilia mente tendere. Spes est certa expectatio futura beatitudinis, ex meritis & gratia proueniens.

Nota, quod diabolus habet currum, in quo ad æternam damnationem ducit peccatores. Currus autem iste habet quatuor rotas prædictis contrarias. Prima rota est fœda dilectio. Secunda est vana dissolutio. Tertia est inantis obtenebratio. Quarta est stulta spes, aut desperatio. 1. Contra fœdam dilectionem, id est, luxuriam, dicitur Proverb. 5. *Fili mi, ne intenderis fallacie mulieris, id est, luxuria.* *Fauus enim distillans labia meretricis, id est, immundæ dilectionis, & nitidius oleo guttur eius.* *Nouissima autem illius amara quasi absinthium, & lingua eius acuta quasi gladius biceps.* Luxuria enim corpus & animam mittit in gehennam. 2. Contra vanam dissolutionem dicit Eccl. 2. *Væ dissolutis corde, qui non credunt Deo,* videlicet, quod de omni tempore, per dissolutionem inutiliter amisso, reddituri sunt rationem coram ipso, & ideo non protegentur ab eo. 3. Contra mentis cæcitatem dicit Isa. 44. *Obliti sunt, ne videant oculi eorum, & ne intelligent corde suo.* *Non recognit in mente sua, neque cognoscunt, neque sentiunt.*

Nota, quod quidam sunt ita excæcati, quod nec vident oculis animæ Passionem Domini amarissimam, nec intelligunt in corde suo patientiam eius clementissimam, nec recognit in

mente sua distinctionem iudicij eius seuerissimam, neque cognoscunt afflictionem gehennæ acerbissimam, neque sentiant iucunditatem regni Dei suauissimam. Hæc autem specialiter præceteris essent videnda. 1. Contra falsam spem dicitur Eccl. 5. *Non adicias peccatum super peccatum, & dicai: Misératio Dei magna est, multitudini peccatorum meorum miserebitur. In peccatores enim respicit ira illius.* 2. Contra desperationem dicitur Proverb. 18. *Impius, cum in profundum venerit peccatorum, contemnit, sed sequitur eum ignorinia & opprobrium.* De prædicto curru diaboli dicitur Exod. 15. *Currus Pharaonis & exercitum eius proiecit in mare.* Pharaon interpretatur dissipans virum, & signat diabolum, qui nititur viros religiosos dissipare: cuim currum, & exercitum eius equitantem in eo Dominus projicit in mare, id est, amaritudinem sempiternam. Consultum ergo nobis est, vt tempestue exiliamus ab hoc curru.

De secundo nota: Quia sumus errabundi, necesse habemus, vt vera nobis via demonstretur. Et certe hoc facit nobis pia Virgo Maria. Ex ea quippe natus est, qui dicit Ioan. 14. *Ego sum via, veritas, & vita.* Vnde & ipsa optime concordans cum verbis Filij, dicit in Eccl. 14. *In me omnis gratia via & veritatis: in me omnis spes vita & virtutis.* Q. d. Ego in meo utero illum portavi, à quo habetur gratia via & veritatis, & à quo habetur spes vitae aeternæ.

Et nota, quod via maxime à quinque commendabilis existit, videlicet, quod sit facilis sive plana quod sit recta, quod sit lucida, quod sit pacifica. Et certe via quam demonstrat Maria, paradisi rosa, facilis est sive plana. Vnde ipsa dicit Proverb. 4. *Viam sapientiae monstrabo tibi: ducam te per semitas aequitatis, quas cum ingressus fuisti, non arribabunt gressus tui.* Dicitur etiam Isa. 30. *Erunt aspera in vias planas.* Via enim Dei licet carnalibus hominibus multum videantur esse difficiles, viris tamen religiosis qui vnti sunt gratia Spiritus sancti, valde leues esse videntur. Vnde dicit Bern. Primum tibi importabile videbitur aliquid, processu temporis si assuescas, iudicabis non adeo graue, paulo post nec senties, paulo post & deleaberis.

Econtra viæ diaboli vere sunt difficiles. Vnde dicit Dominus in Baruch 4. *Delicati mei ambulanterunt vias asperas. Ducti sunt enim ut grex direptus ab inimicio.* Licet itaque ad tempus videatur facile seruire diabolo, postea seruitus eius amarissima sentietur.

Secundo ostendit nobis Beata Virgo viam rectam, vt dicitur de ea Sap. 10. *Sapientia, id est, Maria, instrum deduxit per vias rectas, & ostendit illi regnum Dei.* Dicit enim Filius Mariæ Iere. 31. *Adducam eos in via recta, & non impingent in ea: quia factus sum Israeli pater.* Multum declinant à via Dei & matris eius chorizatores, & lusores, & aliarum vanitatum & iniquitatum sectatores. *In circuitu enim impij ambulant,* vt dicitur in Psalm. 11. Tertio ostendit nobis Maria lampas recti viam lucidam, vnde dicitur Proverb. 4. *Instorum semita quasi lux splendens procedit, & crescit usque ad perfectum diem.* Vnde & Beata Virgo signata est per illam columnam ignis, quæ præcessi filii os Israel, illuminans viam eorum.

E contra via impiorum qui non sequuntur vestigia

vestigia Beatæ Virginis, est tenebrosa : vnde dicitur Proverb. 4. *Via impiorum tenebrosa, & ne-  
sciant ubi corrunt.* O quam felices sunt, qui in tali via ambulant, vt mox cum clauserint oculos carnis, in morte videant oculis animæ claritatem Dei. Vt autem illis, qui tunc ruent in tenebras sempiternas.

Quarto, & quinto ostendit nobis mater Dei viam pulchram & pacificam. Vnde de ipsa dicitur Proverb. 3. *Via eius via pulchra, & omnes semi-  
ta illius pacifice.* E contrario via peccatorum est inquinata & immunda. Vnde dicitur in Psal. 9. *Exacerbauit Dominum peccator: non est Deus in-  
conspicuus eius, iniquitate sunt via illius in omni tem-  
pore.* Nonne viæ illorum sunt iniquitatæ, qui quotidie per luxuriam animas & corpora sua defecunt? Via etiam peccatorum latronibus est plena. Vnde dicit Iob in persona cuiuslibet peccatoris, 19. *Simul venerunt latrones, & fecerunt sibi  
viam per me, & obfederunt in gyro tabernaculum  
meum.* Per latrones intelliguntur dæmones, qui iacent in viis impiorum, diuitium & usuriariorum, qui sunt latrones pauperum, vt statim quando de tabernaculo corporis emigraverunt, animas eorum rapiant ad infernum. Dignum est enim, vt latrones à latronibus rapiantur. Vnde dicitur: *Vt qui prædaris, nonne & ipse prædaberis?*

De tertio nota: Quia adhuc exules sumus, necesse nobis est, vt per reginam cœli in hæreditatem felicis patriæ restituamur. Vnde & ipsa inuitat nos hodie, vt ad hanc hæreditatem ab huius mundi concupiscentia transeamus. Dicit enim: *Transite ad me omnes qui concupiscitis me,  
& à generationibus meis adimplemini,* id est, bonis illis, quæ vobis dabit Iesus à me genitus, implemini. Forte posset aliquis dicere: O Virgo, nolumus ad te transfire, quia tu es animo turbulenta, & hæreditas quam tu promittis, non est suavis & amabilis, sed amara. Præterea tu ipsa es moribunda, & cito moritura, & ideo nullam nobis poteris præstare de prædicta hæreditate vuaran-diam. Ad hoc ita ipsa respondet, & dicit ad pri-mum: *Spiritus meus super mel dulcis.* Q. d. Non sum iracunda, nequæ animo turbulenta, sed mul-tum lenis ac dulcis mente & corde. Respondet etiam ad secundum: *Et hæritas mea super mel  
& fæcum.* Q. d. Hæritas quam promitto, non est felle alicuius amaritudinis, seu incommoditatis infecta, sed summe amabilis est, & suavis. Ad ter-tium etiam dicit: *Memoria mea in generatione  
seculorum.* Q. d. Non sum aliquatenus mutabilis, nec sum moritura, sed sum cum filio meo Iesu Christo in perpetuum regnatura. Præterea plus adhuc exequitur, quam delectabile & iucundum sit cum ea morari, & dicit: *Qui edunt me, adhuc esurient: & qui bibunt me, adhuc sitiunt: & qui operantur in me, non peccabunt.* Q. d. Ita sum dulcis & pulchra, quod animæ beatorum vultum meum quem nunquam fastidiunt, quasi mensam reputant delicatissimam & opulentissimam. Seruitus etiam, qui mihi exhibetur, decentissimus est & honestus. Rogate ergo Dominum, vt sic nunc in curru virtutum quarum Virgo Maria mater est, vehamur, sique per illam in rectam viam per-ducamur, vt etiam ipsa duce hæreditati per-pe-tua restituamur. Quod, &c.

D. Alberti Magni Serm.

## I T E M IN E O D E M FESTO Natiuitatis B. Mariæ

### S E R M O   X X X V I I .

*Fons egrediebatur de loco volu-  
ptatis ad irrigandum paradi-  
sum, qui inde diuiditur in  
quatuor capita. Nomen uni  
Phison. Nomen secundi Geon.  
Nomen tertij Tigris. Nomen  
quarti Euphrates. Gen. 2.*

Quatuor sunt hic notanda.

- I. *Quis sit locus voluptatis, unde fons  
egreditur?*
- II. *Quis sit fons, qui de loco voluptatis  
proreditur?*
- III. *Quæ sit paradisus, quam fons iste  
irrigare dicitur?*
- IV. *Quæ sint quatuor capita, in qua fons  
exinde diuiditur?*



E primo nota: Locus volu-ptatis est ipsa sancta Trini-tas, de qua per prædestina-tionem ab initio & ante se-cula egressa est Virgo Maria. Deus enim Pater ab æterno præviderat, & præordinaue-rat ipsam, cooperati-one Spiritus sancti paracliti, futuram matrem Filij sui vnigeniti & coæterni. vnde ipsa dicit in Eccl. 24. *Ab initio & ante secula  
creata sum.* Dicit etiam in Propt. 8. *Dominus posse-  
dit me ab initio viarum suarum, antequam  
quicquam faceret à principio.* Ab aeterno ordi-nata sum: neandum erant abyssi, & ego iam concepta eram. Verissime sancta Trinitas est locus volup-tatis. Omnis enim beatitudo & gaudium ele-ctorum emanat & effluit à sancta ac serenissima Trinitate. Propter hoc dicitur in Psal. 35. *In e-  
briabuntur ab ubertate domus tue, & torrente volu-  
ptatis tua potabis eos.*

De secundo nota: Per fontem intelligitur Vir-go Maria, & hoc propter quinque fontis proprie-tates. Per fontem quippe fôrdes lauantur, aestuan tes refrigerantur, sientes refocillantur, horiti ir-rigantur, & vultus repræsentantur. Primo igitur B. Virgo tamquam fons sordida lauat. Ipsa quippe per efficacissimam intercessionem suam pecca-toribus compunctionem infundit & contritionem, per quam à peccatorum suorum sordibus emundantur. De hoc fonte dicitur Zach. 13. *In die illa erit fons pateris domini David, & habitanti-bus Ierusalem in ablutione peccatoris & menstruatu-* Per domum David intelligitur sancta Eccle-sia: per habitantes autem in Ierusalem, figurantur omnes fideles, qui sunt de regno Ecclesiæ. B. Virgo Maria patet per misericordiam & com-passionem

T passionem

passionem, vt quicunque Christianus ex intimo corde ipsam implorauerit, eius meritis ac intercessione suorum peccatorum veniam cōsequetur. Secundo, Beata Virgo sicut fons refrigerat piis consolationibus omnes tribulationum & aduersitatum æstum patientes: si tamen ex omni corde ipsius implorauerint subsidū. Vnde & ipsa figura est per illam columnam nubis, quæ sicut in Exod legimus, præcedens filios Israel contra solis ardorem obumbravit castra eorum. Necessarium ergo nobis est, vt quemadmodum ceruns desiderat ad fontes aquarum, ita & anima nostra desideret ad Virgineim benedictam.

Tertio, pia Virgo deuotionis aquas administrat, quibus anima Deum sitiens refollicetur. Quicunque ergo vult habere deuotas lacrymas, acceleret ad Beatam Virginem, & percutiat eam virga oris sui, id est, virga attentissimæ supplicationis: & vere ipsa dabit aquas in abundantia. Ipsam quippe præfigurat illa petra, quam Moyses percussit, & fluxerunt aquæ largissimæ, sicut legitur in Exod. & in Num. quarto. Beata Virgo tanquam fons irrigat vniuersitatem hortum Ecclesiæ fluentis virtutum. Vnde & ipsa dicit in Eccl. 24. *Ego quasi fluuius Dorix, & sicut aquæductus exiui à paradiſo, dixi: Rigabo hortum plantationum, & inebriabo partus mei fructum.* Dorix interpretatur medicamentum generis humani, id est, Dei Filius allatus est in medicamentum. Ipsa est ille aquæductus, qui diuersimode rigat hortum plantationum Domini, id est, vniuersos fideles in Ecclesia commorantes. Huic enim obtinet charitatem, alteri castitatem, tertio humilitatem, quarto mansuetudinis lenitatem, quinto sobrietatem, sexto largitatem, septimo patientiam, octauo obedientiam, nono fidei constantiam, decimo in omni bono perseverantiam: & sic de cæteris virtutibus. Quicunque ergo indiget aliqua virtute, postulet instanter à Beata Virgine, & dabitur ei. Ipsa nempe est thesauraria Iesu Christi.

Quinto, per fontem vultus intuentium representantur. Ita & Beata Virgo est speculum imperialis palati, quod omnes electoru[m] animæ summo desiderio contemplantur, & in quo vniuersorum beatorum facies resultant & eluent. Vnde de ea dicitur Sap. 7. *Candor est lucis eterna, & speculum sine macula Dei majestatis, & imago bonitatis illius.*

De tertio nota: Paradisus quam irrigat Virgo Maria, est angelica natura, & vniuersa supercælestis curia. Angelica quippe natura, quæ est paradisus deliciarum, per Beatam Virginem irrigatur. Mirabiliter enim diligunt & amplectuntur, quoniam per ipsam ipsorum ruina reparatur. Ecce quidam eminentiores Angeli, qui erant conscij secretissimorum consiliorum Domini, ab ipsa mundi constitutione per ipsam irrigabantur: quia de futura eius natuitate inenarrabiliter gratulabantur. Nihilominus etiam vniuersa beatorum curia per gloriosam Dei matrem irrigatur: quia spirituali exultatione & lætitia ex ipsius amabili præsentia continuo iucundatur.

De quarto nota: Quatuor capita in quæ iste fons diuiditur, significant quadruplicem doctrinam sive admonitionem, qua Beata Virgo quatuor genera hominum circuit, salutem eorum defiderans, & procurans. Primi sunt pauperes & inopes. Secundi sunt peccatores. Tertijs sunt iusti & innocentes. Quarti sunt diuites & abundantes,

Primus igitur fluuius ex prædicto fonte fluens appellatur Phison, quod interpretatur os papillæ, vel oris mutatio. Iste autem fluuius circuit terram Henilath, per quam India intelligitur, quæ est in extremitate terræ. Phison itaque significat compassuam doctrinam Beatæ Mariæ, qua circuit pauperes & inopes, qui sunt quasi in India, id est, in extremitate terræ constituti: quia parum vel nihil habent de bonis huius mundi. Docet enim eos & verbo, & exemplo: vt sint continentes, fideles, & patientes, videlicet, vt luxuriam fugiant, vt furta non faciant, & vt aduersa huius mundi patienter sustineant. Præbet autem seipsum in exemplum huius triplicis doctrinæ. Ip[s]a enim fuit paupera: sed tamen castissima, fidelissima, & patientissima.

Secundus fluuius emanans ex hoc fonte dicitur Geon, & interpretatur hiatus terræ, vel pectus. Iste circuit Aethiopiam, vbi nigri Aethiopes commorantur. Signat autem iste fluuius admonitionem Beatæ Virginis, quæ hiat & desiderat concordiam peccatorum. Circuit ergo Aethiopiam, nigros peccatores, inuitans eos ad tria. Primum est, vt à malo recedant per contritionem, & confessionem. Secundum est, vt disciplinam apprehendant, per solicitam satisfactionem. Tertium est, vt satisfactioni iniuictæ etiam bona alia superaddant, per bonorum operum supererogationem. Non solum enim à peccatoribus requiritur, vt per ieiunia, & orationes, & eleemosynas, ac alios labores, excessus suos emendent: necesse etiam habent, vt postquam omnem debitam satisfactionem expleuerint, nouis etiam laboribus, ac bonis operibus regnum Dei mercari studeant & adipisci.

Tertius fluuius ex hoc fonte procedens vocatur Tigris, qui interpretatur velocitas. Iste circuit Assyrios, qui interpretantur facturæ vigilantes, vel diligentes. Significat autem fluuius iste congratulationem & exhortationem Beatæ Virginis, quæ circuit bonos & iustos, qui sunt in sui custodia vigilantes, ac Deum in toto corde diligentes. Tria vero persuadet eis. Primum est, vt de perceptis gratiis semper Deo gratias agant. Secundum est, vt peccatores non despiciant, sed potius ipsis per compassionem assistant. Tertium est, vt in virtutum ac bonorum operum profectu usque in finem perseverantes existant.

Quartus fluuius appellatur Euphrates, & interpretatur frugifer, & iste circuit Chaldaeos, sicut dicitur in historiis. Chaldaei vero interpretantur mammillæ, vel feræ, vel dæmones. Significat igitur fluuius iste instructionem Beatæ Mariæ, quæ frumentum æternæ vitæ, id est, Iesum Christum, attulit huic mundo. Circuit autem fluuius iste diuites & abundantes in hoc seculo, qui deberent esse mammillæ pauperum, id est, consolatores & nutritores eorum, licet hodie per impietatem conuersi sint in crudeles feras, & dæmones infernales. Circuit, inquâ, Beata Virgo diuites in tribus eos erudiens. Primum est, vt in omni felicitate huius seculi semper Deum timeant, & præ oculis habeant. Secundum est, vt nihil per iniustitiam conquerantur, vel possideant. Tertium est, vt semper pietatem & misericordiam pauperibus exhibeant. Hæc enim tria à diuitibus maxime requiriuntur. Rogate ergo B. Mariam, vt per eam sic nunc in huius mundi exilio reficiamur, vt tandem in patria claritatem vultus eius aspicere mereamur. Quod nobis, &c.

TER T



T E R T I V M  
I N N A T I V I T A T E  
B. Mariæ.

S E R M O   X X X V I I I .

*Orietur stella ex Jacob. Num. 24.*

**N**otandum est, quod stella illa, cuius ortum ille Gentilis vir Balaam prænuntiauit, est Beata Virgo Maria. Propter quod duo principaliter sunt hic notanda.

*I. Quare B. Virgo stella comparetur?*

*II. Cui stella conuenientius adaptetur?*



E primo nota: Beata Maria stellæ comparatur propter sex stellarum proprietates, quæ concurrunt in ipsa. Primo igitur, sicut per stellas nox illuminatur, ita etiam per Beatam Virginem tota Ecclesia est illustrata. Vnde quilibet Christianus debet dicere de Beata Virgine hoc quod dicitur Sap. 7. *Super salutem & speciem dilexi eam, id est, Mariam, & proposui pro luce habere illam, quoniam inextinguibile est lumen illius.* Multum diligenda est Beata Virgo à quolibet Christiano, propter hoc, quod est inextinguibile lumen eius. Nunquam enim aliquis in tantum peccat, si vult per veram pœnitentiam recurrere ad ipsam, quin ipsa sit statim quasi lucerna pedibus suis, & reducat eum in viam salutis æternæ. Secundo, in stellarum natura magnæ esse Virgo munditiae indicatur. Etenim B. Virgo mundissimæ naturæ fuit, vnde dicitur de ea Sap. 7. *Attigit ubique propter suam munditiam.* Vapor est enim virtus Dei, & est emanatio quadam claritatis diuina syncera: & ideo nihil coquinatum in illam incurrit. Vere dicitur, quod munditia Beatæ Virginis attingit ubique. Attigit enim Patrem, & Filium, & Spiritum sanctum. Patrem attigit ex sinu suo accipens Filium suum unigenitum, Filium attigit, eundem recipiens in uterum suum. Attigit & Spiritum sanctum, quem habuit in diuinæ conceptionis adiutorium. Et vere B. Virgo Maria munda fuit. Fuit enim claritatis omnipotentis Dei syncera emanatio. Ipsa ab initio & ante secula emanauit à Deo, quia ad hoc ut fieret mater Filij Dei, prædestinata fuit ab æterno: & ideo nihil coquinatum potuit intrare in illam. Decuit enim ut illa quæ futura erat mater Dei, sancta esset & immaculata. Quod autem Beata Virgo ab æterno præordinata fuerit in matrem Dei, ipsa protestatur Proverb. 8. vbi dicitur: *Dominus possebit me ab initio viarum suarum, antequam quicquam ficeret à principio. Ab æterno ordinata sum.*

Tertio, quælibet stella maior est quam esse videatur: ita etiam Beata Virgo, licet magni meriti esset apud Deum per humilitatem, tamen parua erat apud semetipsam. Vnde legitur Luc. 1.

*D. Alberti Magni Serm.*

quod cum Angelus dixisset: *Ave gratia plena, Dominus tecum.* Ipsa hæc audiens suadente humilitate turbata est. Q.d. Ego non sum digna, quod sim, vel dicar gratia plena, & quod Dominus sit mecum, & quia appeller inter mulieres benedicta. Hinc etiam cum Angelus postmodum insinuaret ei, quod conceptura & paritura esset Dei Filium: ipsa tamen ab humilitate sua non recessit. Sed cum Angelus omnem legationem suam adimpleset, respondit ei: *Ecce ancilla Domini dicit.* Non dicit: Ecce sponsa Patris, ecce mater Filij, ecce sacrarium Spiritus sancti. Quod si dixisset, mentita non fuisset. Debemus etiam & nos imitari humilitatem Beatæ Mariæ, ut vide-licet per humilitatem parui sumus in oculis nostris, & sic magni erimus in oculis Dei. Vnde dixit Samuel ad Saulem 1. Reg. 15. *Nonne cum parvulus es in oculis tuis, caput in tribubus Israël factus es, unxitque te Deus in regem super Israël?* Q.d. Olim cum parvulus eras in oculis tuis, magnus fuisti in oculis Domini. Nunc autem cum magnus es in oculis tuis, parvus es in oculis Domini: propter quod etiam subiungit: Abiecit te Dominus ne sis rex.

Quarto, ex ordinato motu stellarum dulcis harmonia suscitatur, licet à nobis non audiatur. Ita etiam B. Virgo dulcem harmoniam deuotæ laudis effudit in aures Domini, quando gratias egit ei super beneficiis ab eo susceptis. Ait enim: *Magnificat anima mea Dominum. Et exultauit spiritus meus,* &c. quæ sequuntur. Similiter & nos pro singulis beneficiis à Deo susceptis debemus ei referre magnificas laudes & deuotas gratiarum actiones, & sic dulcem harmoniam suscitabimus auribus suæ benignitatis. Sic enim provocabitur, quod plura nobis misericordiarum suarum munera largietur. Vnde monet nos Eccl. 43. *Benedicentes Dominum, exaltate illum, quantum potestis: maior est enim omni laude.* Exaltantes eum replemini virtute. Q.d. Si exaltaueritis eum, gratias ei referendo, amplioribus virtutum donis vos adimplebit. Hinc etiam dicit Bern. *Disce in agendo gratias non esse tardus aut segnis: ingratis enim est ventus vrens, excidans fontem misericordiae, & rororem pietatis.*

Quinto, stella in effusione radiorum suorum non corruptitur aut violatur. Sic & B. Virgo in Nativitate Dei Filij non est corrupta: sed quem Virgo concepit, & quem Virgo in utero portauit, hunc etiam Virgo peperit, & post partum inuolata ac semper Virgo permanxit. Vnde cantatur in Sequentia, Latabundus: *Sicut sidus radium profert Virgo Filium pari forma. Neque sidus radio, neque mater filio fit corrupta.*

Nos etiam cauere debemus, ne diabolus fidem nostram corruptat. Vnde dicit Apostolus 2. ad Corinth. 11. *Timeo, ne sicut serpens seduxit Euam astutia sua, ita corrumpantur sensus vestri, & excidat à simplicitate, scilicet, fide, qua est in Christo Iesu.* Multorum hodie fides corrupta est, & maxime mulierum, in quibus per incitationes & sortilegia, & præstigia, ac medicamina multifaria, in quibus confident, simplicitas & puritas Christianæ fidei plus etiam quæ dici potest, est corrupta. Ipsæ enim cum sint filii Euæ matrē suam imitantes, fidem suam per multa etiam incredibilia corrupti permittunt. Ne etiā diabolus animas nostras per peccata corruptat, mādata Domini cu-

stodire debemus. Vnde dicitur Sap. 6. *Custoditio legum, consummatio est incorruptionis: incorruptio autem, facit esse proximum Deo.*

Sexto, stella cælo inseparabiliter est infixa, nec ab eo separatur. Sic etiam Beata Virgo in omnibus persecutionibus, quæ aduenerunt filio, non separauit se ab ipso. Ipsa quippe magnam paupertatem passa est cum filio apud Bethlehem in diuersorio. Vnde dicit Luc. 2. Quod cum eset in Bethlehem censum capitis sui solutura, *impleti sunt dies eius, ut pareret: & peperit filium suum primogenitum, & pannis eum inuoluit, & reclinauit in præsepio, quia non erat ei alius locus in diuersorio.* Ipsa etiam cum filio passa fuit exilium septem annis in Ægypto. Vnde dicitur Matth. 2. quod *Ioseph nocte consurgens accepit puerum & matrem eius, & secessit in Ægyptum, & erat ibi usque ad mortem Herodis.* Nihilominus Beata Virgo dolorem incomparabilem sustinuit cum filio stans sub crucis patibulo. Vnde Ioannes qui hoc vidit, dicit c. 19. *Cum vidiisset Iesum matrem, dicit matri sue: Mulier, ecce filius tuus. Q.d. Vide, attende, & considera, quanta tormenta patitur Filius tuus, & per hæc verba quodammodo dolores matris augmentauit.*

Nos etiam Redemptorem nostrum diligere debemus, ipsique inseparabiliter adhærere. Vnde dicit Apostolus ad Rom. 8. *Quis separabit nos à charitate Christi? tribulatio? an angustia? an famæ? an nuditas? an persecutio? an periculum? an gladius?*

De secundo nota: Beata Virgo duabus stellis conuenientibus assimilatur, videlicet, stellæ matutinæ, & stellæ marinæ. Primo itaque comparatur stellæ matutinæ, vnde dicitur Eccl. 50. *Quasi stella matutina in medio nebula, sic ipsa effulsa in templo Dei.* Dissipauit enim Beata Virgo in ortu suo nebulam tristitiae, quæ obtexerat omnes fideles aduentum Christi cum magno desiderio prestolantes. Omnes enim illi, quibus ruelatum fuit in spiritu, quod illa quæ erat Mater Dei futura, iam eset nata, mirabiliter nimirum poterant exultare. Vnde etiam Ecclesia filios suos hodie inuitat ad gaudium ita canens: *Cum inuiditate Natiuitatem Beate Mariae celebremus, ut ipsa pro nobis intercedat ad Dominum Iesum Christum.*

Et nota, quod Beata Virgo stellæ matutinæ, quæ alio nomine Venus vel Lucifer appellatur, propter quinque comparatur. Primo enim, sicut Lucifer diem & ortum solis immediate præcedit: ita & Beata Virgo Maria Dei Filium, qui verus est dies & sol æternus, corporali introitu præcessit in mundum, imo & ipsa verum diem & solum æternum, id est, Dei Filium profugatis tenebris perduxit in hunc mundum: propter quod cantamus de ea: *Felix namque es sacra Virgo Maria, & omni laude dignissima: quia ex te ortus est sol iustitiae, Christus Deus noster.* De die etiam, quem hæc stella produxit in orbem, dicitur in Psal. 83. *Melior est dies una in atris tuis super millia.* In atris quippe militantis Ecclesiæ solus Christus melior est, quam sint multa millia aliorum iustorum. Vnde & sponsa Cant. 5. dicit, quod *ex millibus est electus.*

Secundo, sicut stella matutina, id est, Venus calida & humida: sic & Beata Virgo fideliter inuocata confert calorem pulchræ dilectionis. De primo dicitur Eccl. 24. *Ego, inquit, mater pulchra*

*dilectionis.* De secundo dicit ibidem: *Ego sicut aquæductus exiui à paradiso, dixi: Rigabo hortum plantationum, & inebriabo partus mei fructum.* Hortus plantationum est S. Ecclesia, in qua plantæ fidelium hominum sunt plantatae. Has autem plantas, ut eo melius proficiant, irrigat aquis gratiarum, quas excipiens à Christo transmittit omnibus fideliter ipsam inuocantibus. Et etiam quandoque tam copiose transmittit aquam devotionis in corda suorum amicorum, quod inebriantur, id est, quod omnium misericordiarum suarum ad tempus penitus obliuiscuntur. Utinam illa pia Virgo sic nos aliquando inebriare dinetur.

Tertio, sicut Lucifer semper solem comitatur, & tunc quando solem sequitur, vesperus appellatur: ita & Beata Virgo vestigia filij degentis in carne continuo sequebatur: ipsum quoque non reliquit, cum ascendisset in cælum. Vnde dicit Hieronym. in quodam tractatu de assumptione Beatae Mariae: *Si Christus ab omnibus est amandus, & ex toto corde, & ex tota anima, atque ex tota virtute querendus: maxime tamen ab ea ardentes, cuius & Dominus erat & filius.* Fortasse ergo præ nimio amore in loco, quo sepultus dicitur, interdum eam habuisse credimus, quatenus amor piis pasceretur obtutibus. Sic namque locus habitationis eius medius est hincinde constitutus, ut adire possit ascensionis eius vestigia, & locum sepulture ac resurrectionis, seu omnia in quibus passus est, loca inuisere, non quod iam viuentem queraret cum mortuis, sed ut suis consolaretur aspectibus. Hoc quippe agit impatiens amor, ut quem desiderat, semper inuenire se credat.

Quarto, sicut Lucifer, id est, stella matutina plus fulget inter omnia sidera: sic etiam Beata Maria plus rutilat in gloria, quam aliquis Angelus, vel etiam aliquis Sanctus, vnde dicitur de ea Sap. 7. *Hæc est speciosior sole, & super omnem stellaram dispositionem: luci comparata inuenitur prior.* Solis igitur & omnium astrorum subcælestium splendorem excedit claritas Virginis intemera-tæ, imo dicit Bernar. quod *ipsa celestis patria clarius rutilat virginea lampadis irradiata fulgore.* Ipse etiam Lucifer in suo splendore colorem habet gaudentem: ita etiam B. Maria omnes exhibeat, qui eam intueri merentur.

Quinto, sicut in circulo Veneris, teste Martiano, omnes dicuntur consistere voluptates: ita etiam B. Maria in circulo intemperiæ vteri sui illum qui est voluptas & gaudium omnium beatorum, nouem mensibus continuit & hospitata fuit. Vnde cantatur in Reg. *Continet in gremio cœlum terramq; regentem Virgo Dei genitrix.* In circulo etiam illo, in quem translata est B. Virgo, consistit ille qui est fons omnium voluptatum, & qui torrente voluptatis suæ potat electos. Est enim B. Virgo super omnes Angelorum ordines exaltata, sicut de ea confidenter canit Ecclesia, positusque est thronus eius iuxta thronum serenissimi Filij sui Iesu Christi. Vnde dicit Hieron. *Et si in domo Patris mansiones multæ sunt, credimus splendidiorem mansionem matri Filium prestitisse.*

De secundo nota: Dicitur etiam Beata Maria stella marina, hoc testatur vniuersa Ecclesia quæ sic canit in quadam Sequentia: *Aue præclaræ maris stella in lyce, &c.* Canit etiam in hymno:

*Ave maris stella, &c.* Comparatur autem stellæ maris ad minus propter duo. Primo quia per eam omnis nauta dirigitur. Secundo, quia acui in tempestibus mirabiliter inuenitur similis. Primo enim, sicut versus stellam illam, quæ stella maris vocatur, semper nautæ portum & viam considerant nauigandi: sic etiam B. Virgo nobis in mari huius mundi constitutis ostendit viam nauigandi & portum cæli. Vnde & ipsa dicit in Eccl. 34. *Transite ad me omnes qui concupiscitis me, & à generationibus meis adimplemini.* Hæc stella inuitat nos ad bonum hospitium: promittit enim nobis, quod nos per generationem suam, id est, per dilectum Filium Iesum Christum omni gaudio nos implebit. Ostendit nobis etiam hæc stella viam quæ dicit ad portam paradisi, ita dicens in Psal. 33. *Venite filij, audite me, timorem Domini docebo vos.* Q.d. Hæc est via ad portam paradisi timor Domini. Vnde dicit Eccl. 1. *Timor delectabit cor, & dabit lœtitiam & gaudium in longitudine dierum. Timenii Dominum bene erit in extremis.*

Secundo nota, quod legitur de stella maris, quod videlicet in tempestate, quando cælum nubibus est obuolutum, & non potest videri stella maris: tunc nautæ acum accipientes projiciunt in peluum, in qua est aqua: accipiunt etiam magnetem, per quem acus iacens in pelui circumducitur & circumagitatur. Acu vero sic circumducta subtrahunt magnetem, & tunc acus acumine suo dirigit se contra stellam maris, & sic nautæ propendunt, quorsum sit stella maris, & sequuntur eam. Hæc optime posunt exponi de Virgine Maria.

Nota igitur, quod tunc verissime tempestas est in anima, & tunc cælum nubibus obducitur, cum per peccata & Dei & Beatæ Virginis gratia à misericordiis peccatoribus amittitur. Quid autem faciendum est peccatoribus, ut recuperent gratiam matris misericordiæ? Certe necesse est, ut accipient acum, per quam pœnitentia figuratur: quia per pœnitentiam, sicut per acum vestis innocentia quæ per peccatum dirupta est, resurget & reparatur. Hæc autem acus, videlicet, contrito, vel pœnitentia debet in corde per magnetem circumduci. Per magnetem vero timor æternæ damnationis & diuinæ seueritatis intelligitur. Iste enim timor trahit ad se ferrum, id est, ferreos peccatores. Subdueto vero hoc lapide, id est, alleuiato timore per spem veniae conuertit se acus, id est, pœnitentia ad matrem misericordiæ, id est, peccator fiducialiter incipit pœnitentiam agere, pro eo quod credit & sperat Mariam matrem misericordiæ pœnitentem non adjicere, imo paratam esse pro reis semper intercedere. Pœnitentiam igitur agentes ducit huius stellæ, id est, ducatu Virginis propitiæ perueniunt ad portas salutis æternæ.

Rogemus ergo charissimi, hanc gloriosam stellam, ut nobis in præsentis exilij peregrinatione constitutis, sic radios suæ pietatis transmittat, ut radiorum ipsius ducatu quilibet nostrum in patriam perpetua felicitatis perueniat. Quod nobis, &c.

\*\*

## IN EXALTATIONE Sanctæ Crucis

### SERMO XXXIX.

*Ego si exaltatus fuero à terra,  
omnia traham ad meipsum.*

Ioan. 12.

¶ Via hodie festum agitur Exaltationis sanctæ Crucis, propterea legitur Euang. in quo Dominus mentionem facit, qualiter ipse exaltatus fuit in cruce. Vnde tria sunt hic notanda.

I. *Quid per Exaltationem Domini patenter intelligatur?*

II. *Per quid Exaltatio Domini figurali-  
ter exprimatur?*

III. *Per quid ad ipsum omnis homo tra-  
batur?*



E primo nota: Per exaltationem à terra intelligitur crucifixio Iesu Christi. De hac exaltatione idem Dominus dicit Ioan. 8. *Cum exaltaueritis Filium hominis, tunc cognoscetis quia ego sum.*

Hæc verba sic expone: *Cum exaltaueritis*, id est, cum crucifixeritis me Filium hominis, id est, Mariæ Virginis, *tunc cognoscetis*, id est, aliqui ex vobis cognoscent, *quia ego sum*, scilicet, Filius Dei. Vnde dicit Marc. 15. *quod Domino mortuo in cruce, centurio qui ex aduerso stabat, ait: Vere hic homo Filius Dei erat.* dicit etiam Luc. 23. *quod omnis turba eorum qui simul aderant ad spectaculum illud, & videbant quæ siebant, percutientes petitora sua renvertebantur.* Quasi per hoc innuerint, quod male actum esset contra Filium Dei.

De secundo nota: Exaltationem siue crucifixionem Domini præfigurabat exaltatio ænei serpentis in deserto. Vnde Dominus dicit Ioan. 3. *Sicut Moyses exaltauit serpente in deserto: ita exaltari oportet Filium hominis, ut omnes qui credunt in Christum, non pereant, sed habeat vitam æternam.* Nota ergo, quod legitur in libro Num. quod cum filij Israel essent in deserto, tædere cœpit populum, itineris ac laboris, & murmurauit contra Dominum & Moysem, & ait: *Cur eduxisti nos de Ægypto, ut moreremur in solitudine? Deest panis, non sunt aquæ: anima nostra iam naufragat super cibo isto leuissimo.* *Quamobrem misit Dominus in populum ignitos serpentes, ad quorum plagas & mortes rogauerunt Moysem, ut oraret pro eis.* Orante vero Moyse dixit Dominus: *Fac serpente æneum, & pone eum pro signo: qui percussus aspicerit eum, vivet.* Fecit ergo Moyse serpente æneum, & posuit pro signo: *quem cum percussi aspicerent, sanabantur.*

Igitur ad intelligentiam præmissorum tria sunt hic inuestiganda. Primum est quid per serpente æneum præfiguretur. Secundum est, quid per exaltationem eius significetur. Tertium, quid per serpentes ignitos intelligi detur. De primo nota,

T 3      quod

quod per serpentem æneum Dei Filius figuratur, & hoc propter sex causas. Prima est: quia (sicut dicit Hieron. ad Præsidium de rērum contemptu) *serpens quando insenuerit, ieunat quadraginta diebus, ut laxetur pellis eius, & sic per angustum foramen perre transiens, pellem senectutis deponit.* Ita & Christus ieunauit 40. diebus & 40. noctibus, vt doceat nos idem facere, vt sic pellem veterem peccatorum deponentes, in nouitate vitæ spiritualis ambulemus.

Secunda causa est: quia serpens contemptibilis est & oditur. Ita & Iudæi Christum contempserunt & oderunt. De contemptu suo dicit ipse Dominus in Psal. 21. *Ego sum vermis & non homo, opprobrium hominum & abiectione plebis.* Quod etiam oderunt eum, testatur Ioan. 15. *Si mundus vos odit, scitote quia me priorem vobis odio habuit.* Et vere Christus adhuc à multis contemnitur. Multi enim sunt, qui numum, & veritatem, & mulierem fornicariam præponunt optimo Deo.

Tertia causa est: quia serpens est animal prudens. Vnde dicitur Genesis 3. *Serpens erat callidior cunctis animantibus terre, que fecerat Dominus Deus.* Ita etiam Dominus per prudentiam diabolum superauit in cruce. Vnde dicitur Iob 26. *Prudentia eius percussit superbū.* Dei quippe Filius cum diabolo congressurus, habitum eorum induit, quos diabolus saepē deuicerat. Diabolus autem virtutem diuinitatis sub humilitate latenter ignorans cum Filio Dei audacter congregitur, faciens eum in cruce suspendi. Dum vero creditur vincere, vincitur, & percutitur, & conculcatur.

Quarta causa, quare Christus æneo serpenti comparatur, hæc est, quia videlicet æs valde durabile est. Ita & Christus æneus fuit, quia patientissimus. Summæ quippe patientiae fuit in omnibus amaritudinibus Passionis suæ. Vnde & Paulus inuitat nos ad Heb. 12. *Vt patientiam huius ænei serpentis intueamur & imitemur,* ita dicens: *Recognitatem eum, qui talem sustinuit à peccatoribus aduersus semetipsum contradictionem, & non fatigemini, animis vestris deficientes: nondum enim usque ad sanguinem restititis.*

Quinta causa est: quod æs est vocalissimum & sonorissimum inter omnia metalla. Ita & Christus clarissimas & suauissimas voces emisit in medio amaritudinum Passionis suæ, sicut testatur Luc. 23. dixit enim ad Patrem: *Pater, dimitte illis: non enim sciunt quid faciunt.* Dixit etiam ad latronem: *Amen dico tibi, hodie tecum eris in paradyso.*

Sexta causa est: quod æs conseruationi collytorum inter omnia metalla est aptissimum. Ita & corpus Domini fuit vas efficacissimi collyrij atque optimæ medicinæ. Ex ipso quippe profluxit sanguis ille pretiosus, qui est totius mundi nobilissima medicina. Vnde dicit Augustinus in lib. de Anima: *O medicinam omnibus consulentem, omnia tumescientia comprimentem, omnia tabescientia reficientem, omnia superflua resecantem, omnia necessaria custodientem, omnia perdita reparantem, omnia depravata corrigentem.*

De secundo nota, quod exaltatio ænei serpentis, quem Moyses ad aspectum populi in pertica eleuauit, hoc præfigurauit, quod Iesus Christus erat suspendendus in cruce, vt quicunque eum per veram fidem, id est, per eam fidem quæ bona

operatur, intueretur, ab omnibus plagiis suorum criminum curaretur.

De tertio nota, quod per ignitos serpentes intelliguntur peccata mortalia, videlicet, superbia, ira, inuidia, acedia, avaritia, gula, & luxuria. Primus serpens, videlicet, superbia, præcipue collum & caput inuadit. Secundus, scilicet, ira, cor & pectus. Tertius, videlicet, inuidia, medullas & ossa. Quartus vero, scilicet, acedia, mortet pedes & crura. Quintus, videlicet, avaritia, manus & brachia. Sextus autem, id est, gula, lacerat ventrem & viscera. Septimus serpens, id est, gula, lacerat ventrem & viscera. Septimus serpens, id est, luxuria, inuenenat lumbos & femora.


Dicuntur autem isti serpentes igniti propter duo. Primum est: quia omnia bona opera hominum exurunt & consumunt. Secundum est: quia animas suas inuenenauerunt, æternis ignibus repræsentant & tradunt. De igne vero isto quo hi serpentes igniti sunt venturi, dicitur in Iob 31. *Ignis est usque ad perditionem deuorans, & omnia eradicans genimina,* videlicet, virtutum & bonorum operum. Quicunque ergo illis ignitis serpentibus percussus fuerit, respiciat nostrum æneum serpentem, id est, Iesum Christum in cruce suspensum, & curabitur. Pendet enim Iesus in eximia humilitate, contra superbiam: pendet in maxima cordis lenitate, contra iram: pendet in præcipua charitate, contra inuidiam: stat in cruce inenarrabili dolorum acerbitate, contra acediam: stat in altissima paupertate, contra avaritiam: pendet in duræ sitis fccitate, contra gulam: stat nihilominus in laudabili corporis castitate, contra luxuriam.

De tertio nota: Dominus exaltatus in cruce omnia trahit ad seipsum. Per omnia vero homo denotatur: propter ipsum quippe facta sunt omnia, & in ipso concurrent omnia. Habet enim rationem cum Angelis, & vitam cum arboribus, sentit cum animalibus, & habet esse cum lapidibus. Trahit autem nos Dominus triplici funiculo, fidei, spei, & charitatis. Vnde & istæ tres virtutes dicuntur Theologicæ, id est, diuinæ. De isto funiculo triplici dicitur Eccl. 4. *Funiculus triplex difficile rumpitur.* Igitur homo per fidem videt Deum, & omnia quæ Deus electis præparauit. Per spem homo concupiscit apprehendere, quæ sibi fides demonstrauit. Per charitatem vero laborat & fortiter operatur, vt dignus sit ea possidere, quæ per fidem videt, & per spem concupiscit.

Rogate ergo Dominum, vt eum nunc in crucis patibulo tam fideliter intueamur, vt ipsum quoque in regali solio gloriose residentem tandem videre mereamur.

Quod, &c.

\*\*



IN FESTO

BEATI MATTHÆI  
Apostoli.

## SERMO XL.

*Non veni vocare iustos, sed peccatores ad pœnitentiam.*  
Luc. 22..

**N**ota, quod Dominus & peccatores vocat, & iustos. Vnde notandum est hic de triplici vocatione Domini.

I. *Dominus vocat peccatores ad pœnitentiam & conuersionem.*

II. *Vocat iustos ad ampliorcm perfectio-nem.*

III. *Vocat pœnitentes & innocentes ad perpetuam remunerationem.*



E prima vocatione dicitur in Matth. 9. *Vidit Iesus hominem sedentem in telonio, Matthæum nomine, & ait illi: Sequere me, & surgens secutus est eum.* Et nota, quod Beatus Matthæus quatuor fecit, quæ vere pœnitens facere debet. Vocante quippe se Domino omnia reliquit, surrexit, secutus est Iesum, & fecit ei in domo sua conuiuum magnum. Vnde dicitur in Luc. 5. *Relictis omnibus surgens, secutus est eum, & fecit ei conuiuum magnum Leni,* id est, Matthæus in domo sua. Ita etiam quilibet peccator 1. omnia peccata & peccatorum occa-siones relinquere debet per timorem: quia *timor Domini expellit peccatum.* 2. Surgere etiam, id est, sursum se erigere debet per spem: quia spes caelestia concupiscit. 3. Sequi quoque Deum debet per fidem. Fides enim semper innititur omnibus vestigiis Iesu Christi: sequitur quippe eum ad locum passionis & supplicij, & ad tribunal districti iudicij, & ad solium cœlestis palati. 4. Debet ei in domo animæ suæ magnum conuiuum preparare, per charitatem. Charitas enim bona opera operatur, in quibus Deus tanquam dulcissimis ferculis delectatur.

Item de vocatione peccatorum dicitur Mat. 4. *Cœpit Iesus predicare, & dicere: Pœnitentiam agite, appropinquauit enim regnum celorum.* Dicitur etiam Marc. 1. *Venit Iesus in Galileam predicans Euangeliū regni Dei, & dicens: Quoniam impletum est tempus, & appropinquauit regnum Dei: & pœnitemini, & credite Euangeliō.*

Nota hic duas causas, quare unusquisque debet celeriter pœnitere. Prima causa est temporis breuitas, quæ notatur ibi: *Quoniam impletum est tempus.* Cum igitur incerti simus, si cras simus victuri, quomodo conuercionem nostram etiam usque in crastinum audeamus differre: vnde

dicitur Eccli. 5. *Non tardes conuerti ad Dominum, & ne differas de die in diem: subito enim veniet ira illius.* Hinc etiam dicit August. in lib. de verbis Domini: *Ipsa res est, que multos occidit, dum dicunt: Cras, cras: & subito ostium clauditur. Remansit foris cum voce cornuina: quia non habuit gemitum columbinum.* Item in eodem super locum illum Prou. 3. *Non dicas amico tuo: Vade & reuertere, & cras dabo tibi: cum statim possis dare.* *Audisti preceptum non differendi ut in alium sis misericors, & differendo in te es crudelis.* *Non debes differre panem datus, & differs indulgentiam accepturus.*

Secunda causa, per quam inuitamus ad velocem pœnitentiam, est glorijs regni Dei iucunditas, quæ notatur ibi: *Pœnitentiam agite, appropinquauit enim regnum celorum.* Si aliquis ita famelicus esset, quod intraret stabulum porcorum, vt reficeretur de cibis eorum, & tunc ab aliquo magno principe vocaretur ad palatium suum, ubi ei ex optimis ferculis satietas veraciter promitteretur: nonne libenter & velociter ire debet? Si vero responderet vocanti se, & diceret: *Expecta per tempus,* prius enim ventrem meum siliquis porcorum implebo: nonne stultissimus iudicaretur? Sic est de multis. Cum enim homo naturaliter ita famelicam habeat animam, quod non possit impleri nec satiari, nisi per solam Trinitatem: multi tamen amplexantur stercora turpium voluptatum, vt per eas satient miseram concupiscentiam suam. De ferculis vero regis æterni vel nihil vel valde parum curant. Quia igitur vocamur ad pœnitentiam, oportet scire, quid sit vera pœnitentia. Quædam Gloss. super Matth. ait: *Pœnitentia dicitur a puniendo, qua quisque punit, quod illicite commisit.* Item alia Gloss. in Matth. *Pœnitere est ante acta deflere, & deflenda non committere.* August. in quodam serm. de pœn. dicit: *Pœnitentes, pœnitentes, pœnitentes, si tame estis pœnitentes, & non estis irridentes, mutate vitam.* Per hoc, quod ter ait pœnitentes, innuit nobis, quod triplex debet esse pœnitentia, videlicet, cordis, oris, & operis. Prima consistit in vehementi contritione, secunda in pura confessione, tertia in plena satisfactione.

Secundo Dominus vocat iustos ad ampliorē perfectionem. Et nota, quod Christiana perfectione maxime consistit in quatuor. Primum est iugis continentia. Secundum totalis obedientia. Tertium est voluntaria paupertatis sacrificium. Quartum est feruens martyrij desiderium. Ad iugem continentiam vocavit Dominus Ioannem Euang. cum ad eiusdem nuptias esset inuitatus, sicut asserunt Sancti. De hac perfectione dicit Dominus Matth. 19. *Sunt Eunuchi, qui castruerunt seipso propter regnum celorum: qui potest capere, capiat.* Legitur in vita S. Patrum, de quodam Laico, qui diu habuerat vxorem legitimam: sed nunquam eam cognouerat, sed tanquam sororem eam habebat. Hic vehementer redargendi sunt, qui nolunt etiam à fornicatione propter Deum abstinere.

Vocat nos etiam Dominus ad totalem obedientiam Matth. 16. *Siquis, inquit, vult venire post me, abneget semetipsum.* Ille semetipsum abnegat, qui propriæ voluntati renuntiat, & totum se per obedientiam alteri recommendat. Hoc exemplum habemus à Christo, qui in agonia positus dixit ad Patrem, vt testatur Marc. 14.

*Abba Pater, omnia possibilia sunt tibi, transfer hunc calicem à me: sed non quod ego volo, sed quod tu.* ibi dicit Glos. *Visque in finem non cessat nos docere parentibus obedire, & voluntatem eorum nostra preponere voluntati.* Hic monendi sunt Laici, vt Sacerdotibus suis fideliter obediunt.

Vocavit etiam Dominus Petrum & Andream, & filios Zebedai ad voluntariae paupertatis sacrificium, sicut legitur Matth. 4. Dicitur enim ibi, quod *relictis rebus secuti sunt eum.* Hinc etiam legitur Matth. 19. quod cum quidam adolescentis dixisset se omnia mandata Domini à iuuentute seruasse, *dixit illi Iesus: si vis perfectus esse, vade & vende omnia que habes, & da pauperibus, & habebis thesaurum in celo.* Hic monendi sunt illi, qui omnia relinquere eon possunt, vt saltem eleemosynas suas pauperibus largiter administrant.

Quarto vocat Dominus iustos ad feruens martyrij desiderium. Vnde dicit Luc. 14. *Qui non baiulat crucem suam, & venit post me, non poteſt meus esse discipulus.* Ille crucem suam baiulat, qui mori pro Christo desiderat. Hic monendi sunt infirmi Christiani, qui timent mortem pati pro Christo, vt saltem ab hoc caueant, ne Christus patiatur ab eis, id est, ne rursus per peccata sua Dei Filium crucifigant.

Tertio Dominus pœnitentes & innocentes vocabit ad perpetuam remunerationem. Vnde dicitur Matth. 10. *Cum sero factum esset, dicit Dominus vinea procuratori suo: Voca operarios, & reddet illis mercedem suam.* Hinc etiam dicitur Matth. 25. *Tunc dicet Rex his, qui à dextris eius erunt: Venite benedicti Patris mei, possidete paratum vobis regnum à constitutione mundi.* Et nota, quod Dominus electos suos per tria præcipue præmiabit. Primo enim eos vestimentis gloriæ decorabit. Secundo eos in thronis regalibus collocabit. Tertio eos delicatissimis ferculis optime procurabit.

De primo dicitur Baruch. 5. *Exue te Ierusalem stola luctus & vexationis tuae: & indu te decore & honore eius, quæ à Deo tibi est gloria sempiterna.* Item Isa. 52. *Induere vestimentis gloria tua Ierusalem ciuitas sancta.* Prædicta verba Dominus dicit ad quemlibet electum, cum induet eum stola perpetuæ claritatis. Per Ierusalem enim quilibet electus intelligitur.

De secundo dicitur in Job 36. *Non auferat Dominus à iusto oculos suos, & reges in solio collocat in perpetuum, & illic eriguntur.* Per reges intelliguntur boni Christiani, qui bene regunt semetipsos, & familiam suam siquam habent. Hos Dominus in solijs, id est, thronis regalibus collocabit.

De tertio dicitur in Isa. 49. *Erunt reges nuntiij tui, & reginæ nutrices tuae.* Per reges intelliguntur Pater, & Filius, & Spiritus sanctus, qui monarchiam cœlestis regni indiuisibili vnitate gubernant. Per reginas designantur, potentia, sapientia, benevolentia, quæ sunt quasi spirituales sponsæ Patris, & Filii, & Spiritus sancti. Qualia puratis fercula proferent de suis promptuarijs hi Reges & hæ Reginæ? Econtra peccatores miseri & nudi demergentur in abyssum inferni, ubi comedent absynthium, & fel draconum bibent, id est, æterna supplicia patientur.

Rogate ergo Dominum, vt eum nunc per pœnitentiam & Christianam perfectionem sic sequamur, vt tandem ad electorum epulas admittamur, &c.



## I N FESTO B. MAURITII & Sociorum eius

### S E R M O X L I.

*Transfugerunt ad David, cum lateret in deserto, viri robustissimi & pugnatores optimi, tenentes clypeum & hastam: facies eorum quasi facies leonis, & veloces quasi capreæ in montibus.* 1. Paral. 12.

**M**æc verba leguntur in Paralipo, & optime possunt exponi de Beato Mauritio & socijs eius. Vnde primo quatuor sunt notanda.

- I. *Quis in loco isto per David intelligatur?*
- II. *Quid per desertum in quo latuit, exprimatur?*
- III. *Quando ad David isti transfugisse dicantur?*
- IV. *A quibus etiam viri isti commendabiles habeantur?*



E primo nota: Per David Dei Filius intelligitur. Et hoc propter tria, videlicet; propter conuenientiam nominis, & corporis, & operis. Primo David conuenientia nominis sui exprimit Christum. David enim interpretatur manu fortis, & vere Filius Dei fortis est manibus. Potest enim, quando placuerit ei, omnes peccatores terræ confringere, sicut vala figuli confringuntur: vnde dicitur ei in Psal. 2. *Reges eos in virginera, & tanquam vas figuli confringes eos.* Hinc etiam dicitur Deut. 27. *Dominus Deus tuus, ipse est Deus fortis & fidelis.* Secundo David conuenientia corporis sui Christum præfig urat. David enim erat rufus, & pulcher aspectu: decoraque facie, sicut legitur 1. Reg. 16. Ita etiam erat candidus & rubicundus, electus ex millibus. Candidus siquidem fuit Christus per immaculatam carnem puritatem. Rubicundus vero per Passio-nis asperitatem: tunc enim corpus suum per proprium sanguinem fuit rubricatum. Tertio conue-

conuenientia operis David exprimit Christum. David enim opus fecit magnificum, quando Goliath Philisthem agminibus Israel exprobrantem deiecit & interfecit, sicut dicitur 1. Reg. 17. Christus etiam diabolum vniuersi humani generis inimicum in cruce moriens virtute diuinitatis prostrauit & conculcauit.

De secundo nota: Per desertum in quo David latuit, sancta Ecclesia designatur. Sancta quippe Ecclesia bene desertum appellatur: quia tunc quando isti Martyres passi fuerunt, pauci fideles erant in Ecclesia, respectu multitudinis infideliuum. Tunc etiam Christus quasi latuit, quando pauci audebant in publico confiteri, quod essent Christiani. Et vere adhuc hodie bene potest Ecclesia appellari desertum: quia licet in ea multi videantur Christiani esse & nomine & corpore, pauci tamen sunt in ea meritis & anima. Omnes enim qui subiacent aliqui peccato mortali, & qui sunt amatores huius mundi, non sunt de Ecclesia Dei, sed potius de synagoga diaboli.

De tertio nota, quod tunc isti gloriosi milites configerunt ad verum David in desertum Ecclesiae, quando credentes in Christum baptizari se fecerunt ab Episcopo Ierosolymitan. Cum enim vel Iudeus vel Paganus vere credens in Christum se facit baptizari, tunc se transfert à militia diaboli ad militiam Iesu Christi. Vnde dicit Sacerdos ad eum, qui est baptizandus: Abrenuntias satanæ & omnibus pompis eius, &c. Quasi dicat. Relinquis tu modo seruitum diaboli, & profiteris te esse seruum Dei. Det nobis, charissimi, hoc Deus, vt factis impleamus, quod modo in baprismo promisimus.

De quarto nota: Beatus Mauritius & socij eius à sex specialiter commendantur. Primum est, quod erant viri robustissimi. Viri enim erant per animi firmitatem, & non mulieres per cordis imbecillitatem. Et erant robustissimi ad triplicem hostem debellandum. Robusti siquidem erant contra mundi huius concupiscentiam, robustiores erant contra propriæ carnis petulantiam, robustissimi erant contra dæmonum peruicaciam. Hos enim tres hostes potenter & viriliter sibi subegerunt. Indigemus & nos, charissimi, vt contra hos tres hostes simus robusti. Igitur ad conculcandam huius mundi concupiscentiam monet nos Ioan. 1. Can. 2. Nolite, inquit, diligere mundum: quoniam quis diligit mundum, non est charitas Patris in eo, id est, non diligitur à Deo. Ad comprehendendam vero carnis petulantiam monemur à Paulo ad Rom. 7. Non regnet, inquit, peccatum in vestro mortali corpore, vt obediatis concupiscentijs eius. Item ad Galat. 5. Qui sunt Christi, carnem suam cruciferunt à vitijs & concupiscentijs, id est, carnem suam compresserunt, & vitia eius & concupiscentias extinxerunt. Ad eneruandam quoque dæmonum peruicaciam, id est, insolentem nequitiam, monet nos 1. Pet. 5. Aduersarius vester, inquit, diabolus, tanquam leo rugiens circuit querens quem deuoret, cui resistere fortiter in fide. Ad idem hortatur nos Paulus ad Ephes. 5. Induite vos armaturam Dei, vt possitis stare aduersus infidias diaboli.

Secundum à quo commendantur isti egregij

milites, hoc est, quod erant pugnatores. Iniquos enim & impios impugnabant, bonos autem & pios protegebant. Vnde Beatus Mauritius dixit ad Maximianum: Dextra nostræ pugnare aduersus impios & iniquos sciunt, laniare pios & conciues nesciunt: pugnauimus semper pro iustitia, pro pietate, pro salute innocentium. Sic & principes & milites nostri temporis facere deberent. Imitari quippe deberent sanctum Mauritium, & etiam Iudam Machabæum, de quo legitur 1. Mach. 3. *Iudas Machabæus protegebat castra gladio suo, & persecutus est inimicos, perscrutans eos: & qui conturbabant populum suum, eos succedit flammis.* Ad hoc enim milites accepserunt gladium, vt claustra religiosorum, & pupillos, & orphanos, & viduas ac pauperes ab impiorum iniurijs tueantur.

Tertium quod fecit ad commendationem eorum, hoc est, quod tenebant clypeum. Per clypeum crux Dominica figuratur, quam isti gloriosi martyres in brachio recordationis suæ iugiter detulerunt. Teneamus & nos, charissimi, hunc clypeum: vnde dicit Bern. *Memor ero quandiu vixerò, laborum quos Christus sustinuit in prædicando, fatigationum in discurrendo, tentationum in ieiunando, vigilarum in orando, lacrymarum in compatiendo: recordabor etiam dolorum, conuiciorum, fletorum, colaphorum, flagellorum, subsannationum, exprobationum, clavorum, horumque similium: alioquin requiretur à me sanguis Iusti, qui effusus est super terram.*

Quartum, à quo commendantur isti martyres, hoc est, quod etiam hastam tenuerunt. Per hastam potest intelligi lancea illa, qua unus militum latus Salvatoris aperuit: & continuo exiuit sanguis & aqua. Et certe hæc lateris Christi transfixio fuit spirituale martyrium Beatæ Mariæ Virginis. Hanc enim transfixionem corpus filij iam emortuum non sensit, sed hæc diræ lanceæ perforatio animam Beatæ Virginis que tunc astabat, otrociter pertransiuit. Hanc igitur hastam sive lanceam nobiles isti in manibus memoriæ tenuerunt: quia dolorem incomparabilem piæ Virginis Mariæ in mente frequenter habuerunt, vt eo leuius tolerarent dolores matrum ac coniugum suarum, quos ex ipsorum martyrijs eas habituras verisimiliter præuidebant. Probabile enim est, quod plures istorum martyrum & matres & vxores viuentes habebant, quando passi fuerunt. Monet etiam nos Hieron. ne propter dolores parentum nostrorum à Christi seruilio retrahamur, & dicit sic: *Licet parvulus ex collo pendeat nepos, licet sparso crine & scissis vestibus, ubera quibus te nutrierat mater, ostendat: licet in limine pater iaceat: per calcato perge patre, siccis oculis ad vexillum crucis enola. Solum pietatis genus est, in hac re esse crudellem.*

Quintum à quo commendantur isti, hoc est, quod facies eorum quasi facies leonis erant. Leo robustam faciem habet & confidentem, sicut dicitur Prou. 30. Leo fortissimus bestiarum ad nullius pauebit occursum. Sic & isti martyres ex iustitia sua magnam habebant confidentiam de remuneratione diuina: vnde Prouerb. 10. *Exaltatio iustorum, letitia. Iusti autem erant isti beati martyres.* Vnde cantatur de eis: Euangelici precepti

p̄cepti, etiam sub armis non immemores: quæ Dei erant, Deo: quæ Cæsar is erant, Cæsari restituēbant.

Sextum à quo commendabiles existunt, hoc est, quod erant velocius quasi capræ in montibus. Capræ visum habent acutissimum, & sunt velocissimæ. Sic & isti martyres, quia gloriam martyrij contemplabantur, ad martyrium velociter festinabant. Contempsit enim ille gloriōsus exercitus rem præsentium ob spem futurorum. Poterant enim isti strenui milites hoc dicere, quod ait Apostolus 2. ad Corinth. 4. *Id quod in præsenti est momentaneum & leue tribulationis noſtre, ſupra modum & in ſublimitate aeternum gloria pondus operatur in nobis, non contemplabitur nobis ea qua videntur, &c.* Rogate ergo Dominum, ut ſic iſtos gloriōlos martyres veneremur & imitemur in terris, ut & iſpis adiungi mereamur in cælis, &c.



## D E S . M I C H A E L E S E R M O X L I I .

*Videte ne contemnatis unum ex his pusillis: dico enim vobis quia Angeli eorum, in cælis ſempre vident faciem Patris mei qui in cælis est.*  
Matth. 18.

Tria ſunt principaliter hic notanda.

- I. *Quid per pusillos intelligatur?*
- II. *Quare Dominus inhibeat ne pusilorum aliquis contemnatur?*
- III. *Propter quid facies Dei Patris ab Angelis videatur?*

E primo nota: Per pusillos intelliguntur hic simplices, pauperes, & infirmi. Simplices enim pusilli, id est, parui ſunt in mundi huius astutia. Pauperes pusilli ſunt in rerum opulentia. Infirmi modici ſunt in virium ſufficientia. Et vere simplices non ſunt contemnendi: quia vt dicitur Proverb. 3. *Cum simplicibus est ſermocinatio eius, id est, Iefu Christi.* Pauperes etiam non ſunt despiciendi: quia, vt dicitur Pro. 17. *Qui despexit pauperem, reprobat factori eius.* Et etiam dicitur in Psal. 10. *Tibi, ô Domine, derelictus est pauper.* Infirmi quoque non ſunt habendi deſpectui. Dominus enim miſeretur infirmorum. Vnde dicitur in Psal. 6. *Miſerere mei Deus, quoniam infirmus sum.* De prædictis pusillis dicit Dominus Luc. 12. *Nolite timere pusillus gressus, quia complacuit Patri vestro dare vobis regnum.*

De ſecundo nota: Præter prædicta Dominus assignat rationem, quia pusilli non ſunt contamendi, & dicit: *Videte ne contemnatis unum ex his pusillis, &c.* Quasi dicat. Cauete vobis, attendite ne contemnatis aliquem ſimplicem, vel pauperem, vel infirmum. Ego enim eos ita dignos habeo, quod custodiæ eorum Angelos deputau. Et certe non tales Angelos, qui tanquam garconibus ſimiles ſint de coquina mea, ſed tales, qui ſunt de palatio imperij mei, & qui ſempre vident faciem Patris mei qui in cælis eſt. Super prædictum locum dicit Glos. *Magna dignitas animarum, ut unaque habeat ab ortu nativitatis in custodiā ſui Angelum delegatum.*

De tertio nota: Propter quatuor Angeli vident faciem Dei Patris. Primum eſt, ut per eos bona opera hominum Deo Patri alacriter offerantur. Secundum eſt, ut quicunque ad ſalutem fideliū missi fuerint, celeriter profiſcantur. Tertium eſt, ut ſuper conuerſione peccatorum Deo pie congratulentur. Quartum, ut in facie Dei ſpeciosiflma infatiabiliter epulentur.

De primo, videlicet, quod Angeli bona opera hominum Deo offereant & repræſentent, teſtatur ipſe Raphael Tob. 12. ita dicens: *Quando orabas cum lacrymis, & ſepeliebas mortuos, & dereliquebas prandium tuum, & mortuos abſcondebas per diem in domum tuam, & nocte ſepeliebas, ego obtuli orationem tuam Domino: & quia acceptus eras Deo, neceſſe fuit, ut tentatio probaret te.* Legitur etiam in Act. 10. quod *Angelus apparenſ Cornelio, dixit ei: Cornelii, orationes & eleemosynæ tue ascenderunt in memoriam in conspectu Dei.* Quasi dicat. Ego obtuli eas Deo. Hinc dicitur in Apoc. 8. *Venit Angelus, & ſtetit ante altare, habens thuribulum aureum in manu: & data ſunt illi incenſa multa, ut daret de orationibus Sanctorum omnium ſuper altare aureum, quod eſt ante thronum Dei.* Nota, quod altare eſt cor deuoti hominis, ante quod diſtuntur Angeli, ut videlicet cogitationes, orationes, locutiones, ac operationes hominum igne charitatis accensas in thuribulo alacritatis luæ offerant ſuper altare aureum, quod eſt ante thronum Dei, id eſt, Dei Filio repræſentent, qui eſt in ſinu Patris. Bonum eſt ergo, chariſſimi, ut ſemp er aliiquid boni in Angelorum thuribula reponamus.

De ſecundo, videlicet, quod Angeli ad ſalutem hominum mittantur & profiſcantur, manifeſte probatur in Tob. 12. vbi Raphael Angelus dixit ad Tobiam ſeniorem: *Miſit me Dominus, ut curarem te, & Saram uxorem filij tui à dæmonio liberarem.* Et ponuntur ibi octo beneficia Raphael, quæ commemorat in ordine Tobias iunior, ſic dicens ad Patrem: *Pater, quam mercedem dabimus illi, aut quid dignum poterit eſſe beneficij eius?* Modo incipit numerare beneficia Angeli, & dicit: *Me duxit & reduxit ſanum.* Ecce primum. *Pecuniam à Gabelo ſucepit.* Ecce ſecundum. *Vxorem me habere ipſe fecit.* Ecce tertium. *Et dæmonium ab ea ipſe compescuit.* Ecce quartum. *Gaudium parentibus eius fecit.* Ecce quintum. *Et meipſum à deuoratione pīcīs eripiuit.* Ecce ſextum. *Te quoque fecit videre lumen celi.* Ecce septimum. *Et bonis omnibus per enī repleti ſumus.* Ecce octauum. Et certe adhuc

adhuc hodie mittuntur ad fideles in Ecclesia, vt custodiant eos in omnibus vijs suis: vnde dicitur in Psal. 90. *Angelus suis Deus mandauit de te, ut custodiant te in omnibus vijs tuis.*

Et nota, quod tria genera hominum sunt in Ecclesia Dei, quorum doctrinæ ac custodiæ tres Angeli specialiter deputari videntur, videlicet; Michael, Gabriel, Raphael. Hæc autem tria genera hominum signata sunt per Noe, Daniel, & Iob, qui soli saluandi esse dicuntur: legitur enim in Ezech. 14. *Si fuerint tres viri isti in medio eius, Noe, & Daniel, & Iob, ipsi iustitia sua liberabunt animas suas.* Per Noe qui rexit arcum, intelliguntur Principes sive Prælati. Per Daniel qui virgo fuit & continens, intelliguntur virginis & continentis. Per Iob qui fuit in matrimonio, figurantur coniugati.

Michael igitur deputatus est custodiæ atque doctrinæ Prælatorum & Principum. Vnde & ipse Princeps appellatur in Dan. 10. vbi dicit Gabriel ad Danielem: *Ecce Michael unus de Principibus primus venit in adiutorium meum.* dicitur etiam Dan. 12. *In tempore illo consurget Michael Princeps magnus, qui stat pro filiis populi.* Michael autem interpretatur, *Quis vt Deus, & ex ipsa nominis sui interpretatione innuit, quod Prælati & Principes debent esse vt dij: Deus autem est fidelis, & verax, iustus, & misericors.* 1. Quod Deus sit fidelis, dicitur Deut. 22. *Deus fidelis, & absque ulla iniquitate.* Sic & Principes & Prælati deberent esse fideles, sed modo sunt è conuerso. Dicit enim Dominus Isa. 1. *Principes tui infideles, socij furum.* 2. Item Deus est verax: vnde dicitur Ioan. 3. *Qui accepit eius testimonium, signavit quia Deus verax est.* Ita & ipsi debent esse veraces. Non enim decet Principem labium mentiens, vt dicitur Prou. 17. 3. Deus etiam est iustus: hinc dicit Psal. 10. *Iustus Dominus, & iustitas dilexit.* Sic & ipsi debent esse iusti. Per iustitiam enim firmatur solium: sicut dicitur Proverb. 16. 4. Deus etiam est misericors: vnde dicitur in Psal. *Quod misericordia eius non est numerus.* Ita Principes & Prælati debent esse misericordes: quia dicitur Proverb. 20. *Misericordia & veritas custodiunt Regem: & robatur clementia thronus eius.*


Gabriel deputatus est virginibus & continentibus. Vnde & ipse fuit missus ad Danielem virginem, vt faceret eum intelligere mirabiles visiones, quas viderat, & quæ ventura erant. Dicitur enim Dan. 8. *Gabriel fac istum intelligere visionem.* Missus enim fuit, vt nuntiaret conceptionem Ioan. Baptistæ, qui virgo permanit. Missus etiam fuit ad Mariam Virginem, vt annuntiaret ei, quod conceptura esset Salvatorem mundi & virginitatis auctorem. Interpretatur autem Gabriel fortitudo Dei, & per hoc innuitur, quod virginis ac continentis multum indigent fortitudine diuina, qua possint resistere tentationibus & concupiscentijs illecebrosæ carnis.

Raphael deputatus est coniugatis. Vnde & ipse missus fuit ad Tobiam coniugatum, & procurauit nuptias iuniori Tobiæ. Ipse etiam docet quod tria maxime sunt necessaria coniugatis, videlicet, oratio, iejunium, & eleemosyna, sicut dicitur Tob. 13. Interpretatur vero Raphael medicina Dei, & per hoc innuitur, quod coniuga-

tis est necessaria medicina temperantiae, ne vi- delicet, nimis voluptati relaxent habendas. Vnde dixit iunior Tob. 8. *Tu scis Domine, quia non luxuria causa coniugem accipio, sed sola posteritatis dilectione.*

Tertia causa, quare Angeli vident faciem Dei Patris, hæc est, vt omnes super peccatorum conuersione congratulentur & gaudeant. Vnde dicit Dominus Luc. 15. *Dico vobis, gaudium erit coram Angelis Dei super uno peccatore pententiam agentem.*

Quarta causa est, quare Angeli tam auide faciem Patris cælestis contemplentur, vt videlicet in ipsa eius facie insatiabiliter delicientur: vnde 1. Pet. 1. *In quem desiderant Angelii propicere.* Rogate ergo Dominum, vt ei tam fideliter obsequamur, quod per sanctos Angelos in æternam requiem tandem deportari mereamur. Quod nobis, &c.



## IN FESTO VNDECIM

### Millium Virginum

#### S E R M O X L I I I .

*Media nocte clamor factus est: Ecce sponsus venit, exite obuiam ei. Tunc surrexerunt omnes virginis illæ, & ornauerunt lampades suas.*  
Matth. 25.

In præsenti Euangeli quatuor principali sunt notanda.

- I. *Quid per quinque prudentes virginis intelligatur?*
- II. *Quid per quinque fatuas virginis exprimatur?*
- III. *Quid per medium noctem & claramorem qui tunc factus est, accipiatur?*
- IV. *Quis sit sponsus, cuius aduentus virginibus dormientibus annuntiatur?*



E primo nota: Quia vera virgo est, quæ intrinsecus & extrinsecus est incorrupta: propterea per quinque prudentes virginis q uilibet fidelis & iustus homo intelligitur, qui & cor interiorius & quinque sensus suos exterius à veneno diaboli, & ab inquinamento seculi, & breuitate ab omni carnis illecebrosa puro conseruat & incorrupto;

corruptos. Diabolus enim, & seculum, & carnis illecebra, cor & sensus hominum violant & corruptunt. Diabolus enim, maxime corruptit hominem per superbiam, & seculum per avaritiam, & carnis illecebra per luxuriam. Vnde Augustinus sic dicit in libro de verbis Domini: *Videntur mihi quinque virgines significare quandoque perditam continentiam à carnis illecebribus. Continendus est enim animi appetitus à voluptate oculorum, à voluptate aurium, à voluptate olfaciendi, gustandi, atque tangendi. Et licet virginitatem in corpore pauci habeant, virginitatem tamen in corde omnes fideles habent. Virginitas autem cordis fides est incorrupta, ut idem afferit August.* Et vere haec in paucis mulieribus inuenitur. Vix enim est aliqua mulier, nisi veram fidem corruperit per fortilegia, & alia muliebria medicamina, & præflagia, in quibus credunt mulieres & confidunt. Debet igitur quilibet spiritualiter esse virgo, & prudens virgo, ut bona viriliter agat: virgo enim dicitur quasi viriliter agens. Debet etiam esse prudens, ut ea bona quæ facit, faciat pro æterna mercede. Vnde dicit Glossa. *Prudentes, quia voluntate veritati seruiunt pro aeternis.*

Debet etiam quilibet Christianus, ut prudentibus virginibus assimiletur, lampadem ardente habere. Septem vero sunt circa lampadem consideranda. Primum est, ut lampas sit ex vitro perlucido. Secundum est, quod lampas inferius est clausa & angusta, sed superius aperta & ampla. Tertium est, quod oleum infunditur. Quartum est, quod lignus imponitur. Quintum est, quod igne accenditur. Sextum est, quod cauetur ei, ne frangatur & oleum effundatur. Septimum est, quod etiam cauetur ei à vento, ne lumen eius extinguitur.

De primo nota, quod per lampadem fides Christiana figuratur. Fides enim similis est vitro perlucido. *Per fidem enim nunc Deum videamus, sicut per speculum, & in enigmate, tunc autem videbimus cum facie ad faciem:* sicut dicit Apost. 1. ad Cor. 13. Et certe fides non relinquit hominem, qui eam sequi voluerit, nisi perducat eum illuc, ubi Deum clarissima visione contempletur. Ibi etiam fides nomen suum mutat: quæ enim hic vocatur fides, illic appellatur aperta cognitio. Secundo, lampas inferius est clausa & angusta, sed superius aperta & ampla. Vnde dicit August. *Qui veram de Deo fidem habet, non cupit in miserijs huius mundi esse dines: nec pluris est ei mundus quam Deus.* Videtur ergo, quod parvam vel nullam habeant fidem, qui tam auari sunt circa temporalia congreganda, siue hoc sit per fas siue nefas. Tertio oleum lampadi infunditur. Per oleum intelliguntur bona opera & eleemosynæ, quæ debent fidei infundi, quia fides sine operibus vacua est & emortua. Bona quippe opera sunt quasi anima fidei, quæ eam viuificant, sicut anima viuificat corpus. Vnde dicitur Iacob. 2. *Fides si non habeat opera, mortua est in semetipsa.* Sicut enim corpus sine spiritu mortuum est, ita & fides sine operibus mortua est.

Quarto, lampadi lignus imponitur. Per lignum bona & recta intentio figuratur. Nihil enim valet bonum opus, nisi bona & recta in-

tentione fiat. Nunquam etiam per oleum dominus commode utiliter illuminaretur, nisi lignus imponeretur: vnde dicit Dominus Matth. 6. *Si oculus tuus fuerit simplex, totum corpus tuum lucidum erit.* Per oculum intelligitur bona & recta intentio, per quam omne opus debet fieri propter Deum, & non propter laudem humanam, vel aliud lucrum temporale. Debet igitur iste lignus imponi mediante quodam instrumento, quod quandoque ex transuerso imponitur, quandoque ex summo immittitur, & significat instrumentum illud, cu i lignus intruditur, & per quod oleo imponitur, spem æterni boni, propter quam debet fieri quodlibet opus bonum.

Quinto, lampas accenditur igne, per quem ignem charitas intelligitur, quæ facit bona opera ardere & lucere coram Deo & Angelis, & hominibus: vnde dicit Dominus Matth. 5. *Sic luceat lux vestra coram hominibus, ut videant opera vestra bona, & glorifcent Patrem vestrum qui in celis est.*

Sexto, caueri debet, ne lampas frangatur, & oleum effundatur. Tunc lampas frangitur, & oleum effunditur, quando mortale peccatum committitur. Per unicum enim peccatum mortale omne bonum opus amittitur. Vnde dicitur Iac. 1. *Quicumque totam legem seruauerit, offendat autem in uno, factus est omnium reus.* Multum ergo quilibet sibi debet cauere à mortali peccato.

Septimo etiam sibi debet cauere, ne lampas bonorum operum per ventum vanæ gloriae extinguitur. Non enim nobis, sed gratia Dei de bonis nostris operibus gloriam dare debemus. Vana gloria est ventus ille vehemens, qui irruit à regione deserti, id est, à locis illis quæ ab omni bono sunt deserta, & concurrit domum, in qua filii Job epulantur: id est, deiicit omnem structuram bonorum operum, in quibus filii Dei per dulcedinem conscientiae & gaudium spei epulari debent, sicut legitur in Job. 1.

De secundo nota: Per quinque fatuas virgines quidam homines intelliguntur, qui videntur quantum ad apparentiam extiorem quinque sensus suos à malis operibus continere, & propter hoc virgines appellantur. Videntur etiam fidem Christianam habere, & propterea lampades habent: sed opera pietatis non habent, id est, per larga eleemosynarum largitionem, sicut possent, pauperibus non miserentur, & ob hoc oleo carent: & præterea etiam si aliquid olei haberent, ventus inanis gloriae exiccare illud. Si enim tales quandoque eleemosynas dare videntur, non sincere dant eas propter Deum, sed propter vanæ gloriae appetitum, vel propter pudorem, ne videlicet eorum tenacitas apud homines diffameretur. Tales igitur fatui vocantur: quia non prospiciunt sibi de æterno bono.

De secundo nota: Per medium noctis tempus illud exprimitur, in quo homo minime se putat moritum. Quod autem clamor factus est media nocte, hoc signat, quod onni tempore, siue fani siuis, siue infirmi, semper aduentum districti iudicis ante mentis oculos habere debemus, & semper debet auribus nostris insonare tuba illa terribilis, quæ sic intonat: *Surgite mortui, venite ad iudicium.*

Hunc

Hunc autem clamorem suscitare debent in auribus nostris duo præcones Domini, videlicet, timor, & amor. Timor clamat, quod veniat Dominus iustus & austerus. Amor autem clamat, quod veniat dulcis sponsus. Qui hunc clamorem iugiter audit, neceſſe est ut surgat, id est, ut ad superna se erigat. Talis etiam cauebit sibi, ne vel dormiat, aut dormitet: ne videlicet dormiat per Dei obliuionem, nec etiam dormitet per aliquantulam desidiam, vel torporem.

De quarto nota: Sponsus iste cuius aduentus nuntiatur, est Filius Dei, qui sibi quamlibet fidelis animam in cruce pretioso suo sanguine desponsauit. Iste vero sponsus venturus est, licet hora sui aduentus valde sit incerta: venturus est, inquam, & quos in cruce despousauit, si dignos eos inuenierit, perpetuo libet populabit. Cum vero sponsus iste venerit, illi qui prudentibus virginibus similes sunt, cum eo ad illas delicatas nuptias lætanter introibunt. Quibus ingressis ianua claudetur. Illi vero qui fatuis virginibus similes extiterunt, foris remanebunt. Si vero illi foris remanebunt, qui à malis cauerunt, sed bona non fecerunt: quò illi, putas, ibunt, qui nec à malis cauerunt, nec bona fecerunt. Vnde dicit Augustinus: *Si & virgo est, & lampadem fert, & tamen non admittitur: ubi se videbit, qui nec virginitatem ab illicitis fernat, nec bona opera volens habere, in tenebris ambulat?* Vere qui ab illis nuptiis excludentur, in magnam amaritudinem sunt casuri. Vnde dicit Gregor. *O si sapere in cordis palato posset, quid admirationis habet, quod dicitur: Venit sponsus? quid dulcedinis habet, quod dicitur: Intraverunt cum eo ad nuptias? quid amaritudinis habet, quod dicitur: Et clausa est ianua?* Tunc enim misericordia omnis boni claudetur. Rogate ergo Dominum, ut cum venerit sponsus, tales tunc appareamus, ut cum Christo ad nuptias gaudenter introeamus. Quod nobis, &c.

IN FESTO  
SIMONIS ET IVDAE  
Apostolorum  
SERMO XLIV.

*Hac mando vobis, ut diligatis inuicem.* Ioan. 15.

Quatuor sunt hic principaliter consideranda.

- I. *Quis ille sit à quo alterna dilectio præcipiatur?*
- II. *Quibus ut se inuicem diligent, in jungatur?*
- III. *Qualiter alter alterum diligere teneatur?*
- IV. *Quare quilibet alium diligere moeat?*

**D**e primo nota: Ille qui mandatum de dilectione proponit, est Christus Dei Filius. Christus autem interpretatur ynctus. Vnxit enim eum Deus Pater in cohære-

*D. Alberti Magni Serm.*

dem & consortem imperij sempiterni: propterea dicit ad eum Psalmista: *Vnxit te Deus Deus tuus oleo latitia præ consortibus tuis*, id est, præ aliis fidibus & electis, qui sunt consortes regni per adoptionem gratiæ. Christus vero coniors est regni Dei Patris per identitatem naturæ.

De secundo nota: Omnibus Christianis, ut se inuicem diligent, præcipitur & mandatur. Ipsi enim à Christo dicuntur Christiani, & à Deo uncto sunt yncti. Yncti, inquam, sunt ad hoc, ut sint cum Christo reges & sacerdotes. Vnde dicit Apostolus 2. ad Corint. 1. *Qui vnxit nos, Deus est: & qui signauit nos, & dedit pignus spiritus in cordibus nostris.* Nota in hac auctoritate tria bona, quæ Christus fecit Christianis, videlicet, quod signauit, quod etiam pignus Spiritus sancti eis dedit. *Vnxit enim nos Iesus Christus in reges & sacerdotes*, ut dicit Glossa, ut scilicet habeamus cum illo dignitatem regalem, ac eminentiam sacerdotalem. *Signauit etiam nos*, id est, discreuit ab alijs hominibus signo crucis, ut Glossa testatur: *Accepterunt enim electi signum Dei viui in frontibus suis*, sicut dicitur in Apoc. *Præterea dedit pignus Spiritus sancti in cordibus nostris.* Hoc pignus datum est nobis, quando videlicet regenerati sumus ex aqua & Spiritu sancto in salutari baptismo. Vx illis, qui hoc pretiosum pignus salutis æternæ per vile peccatum amisérunt. Consultum est eis, ut illud sine aliqua dilatione per veram pœnitentiam recuperare laborent. Mandat igitur Christus vniuersis Christianis, ut in inuicem se diligent, sic inquiens: *Hoc mando vobis, ut diligatis inuicem, &c.*

De tertio nota: Tribus modis debent se inuicem diligere Christiani, videlicet, corde, ore, & opere. Vnde & Dominus non dicit singulariter: *Hoc mando tibi*, sed dicit pluraliter: *Hoc mando vobis*: quia in pluribus consistit dilectio, quæ inuicem est habenda. Debemus ergo nos inuicem diligere corde, ore, & opere. Vnde & Dominus ter mandat & præcipit, ut nos inuicem diligamus. Ille etiam Discipulus, qui recubuit in sinu Iesu, in epistola sua ter monet, ut nos alterutrum diligamus.

Igitur de dilectione cordis dicit Dominus Ioan. 13. *Mandatum nouum do vobis, ut diligatis inuicem, scilicet, corde, sicut dilexi vos.* De eadem dilectione dicitur 1. Ioan. 3. *Hæc est annuntiatio, quam audistis ab initio, ut diligatis alterutrum corde* videlicet: vnde sequitur post pauca: *Omnis qui odit fratrem suum, homicida est.*

Dilectio vero cordis consistit ad minus in tribus, videlicet, in pia compassione, in boni optione, in fidei conseruatione. Primo, quicunque enim alterum diligit, sine dubio compatitur ei in necessitatibus suis & miseriis, siue sint corporales, siue spirituales. Propter hoc dicit Ioan. 1. Cant. 3. *Qui habuerit substantiam huius mundi, & viderit fratrem suum necessitatem habere, & clausebit viscera sua ab eo: quomodo charitas Dei manet in eo?* Apertio igitur viscerum est pia compassio.

Secundo, qui alium diligit, & non potest ei subuenire, saltem optat & desiderat ei bonum. Hanc dilectionem & hunc affectum habuit Paulus, qui dicebat ad Romanos 9. *Optabam ego ipse anathema esse à Christo pro fratribus meis, qui sunt cognati mei secundum carnem, qui sunt Israelita.* Ecce Paulus qui fuerat Iudeus, optat pro

conuersione Iudæorum anathema fieri à Christo, id est, optat vel diutius viuere in hoc seculo, & peregrinari à Christo: vel etiam optat ad tempus ire in ignem purgatorij pro salute ipsorum. Quid igitur optare debet Christianus Christiano? Hic vehementer reprehendendi sunt, qui mortem vel gehennam, vel alias aduersitates proximis suis optant.

Tertio dilectio attenditur in fidei conseruatione, vt videlicet quilibet alteri sit fidelis. Vnde dicitur Eccles. 27. *Dilige proximum tuum, & coniungere fide cum illo. Quod si denudaueris absconsa illius, non persequeris post eum.* Glossa, quia irreuocabilis est.

Debemus etiam nos ore inuicem diligere. Vnde dicit Dominus Ioan. 15. *Hoc est preceptum meum, Ut diligatis inuicem, sicut ego dilexi vos.* Hinc etiam dicitur 1. Ioan. 4. *Charissimi, si Deus dilexit nos, & nos debemus alterutrum diligere.* Dilectio autem oris ad minus consistit in tribus, videlicet, in fraterna correctione, in mutua oratione, & in famæ emundatione. De fraterna correctione dicitur Prover. 27. *Meliora sunt vulnera diligentis, quam fraudulentia oscula odientis.* Hic dicendum est patribus & matribus, quod corrumpere debent filios suos & filias, cum vadunt ad tabernas & choreas.

De mutua oratione dicitur Iacob. 5. *Orate pro inuicem ut saluemini.* Fideliter autem quisque debet orare pro proximo suo, quia vniuersusque oratio in finum suum reuertetur. Aliqui orant se vindicari à Domino, sed hoc ipse Dominus prohibet Matth. 5. ita dicens: *Orate pro persecutibus & calumniantibus vos, ut sitis filii Patris vestri qui in celis est.* Attenditur etiam in oris dilectione, vt quilibet famam alterius clarificet, & emundet: vnde dicitur Proverb. 15. *Fama bona impinguat ossa, id est, homines virtuosos.* Sed heu multi sunt, qui potius famam proximorum denigrant, quam emundent, videlicet, immundi detractores, & tales Deo sunt odibiles, & bonis abominabiles. Hinc dicitur ad Roman. 1. *Abominationem hominum detractor.* Item Proverb. 23. *Cum detractionibus non commiscaris: quoniam repente confugiet perditio eorum.* Ibi dicit Glossa: *Hoc specialiter vitio periclitatur totum pene genus humatum.*

Tertio debemus nos opere ad inuicem diligere. De hac dilectione dicit Dominus in præsenti Euangeliō: *Hac mando vobis, ut diligatis inuicem.* Hinc etiam dicit 1. Ioan. 3. *Filioli mei, non diligamus verbo, neque lingua, supple, tantum, sed opere & veritate.* Ista etiam dilectio in tribus consistit, videlicet, in eleemosynarum erogatione, & mutui subuentione, & in pauperum contra iimpios defensione. De primo dicit Dominus Luc. 6. *Date, & dabitur vobis.* Item in Luc. 11. *Date eleemosynam, & omnia munda sunt vobis.* De secundo, videlicet, de mutuo gratis præstanto dicit Dominus Luc. 6. *Mutuum date, nihil inde sperantes.* Si de mutuo quod non propter aliquod temporelē lucrum, sed tantum propter Christum præstare debes proximo tuo, nihil est sperandum, multo fortius nihil est accipiendum. De tertio, videlicet, de pauperum defensione dicit Iob 29. *Pater eram pauperum, conterebam molas iniqui, & de dentibus illius auferebam pradam.* Hinc etiam dicitur Proverb. 24. *Erue eos qui duocuntur ad mor-*

*tem: & qui trahuntur ad interitum, liberare ne cef-  
ses. Et Eccl. 4. Libera eum, qui iniuriam patitur de  
manu superbi.*

De quarto nota: Ad minus propter tres causas nos diligere debemus ad inuicem. Prima causa est, vt æternas tenebras non incidamus. Secunda causa est, vt vitam æternam apprehendamus. Tertia causa est, vt Deum in sua maiestate cum lætitia videamus. Primo igitur debemus inuicem diligere, ne videlicet perpetuas tenebras incidamus. Vnde dicit 1. Ioan. 2. *Qui diligit fratrem suum, in lumine permanet, & scandalum in eo non est.* Igittur in via illius qui proximum suum sincere dilexerit, non erit scandalum, id est, aliquis obex aut offendiculum, propter quod ruat in tenebras exteriores. Vnde sequitur ibidem: *Qui autem odit fratrem suum, in tenebris est, & in tenebris ambulat, & nescit quo eat.* Fugiendum est itaque fraternalium odium, quia demergit animam in tenebras infernales.

Secundo, debemus etiam inuicem diligere, vt vitam apprehendamus æternam. Vnde dicit 1. Ioan. 2. *Nos scimus quoniam translati sumus de morte ad vitam, quoniam diligimus fratres: qui vero non diligit, manet in morte.*

Tertio debemus inuicem diligere, vt Deum in sua maiestate cum gaudio videamus. Propter hoc dicit 1. Ioan. 4. *Clarissimi, diligamus inuicem, quoniam charitas est ex Deo: & omnis qui diligit, ex Deo natus est, & cognoscit Deum,* id est, cognoscet. Ponitur enim præsens pro futuro. Dilectio itaque fraterna faciem Dei clarissimam post hanc vitam felici animæ repræsentat. Rogate ergo Deum, charissimi, vt sic nos corde, ore, & opere diligamus ad inuicem, vt in dulci dilectionis vinculo coram Deo nostro mereamur aggregari, &c.



#### IN FESTO

### OMNIVM SANCTORVM

#### S E R M O X L V.

*Beati pauperes spiritu: quoniam ipsorum est regnum celorum.*  
Matth. 5.



O T A , quod hodie agitur solennitas omnium Sanctorum, videlicet, Angelorum, Patriarcharum, Prophetarum, Apostolorum, Martyrum, Confessorum, Virginum, Continentium, & omnium aliorum electorum. Vnde in præsenti Euang. & beatitudo singulorum proponebitur, & causa beatitudinis singulorum. Beatitudo vero Sanctorum, prima origine à fonte sanctæ Trinitatis procedens, influit in humanitatem Christi. A Christo vero Beata Virgo Maria suscipiens beatitudinem, tamquam nobilis glorie aquæductus, deportat eam Angelis, Patriarchis, Prophetis, Apostolis, Martyribus, Confessoribus, ac deinceps omnibus aliis Sanctis.

Primo

# De omnibus Sanctis Ser. XLV. 23

Primo igitur ostendit Dominus, quare Angelii beatitudinem sint assecuti, sic inquiens: *Beati pauperes spiritu: quoniam ipsorum est regnum celorum.* Gloss. Pauperes spiritu sunt humiles, non inflati, non alta sapientes, sed timentes. Hoc congrue dicitur de Angelis à cælo propter superbiam deieictis. Sancti Angeli, quia se sub Deo humiliauerunt, & Creatorem suum filialiter timuerunt, in gratia persistenterunt, & in regno cælorum confirmati fuerunt. Si igitur Angelorum consequi volumus societatem, imitemur & ipsorum humilitatem. Et nota, quod superbia summopere est fugienda. Deus quippe superbos summe detestatur & odit. Vnde dicitur Iacob. 4. *Deus superbis resistit, humilibus autem dat gratiam.* Humiliamini ergo in conspectu Dei, & exaltabit vos. Dicit enim Eccle. 10. *Quid superbit terra & cinis? Initium omnis peccati est superbia. Qui tenuerit illam, replebitur maledictis.* Gloss. in corpore & anima, & subuertet eum in finem. Sequitur infra: *Perdidit Deus memoriam superborum, & reliquit memoriam humilium sensu.* Glossa, id est, humilium corde.

Secundo, Dominus ostendit, quare sancti Patriarchæ cælestem beatitudinem sint consecuti, ita dicens: *Beati mites: quoniam ipsi possidebunt terram.* Admirabiliter mites erant, & patientes sancti Patriarchæ iniurias enim hominum malignorum in magna mansuetudine sustinuerunt: sicut liber Genes. satis euidenter declarat. Vnde & ipsi non solum terræ morientium, sed & terræ viuentium possessores effici meruerunt. Abundantes quippe & in ista vita fuerunt, & postmodum ad regni cælestis abundantiam peruererunt.

Discamus igitur eorum mansuetudinem imitari in terris, si ipsis sociari desideramus in cælis. De mansuetudine dicitur in Psalm. 36. *Mansueti autem hereditabunt terram, subaudi, viuentium, & deletabuntur in multitudine pacis,* scilicet, Ecclesiæ triumphantis. Ad mansuetudinem inuitat nos Eccl. 10. *Fili, in mansuetudine serua animam tuam.* Magna ergo virtus est mansuetudo, cum per eam anima conseruetur. Vnde & Dominus dixit ad Discipulos suos Luc. 21. *In patientia vestra possidebitis animas vestras.*

Tertio, Dominus declarat, quare Prophetæ peruererunt ad beatitudinem sempiternam, ita inquiens: *Beati qui lugent: quoniam ipsi consolabuntur.* Tantæ charitatis erant Prophetæ, ut aduersitates proximorum suorum deflerent. Hinc est, quod Samuel deflebat Saul propter suum peccatum regnum amississe. Vnde & Dominus dixit ei 1. Reg. 16. *Vsq[ue]quo tu luges Saul? cum ego prosecerim eum, ne regnet super Israel.* Ieremias etiam ruinam ciuium suorum ex charitate defleuit. Vnde dicit 14. *Deducant oculi mei lacrymas per diem & noctem, & non taceant: quoniam si egressus fuero ad agros, ecce occisi gladio: & si introiero ciuitatem, ecce attenuati fame.* Similiter & alij Prophetæ fleuerunt, vnde & à Domino consolari meruerunt.

Nos etiam, si appetimus consolari à Prophetis, necesse esse, vt & lamentemur cum ipsis. Glossa vero monet nos, vt tribus de causis lugemus, videlicet, pro peccatis nostris, & pro peccatis aliorum, & pro desiderio cælorum.

Quarto, Dominus manifestat, quare Apostoli sunt beatificati, & dicit: *Beati qui esuriunt & si-*

*D. Alberti Magni Serm.*

*tient iustitiam: quoniam ipsi saturabuntur.* Sancti Apostoli Christum qui est vera iustitia ardenter esurierunt & sitiuerunt, ipsique inseparabiliter adhæserunt. Vnde & modo ex suauissima ipsius visione ac fruitione sine fastidio saturantur. Legimus enim in Ioan. 6. quod propter quædam verba, quæ Dominus dixit: *Multis discipulorum eius abierunt retro, & iam cum illo non ambulabant.* Dicit ergo Iesus ad duodecim, scilicet, Apostolos: *Nunquid & vos vultis abire?* Respondit ei Simon Petrus: *Domine, ad quem ibimus?* Q.d. Domine, tu ita dulcis es, & bonus, à te non possumus separari. Vnde & idem Petrus postea dixit ad Dominum, sicut legitur Luc. 22. *Domine, tecum paratus sum & in carcere, & in mortem ire.* Nos igitur, si cupimus cum Apostolis satiari, oportet vt & nos esuriamus & sitiamus & corpus & sanguinem Iesu Christi, ipsique fideliter seruiamus.

Quinto, Dominus ostendit, quare sancti Martyres beatitudinem sint adepti: Et dicit: *Beati misericordes: quoniam & ipsi misericordiam consequentur.* Præcipua & suprema misericordia est, hominem circa animam suam misericordem existere. Hanc misericordiam sancti Martyres habuerunt. Nihil enim curabant, quid corpora patarentur: dummodo animas Deo representarent. Vnde & Dominus dicit Matth. 16. *Qui perdiderit animam suam propter me, inueniet eam.* Sancti Martyres quando diuersis suppliciis propter Deum afflitti, moriebantur, ab infidelibus animas suas perdere putabantur: quas tamen veraciter inuenierunt, cum à Domino gloria & honore coronati fuerunt. Nos etiam vt imitatione sanctorum Martyrum misericordes existamus, corpori nostro non nimis parcamus: sed ieunemus, vigilemus, oremus, laboremus, vt apud Dominum misericordiam consequamur.

Sexto, Dominus manifestat, quare sancti Confessores ad æternam Beatitudinem peruererunt, ita dicens: *Beati mundo corde: quoniam ipsi Deum videbunt.* Nota, quod puluis temporalium bonorum mirabiliter conturbat, & excœdat oculos cordis: proinde sancti Confessores atque Pontifices non erant cupidi rerum temporalium, sed largi fuerunt, & eleemosynarum operibus dediti, vt pote Gregorius, Nicolaus, Martinus, & alij quamplures Episcopi. Per lacrymas etiam & compunctiones corda sua mundauerunt, & propterea nunc cum inenarrabili gaudio Dei faciem contemplantur. Imitemur & nos sanctos Confessores in contemptu rerum mundanarum, & largitione eleemosynarum, nec non & in profusione lacrymarum, vt mundis animæ oculis Deum in gloria æterna videre mereamur. *Mundi enim sunt oculi,* dicit Glossa. *quos non arguit conscientia peccatorum.*

Septimo, Dominus innuit, quod Virgines & Continentes in æterna beatitudine sunt collatae. Dicit enim: *Beati pacifici: quoniam ipsi filii Dei vocabuntur.* Virgines & Continentes carnem quæ semper concupiscit aduersus spiritum, per castitatis exercitia a suis concupiscentiis refranentes spiritui subegerunt, & inter carnem & spiritum cum Dei adiutorio pacem fecerunt. Vnde & filii Dei iam vocantur, & cum hac filiatione Dei etiam similitudinem sunt adepti: propter hoc ille virgo Ioan. 1. dicit in 1. Can. 3. *Videte qualem charitatem dedit nobis Deus Pater, vt filii Dei nominemur & simus.* *Nunc filii Dei sumus,* sed

*sed nondum apparuit, quod erimus. Scimus quoniam cum apparuerit, similes ei erimus: quoniam videbimus eum, sicuti est. Imitemur & nos Virgines & Continentes, carnemque nostram à libidinosis concupiscentiis refrænemus, pacem quoque inter carnem & spiritum facere studeamus, vt Dei filij vocari mereamur.*

Octauo & postremo, Dominus aperit, quare omnes electi beatitudinem sunt adepti, & dicit: *Beati qui persecutionem patiuntur propter iustitiam: quoniam ipsorum est regnum cælorum.* Omnes enim electi per sustinentiam persecutionum ingressi sunt regnum cælorum. Oportet quippe ut omnis electus vel à Deo, vel à diabolo, vel ab homine, siue sit bonus, siue malus, persecutionem patiatut: si vult pertingere ad regnum cælorum. Vnde dicit Apostolus 2. ad Tim. 3. *Omnes qui pie volunt vivere in Christo, persecutionem patientur.* Persecutio quæ à Deo infligitur, sunt infirmitates, & aliæ mudi aduersitates. Persecutio quæ infertur à diabolo, sunt diuersimodæ tentationes. Persecutio quam infligit bonus homo, sunt increpationes verborum, & correctiones verborum, quas proculpis suis infligit his qui suo regimini sunt commissi. Persecutio quam infert malus homo, sunt odia, & detractiones, & rerum violentæ, vel fraudulentæ subtractiones. Omnes prædictæ persecutioes cooperantur in bonum his, qui secundum propositum vocati sunt sancti. Rogate ergo Dominum, vt sic electos suos imitemur, quatenus cælestem beatitudinem cum ipsis participare mereamur. Quod nobis præstare, &c.



## ITEM

DE OMNIBVS SANCTIS  
SERMO XLVI.

*Vidi turbam magnam quam dinumerare nemo poterat, ex omnibus gentibus, & tribubus, & populis, & linguis: stantes ante thronum, & in conspectu Agni, amicti stolis albis, & palma in manibus eorum. Apoc. 7.*

Hic occurunt quinque principaliter notanda.

- I. *Qui sint isti qui ante thronum in conspectu Agni stare dicuntur?*
- II. *Quod sit signum quo signati esse scribuntur?*
- III. *Quae sint stola albae quibus amiciuntur?*
- IV. *Quae sint palmae quæ ab ipsis in manibus feruntur?*
- V. *Quod sit beneficium quod ab Agno consequuntur?*



E primo nota: Illi qui coram Agno stare dicuntur, est congregatio omnium beatorum, collecta ex omnibus gentibus, & tribubus: Hebræ siue Iudæi figurantur, qui per circumcisionem, & legem Mosaicam sunt saluati, secuti Abraham, Isaac, & Iacob, Moyses, David ac infiniti. Illi qui collecti sunt ex populis, exprimunt Christianos: quoniam ipsi specialiter sunt populus Dei, qui per præcepta nouæ legis bene adimplata taluari meruerunt. Illi etiam qui collecti sunt ex linguis, figurant religiosos, qui saepe ex diuersis linguis in unam religionem conueniunt: qui etiam nouis linguis loquuntur, postquam religioni se dederunt: *recedunt enim vetera de ore ipsorum.* Omnes ergo electi ex bonis, gentibus, & tribubus, & populis, & linguis congregati stant coram Agno, id est, Iesu Christo. Ipse enim est ille Agnus immaculatus, qui per proprium propositum & per desideria Sanctorum occisus est ab origine mundi. Stant, inquam, à persecutionibus quibus olim subiacerunt, eretti, & in gloria sublimati. Et vere dignum est, vt coram ipso, per cuius sanguinem sunt redempti, stent ex omni corde ei gratias referentes.

De secundo nota: Signum quo signati esse scribuntur, est fides de diuinitate Patris, & Filii, & Spiritus sancti, & de humanitate Iesu Christi. Quasi enim quoddam thau fuit diuinitas Patris, & Filii, & Spiritus sancti: cui apposita est, quasi quædam tabula humanitas Iesu, & ita hæc fides est quasi quædam crux, quæ fidelium frontibus infigitur, vt saluentur. Hinc dicit Ioan. Apocal. 7. *Vidi alterum Angelum ascendenter ab ortu solis, habentem signum Dei viui: & clamanter voce magna quatuor Angelis, quibus datum est nocere terra, & mari, dicens: Nolite nocere terre, & mari, neque arboribus, quoad usque signemus seruos Dei in frontibus eorum.* Per Angelum qui ab ortu solis ascendit, ipse Dei Filius intelligitur, qui natus est ex Maria Virgine. Ipsa quippe fuit ortus veri solis. Libuit autem Christus signum Dei viui, quia diuinitatem Patris & sui ipsius, nec non Spiritus sancti manifestauit huic mundo. Vnde dicit Ioan. 17. *Pater, manifestavi nomen tuum hominibus, quos dedisti mihi de mundo: & ipsi cognoverunt, vere quia à te exiui, & crediderunt quia tu me misisti.* De manifestatione Spiritus sancti dicitur Ioan. 14. *Ego rogabo Patrem, & alium Paraclitum dabit vobis, vt maneatur vobiscum in æternum, Spiritum veritatis, quem mundus non potest accipere, quia non vidit eum, nec fecit. Vos autem cognoscetis eum, quia apud vos manebit, & in vobis erit.*

Signum etiam Dei viui erat crux sancta, quam ipse Iesus sibi baiulauit, exiens in eum, qui dicitur Caluaria locum, sicut testatur Ioan. 19. Iste ergo Angelus, id est, Iesus Christus clamat quatuor Angelis, id est, illis spiritibus, qui ad vindictam illorum deputati sunt, qui peccant in quatuor plagiis huius mundi. Ait, inquam: *Nolite nocere terra & mari, neque arboribus,* id est, nolite finali percussione nocere auris, qui per terram figurantur, quia terrena semper querunt: nec etiam luxuriosis, qui per libidinem despumant, vt mare: nec etiam arboribus, id est, superbis, qui

bis, qui per elationem semper tendunt ad alta, quoad usque signemus seruos Dei nostri in frontibus eorum, id est, donec omnes qui saluandi sunt per fidem Trinitatis & humanitatis meae sunt signati, ut hoc signo à reprobis discernantur.

De tertio nota: Stola albae, quibus electi sunt amicti, est innocentia & vera pœnitentia. Qui sine altera istarum venerit, mittetur in tenebras exteriores, ubi erit fletus & stridor dentium: non enim habet vestem nupialem. De ipsis stolis dicitur Apoc. 22. Beati qui lauant stolas suas in sanguine Agni: ut sit potestas eorum in Ligno vite, & per portas intrent in ciuitatem, videlicet, Ierosolymam sapernam.

De quarto nota: Palmæ quas in manibus ferunt, significant septemplicem victoriam, quam Sancti obtinuerunt, septemplice duce exercitus diaboli deuicto, & hoc per adiutorium Spiritus septiformis. Septem quippe sunt duces exercitus diaboli, videlicet, superbia, ira, inuidia, avaritia, acedia, gula, & luxuria. Qui hos septem duces deuicerint, palmas quæ sunt signa victoriae, in manus suis gloriose portabunt in cælis. De his septem ducibus, ac eorum exercitibus dicit Dominus ad Iob 39. *Nunquid præbebis equo fortitudinem, qui procul odoratur bellum, exhortationem ducum, & vultatum exercitus.* Per equum intelligitur robustus miles Christi, qui glorificat & portat Deum in corde & corpore suo. Iste procul odoratur bellum, quod diabolus aduersus eum suscitare proponit, præparat enim animam suam ad temptationem: & contra exhortationem mutuam ducum exercitus diaboli inuocat in adiutorium auxilium Spiritus sancti.

De quinto nota, videlicet, electos ab Agno tale beneficium consequi, quod deducit eos ad vitæ fontes aquarum. Vnde legitur Apoc. 7. quod cum Ioannes vidisset illam gloriofam turbam Agno affilientem, dixit ei viuis de senioribus: *Hi qui amicti sunt stolis albis, qui sunt? & unde venerunt?* Respondit Ioannes: *Domine mi, tu sis. Cui dixit senior: Hi sunt qui venerunt de tribulatione magna, & lauerunt stolas suas, & dealbauerunt eas in sanguine Agni: ideo sunt ante thronum Dei. Et Agnus qui in medio throni est, reget illos, & deducit eos ad vite fontes aquarum.*

Et nota, quod quinque fontes sunt in regno Dei, ad quos Agnus electos suos deducit. Primus est fons consolationis: ibi enim *absterget Deus omnem lacrymam ab oculis Sanctorum.* Secundus est fons quietis. Abstergit namque lacrymis, *A modo iam dicit Spiritus, id est, Trinitas, ut requiescant a laboribus suis.* Tertius est fons refectionis. Quiescentes quippe reficiuntur, & inebriabuntur ab *vertate domus Dei.* Quartus est fons exultationis. Electi denique post diuinam consolationem, & dulcem requitionem, & suauissimam refectionem, nimirum prorumpent in vocem exultationis: *Vox enim exultationis & salutis est in tabernaculis iustorum.* Quintus est fons dilectionis. Quomodo enim cum ardenter non diligent, qui eos consolatur, & requiescere facit, & reficit omni bono? De his fontibus dicitur Isa. 12. *Haurietis aquas in gaudio de fontibus Salvatoris.*

E conuerso, in inferno quinque fontes sive flumij dicuntur esse, de quibus draco infernalis damnatas animas, velint nolint, potare compell-

*D. Alberti Magni Serm.*

lit. Primus fons sive flumus Stix appellatur, de quo miseræ animæ potantes odio se habebunt ad iniucem. Secundus vocatur Phlegeton, de quo damnati bibentes irascentur, & indignabuntur sibi metis & aliis, quorum occasione sunt perditi. Tertius dicitur Lethe, de quo reprobis potantes amentiam incident & obliuionem gaudij præteriti, & libidinis transactæ. Quartus vocatur Acheron, de quo cum biberint in inferno positi, inæstimabilem tristitiam patientur. Quintus appellatur Cocytus, de quo cum potati fuerint miseri peccatores, inconsolabiliter lugebunt & flebunt.

Rogate ergo, charissimi, Dominum, ut sic Sanctos suos imitemur in terris, ut consortes gaudij eorum esse mereamur in cælis. Quod. &c.



## IN COMMEMORATIONE Fidelium Animarum

### S E R M O X L V I I .

*Audiui vocem de cælo dicentem mihi, Scribe, Beati mortui qui in Domino moriuntur.*  
Apocal. 14.

**N**ota, quod verba ista, videlicet, *Beati mortui qui in Domino moriuntur,* digna sunt prædicari, & ab omnibus memoriarum commendari: cum etiam vox cælestis iussit ea scribi. Duo principaliter sunt hic notanda.

I. *Qui sint mortui qui in Domino moriuntur?*

II. *Quare sint beati qui in Domino moriuntur?*



E prima nota: Illi in Domino moriuntur, qui Christum dum viuerent, induerunt, id est, qui secundum formam & vitam Christi vixerunt. Propterea monet nos Apostolus ad Roman. 13. *Induimini Dominum Iesum Christum.* Glossa, id est, induite formam Christi in omnibus. Item dicit Apostolus ad Galat. 3. *Quicunque in Christo Iesu baptizati estis, Christum induitis.* Igitur qui desiderat mori in Domino, debet inueniri in Domino. Ille vero inuenietur in Domino, qui vixerit secundum vitam Domini.

Vita autem Domini, licet innumerabilibus virtutibus commendabilis sit & imitabilis: nos tamen in sex virtutibus ipsum imitari debemus, ut feliciter moriamur in Christo. Debemus, inquam, Dominum imitari in munditia, iustitia & veritate, in dilectione, in mansuetudine, in humilitate.

Primo igitur debemus Iesu Christo similari per vitæ munditiam. Ipse quippe mundus fuit &

V 3 impollut

impollutus. Vnde Petrus appellat eum Agnum immaculatum i. Can. i. ita iniquens: *Non corruptibilibus auro & argento redempti es sis, sed pretioso sanguine, scilicet, Agni incontaminati & immaculati Christi Iesu.* Ad hoc autem ut mundi simus & immaculati, hortamur in Psal. 118. vbi dicitur: *Beati immaculati in via, &c.* Simus ergo mundi, luxuriam fugientes: quia sine munditia saluari non possumus. Hinc dicitur in Iob 17. *Saluabitur innocens, saluabitur autem munditia manuum suarum, id est, munditia omnium operum suorum.*

Secundo imitari debemus Iesum in iustitia: quia ipse iustus fuit: quod recognouit Centurio qui cum Christus expirasset in cruce, dixit, vt testatur Luc. 23. *Vere hic homo iustus erat.* Per iustitiam itaque Domino assimilari debemus. Si enim in obitu nostro iustitia præcesserit faciem nostram, gloria Domini colliger nos in hospitium sempiternum. Vnde dicit Isa. 58. *Anteibit faciem tuam iustitia tua, & gloria Domini colligetur.* Et nota, quod dicit Gloss. super illud Matth. 5. *Beati qui esuriunt & sitiunt iustitiam.* Iustitia est sua cuique tribuere, sibi, & proximis, & Deo. Iustitia igitur est, vt nosmetipso pro peccatis nostris affligamus, vt proximis ablata restituamus, & vt Deo super beneficiis suis gratias agamus.

Tertio debemus Christum imitari in veritate. Ipse enim verax fuit. Vnde dixerunt ei Iudæi Matth. 22. *Magister, scimus quia verax es, & viam Dei in veritate doces.* Ipse etiam de semetipso dicit Ioan. 14. *Ego sum veritas.* Debemus itaque Domino similes existere per veritatem. Per veritatem quippe homines saluabuntur, & per mendacium damnabuntur. Quod per veritatem homines saluentur, testatur ipsa veritas Ioan. 8. ita loquens ad Discipulos: *Vos cognoscetis veritatem, & veritas liberabit vos, supple, de manu damnationis æternæ.* Quod etiam mendacium homines in damnationem transmittat, declarat Psal. 5. ita loquens ad Dominum: *Perdes omnes qui loquuntur mendacium.* Veritatem igitur & Deo & proximis nostris exhibere tenemur, vt quod promisimus, persoluamus, alioquin saluari non possumus.

Quarto debemus Dominum imitari in dilectione. *Ipse enim dilexit nos, & lauit nos à peccatis nostris in sanguine suo:* sicut dicitur Apoc. 1. Hinc monet nos Apostolus ad Ephes. 5. *Estone, inquit, imitatores Dei sicut filii charissimi, & ambulate in dilectione, sicut & Christus dilexit nos, & tradidit semetipsum pro nobis oblationem & hostiam Deo in odorem suavitatis.* Per dilectionem itaque Christi similitudinem repræsentare debemus, vt videlicet cor nostrum ab inuidia & omnis odio ratione mundemus, & vt libenter eleemosynas nostras pro posse nostro pauperibus erogemus. Odiorum quippe elongatio, & eleemosynarum pia erogatio, sunt duo præcipua fraternali dilectionis argumenta.


Quinto debemus Dominum imitari in mansuetudine. Mitis enim & mansuetus erat Iesus Christus. Vnde & ipse de se dicit Ierem. 10. *Ego quasi agnus mansuetus, qui portatur ad victimam.* Per mansuetudinem igitur Christi imaginem portare debemus in nobis: vnde dicit Gregor.

*Mansuetudo imaginem Dei seruat in nobis, quæ semper est tranquilla: sed ira dissipat & multos virtutibus priuat, quæ dum quietem menti tollit, Spiritus sanctus ibi non quiescit. Si itaque imago mansuetudinis Christi inuenta fuerit in nobis, confortes erimus hæreditatis illius.*

Sexto debemus Dominum imitari in humilitate. Christus enim summe humilis fuit: propter quod de ipso dicit Apostolus ad Phil. 2. *Exinanivit semetipsum formam servii accipiens, & humiliavit semetipsum factus obediens usque ad mortem, mortem autem crucis.* Vnde & ipse specialiter induitat nos, vt discamus ab eo mansuetudinem & humilitatem, ita dicens Matth. 11. *Discite à me quia mitis sum, & humilis corde.* Oportet ergo nos esse humiles, si volumus in gloria sublimari. Vnde dicit Iob 5. *Qui humiles ponit in sublime, & mœrentes erigit subspitate.* Qui igitur Dominum in prædictis & aliis virtutibus imitatus fuerit, morietur in ipso, & semper beatus erit.

De secundo nota: Illi qui moriuntur in Domino, beati sunt propter duo quæ immediate sequuntur. Intrant enim in suauissimam & quietionem, & habebunt delicatissimam refectionem. De primo, id est, de suauissima requietione statim subiungitur: *An modo iam dicit Spiritus,* id est, tota Trinitas, dicit Glossa, *ut requiescant à laboribus suis.* Suauissimum itaque lectum inueniunt hi, qui ita (vt supra dictum est) in Domino moriuntur. Lectus autem iste est ipsa dulcis consolatio Creatoris. De hac consolatione ipse per Isa. 76. dicit: *Quonodo si cui mater blandiatur, ita ego consolabor vos, & in Ierusalem consolabimini.*

De secundo, id est, de delicatissima refectione morientium in Christo, sequitur: *Opera enim illorum sequuntur illos.* Glossa, id est, merces operum suorum. Quælibet itaque virtus quam homo bonis operibus executus est in hoc mundo, speciale ferculum retributionis apportabit & proponet animæ in requie constitutæ. Speciale quippe ferculum apportabit corporis & animæ munditia, & speciale iustitia: quod etiam de veritate, de dilectione, de mansuetudine, de humilitate, ac aliis virtutibus est dicendum. De hac refectione solenni dicitur Isa. 49. *Erunt reges nutriti tui, & reginae nutrices tuae.* Per reges intelliguntur Pater, & Filius, & Spiritus sanctus, qui inseparabili unitate tenent regnum celorum: per reginas autem virtutes exprimuntur, quæ (sicut dictum est) ex Trinitatis cellario fercula accipientes proponent felicibus animabus. Rogate ergo, charissimi, Dominum, quatenus det nobis sic vivere secundum ipsum, vt moriamur in ipso, ac semper consolamur ac reficiamur ab ipso, &c.



DE

## SANCTO MARTINO

## SERMO XLVIII.

*Sint lumbi vestri præcincti, & lucernæ ardentes, in manibus vestris. LUC.12.*

In verbis præmissis duo principaliter sunt hic notanda.

- I. *Qualiter lumbos nostros præcingere debeamus?*
- II. *Quæ sint lucernæ ardentes, quas Dominus nos admonet ut feramus?*

**D**e primo nota : Per hoc quod Dominus dicit : *Sint lumbi vestri præcincti, monet nos, ut carnis petulantiam castitatis cinctorio restrin-gamus.* Vnde Gregor. *Lum-bos præcingimus, cum carnis luxuriam per continentiam coarctamus.* Hoc præceptum B. Martinus laudabiliter fuit execu-tus. Ipse enim enim virgo creditur perman-sisse, propter quod de triplici aureola gaudet in cælis. A ureolam virginum defert : quia in vir-ginitatis puritate decessit. Habet etiam Prædi-catorum aureolam : quia verbum Dei prædicauit, & ipsam matrem suam, necnon & multos alios à gentilitatis errore conuerit. Martyrum quoque aureola non est frustratus : nam & de eo sic cantatur. *O sanctissima anima, quam et si gla-dius persecutoris non abstulit : tamen palmarum martyrum non amisit.* Nos etiam ad mandatum Domini lumbos nostros præcingamus, id est , carnis lasciviam continentia cingulo restringamus.

Est autem iste cingulus triplex : quia vi-delicet est continentia coniugalis, viduialis, ac virginalis. Prima est bona, secunda melior, ter-tia optima. Cauere quoque debemus, ne per de-licias carnales putrescat cingulus castitatis. Vnde dixit Dominus ad Ierem. 13. *Vade, & posside tibi lumbare linum, & pones illud super lumbos tuos, & in aquam non infieres illud.* Ibidem subiungitur, quod Dominus dixit ei, ut iret ad Euphraten, & absconderet ibi lumbare suum. Quod cum fe-cisset, abiit post plurimos dies & tulit lumbare de loco ubi absconderat illud, & ecce computuerat, ita ut nulli usui aptum esset. Per lumba-re lineum castitati intelligitur, quæ à Deo mul-tis obsecrationibus ac laboribus est obtinenda. Circa linum enim multæ sollicitudines ac labo-tes requiruntur. Hinc igitur lumbi, in quibus libidinis est seminariu[m], sunt accingendi. Caueri autem debet, ne in aquam gulæ & deliciarum

carnalium inferatur. Cito quippe in crapula & ebrietatibus castitatis cinctorum perit ac putre-scit. Vnde & lumbare Ieremiæ apud Euphra-ten computruit.. Euphrates enim frugifer inter-pretatur, & significat delicias ac abundantias corporales. Et nota, quod non solum lumbi, sed & ipsum cor est præcingendum.

Non solum enim ab opere luxuriæ cauere debemus, sed etiam cauendum est, ne eam fouea-mus in corde, ibique ei collætemur. Vnde Ioan. Apoc. 1. *Vidit in medio septem candelabrorum, aureorum, similem Filio hominis vestitum podere, & præcinctum ad mamillas Zona aurea.* Podēris qua Ioannes Christum indutum vidit, fuit vestis sacerdotalis, & significat castitatem qua totum corpus operiri debet extrinsecus. Zona vero au-reæ exprimit mentis munditiam, qua cor contra luxuriam muniri debet intrinsecus, ne etiam cogitationes cordis in luxuria delectentur.

De secundo nota : Per ardentes lucernas bo-na opera figurantur. Vnde Gregorius : *Lucernas ardentes in manibus tenemus, cum per bona opera proximis nostris lucis exempla monstramus : nec ca-stitas ergo magna est sine bono opere, nec bonum opus est aliquod sine castitate.* Igitur Beatus Martinus bonorum operum lucernas, quantum ad Deum ardentes, & quantum ad homines lucentes ha-bebat. *Dilectus* quippe fuit *Deo & hominibus: unde & eius memoria in benedictione est,* sicut dicit Eccl. 45. Lucernæ itaque Beati Martini, quantum ad Deum arserunt dupliciter, videlicet, per constantem zelum veræ fidei, & affectuosam dilectionem Dei. Tam feruentem enim & con-stantem zelum habuit veræ fidei, quod fana ido-lorum, vbiunque poterat, destruxit, & quod Arrianis hæreticis intrepide restitit, licet propter hoc ab ipsis multas aduersitates & incomoda sustinuerit. Tantus etiam affectus dilectionis Dei erat in ipso, ut oculis ac manibus in celum semper intentus, inuictum ab oratione spiritum non relaxaret. Faciebat enim hoc affectuosus amor Dei.

Imitemur & nos Beatum Martinum in con-stantia fidei & in dilectione Dei. Constantia quippe fidei, & dilectio Dei sunt duo acuti gla-dij, per quos diabolum salutis nostræ inimi-cum à regno animæ nostræ exterminare debemus. Isti sunt gladij de quibus dixerunt Apostoli Luc. 22. *Domine, ecce duo gladii hic.*

Lucernæ etiam B. Martini, quantum ad ho-mines septemplici exemplo clare luxerunt. Bea-tus enim Martinus præbuit hominibus exem-plum castitatis, sobrietatis, largitatis, humili-tatis, lenitatis, æquitatis, & veritatis. Primo igitur præbuit nobis exemplum castitatis. Ca-stissimæ quippe vitæ fuit. Vnde diabolum in hora mortis suæ sibi apparentem libera voce præcepit abire : quia nihil immunditia in eo poterat inuenire. Legitur etiam de eo, quod animam eius emigrantem Beata Virgo Maria suscepit cum virginum choris. Præterea cum mortuus esset, sicut scriptum inuenitur, caro eius mirabili splendore resulfit. Hæc omnia castitatis eius argumenta fuerunt.

Secundo exhibet sobrietatis exemplum. De tempore quippe militiæ sua inuenitur sic scrip-tum: *Frugalitatem in eo laudari non est necesse,*

*qua ita usus est, ut iam illo tempore non miles, sed monachus putaretur.* Tertio largitatis demonstrat exemplum. Tantæ enim largitatis & charitatis fuit, vt etiam cum adhuc cathecumenus esset, cuidam pauperi pallium suum per medium partem diuideret: quia tunc nihil aliud habuit, quod ei daret. Demum cum in sacerdotio constitutus esset, ipsam tunicam qua ad carnem vestiebat, exuit & cuidam mendico tribuit. Quarto ostendit humilitatis exemplum. Tantæ nempe humilitatis erat, quod cum adhuc miles esset, plerunque seruo calceamenta extraheret atque detergeret, & quod cibum una cum seruo suo caperet, & seruo ipse sapienter ministraret. Vbi modo tanta reperitur humilitas?

Quinto exhibuit exemplum patientiæ siue lenitatis: multa namque à malis hominibus, & etiam ab ipsis dæmonibus passus est incommoda: quæ omnia imitatione diuina patientissime tolerauit. Sexto profert exemplum æquitatis siue iustitiæ. In militia denique constitutus, & postea ad dignitatem Episcopalem sublimatus, non erat pauperum oppressor, sed protector: non intus res alienas, sed potius suas pauperibus erogauit. Vnde etiam cantatur de eo, quod eius originam Christus absfuit siue iustitia, vel quicquid ad veram vitam pertinet. Septimo præmonstrat exemplum veritatis. Verax enim fuit in iudicijs, & in cæteris verbis suis. Vnde verba sua tantæ fuerunt virtutis, quod signi veracis imperio tres mortuos suscitauit.

Nos etiam, charissimi, hunc venerabilem virum in his septem virtutibus, videlicet, castitate, sobrietate, largitate, humilitate, lenitate, æquitate, ac veritate imitari debemus, vt ante Dei conspectum cum lacrymis ardentibus veniamus. 1. Castitas quippe animam per obsidionem dæmonum secure transire facit: non enim habent dæmones partem in anima casta & pura. 2. Sobrietas animæ Deum ostendit: sobrietas enim est lumen animæ, in quo lumen æternum videtur. Vnde dicitur in Psal. 35. *In lumine tuo videbimus lumen.* 3. Largitas siue misericordia faciem Dei, dum ab anima videtur, exhilarat. *Beati enim misericordes: quoniam ipsi misericordiam consequuntur.* 4. Humilitas autem animam collocat in sede sublimi: *Omnis enim qui se humiliat, exaltabitur.* 5. Lenitas siue patientia anima copiosam passionem in regno Dei largitur. *Mansueti* namque hereditabunt terram, subaudi, viuentium, sicut dicitur in Psal. 36. 6. Æquitas siue iustitia animam cuiuslibet dignitati in cælis associat. Cum enim æquitas siue iustitia reddat in hac vita unicum, quod suum est, conueniens est; vt in illa vita cum his, quibus sua reddit, gaudeat & latetur. 7. Veritas vero animam in superna felicitate confirmat. Qui enim per veritatem stabilis fuerit, corde, ore, & opere: dignum est, vt ibi stabilitatem consequatur æternam.

Quod, &c.

\*\*

DE BEATA CÆCILIA

## S E R M O X L I X.

*Simile est regnum cælorum thesauro abscondito in agro, quem qui inuenit homo, prægaudio illius vadit, & vendit uniuersa quæ habet, & emit agrum illum.* Matth. 13.

In verbis præmissis tria principaliter sunt notanda.

I. *Quid per agrum in quo thesaurus absconditus est, intelligi detur?*

II. *Quid per thesaurum absconditum figuretur?*

III. *Quid per agri thesaurum continens operetur?*



E primo nota: Per agrum regnum cælorum intelligitur, & propter quatuor. In agro quippe ouium pastus inuenitur, & cantus auium auditur. In agro etiam est aeris puritas, & florum amoenitas. Primo igitur regnum cælorum agro comparatur: quia oves in agrum ad pastum educuntur. Per oves intelliguntur electi qui pascua vita æternæ, ductore Iesu summo pastore, in regno cælorum & quæsierunt & inuenierunt. Vnde ipse dicit Ioan. 10. *Ego sum pastor bonus: oves mee vocem meam audiunt, & ego cognosco eas, & sequuntur me, & ego vitam eternam do eis.* Ecce bona pascua videlicet, vita æterna.

Et nota, quod pascua huius agri benedicti valde sunt commendabilia: non enim generant aliquod mortis periculum, cum sit in eis vita æterna (vt dictum est) nec grauauit stomachum, nec hebet sensum, nec pariuunt aliquod sibi fastidium. Vnde dicit Anselmus in libro de beata sufficientia: *O patria celestis plena delicijs, plena suavitate, plena decore: esca tua non grauauit stomachum, nec hebet sensum, nec gignit fastidium.* Ita refectio quæ tuis ciuibus apponitur, melliflua in gustu, hoc unusquisque sapit in quo fuerit eleatus.

Item regnum Dei agro comparatur: quia ibi voces auium audiuntur. Per aues intelliguntur animæ beatorum, quæ duabus alis, videlicet, per dilectionem Dei, & proximi, vel alis innocentia & pœnitentia de laqueo venantium, id est, dæmoniorum, volauerunt ad regna polorum, vbi certe magnifice liberatori magnifice gratias

gratias agunt, sicut dicitur 2. Mach. 1. *De magnis periculis a Deo liberati magnifice gratias agimus ipsi.* De cantu istarum auium, id est, animarum sanctorum, dicitur Apoc. 14. *Vocem quam audiui, sicut citharoëorum citharizantium in citharis suis, & cantabant quasi canticum nouum ante sedem Dei.* Dignum est, ut animæ à Deo per gloriam innouatæ cantent. De hoc cantu dicitur in Ps. 83. *Beati qui habitant in domo tua Domine, in secula seculorum laudabunt te.* Quam dulcis sit harmonia illius cantus, vbi Angeli & animæ sanctæ simul decantant laudem Dei, non potest sermo alicuius mortalis hominis sufficienter explicare.

Tertio regnum Dei comparatur agro propter aeris puritatem. Cloacæ quippe & aliæ fôrdium congregations longæ sunt ab agro remotæ. Igitur cum regnum Dei ab omnibus huius mundi corruptionibus longe sit remotum, & cum etiam ibi nihil coriumpatur: & præterea cum super ipsum aerem quem hic spiramus, immensurabiliter sit eleuatum, constat quia ibi est magna serenitas ac inæstimabilis puritas. Vnde dicit Ioan. in Apoc. 21. *Ciuitas illa non eget sole, neque luna, ut luceant in ea. Nam claritas Dei illuminat eam, & lucerna eius Agnus est.* Odor igitur vniuersusque electi qui ibi erit, erit sicut odor agri pleni, cui benedixit Dominus. Vnde & Isaac per quem Christus intelligitur, dixit ad Jacob per quem quilibet electus figuratur, Gen. 27. *Ecce, inquit, odor filij mei, sicut odor agri pleni, quem benedixit Dominus.*

Quarto regnum Dei comparatur agro propter florum amoenitatem. In agro namque diuersi flores inueniuntur. Ita & in regno Christi diuersitas est florum. Ibi ipse Iesus flos est pulcherrimus. Ipse enim est *speciosus forma pœfiliis hominum.* Vnde & seipsum florem appellat Can. 2. *Ego, inquit, flos campi & lily conuallium.* Ibi etiam intemerata Virgo Maria flos est multæ pulchritudiniis & suavitatis. Ibi singuli Martires rubent ut rosæ. Ibi singuli Confessores vernant ut violæ. Ibi singulæ Virgines cudent ut lilia.

Ibi Beata Cæcilia defert aureolam, id est, quoddam fertum ex triplci flore consertum, videlicet, lilio, rosa, & viola. Lilium defert: quia virgo munda fuit. Rosam portat: quia pro Christo passa fuit. Violam etiam gestat: quia duos fratres Tiburtium & Valerianum, & plures alios ad Dominum conuerterunt. Vnde etiam legitur, quod Beatæ Cæciliae adhuc in terris existenti, Angelus Domini coronam de cælis attulit ex floribus odoriferis delicatissime præparata. Et nota, quod contra hæc quatuor quæ sunt in cælesti patria, quatuor aliae sunt in valle gehennæ. Sicut enim in cælo sunt pascua uberrima, ita in inferno est famæ æterna. Tanta enim est ibi famæ, quod damnati, si possent, libenter proprias linguas manducarent, & filios & filias suas vorarent, vnde dicitur in Apoc. 16. *Commanduauerunt linguas suas, pœ dolore famis scilicet & angustiæ.* Item dicit Dominus Ierem. 19. *Cibabo eos carnis filiorum suorum, & carnis filiarum suarum: & uniusquisque carnes amici sui comedet in obsidione & angustia, in qua concludent eos inimici eorum.* Hæc verba sic intellige, quod si possibile esset, unusquisque in infernali obsidione propter famis angustiam filios suos ac

filias comedederet & amicos olim charissimos. Item sicut in cælo omnis est iucunditas, ita & è conuerso in inferno miseria est multiplicitas. Ibi est fletus propter pœnarum acerbitatem. Ibi est planctus propter cruciatuum diuersitatem. Ibi est vulnus propter suppliciorum interminabilitatem. Vnde nihil restat eis, nisi clamor miseriissimus. *Væ nobis, inquiunt, quia peccauimus,* sicut dicitur in Thren. 4.

Item sicut in cælo est iugis serenitas & aeris puritas, ita è contrario in gehenna fœtoris ac corruptionis est immensitas. Vnde dicitur in Ierem. 9. *Cadet morticinum hominis quasi stercus super faciem regionis.* Quilibet damnatus erit quasi putridum morticinum: quo modo ergo ibi posset esse liquidus & purus aer, vbi tot fœtida morticina sunt congregata? Item sicut in cælo florum est suauitas, ita in inferno erit spinarum & tribulorum pungitiva asperitas. Vnde dicitur Isa. 34. *Orientur in domibus eius spinae, & vrtice, & palurus.* Per spinas & vrticas & paliurum notantur omnia gehennalia incommoda, quæ erunt innumerabilia.

De secundo nota: Thesaurus qui in agro cæli dicitur absconditus, est Dei Filius. Ipse enim est thesaurus electorum suorum pretiosus & indeficiens. De isto thesauro dicitur Ierem. 41. quod cum quidam Ismael plures Iudeorum occidisset, reperti sunt decem viri, qui dixerunt: *Nolite occidere nos, quia habemus thesauros in agro frumenti, & hordei, & olei, & mellis.* Et legitur, quod non interfecit eos. Ismael interpretatur assumens exauditionem Dei, & significat diabolum, qui peccatoribus sibi seruientibus hoc damnum facit, quod reddat eos indignos exauditione diuina. Iste occidet omnes qui non habuerunt thesaurem frumenti, hordei, olei & mellis.


Per istum vero thesaurem Dei Filius exprimitur. 1. Ipse enim est thesaurus frumenti per mundam humanitatem. 2. Ipse est thesaurus hordei per Passionis asperitatem. 3. Ipse etiam est thesaurus olei ac mellis per penetratiuam & dulcem diuinitatem. Ipse, inquam, est thesaurus frumenti, id est, tritici per mundam humanitatem. Sicut enim ex frumento siue tritico mundus & albus panis conficitur, sic & sua humanitas munda fuit & immaculata ab omni peccato siue originali, siue actuali.

Ipse etiam est thesaurus hordei per Passionis asperitatem. Sicut enim hordeum acutæ aristas, & tamen ex eo quædam decoctio fit quæ ptisana appellatur, & est potus febricitantium ac infirmorum: sic & Christus in Passione sua multos aculeos dolorum sustinuit, qui tamen per eandem Passionem suam infirmos ac tribulationum æstum sustinerentes, eximie reficit & consolatur. 2. Ipse nihilominus thesaurus est olei ac mellis. Sicut enim oleum penetratiuum est & illuminatiuum, & sicut mel dulce est ac conseruatiuum: ita & Christus per diuinitatem suam omnes sensus ac medullas electorum penetrabit ac illuminabit. Ipse etiam totam animam per semetipsum indulcorabit, & in beatitudine conseruabit.

Illi decem qui propter hunc thesaurem vitæ conseruati fuerunt, significant eos qui decem præcepta Domini corde & opere adimplentes diabolus non potest occidere.

De tertio nota: Ager ille in quo iste nobilissimus thesaurus habetur absconditus, id est, ab infidelium oculis occultatus, emendus est per cinne id quod possidet Christianus (totum enim quod possidemus, debemus dare pro regno cælorum) qui si cognoscerent eius thesaurum Iesum Christum, omni acceptione dignum illud procul dubio iudicarent. Beata Cæcilia per Spiritum sanctum inuenerat hunc thesaurum: vnde & ipsa abiit per desiderium illius, & vendidit omnia quæ habuit, & emit agrum istum, id est, regnum cælorum. Vendidit enim hona temporalia propter summum bonum, pauperibus ea largiter distribuendo. Vendidit delicias & voluptates huius seculi propter Christum, eas penitus contemnendo. *Cantantibus enim organis Cacilia Domino decantabat, dicens: Fiat cor meum & corpus eum immaculatum, ut non confundar.* Vendidit etiam postremo corpus suum tenerimum, durum martyrium pro Domino libenter sustinendo.

Rogate, charissimi, Dominum, vt & nos agrum cælestem laboribus nostris ac eleemosynis ita in præsenti vita comparemus, vt ad possessionem eius post hanc vitam pertingere mereamur. Quod, &c.



D E

## SANCTO CLEMENTE Martyre

### S E R M O L.

*Vos similes hominibus expe-  
ctantibus Dominum suum,  
quando renertatur à nuptijs.*

LUC.12.

Duo sunt hic notanda.

- I. *Quis est Dominus qui ad nuptias iuisse prohibetur?*
- II. *A quibus, & quomodo necesse sit, ut eius aduentus expectetur?*



E primo nota: Dominus iste qui ad nuptias iuit, est Iesus Christus. Ipse enim testatur se esse Dominum Ioan.13. ita dicens ad Discipulos suos: *Vos vocatis me, Magister & Dominus: & bene dicitis: sum etenim. Si ergo ego laui pedes vestros, Dominus & Magister: & vos debetis alter alterius lauare pedes.* Exemplum enim do vobis, ut quemad modum ego feci vobis, ita & vos faciatis. Ecce quid iniungat nobis Dominus noster. Bea-

tus erit, qui hoc fuerit executus. Legitur etiam Ioan.20. quod cum Dominus post Resurrectionem suam apparuisset in littore quibusdam Discipulis in pescatura existentibus, & illi eum non agnoscerent. *Discipulus ille quem diligebat Iesus, dixit Petro, Dominus est: Simon autem Petrus, cum audisset quia Dominus est, tunica succinxit se, erat enim nudus, id est, nudauerat se tunica, quam tantum exuerat, & misit se in mare.* Ecce quantum Petrus dilexit Dominum, quod vide-licet exilijs de nauj in mare, vt citius veniret ad ipsum. Alij enim Discipuli nauigio venerunt. Iste ergo Dominus tunc ad nuptias iuit, quando in Ascensione cælos ascendit: vnde dicit Gregor. *Ad nuptias Dominus abiit, quando resurgens à mortuis, ascendens in cælum, supernam sibi Angelorum multitudinem nouus homo copulanit.*

Et nota, quod Dominus electis hominibus copulatus est tripliciter, Angelis vero dupliciter. Sanctis enim hominibus Dominus copulatus est per identitatem naturæ. Dicit enim Apost. ad Hebr.2. *quod Dominus nusquam Angelos apprehendit, sed semen Abrahæ apprehendit, humanam videlicet naturam assumens.* Copulatus est etiam Dominus Sanctis per gratiam & gloriam. Angelis autem copulatus est per amplexum gratiæ & gloriæ. Igitur Dominus cum in cælos ascenderet Angelos sibi copulatus, id est, cum Angelis, non tantum secundum diuinitatem, sed etiam secundum humanitatem deinceps regnaturus, cum magno tripudio exultationis & gaudij receptus est ab eis, sicut legitur in Isa.63. quod scilicet Angeli occurrentes ei dixerunt: *Quis est iste qui venit de Edom, tintillis vestibus de Bosra? Iste formosus in stola sua, gradiens in multitudine fortitudinis sue? Angelorum quippe turba videns Dominum cum tanto comitatu animarum sanctorum tam gloriose de Edom, id est, de mundo ascendentem: cernens etiam in eo quædam signa victoriosæ militiæ, in vocem admirationis prorumpens ait: Quis est iste, &c.* Glos. *Quam magnus est, quam potens, quam admirabilis cum tanto exercitu!*

De secundo nota: Oportet vt serui istius Domini aduentum eius expectent. *Ipse enim venturus est indicare viuos & mortuos, id est, bonos & malos.* Vnde dicit Gregor. *Tunc iste Dominus renertitur, cum nobis iam per indicium manifestatur.* Hoc autem iudicium Dominus particulariter facit in morte uniuscuiusque, generaliter vero faciet in mundi consummatione. *Quomodo autem expectari debeat aduentus eius, innuit Glos.* sic inquiens: *Sive vitatis mala, sive facitis bona, nihil mundanum agite, sed solum aduentum, Redemptoris expectate.*

Dupliciter ergo Dominum expectare debemus, videlicet, malitiam fugiendo, & bonitatem adimplendo. De hac duplice expectatione dicitur in Psal.39. *Expectans expectavi Dominum, & intendit mihi. Expectans per malitiæ detestationem, expectavi per bonitatis adimplectionem,* & sic intendit mihi in præsenti gratiam largiendo, & in futuro gloriam conferendo.

Malitiam igitur propter quinque detestari debemus & fugere: propter malitiam namque Deus grauiter indignatur, per hanc diabolus lætitatur, per hanc etiam anima trucidatur. De malitia quoque homo assistens iudicio verecun-

datu

datur, & à malitia damnatus homo semper in supplicijs increpatur. De primo, videlicet quod Deus propter malitiam hominis grauiter indignetur ipse dicit per Ierem. 21. *Egreditur ut ignis indignatio mea, & succendetur, & non erit qui extinguat propter malitiam studiorum vestrorum.* Causamus ergo, charissimi, ne dulcem Deum per malitiam ad amaritudinem prouocemus, dicamusque ad eum hoc, quod dicitur 1. Mach. 14. *Non reddas nobis secundum malitias nostras, sed secundum misericordias tuas.*

Secundo per malitiam diabolus læticatur: vnde dicitur Osee 7. *In malitia sua lætificauerunt regem, id est, diabolum, qui est rex super omnes filios superbie. Et nota, quod malitia est funis per quem diabolus peccatores suspendit in infernali patibulo, & nesciret per quod suspenderet eos, nisi ipsi apportarent ei funem per quem suspenderentur.* Cum ergo ipse multum delebetur in perditione hominum, mirabiliter læticatur eum, quando ipsimet apportant ei funem per quem suspendantur. Stultum est gloriari in malitia, sicut stultum esset furem gloriari de fune per quem esset strangulandus.

Tertio homo per malitiam occidit animam suam, sicut dicitur Sap. 16. *Homo per malitiam occidi animam suam.* Magnum ergo damnum facit malitia quæ animam, quam Deus sua morte viuiscare dignatus est, mortificat & occidit. Quis enim ut rursus viuiscetur, deinceps morietur pro ea? *Christus enim resurgens ex mortuis, iam non moritur, mors illi ultra non dominabitur,* sicut dicit Apost. ad Rom. 6. Quarto peccator diuino assistens iudicio, propter malitiam confundetur & verecundabitur: vnde Ierem. 22. *Confundaris & erubescas ab omni malitia tua, quæ sedes in Libano.* Libanus interpretatur candidatio, & signat humanam laudem. Illi ergo qui modo sedent in Libano, id est, qui appetunt humanam laudem, intolerabiliter erubescunt, cum malitia eorum detecta fuerit in die iudicij, & cum nullam virtutem habuerint defensatricem, sed solam malitiam grauem accusatricem. Vnde & Dominus dicit Ezech. 20. *Displacebitis vobis in conspectu meo in omnibus malitijs quas fecistis.*

Quinto miser peccator ab ipsa malitia semper in supplicijs arguetur. Vnde dicitur Ierem. 2. *Arguet te malitia tua, & auersio tua increpabit te.* Vx igitur misero damnato, cum quo propria malitia sempiternum habebit litigium.

B. Clemens ab omni malitia longe recesserat, propter quod dilexerunt eum Iudei, Paganii, Christiani, ipse Filius Dei, & sancti Angeli. 1. Quod dilexerint eum Iudei, Gentiles, & Christiani, testatur legenda eius, vbi sic scriptum inuenitur: *Episcopus Clemens ita morum ornamenti pollebat, ut & Iudeis, & Gentibus, & omnibus Christianis populis complaceret.* 2. Quod etiam dilexerit eum Filius Dei, per hoc probari potest, quod Beato Clemente in exilium relegato, cum Christiani ibidem existentes graui siti vrgerentur, Beatus Clemens pro beneficio fontis oravit. Cui Filius Dei in specie agni apparens: ipsi fonte aquæ vita demonstrauit. 3. Quod etiam Angeli dilexerint sanctum Cle-

mentem, per hoc satis evidenter ostendetur quia videlicet corpori suo in mari submerso sub ipsis fluctibus honestum habitaculum preparaverunt. Debenus etiam Dominum expectare non solum malitiam fugiendo, sed etiam bonitatem operibus exequendo. Cum ergo bonitas opponatur malitia, notandum est, quod per bonitatem Deus exhilaratur, diabolus contristatur, anima viuiscatur: per bonitatem etiam homo diuino iudicio fiducialiter presentatur, & ab ipsa in cælis semper collaudatur. Primo videlicet, quod Deus lætetur hominum bonitate, probatur 1. Paral. 29. vbi legitur, quod cum rex David obtulisset Domino ad structuram domus eius, aurum, argentum, æs, ferrum, lignum, omnem lapidem pretiosum, & marmor parvum. Cumque etiam ad hortationem eius populus offerret aurum, argentum, æs, ferrum, & lapides pretiosos, lætatus est rex David gaudio magno, & ait orans ad Dominum: *Scio Deus meus quod probes corda, & simplicitatem diligas, vnde & ego in simplicitate cordis mei latius obtuli uniuersa hacten: & populum tuum, qui hic repertus est, vidi cum ingenti gaudio tibi offerre donaria.* Domine Deus custodi in eternum hanc voluntatem cordis eorum, & semper in venerationem tui mens ista permaneat. Per David Filius Dei intelligitur, qui cum videt Christianos ad imitationem sui ex thesauro bonitatis offerre aurum charitatis, & argentum castitatis, & æs patientiae, & ferrum obedientiae, nec non & lapides pretiosos aliarum virtutum, lætatur, nimis gaudio magno, quia gaudium est ei deuota bonitas electorum.

Secundo per bonitatem hominum diabolus contristatur, cum caput ipse sit inuidiae. Inuidia enim est dolor ex aliena felicitate nascens, animam torquens. Quod autem diabolus sit origo inuidiae, dicitur in lib. Sap. 2. *Inuidia diaboli mors introiuit in orbem terrarum.*

Tertio, per bonitatem anima consequitur vitam æternam. Vnde & Dominus illi præcepto quod ad præcipuam bonitatem pertinet, vitam adiungit Deut. 5. *Honora, inquit, patrem tuum & matrem tuam: ut longo viuas tempore, & bene sit tibi in terra quam Dominus Deus tuus datus est tibi.*

Quarto bonitas hominum cum fiducia stare facit ante tribunal Christi. Vnde & de eleemosyna quæ est de præcipuis bonitatis operibus, dicitur Propterea 18. *Domum hominis dilatat viam eius, & ante principes spatiū ei facit.* Sicut enim Episcopos & alios honoratos viros aliqui præcedunt cum baculis, qui eis viam præparant & ampliant: ita etiam bonitas & filii eius, scilicet, eleemosynæ, ac alia bona opera cum magna fiducia perducunt animas ante tribunal Christi, ibique eis coram cælestibus principibus honorabile spatiū faciunt.

Bonitas beato Clementi coram Deo gloriosam sedem posuit. Ipse enim tantæ bonitatis fuit, quod sicut de eo legitur, singularum regionum inopes nominatum habebat scriptos, & hos quos baptisimatis sanctificatio illuminauerat, non sinebat publicè mendicitati fieri subiectos.

Quinto ab ipsa bonitate & bonitatis operibus

ribus semper homo in beatitudine collaudatur. Vnde dicitur Proverb. 31. *Date ei de fructu magnum eius, & laudent eam in portis opera eius.* Per portas intelligitur dux, manifestatio videlicet humanitatis ac diuinitatis Iesu Christi. In his ergo portis laudant bonum hominem opera suæ bonitatis. Felix est ille qui ibi laudari meruerit. Rogate, charissimi, Dominum, vt sic eum per malitiae detestationem, & bonitatis executionem fideliter expectemus, vt tandem ipsi venienti alacriter occurere mereamur, &c.



## IN FESTO

BEATÆ CATHARINÆ  
Virginis

## SERMO LI.

*Simile est regnum cœlorum sage-na missa in mare, & ex omni genere piscium congreganti.*  
Matth. 13.

Tria principaliter sunt hic notanda.

- I. *Quid per sagenam quæ in mare mittitur, exprimatur?*
- II. *Quid per pisces qui per hanc sagenam congregantur, intelligatur?*
- III. *Quid per electores piscium figuriter accipiatur?*

E primo nota: Per sagenam intelligitur gloria Catharina. Sicut enim mulier fornicaria sagenam est diaboli, per quam capit animas peccatorum: ita etiam virgo prudens & sancta sagenam est Iesu Christi. Quod mulier fornicaria sagenam sit diaboli, testatur Habacuc 1. & loquitur de diabolo ita dicens: *Totum in hamo subleuabit, traxit illud in sagenam, & congregauit in rete suum.* Per hamum notatur superbia, quæ per vanam gloriam inescari desiderat. Per sagenam luxuria, siue luxuriosa mulier figuratur. Per rete quod nexus habet multiplices, designatur avaritia. Multiplices enim adinuentiones exigitant auari, vt res possint acquirere. Et vere per hæc tria vitia diabolus capit pene totum genus humanum, & præterea incrassata est pars eius, & pauci sunt quos Dominus comprehendat.

Igitur Beata Catharina, quia virgo fuit prudens & sancta, sagenam fuit Iesu Christi. Hæc enim per prudentiam à Deo sibi collatam cepit quinquaginta magnos Rethores & Oratores eximios, qui per eam ad fidem conuersi per martyrium id Dominum peruererunt. Hæc etiam per sanctitatem virginitatis suæ ipsam reginam Ma-

xentij coniugem, & Porphyrium principem militæ cum multis militibus cepit Christo. Omnes enim ipsi per istam crediderunt, & pro Christo passi fuerunt. Multum ergo diabolus inuidit huic pretiosæ sagenæ, quapropter diuersis machinationibus nisus est eam disrumpere per executorem nequitia suæ Maxentium. Maxentius enim instigatus à Diabolo, præcepit Catharinam nudam cædi, & post in carcerem tenebrosum recludi, inhibuit etiam ne vel panis vel aqua daretur virgini: sed Dominus suam fidelem sagenam non derelinquens, per candidam columbam ipsam in carcere pauit, & per Angelos sua vulnera curauit, ipsumque carcere copioso lumine illustrauit. Post hæc iussit Maxentius vt virgo per quatuor rotas, quarum radiis infixi erant acutissimi clavi, discerperetur: sed Dominus suam sagenam miraculose conseruauit illæsam. Demum vt hæc sagenam laboris ac utilitatis suæ præmium reciperet, à Domino decollatur. Decollata vero ab Angelis in montem Sinai transportatur, ibique sepulturæ honorifice commendatur, ubi tunc stillare cœpit, & adhuc distillat humorem sanitatis ac gratiæ, quo ipsa à Christo ipso sponso copiössime inuncta fuerat & irrigata.

Et nota, quod hæc sagenam largum pietatis sum habebat. Cum enim decollanda esset, oravit ad Dominum, vt quicunque passionis suæ memoriam agerent, quicunque etiam in exitu animæ suæ, vel in alia quacunque necessitate eum inuocarent, propitiationis diuinæ celerem consequerentur effectum, & quod fugerent ab his, qui eius auxilium fideliter implorarent, pestilentiæ, famæ, morbus, & clades, & omnis auræ intemperies. Oratione completa vox de cælo insonuit promittens ei, quod in omnibus suis petitionibus à Domino foret exaudita. Imitemur & nos, charissimi, huius virginis prudentiam, castitatem, & pietatem, vt videlicet per prudentiam astutias diaboli caueamus, & per castitatem inquinamenta seculi fugiamus, per pietatem vero bonis operibus infistamus.

Et nota, quod multum indigemus prudentia siue sapientia contra dolos ac versutias diaboli. Ipse enim multa vasa concupiscentiarum offert animæ, vt saltem anima aliquam illarum acceptet. Vnde legitur, quod Abbas Macharius quadam vice vidit diabolum euntem ad quoddam claustrum, qui habebat multas pyxides circum circa se pendentes. Quæsiuit autem Beatus Macharius, quid esset in illis pyxidibus: cui respondit diabolus, quod plenæ essent diuersis speciebus, & ideo tot secum portaret, vt si alicui non placaret, quod esset in una pyxide, daret ei de alia, & sic per ordinem omnes offerret, vt saltem aliquam illarum acceptaret. Castitate etiam indigemus, quia sine ea carnis spurcitas ac seculi immunditias pertransire non possumus. Indigemus etiam pietate: quia sine ea vacui, & sine fructu bonorum operum in diuino examine inueniremur.

Nota etiam, quod per sagenam diuina benignitas exprimitur. Per mare vero mundus iste figuratur, qui ad similitudinem maris inquietus est & amarus: foris enim hominem per plurimas perturbationes inquietat, intus autem per varias sollicitudines amaricat: quod recognouit Paulus

Paulus ita dicens 2. ad Corinth. 7. *Nullam re-quietum habuit caro nostra, sed omnem tribulationem passi sumus. Foris pugna, intus timores.* Igitur per sagenam diuina benignitas exprimitur, quam Deus misit in mare huius mundi, ut per eam homines trahat ad salutem siue bonos siue malos. Ipse enim non venit tantum vocare iustos, sed etiam peccatores, sicut per semetipsum testatur Matt. 20. *Non veni, inquit, vocare iustos, sed peccatores.*

De huius sagenæ missione in mare dicit Paulus ad Titum 3. *Cum benignitas & humanitas ap-paruit Saluatoris nostri Dei: non ex operibus iustitiae que fecimus nos, sed secundum misericordiam suam saluos nos fecit: ut iustificati gratia ipsius, heredes simus secundum spem, vite æterna.* Bona est hæc sagenda, quæ ad hoc homines capere nititur, ut habeant vitam æternam. Contrarium facit diabolus, qui propter hoc capit homines, ut morte moriantur æterna.

De secundo nota: Per pisces homines figurantur. Vnde dicitur Habacuc 1. *Facies homines quasi pisces maris.* Ex omni ergo genere piscium, id est, ex omni genere hominum congregat sagenda diuinæ benignitatis: *Non est enim personarum accepio apud Deum, & non est distinctio Iudei & Græci: nam idem Dominus omnium dives in omnes, qui inuocant illum,* sicut dicit Apostolus ad Rom. 10. Congregat ergo sagenda, id est, benignitas Domini omnes indifferenter, usquequo impleatur. Tunc vero implebitur, cum completus fuerit numerus electorum.

Cum autem impleta fuerit hæc sagenda, *educentur ad littus.* Per littus namque intelligitur iudicialis examinatio. In diuino enim iudicio examinabuntur pisces, id est, homines, quales videbilem fuerint, siue boni, siue mali: propter quod dicit Apostolus 2. ad Corinth. 5. *Omnes vos mani-festari oportet ante tribunal Christi, ut referat unusquisque propria corporis, prout gessit, siue bonum siue malum.*


De tertio nota: Sagenæ eductrices & piscium electrices sunt tres filiæ Dei, videlicet, potentia, sapientia, & iustitia, quarum cooperatores sunt S. Angeli. Hæc etenim tres filiæ Dei cum consummationem fecerint huius mundi, eligent bonos pisces, id est, illos homines qui ad bonitatem se conuerterunt, quandiu in sagenda fuerunt, eligent, inquam, eos in vasa sua, id est, in amplexus Patris, & Filij, & Spiritus sancti. Potentia namque, & sapientia, & iustitia, in Patre, & Filio, & Spiritu sancto, tamquam in quibusdam vasibus requiescent. Patri quippe attribuitur potentia, Filio sapientia, Spiritui sancto benignitas & iustitia. Cum enim Spiritus sanctus sit quasi quidam consiliarius & mediator Patris & Filij, oportet, quod ipse sit benignus & iustus. O quam felices sunt illi, qui recipi meruerint in beatos amplexus gloriosissimæ Trinitatis! Mali vero pisces, id est, mali homines, videlicet, superbi, iracundi, iniuidi, auari, acediosi, gulosi, & luxuriosi, & omnes impij, qui homines hominibus sunt iniuriosi, separati de medio iustorum, foras tunc mittentur per ministerium Angelorum: *Exibunt enim Angeli, & separabunt malos de medio iustorum, & mittent eos in caminum ignis: ibi erit fletus & stridor dentium.*

Nota ergo quadruplicem pœnam quam patientur iniQui. Prima est ignis vstura, secunda

D. Alberti Magni Serm.

perpetua clausura, tertia est amaritudo fletus, quarta est omnimoda inquietudo. Primæ duæ notantur ibi, vbi dicitur: *Mittent eos in cami-num ignis.* Caminus enim acceditur, & cum ac-census fuerit, clauditur. Reliquæ duæ pœnæ no-tantur ibi, vbi subditur: *Ibi erit fletus & stridor dentium.* Fletus enim ille non erit sine magna amaritudine, nec etiam stridor dentium potest esse sine inquietudine. Rogate ergo Dominum, charissimi, ut sic à malitia ad bonitatem conuer-tamur, ut in vasa gloria recipi mereamur. Quod nobis præstare dignetur Iesus Christus Domi-nus, &c.

FINIS SERMONVM DE SANCTIS.




## IN DEDICATIONE ECCLESIAE SERMO LII.

*Dominus in templo sancto suo,  
lætetur à facie eius omnis  
terra. Habac. 2.*

Nota, quod quadruplex est templum  
Domini.

- I. *Vterus virginalis,*
- II. *Ecclesia materialis,*
- III. *Anima fidelis,*
- IV. *Mansio supercalestis.*



N primo fuit per carnis no-stra assumptionem. In secun-do fuit per Passionis suæ re-præsentationem. In tertio est per gratiæ infusionem. In quarto est per piam Sancto-rum glorificationem.

De primo dicitur: *Dominus in templo sancto suo.* Vere iure lætari debuisset, qui Dominum vidis-set in templo. Vnde Elisabeth, & Ioannes pueru-lus, neclum natus lætantur: quia Dominum in hoc templo esse cognouerunt. Vnde Bernard. *Valde quidem Domine humiliaris, nimis absconde-ris, sed Ioannem latere non poteris.* Nonne ipse est, qui per maternum uterum te nondum natus agno-uit? Nonne ipse est, qui utriusque parentes materni uteri agnouit: & quia turbis clamare non potuit, saltem matrem suam exultans edocuit? Vnde Luc. 2. Vnde hoc mihi, ut veniat mater Domini me-  
*ad me?* Hoc templum factum fuit per omnimo-dam puritatem. Vnde Bern. *Quæ Angelica puritas illi virginitati audeat comparari, quæ digna fuit sancti Spiritus sacrarum fieri Dei & habitaculum.* Filij? Vnde loquitur de hoc templo Pater ad Fi-lium Malach. 3. *Ecce ego mitto Angelum meum,* id est, Gabrielem, & preparabit viam ante faciem tuam, id est, qui virgineum requiret consensum. Et conuertit ad Patriarchas & Prophetas sermo-

nem, dicens: *Et statim veniet ad templum suum, id est, in Virginem Mariam, Dominator quem vos queritis, ut carnem vestram induat: vnde Isa. 16. Emittite agnum Domine, dominatorem terre, de petra deserti, id est, de eminentia paterni sinus, ad montem filie Sion, id est, Ecclesiae militantis. Sequitur: & Angelus testamenti, quem vos vultis, ut videlicet intercedat pro vobis. Vnde Iob. 33. Si fuerit pro eo Angelus loquens unus ex similibus, ut annuntiet hominis aequitatem, miserabitur eius.*

De secundo dicitur: *Dominus in templo sancto suo, scilicet per Passionis suæ repræsentationem. Vnde: Hoc quotiescumque feceritis, in mei memoriam facietis. Lætetur ergo à facie velaminis eius omnis terra. Si pannos Domini, quibus velatus fuit & tectus, dum iaceret in cunis, homines desiderant intueri: quare formam illam panis, sub qua tegitur ipse Dei Filius, manens in sinu Patris, libentius non intuerentur: Vnde Gregor. Quis fidelium dubium habere possit in ipsa immolationis hora ad Sacerdotis vocem calos aperiri, in illo Iesu Christi ministerio Angelorum choros adesse, imam summis sociari, terram cœlestibus iungi, unum quidem de visibilibus & invisibilibus fieri?*

De tertio dicitur: *Dominus in templo sancto suo, id est, in anima fideli. Si receperis diuitem & benignum hospitem in domum asserum tuorum, merito lætareris: quare potius non lætaris, cum recipis Dominum in domum cordis tui, qui est benignissimus, & omnium gratiarum affluentissimus? Vnde dicit Dominus ad August. Cibus sum grandium, cresce, & manducabis me: nec tu me mutabis in te, sicut cibum carnis tuae, sed tunutaberis in me. Cum cibus quem comedo, in me mutatur, caro & sanguis efficitur: ergo cum hic comedens panem & vinum, in ipsum commutor, Deus quodammodo efficior. Ad recipiendum in hoc templum, neceſſe est esse mundum. Vnde 1. ad Cor. 3. Siquis violauerit templum Dei, disperdet illum Deus. Disperdet, id est, diuersimode perdet, vel in diuersa perdet. Sed qmodo debet sanctificari? certe per aquam reconciliationis, hoc est, per lacrymosam confessionem & humilem: vnde in Psal. 50. Apperges me Domine hyssopo. Bene dicas, lanabis me: quia ut dicitur, ius nouum ab alio non potest reconciliari, nisi ab ipso.*

De quarto etiam dicitur: *Dominus in templo sancto suo, videlicet, in pia Sanctorum glorificatione. Quod attendens Moyses Exod. 33. orabat dicens: Ostende mihi gloriam tuam. Cui respondit Dominus, dicens: Ego ostendam tibi omne bonum. Quasi dicat. Ego ostendam tibi faciem meam, in qua omne quod bonum est, simul inuenies, vnde & Iacob exultans clamat Genes. 32. Vidi Dominum facie ad faciem, & salua facta est anima mea. De hoc templo etiam dicit Psal. 28. In templo eius omnes dicent gloriam. Nota, quod quatuor genera hominum merito possunt lætari à facie Domini. Primi sunt, qui eum non offendunt. Secundi sunt, qui eum intime diligunt.*

*Tertijs sunt, qui eum filialiter timent. Quarti sunt, qui ei diligenter seruiunt.*

*Lætetur à facie eius omnis*

*terra, &c.*



ITEM  
IN EODEM FESTO  
Dedicationis

SERMO LIII.

*Et dixit qui sedebat in throno:  
Ecce noua facio omnia.*

Apoc. 21.



O T A , quod quadruplex est thronus. Thronus gratiæ, misericordiæ, iustitiæ, & gloriæ. In quolibet Dominus sedens, noua facit omnia. In primo quieuit, in secundo tortus est, in tertio sedebit in die iudicij & in morte cuiuslibet hominis, in quarto regnat .i. Thronus gratiæ est Beata Virgo Maria, vnde Luc. Ave Maria gratia plena. vnde Apostolus: Adeamus cum fiducia ad thronum eius gratiæ, scilicet, Beatæ Mariæ, quæ est thronus Salomonis eburneus. Cum fiducia: quia propter nos regina facta est. Item introducta est in celum vinariam. Tamen dicebat: Vinum non habent, tamquam ad eam pertineret. Hic fecit Dominus noua, scilicet, quod filia est mater patris, quod mater permanxit virgo, quod Deus factus est homo.

Secundus thronus misericordiæ est beata Crux. Ibi misericordia superexaltavit iudicium. Vnde Bernar. Viscera Domini misericordia afflunt, nec desunt foramina per quæ effluant. Ibi enim misertus est latroni, Ioanni, matri Ioanni, cui talem dedit matrem, & toti generi humano. Hic etiam fecit noua, scilicet, quod pauper pauperem dedit, id est, latronem, cui regnum dedit: pro crucifixoribus orauit, moriens mortem superauit.

Tertius thronus est iustitiæ, scilicet, potestas iudicaria in ultimo aduentu, quando corpora suscita bit, humiles exaltabit, se manifestabit: ibi iustus & iniustus apparebunt. Faciet ibi noua, quia omnes in alios & bonos à se inuicem diuidet, corpora gloriofa & immortalia resuscitat, unumquemque secundum iustitiam remunerabit.

Quartus thronus est gloriæ. Post iudicium ibi sedebit, quando reformabit corpus humilitatis nostræ cum corpore humilitatis sue. Ibi etiam noua faciet, ibi in atris domus

Dei florebunt Sancti. Isa. in multis locis super hoc.

\*\*

ITEM

ITEM  
IN EODEM FESTO  
Dedicationis  
SERMO LIV.

*Egressus Iacob de Bersabee pergebat Haran, videntque in somnis scalam statem super terram, & cacumen illius cælum tangens: Angelos quoque Dei ascendentes & descendentes per eam: & Dominum innixum scalæ dicentem sibi: Ego sum Dominus Deus Abraham Patris tui, & Deus Isaac. Gen. 28.*

Quatuor occurunt hic notanda.

- I. *Quis sit Iacob à quo scala videatur?*
- II. *Qua sit scala quam vidit?*
- III. *Quare Angeli per ipsam ascendere & descendere videantur?*
- IV. *Cur etiam Dominus scalæ innixus videatur?*

**D**È primo nota: Per Iacob quilibet fidelis qui saluari desiderat, cum ipso intellegitur. Iacob enim supplantator interpretatur, ut scilicet supplantet illum columbini tortuosum, qui nauigantes in hoc magno mari, id est, in hoc mundo, nescit deglutire, & qui eum supplantabit, necesse est ut egrediatur Bersabee, & pereat Haran. Bersabee interpretatur puteus satians, sicut dicitur hoc seculum mundus, quasi minime mundus. Hic est puteus, de quo Psal. 68. deplorat liberari dicens: *Non me demergas tempestas aqua, nec absorbeat me profundum, neque urget super me putens os suum.* Aqua huius putei non satiat: quia qui bibit ex hac aqua, sitiens iterum. Haran interpretatur mors vel sublimitas, & exprimit nobis patriam æternæ lucis, quæ est in monte omnium montium constituta.

De Bersabee igitur pergit Haran, qui gaudium mundi perniciose satians contemnit, & hereditatem patriæ cœlestis desiderat adipisci: sed talibus necesse est, ut ad montem illum per scalam ascendant.

De secundo nota: Scala ista per quam ascen-

*D. Alberti Magni Serm.*

dendum est, sunt decem præcepta Moysi data: latera sunt dilectio Dei & proximi. Primum mandatum est: *Ego sum Dominus Deus tuus, qui eduxi te de terra Ægypti, de domo servitutis. Non habebis Deos alienos coram me cōrde, neque adorabis eos ore, neque coles eos opere.* Ego sum Dominus Deus tuus, fortis, zelotes, visitans iniquitatem patrum in filios, usque in tertiam & quartam generationem eorum qui oderunt me. Et faciens misericordiam in millia his, qui diligunt me, & custodiunt præcepta mea. Secundum est: *Non assunes nomen Dei tui in vanum, nec enim habebit insontem Dominus eum qui assumpserit nomen Dei frustra.* Tertium est: *Memento ut diem sabbati sanctifices. Sex diebus operaberis, & facies omnia opera tua.* Septimum autem die sabbatum Domini Dei tui est: non facies omne opus in eo, & filius tuus & filia tua seruus tuus, & ancilla tua, iumentum tuum & aduenia quæ est intra portas tuas. Quartum est: *Honora patrem tuum & matrem tuam, ut sis longævus super terram quam Dominus Deus tuus datus es tibi.* Quintum est: *Non occides manu, vel dente, vel consensu.* Sextum est: *Non mœchaberis, id est, non commisearis alicui excepto matrimonio.* Septimum est: *Non furtum facies, nec rapies.* Octauum est: *Non loqueris contra fratrem tuum falsum testimonium, vel omne mendacium.* Nonunum est: *Non concupisces domum proximi tui.* Secundum August. hic prohibet concupiscentiam rei alienæ immobilis. Decimum est: *Non desiderabis uxorem eius, non seruum, non ancillam, non bouem, non asnum, nec omnia que illius sunt.*

De tertio nota: Per hanc scalam videntur Angeli descendere, homines in ipsam eleuando: ascenderé etiam dicuntur homines per ipsam opportunius deuehendo. Angeli enim hominem ad bonum excitant & eleuant, & in bono eleuant de virtute in virtutem deducunt spiritus. Vnde Propheta in Psalm. 141. *Spiritus tuus bonus deducet me in terram rectam. Propter nomen tuum vivificabis me in equitate tua.*

De quarto nota, quod Dominus scalæ stat in nixus, ut ascendentes per virtutes tamquam pius pater hilariter recipiat, & receptos pro mercede laboris glorioissime coronet corona æterna gloriæ. Quod, &c.



ITEM  
DE S. IOANNE BAPTISTA

SERMO LV.

*Ego vox clamantis in deserto.*



CHRISTVS clamat in deserto Tamquam leo duabus de causis: ad suscitandum filios, & ad capiendam prædam. Osee 12. *Quasi leo rugiet, & intimidabunt filii manus.* Sic Christus clamauit in cruce circa horam nonam. *Clamauit itaque voce magna.* Clamor ille tunc ita inualuit, ut sol obscuratus sit, terra tremuit, lapides

scissi sunt, monumenta aperta sunt. Qui enim modo non audiunt, audient in die iudicij. Ergo non audiat sol, id est, superbi: terra, id est, usurarij: lapides, id est, inimicitias in corde reseruantes: monumenta, id est, luxuriosi factentes coram Deo.

Etiam nunc quotidie clamat tamquam seruus vinum clamans in plateis per suos Prædicatores: sed Eph. 1. *Nolunt inebriari vino, in quo est luxuria*, bona, scilicet, in prædicatione per quam inebrientur, ita ut omnia euomant in confessione.

Clamabit in iudicio ad capiendam prædam, hoc est, in vindictam malorum: & hæc est ratio, quod noluerunt audire clamorem in cruce. In die illo nemo poterit effugere manus eius: quare? quia orbis terrarum pugnabit pro eo contra infensatos. Sed ipse clamans audit oppressos clamantes Exod. 4. *Ascendit clamor filiorum Israël*, &c. Viduas Exod. 2. *Vidua & pupillo non nocetis*. Super homicidas Gen. 4. *Vox sanguinis fratris tui Abel*, &c. Super detentores mercedum Jacob. 5. *Ecce merces operariorum*, &c.

## AD DIVINVM CAPVT CHRISTI



*Vltiplici densitate spinarum vallatum usque ad cerebri teneritudinem transfixum est. Psal. 31. Dum configitur spina.*  
*Vnde per Prophetam, spinis peccatorum circundedit me populus iste.* Ad quid hoc, nisi ne tuum doleret caput, ne tua intentio vulneraretur? Caligauerunt in morte Oculi, & illa luminaria, quæ totum illuminant orbem, ad horam extincta sunt, quibus obtenebrantibus, tenebra facta sunt super uniuersam terram, & cum illo duo luminaria magna firmamenti submota sunt, ut auertantur oculi tui, ne videant vanitatem Psal. 118. Et si videant, propter eum contemnant. Aures illæ quæ in cælis incessanter audiunt, Sanctus, sanctus, in terris audire voluerunt, Daemonium habes, & crucifige, crucifige: ne aures tuæ ad clamorem pauperum surdescerent, ne ad inanes fabulas patulæ auditum detractionis vel adulatioñis virus pronæ suscipient. Speciosa illa Facies speciosi forma præ filiis hominum, imo præ millibus Angelorum, sputis illecta, colaphis afflcta, illusionibus addicta est: ut facies tua illuminaretur, illuminata corroboraretur, ut dici posset de te: Vultus eius non sunt amplius in diuersa mutati. Os illud quod docet Angelos, homines instruit: quod dixit, & facta sunt, felle & aceto potatum est: ut os tuum veritatem loquatur, & aperiatur ad confitendum Dominum: obmutuit, ne linguan tuam leuiter iram loquens accommodes.

Manus illæ quæ fundauerunt cælos, extenæ sunt in cruce, clavis transuerberatae durissimæ, de quibus Isa. 65. *Expandi manus meas tota die ad populum incredulum*. Et David: Foderunt manus meas & pedes meos, & dinumerauerunt omnia ossa mea. Hieron. *Possunus in expassione manuum,*

*largitatem donantis accipere, qui nil pie potentibus denegat, qui leproso petenti sanitatem restituit, cœcum à nativitate illuminauit, esurientem populum in deserto panuit. Item, Expansæ manus clementiam, parentis signant, filios in sinum recipere gestientes. Sicque manus tuæ expandantur ad inopes, ut dicere possis: Anima mea in manibus meis semper. Quod manibus tenetur, non facile obliuioni traditur. Sic anima ad memoriam reuocat, qui eam bona opinione quasi manibus portat. Confixæ sunt, ut te instruant ab illico sine prauo opere manus timoris clavis configere.*

*Pectus illud gloriosum, in quo sunt omnes thesauri sapientiae & scientiae absconditi, lancea militari confossum est, ut pectus tuum à prauis cogitationibus mundetur, mundatum sanctificetur, sanctificatum conseruetur. Pedes quorum scabellum & vestigia Propheta pronuntiauit adorari, dira confixione confixi sunt, ne pedes tui aliquod malum sustinerent, vel ad effundendum sanguinem: sed viam mandatorum Dei currentes, in via stabiles & semita fixi, & ad dextram vel ad sinistram non declinent. Quid ultra debuit tibi facere?*

Quare Christus declinat caput in cruce? Christus declinat caput in cruce ostendens per humilitatem eundum in cælum. Item, ut ostenderet quiescendum à labore proprio. Item, ut satisfaceret clamanti: Osculetur me osculo oris sui. Item, ut acciperet licentiam à sponsa recedendi. Magnæ virtutis Dominicæ passionis memoria, quæ si firmiter mente teneatur, omnis erroris & peccati nebula effugatur. Vnde Beatus Bern. *Semper habentes Christum in corde, & hunc crucifixum.*

## DE BEATA VIRGINE Maria

### S E R M O L V I .

*Egredietur virga de radice  
Iesse, &c.*

**N**ota, quod Beata Virgo dicitur virga propter quinque proprietates, quas virga habet. Est enim longa, recta, solida, gracilis, & flexibilis. Sic Beata Maria longa fuit contemplatione, recta iustitiae perfectione, solida mentis stabilitate, gracilis paupertate, flexibilis humilitate.

Hæc virga egressa de radice Iesse, qui fuit pater David, à quo Maria, *de qua natus est Iesus qui dicitur Christus*. Vnde hodie Matth. 1. *Liber generationis*, &c. Item, *Egredietur virga, &c.* Quid ista tria mox significant, videamus: radix, flos, virga. In radice humilitas cordis, in virga rectitudo confessionis & disciplina satisfactioñis, in flore spes æternæ beatitudinis intelligitur.

Iesse interpretatur insula, id est, sacrificium, & signat

& signat pœnitentem, cuius mens debet esse quasi insula. Insula, eo quod in Salo, id est, in mari sicca sit. In mari, id est, in amaritudine pœnitentia. Mens pœnitentis est sicca, quæ fluctibus tentationum percutitur, & tamen immobilitas consistit. Radix huius Iesu est humilitas contritionis, ex qua surgit virga rectæ confessionis, & disciplina discretæ afflictionis.

Et nota, quod non ex summitate virgæ, sed ex humilitate mentis, ascendit flos, id est, spes æternæ beatitudinis.

Sequitur quod *luna plena in diebus suis*. Beata Maria dicitur luna plena: quia ex omni parte perfecta: quia in utero matris fuit sanctificata. Item in sole sunt tria, scilicet, splendor, candor, & calor: quæ tribus clausulis Gabrielis concordant. Prima, *Ave gratia plena*. Secunda, *ne timeas*. Tertia, *Spiritus sanctus superueniet in te*. Cum dicit: *Ave gratia plena*. Ecce solis splendor.

Potest hoc referri ad quatuor virtutes, quarum singulæ in Maria tripliciter eminent. Ex temperantia siquidem habuit prudentiam carnis, modestiam sermonis, humilitatem cordis. Prudentiam habuit, cum siluit turbata, intellectus audita, respondit apposita. Item cum dicit: *Ecce concipies, & paries filium*. Ecce solis candor. Quomodo candorem lucis æternæ, speculum sine macula concipere posset, nisi candida fuisset? Vnde in Cant. 5. *Venter tuus eburneus distinctus saphiris*. Eburi elephantis candidi, & frigidi: in quo duplex munditia significatur. In candore, stabilitas mentis: in frigiditate, munditia corporis: quæ duo fuerunt in thalamo Beatae Mariæ Virginis.

Item Eccl. 50. *Quasi lilia quæ sunt in transitu aquæ*. Nota, quod lily de inculta terra nascitur, in conuallibus oritur, odoriferum est, candidum, clausum continet odorem, apertum effundit, sex folia habet, virgulas aureas, & stipitem habet in medio, membris medetur adustis. Lily dictum quasi lacteum, Beatam Virginem signat virginitatis candore splendidam: sex folia habet, de quibus quare in sermone: *Cum turba irruerent ad Iesum*: ibi loquitur de sex gradibus Salomonis. Virgæ aureæ in lilio sunt paupertas, & humilitas in Maria, quibus sua virginitas decorata. Stipes in medio lily fuit excellentia diuini amoris in corde Beatae Virginis. Hæc est medicina peccatorum, qui in igne vitiorum sunt adusti. Dicamus ergo: *Quasi lilia quæ sunt in transitu aquæ*. Sicut lilia in virginitate, pulchritudine, & odore perdurant iuxta transitum aquæ: sic Beata Maria, cum lily parturiuit, in virginitatis virore & pulchritudine permanerit, &c.

## IN ANNVENTIATIONE Beatæ Mariæ

### SERMO LVII.

*Ave Maria. Luc. 8.*



N hoc nomine, *AVE*, fit nominis Euæ conuersio. Triplex quidem habuit Eua maledictionem: corruptionis in conceptu, grauitatis post conceptum, doloris in partu. E contra Maria triplicem in hac salutatione recepit benedictionem. Fuit enim sine corruptione fœcunda, sine grauidine grauida, sine dolore puerpera. Hoc est Ave sine triplici vœ corruptionis, grauitatis, & doloris, quod incurrit Eua per peccatum, quod ab ea omnes mulieres, præter Beatam Virginem Mariam, quasi iure hereditario traxerunt. Gen. 3. mulieri dixit: *Multiplicabo erumnas tuas & conceptus tuos, in dolore paries filios tuos*.

Est & aliud triplex vœ, de quo dicitur Apoc. 8. *Vœ, vœ, vœ habitantibus in terra*, scilicet, *vœ concupiscentiæ, vœ culpæ, & vœ pœnæ æternæ*. Primum est in carne, secundum in spiritu, tertium in utroque. De primo dicitur Eccl. 10. *Vœ tibi terra*, id est, caro, cuius rex, id est, animus, puer est. Gen. 3. *Maledicta terra in opere tuo, spinas & tribulos*, id est, carnales motus, germinabit tibi. De secundo Osee 7. *Vœ eis qui recesserunt à me*. De tertio dicitur Osee 9. *Vœ eis, cum recessero ab eis*. Hoc erit cum in inferno detrusi fuerint: nam quantumcumque modo malus fuerit peccator, nunquam reredit ab eo omnino Deus: imo gratiam offert omnibus, dicens Apoc. 3. *Ego sto ad ostium, & pulso*.

Sine hoc triplici vœ fuit Virgo Maria, quando habuit triplex bonum huic triplici vœ contrarium, scilicet, bonum continentiae, bonum gratiæ, & bonum perseverantiae. Primum excludit concupiscentiam, secundum culpam, tertium pœnam æternam: quia qui perseverauerit usque in finem, saluus erit.

Item est aliud triplex vœ, scilicet, *vœ mundi, vœ carnis, vœ diaboli*. De quo dicitur Apoc. 18. *Vœ, vœ, vœ ciuitas illa magna Babylon*, sine quo fuit Maria omnino. Fuit enim pauper contra primum, virgo contra secundum, humiliis contra tertium. Ideo digna est salutari non solum ab Angelo, sed etiam ab homine magis, qui per se perditus per eam salutem inuenit.

Inuitat autem nos ad salutationem Mariæ, Gabrielis exemplum, qui eam primitus salutauit, etiam antequam esset mater Domini. Item Can. 2. *Tota pulchra es amica mea, & macula non est in te*, interius per humilitatem, exterius per virginitatem: & *macula non est in te*, propter perfectam charitatem.

Si vis ergo ingredi ad Virginem, & eam salvare, oportet te esse Angelum. Angelum autem te facient potissimum puritas, charitas, humilitas. Puritas in carnis munditia. Hieronymus. *Prater carnem vivere angelicum est, non humanum, &c.*

IN PURIFICATIONE  
Beatae Mariæ

## SERMO LVIII.

*Obtulerunt pro eo Domino par tur turum, aut duos pullos columbarum. Luc. 2.*



BTVLIT igitur in paupertate filium suum cum hostia pauperum, scilicet, *par tur turum*, aut *duos pullos columbarum*. HAc oblatio pauperum erat, qui offerre agnum non poterant. Vnde pro paupere Christo hic oblata fuerunt, ut per omnia eius paupertas pateat: qui enim vere pauperes sunt, hanc oblationem offerunt. Reuertamur ergo ad materiam, de qua modicum digressi sumus, & dicamus, quod thus redolens, &c. sequitur Eccl. 50.  
*Quasi ignis effulgens, & thus ardens in igne.*

Nota, quod hodie fidelis portat ignem effulgentem in candela, quæ constat ex stuppa & cera. In igne diuinitas, in cera humanitas, in stuppa Dominicæ passionis asperitas designatur. Beata Virgo detulit, & obtulit hodie suum Dei Filium in templum: in cuius rei figura fideles hodie deferunt & offerunt ignem in candela, in quibus tria designantur. In igne ardor contritionis, omnia eradicans genimina vitiorum. In cera, confessio criminis. Sicut enim fluit cera à facie ignis: sic ab ardore contritionis fluit confessio ab ore confidentis, & hoc lacrymis refluenteribus. In stuppa asperitas satisfactionis. In his tribus est Iesus, id est, omnis saluatio vel salus. Angeli in cælo de humani generis redemptione lætantur, homines mortui in terra resuscitantur, captiui in inferno liberantur.

Rogamus ergo te Domina mater Dei electa, ut à sanguine peccatorum nos purifiques, ignem effulgentem contritionis, in cera confessionis & stuppa satisfactionis nos deferre facias, quo ad lumen gloriae cælestis peruenire mereamur, ipso præstante quem hodie in templo obtulisti, cui est honor in cælis. Quod, &c.

DE S. TRINITATE  
SERMO LIX.

*Benedicamus Patrem & Filium  
cum sancto Spiritu, &c.*



OTA, quod benedicendus est Pater: quia Filium suum unigenitum misit & dedit. Vnde Isa. 9. *Parvulus natus est nobis, & Filius datus est nobis*. Dedit autem Pater Filium ad tria, scilicet, in socium nostræ fatigationis. Vnde Paulus loquitur de Filio: *Debuit per omnia similari fratribus, ut misericors fieret*. Christus in humana natura quam assumpsit de Virgine, passus est nostras penitentes, scilicet, esuriem, sitiem, frigus, & aestum, lassitudinem & mortem, ut per experimentum eorum facilius huiusmodi compatietur.

Dedit etiam Pater Filium in premium nostræ redemptionis. Vnde Apostolus: *Qui proprio filio suo non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit illum*. Dedit etiam eum in viaticum nostræ peregrinationis. Vnde ipse filius dicit de seipso Ioan. 6. *Ego sum panis vivus qui de celo descendit: si quis manducaverit ex hoc pane, vivet in eternum*. Vnde & ipse in cœna sedens cum discipulis instituit sacramentum corporis & sanguinis sui, ut hoc & fidelibus & infirmis in via huius exilii, quasi pro viatico habeatur.

Benedicendus est etiam Filius, quia venire voluit. Vnde legitur in Isa. quod cum dixisset Pater: *Quem mittam, & quis ibit ex nobis?* Respondit Filius: *Ecce ego, mitte me*.

Benedicendus est etiam Spiritus sanctus, quia ad hoc ut Filius incarnaretur, & mitteretur, consilium dedit, & cooperator bonus fuit; vnde dicitur in Genes. quod Angelus, id est, Spiritus sanctus dixit ad Abraham, id est, ad Patrem: *Accipe filium tuum unigenitum quem diligis Isaae*, id est, risum vel gaudium; quia in nativitate eius gaudium ab Angelis nuntiatum est, & offer illum in holocaustum, &c. id est, illum in monte Calvariae pro mundi salute crucifigi permitte, &c.

D. ALBER



D. ALBERTI MAGNI,  
EPISCOPI RATISPOENSIS,  
DOCTRINA TOTO  
ORBE CELEBERRIMI,  
Ordinis Prædicatorum,  
**D E S A C R O S A N C T O**  
Eucharistiæ Sacramento Sermones  
plane diuini.

PROLOGVS,  
LIBRIQUE METHODVS.

**D**E sacrosancto Corporis Domini locuturi Sa-  
cramento proponimus, donante Deo, proce-  
dere tali modo. Primo ponimus quæ princi-  
paliter circa illud sunt notanda. Secundo  
singula eorum in tria diuidendo. Tertio sic  
diuisa quodammodo subdiuidendo.

Primo itaque ponimus circa Sacra-  
mentum Corporis Domini septem principaliter esse notanda. I. est causa  
institutionis. II. est forma donationis. III. mirabilia Diuinæ  
operationis. IV. est qualitas nostræ præparationis. V. est modus  
manducationis. VI. effectus suæ bonitatis. VII. consideratio  
facri sanguinis.

Secundo dicimus singula horum in tria membra hoc modo di-  
uidenda. Primum principaliter circa Sacramentum hoc notan-  
dum est, scilicet, causa institutionis. Hac est triplex, scilicet,  
memoria Saluatoris, Sacrificium altaris, & cibus hominis. De-

ceteris principaliter notandis procedendum est simili forma ut patet in sequentibus.

Tertio singula membra sic diuisa sunt subdividenda, vel aliqua specie processus in hunc modum dilatanda. Prima causa institutionis Dominici corporis est memoria Saluatoris. Circa hanc tria vel quatuor possunt inquiri vel considerari, aut triplex ratio vel similitudo assignari. De ceteris membris similiter potest fieri ut infra ex parte patet in titulis sequentis opusculi.

Quarto de membris sic subdivisis quadam aliquo modo ulterius protelantur: quia speciali paragrapho demonstrantur.

Thema vero proponendum: vel generale potest sumi, vel speciale, vel proprium. Generale, quo quid posset intelligi de hoc sacramento in communi. Speciale, in quo sit aliquid quod specialius congruat alicui membro principali, ut causa institutionis, vel forma donationis, vel alteri. Proprium, in quo sit quod magis proprie consonet verbis secundariis, ut memoria Saluatoris, Sacrificio altaris, vel alicui de ceteris.

De predictis itaque custoditis, & Scripturae sacrae testimonio roboratis, poterit, largiente domino, aliqua sermonum copia pululare. De quibus nunc iste, nunc ille, vel certe pars de uno, pars de altero, pro loco & tempore valebit utilis esse ad animarum firmandam fidem, informandam vitam, & deuotionem excitandam.



PARS I. OPERIS,  
DE TRIBVS CAVSIS  
institutionis Sacramenti.

S E R M O . I.

*Venite, comedite panem meum, & bibite vinum quod miscui vobis.* Prou. 9.



Is verbis Dominus nos inuitat ad salutare conuiuim, in quo præparauit pretiosum cibum & potum, corpus & sanguinem suum.

*Causam tuam tracta cum amico tuo, & secretum extraneo ne reueles.* Prou. 25.

Res secreta est Sacramentum altaris quasi sacramentum secretum. Cuius causa non infidelibus, sed fidelibus est reuelanda. *Hoc facite in meam commemorationem* Luc. 22. Item Psal. 3. *In memoria eterna erit iustus.* Item, *Estate parati: quia qua hora non putatis, Filius hominis veniet* Luc. 12. Vel aliud, in quo memoria Domini possit notari.

Primum principaliter circa Sacramentum Dominicī corporis notanda est causa institutionis. Hæc est triplex.

I. *Memoria Saluatoris.*

II. *Sacrificium altaris.*

III. *Cibus hominis.*

Hæc tria disposuit in hoc sacramento Dei sapientia contra tria vetera mala, scilicet, 1. contra obliuionem Dei, 2. contra debitum rapinæ alienæ, 3. & contra corruptionem pomi mortiferi.

Primum namque parentes in hæc tria mala ceciderunt serpentina fraude decepti, & per eos successores eorum sunt depravati. De I. Ecclesiast. 10. *Initium superbiae hominis est apostatare à Deo: quoniam ab eo qui fecit illum, recessit cor eius,* scilicet, per obliuionem in occupatione damnoſæ negotiationis cum serpente, quod ſæpe adhuc quibusdam ſolet euenire. De II. Gen. 3. *Videns mulier lignum quod bonum eſſet ad uſcendum, & pulchrum oculis, aſpectuque delectabile: & tulit de fructu illius, & comedit: deditque viro ſuo.* Et ſic ambo rapinam commifertunt. Huius rapinæ ſimilitudinem faciunt qui in uſu creaturaruim & terum temporalium iuſtitiae mensuram excedunt. De III. Gen. 2. *De ligno ſcientia boni & malie comedas: in quocunque die comederis ex eo, morte morieris,* id eſt, in bono immortalitatis corrumperis. Psal. 13. *Corrupti ſunt & abominabiles facti ſunt in iniquitatibus suis.* Sic qui peccatum in uſu trahunt, animas suas corrumpunt, & occidunt.

Igitur contra triplex vetus malum institutum eſt hoc Sacramentum. Matth. 26. & Luc. 22. *Accipite & comedite, Hoc eſt corpus meum quod pro vobis tradetur. Hoc facite in meam commemorationem.* Ecce prima cauſa institutionis huius Sacramenti, ſcilicet, memoria Saluatoris, contra Dei obliuionem. *Hoc pro vobis tradetur,* id eſt, ut Agnus Dei offeretur. Ecce ſecunda cauſa, ſcilicet, Sacrificium altaris contra rapinam. *Accipite & comedite, Hoc eſt corpus meum.* Ecce tertia cauſa, ſcilicet, cibus medicinalis contra corruptionem pomi mortiferi.

Prima itaque cauſa institutionis huius Sacramenti eſt memoria Saluatoris contra obliuionem. Ut ſcilicet per hoc admoniti, totam mentem & omnes ſenſus noſtros quos à Deo auerti-imus, & cum prauis cogitationibus & delectationibus vagari permifimus, à noxijs extraheentes integraliter ad Dominum referamus. Hinc di-ſcitur. *Hoc facite in meam commemorationem,* Eusebius. *Quia corpus aſſumptum Dominus ablaturus erat ab oculis, & illatus ſideribus: neceſſarium erat ut die cœnæ Sacramentum nobis ſuī corporis & ſanguinis conſecraret, ut offerretur ingiter per myſterium, quod offerebatur ſemel in preſtum: & perenni viuētā viueret in memoria, & ſemper praefens eſſet in gratia.*

Ad hanc ſemper habendam, ſcilicet, memo-riam Saluatoris, cogunt noſ tria argumenta ſuæ charitatis, ſcilicet, 1. remiſſio peccatorum, 2. redemptio impignoratorum, 3. & continuatio beneficiorum. De I. Isa. 43. *Ego ſum ipſe qui deleo iniquitates tuas propter me, & peccatorum tuorum non recordabor, reduc me in memoriam,* De II. Eccl. 29. *Gratiā fideiūſſoris tui ne obliuiscaris uquam, dedit enim pro te animam, pro te ſcilicet pro hereditate regni cœleſtis quas à te impignorata Deo fideiūſſit, & ſe totum in cruce ad ſoluendum debitum tuum, dedit: huius gratiā ne obliuiscaris, quin eum pro ea diligas, & quantum potes, orationibus & bonis operibus debitum ei reddas. Cant. 5. Aperi mihi ſoror mea, amica mea: quia caput meum plenum eſt rore, & cincinni mei guttis noctium.* Aperi mihi, id eſt, uſcipe me in mentem tuam, in memoriam, in dilectionem. *Quia caput meum, ſcilicet, diuinitas, plenum eſt rore, ſcilicet, misericordiæ ad remittendum peccata: & cincinni mei, id eſt, humanitas, guttis noctium, id eſt, effuſione ſu-*

doris,

doris, lacrymarum, & sanguinis Passionum, ad redimendam hæreditatem tuam pro satisfactio- ne peccatorum tuorum impignoratam. De ter- tio Deut.8. *Obserua & caue nequando obliniscaris Domini Dei tui, & negligas mandata eius: ne postquam comederis, & satiates fueris, habuerisque can- clarum rerum copiam, eleuetur cor tuum, & non re- miniscaris Domini Dei tui.* Gloss. Eccle.17. Sicut nullum momentum est, quo non vtitur homo Dei bonitate: ita semper debet in memoria præsens esse.

Secunda causa institutionis huius Sacramenti est Sacrificium altaris, contra quandam quotidianam delictorum nostrorum rapinam. Ut sicut corpus Domini semel oblatum est in cruce pro debito originali: sic offeratur iugiter pro no- stris quotidianis delictis in altari, & habeat in hoc Ecclesia munus ad placandum sibi Deum super omnia legis sacramenta vel sacrificia pre- tiosum & acceptum. Mal. 3. *Placebit Domino sa- crificium Iuda & Ierusalem, quasi regis & militie,* id est, Christi & Ecclesiae. Item Alexad. Papa. *Nihil in sacrificiis mains esse potest quam corpus & sanguis Christi, nec illa oblatio hac potior est: sed omnes precellit, quæ pura Deo conscientia offerenda est & pura mente sumenda: & sicut potior est ca- teris, ita potius extollit & venerari debet.*

Ad hoc sacrificium approbandum notanda est triplex ratio mutandi vetus sacrificium. Prima est Auctoris nostri sacrificij potentia. Secunda est debitorum nostrorum exigentia. Tertia sa- crificij illius insufficiencia. Prima ratio mutandi legis sacrificia, est Auctoris nostri sacrificij, id est, Christi potentia, qui non solum ex eo quod est Dominus & Rex vniuersæ terræ, sed ex summi sacerdotij ad eum translatione potuit & de- buit suum in melius sacrificium commutare, si- cut Rex potest in regno suo, dum vult, numisma minus bonum innouare. Psal.109. *Iuranit Domi- nus & non pœnitabit eum, tu es Sacerdos in æternum, secundum ordinem Melchisedech.* Non dicit secundum ordinem Aaron, vel secundum ritum Leuitarum qui obtulerunt carnes hircorum & taurorum: sed secundum ordinem Melchisedech, qui obtulerat panem & vinum Heb. 7.

Quid fuit necessarium secundum ordinem Mel- chisedech alium exurgere sacerdotem, & non secundum ordinem Aaron dici? Respondeo, Translato sacerdotio necesse est, vt legis transla- tio fiat. Manifestum est autem, quod ex tribu Iuda ortus est Dominus, de qua secundum legem non erant Sacerdotes.

Secunda ratio mutandi legis sacrificia, est de- bitorum nostrorum exigentia. Tam magnum quippe fuit debitum primorum parentum ex ra- pinæ magnitudine, ex raptoris ingratitudine, ex læsi, scilicet, Creatoris majestate: vt non solum legis sacrificia, sed totus mundus cum omni crea- tura non sufficerit pro satisfactione. Hebr. 10. *Christus ingrediens mundum dicit: Hostiam & oblationem noluisti, corpus autem aptasti mihi.* Gloss. *Ingrediens mundum, id est, homo factus dicit: Hostiam de animalibus & oblationem de aliis rebus noluisti, id est, non placuerunt tibi, corpus autem quod præ omnibus sacrificiis est, quia sine peccato aptasti, id est, aptum & idoneum de- disti vniendo mihi, quod pro omnium redem- ptione valeat offerri.* Psal. 68. *Persecuti sunt me-*

*inimici mei iniuste: quæ non rapui, tunc exoluebam, dum scilicet pro debitis omnium sufficiens sa- crificium in cruce offerebam.*


Tertia ratio mutandi legis sacrificia, est eo- runderm insufficientia, & hæc probatur à tribus. 1. Quia scilicet Deo non placuerunt, 2. quia pec- cata non abstulerunt, 3. & quia gratiam non con- tulerunt. De primo Ierem.6. *Holocausta ve- stra non sunt accepta, & victimæ vestre non placuerunt mihi.* Osee 6. Matth.9. *Misericordiam volo & non sacrificium.* De secundo Psal. 39. *Holocau- stum & pro peccato non postulasti.* Rom. 3. *Ex ope- ribus legis non iustificabitur omnis caro coram Deo.* Hebr. 10. *Impossible est sanguine hircorum & tau- rorum auferri peccata.* De tertio Ezech.20. *Dedi- eis precepta non bona & iudicia in quibus non vi- uent.* Præcepta non bona, id est, minus bona, quâ- tum scilicet ad sacrificia & cærimonialia: in qui- bus non viuent, quia vitam gratiæ non confe- rebant. Hebr. 7. *Reprobatio quidem fit precedentis mandati, propter infirmitatem eius & inutilitatem,* quasi propter eius sterilitatem, quia non confe- rebat gratiam.

Tertia causa institutionis huius Sacramenti est cibus hominis. Cibus inquam medicinalis contra pomi mortiferi corruptionem, quæ causa præua infusa est per primos parentes humano generi, vt esset incurabilis, nisi subueniret medi- cina optima, quam posset facere prudentia Dei. Eccle. 38. *Altissimus de terra creavit medicinam,* id est, de carne Virginis, & vir prudens non ab- horrebit eam. Ambros. *Corpus Christi medicina spiritualis est, quæ cum reverentia degustata sibi de- votos purifcat.*

Ad cognoscendum necessitatis medicinæ cor- poris Christi rationem, sciendum, quod serpens malignus infudit homini per venenum cibi ve- terti triplicem corruptionem: in anima scilicet tenebras ignorantiae, in carne morbum præua concupiscentiae, & mortem vtrōbique. Contra hoc est institutum corporis Christi medicamen- tum, tenebras ignorantiae illustrans, morbum concupiscentiae sanans, & mortem nostram mor- tificans.

Propter hæc tria potest comparari triplici dulci cibo & medicinali, scilicet, 1. melli, propter primum, 2. ficui, propter secundum, 3. & fructui vita, propter tertium. De primo Pro. 24. *Comede fili mel: quoniam bonum est.* Mel corpus Christi dulce signat. Hoc bonum est: quia tenebras mentis nostræ illuminat. 1. Reg. 14. *Vidisti quia illuminati sunt oculi mei, eo quod gustauerim paul- lum de melle.* Isaiæ 7. *Butyrum & mel manducabit omnis qui relictus fuerit, vt scilicet sciat reprobare malum & eligere bonum.* Psal. 26. *Dominus illumi- natio mea & salus mea.* Item, *Accedite ad eum, & illuminamini.* De secundo Ierem. 24. *Video ficus, ficus bonos, bonos valde.* Ficus bis dictæ, dulce cor- pus Christi, Dei, & hominis signant. Hæ bis bo- nae sunt valde, quia mentem & carnem à morbo præua concupiscentiae sanant. 4. Reg. 20. *Isaias iussit afferri massam ficorum, quam cum posuisset super vlcus regis, curatus est.* Vlcus regis con- cupiscentia est carnalis, massa ficorum corpus Christi continens dulcedinem multorum bo- norum ad medicinam malorum desideriorum. De tertio Lucæ 1. *Benedictus fructus ventris tui,* corpus scilicet Christi, quod est fructus vita, valens

valens ad destructionem mortis gehennæ & acquisitionem vitaë eternæ. Prou. 3. *Lignum vita est his qui apprehendunt eam, scilicet sapientiam Dei incarnatam.* Hinc dicitur Osee 13. *Ego mors tua ô mors.* Ioan. 6. *Ego sum panis vita, qui de cælo descendit. Siquis manducauerit ex hoc pane, vivet in eternum: & panis quem ego dabo, caro mea est pro mundi uita.* Qui manducat meam carnem, & bibit meum sanguinem, in me manet, & ego in illo: & qui manducat me, vivet propter me. Hilarius. *Accepta carne Domini & hausto sanguine, id efficitur, ut nos in ipso, & ipse in nobis sit.* Hæc est ergo causa vitaë nostræ, quod in nobis carnalibus per carnem Christum, qui vera vita est, manentem habemus, victuri per eum ea conditione, qua viuit ipse per Patrem, qui in eo est. A men.



## DE PRIMA CAVSA INSTITUTIONIS, Scilicet, de memoria Domini, & præparatione ad iudicium.

### S E R M O I I .

*Venite, comedite panem meum, & bibite vinum quod miscui vobis, &c.* Prouerb. 9.



Is verbis Dominus nos induitat ad salutare conuiuium, in quo præparauit pretiosum cibum & potum, corpus & sanguinem suum. *Causam tuam traxi, &c.* vt in primo sermone. Prima causa institutionis sacramenti Domini corporis est memoria Saluatoris, vt sicut per amorem iniquitatis à Domino recessimus, sic per memoriale pietatis redeamus. Circa memoriam Saluatoris tria possunt inquiri.

I. *Quid mali sequatur si fuerit relicta?*

II. *De quibus sit habenda?*

III. *Ad quid valeat habita?*

Primo queritur, Quid mali sequatur si memoria Domini fuerit relicta? Et dicendum, quod triplex, scilicet, 1. amissio diuinæ gratiæ, 2. subiectio potestati diabolicæ, 3. magna deformitas culpæ. De primo Deut. 32. *Deum qui te genuit dereliquisti & oblitus es, & ait: Abscondam faciem meam Dei creatoris tui, ab eis, id est, subtraham gratiam: vbi autem fons perit, riuus atescit.* Isa. 17. *Eris deserta: quia oblitera es Dei saluatoris tui.* Eccl. 10. *Gratia fatuorum effundetur.* De secundo 1. Reg. 12. *Obliti sunt Domini Dei sui, & tradidit eos in manu Sisare, id est, in potestate diaboli.* Tob. 6. *Qui coniugia ita suscipiunt, ut*

*Deum à se & à sua mente excludant, in hos habeb potestatem damonium.* De tertio Rom. 1. *Sicut non probauerunt, id est, noluerunt, Deum habere in notitia, tradidit illos in reprobum sensum, ut faciant ea que non conueniunt.* Et heu hoc sæpe fit usque ad mortem. Psal. 9. *Non est Deus in conspectu eius, inquinata sunt via illius in omni tempore.* Iocel. 1. *Computruerunt iumenta in stercore suo, id est, in luxuria & in aliis vitiis finiunt.*

Secundo queritur, De quibus memoria Domini sit habeenda: Et dicendum de tribus. 1. De præterito, 2. de præsenti, & 3. de futuro. 1. De præterito, ut nostri Redemptoris qui per nimiam charitatem à morte mala, morte sua nos liberauit. 2. De præsenti, ut omnium inspectoris qui per occultam præsentiam omnia nostra semper cernit. 3. De futuro, ut iusti iudicis qui per omnipotentiam suam omne prauum incorrectum districte iudicabit.

De primo Thren. 3. *Recordare paupertatis meæ & transgressionis, id est, maximæ humiliationis, absynthii & fellis, id est, amaræ passionis.* Ezech. 9. *Signa thau super frontes virorum gementium & dolentium super cunctis abominationibus, que sunt in ciuitate hac.* Thau figuram crucis, id est, Passio-nis Domini, quæ semper est bonis in mente ferenda, signat.

De secundo Psal. 99. *Scitote quoniam Dominus ipse est Deus.* Q. d. Mementote quia Dominus est Deus, omnia implens, ubique præsens, omnia videns. Hinc ait: *Prouidebam Dominum in conspectu meo semper.* Eccl. 39. *Opera omnis carnis coram Domino: & non est quicquam absconditum ab oculis eius.* Cant. 1. *En ipse stat post parietem nostrum, id est, induitus parietem carnis nostræ, propiciens per cancellos:* quia licet intus degens, occultus à nobis videri non possit, tamen omnia nostra respicit.

De tertio Ilaiae 30. *Ecce nomen Domini venit de longinquæ, ardens furor eius, & grauis ad portandum.* Ecce venit, id est, attendite, quia cito veniet ad districtum iudicium. Mar. 13. *Vigilate: quia nescitis qua hora Dominus vester venturus sit.* Apoc. 20. *Vidi thronum magnum candidum, & sedentem super eum, id est, semper ante oculos mentis habui Dominum ut cito venientem ad districtum iudicium, à cuius conspectu fugit terra & celum, &c. & vidit mortuos, id est, peccatores, pu-sillo & magnos stantes in conspectu throni.* Et libri aperti sunt, & indicati sunt mortui ex his que scrip-ta erant in libris secundum opera eorum. Ideo siue comedam siue bibo, siue aliquid, &c. De omnibus tribus simul Psalm. 110. *Memoriam fecit mirabilium suorum misericors & miserator Dominus: escam dedit timentibus se.* Dominus dedit nobis escam, scilicet, seipsum, ad memoriam mirabilium: præteriorum, quod nos redemit: præsen-tium, quod omnia nostra respicit: futurorum, quod districte tandem iudicabit.

Tertio queritur, Ad quid valeat habita memo-ria Saluatoris. Et dicendum ad tria. Primæ enim rei memoria, scilicet, Dominicæ Passionis valet ad cor nostrum amore Christi inflammandum: secundæ rei, scilicet, eius continua inspectionis valet ad nos à peccato custodiendum. Tertiæ rei memoria, scilicet, districti iudicis valet ad excitandum nos ut præparemur contra futurum iudicium. Primum facit nos bonum diligere, se-cundum


cundum malum odire, tertium periculum immens precauere.

De primo Lucæ 12. *Ignem veni mittere in terram, &c.* id est, causam amoris misit Dominus in mundum beneficio Passionis, quæ si pie recognita fuerit, amore magno cor accedit. Psalm. 38. *Concaluit cor meum intra me, &c.* Bern. Super omnia te reddit amabilem, mi Iesu bone, calix quem bibisti, opus redēptionis nostræ. Idem. *Quanto pro me Dominus factus est vilior, tanto mihi factus est charior.* De secundo Proph. 8. *Timor Domini odit malum.* Timor, inquam, quo mens semper Deum præsentem & omnia videntem attendit, à peccato custodit. Hinc etiam dicitur Eccl. 33. *Omnis homo dicens: Quis me videt? tenebrae circundant me: non intelligit quoniam omnia videt oculus Domini, & expellit à se timorem Dei.* Ezech. 8. *Certe vidisti Fili hominis quæ seniores domus Israël faciunt in tenebris: dicunt enim, Non videt nos Dominus.* Glossa. Si Dominum præsentem & omnia videntem & vindicantem semper cogitaremus, aut vix, aut nunquam peccaremus. Boëtius. *Magna nobis indicta est necessitas bene vivendi, cum agamus omnia ante oculos iudicis cuncta cernenis.* De tertio Exod. 19. *Vade ad populum, sacrificia illos hodie & cras, & sint parati in diem tertium: die enim tertio descendet Dominus coram omni plebe.* Quasi diceret: Mementote quia Dominus terribiliter descendet ad districtum iudicium: & ideo estote parati in diem tertium. Primus dies est nostræ nativitatis, secundus nostræ conuersationis, tertius dies mortis vel aduentus districti iudicis. Luc. 12. *Estote parati: quia qua hora non putatis, Filius hominis veniet.*

In præparatione contra iudicium Domini debent tria notari, scilicet, modus, prouidentia, lucrum. Modus præparationis est pœnitentiam de peccatis agere, prouidentia præparatorum pœnam euadere, lucrum tandem preparatis vitam æternam possidere. De primo Eccl. 18. *Ante iudicium para institutionem, tibi scilicet, pœnitentiam agendo.* Matth. 3. *Pœnitentiam agite, appropinquabit enim regnum celorum, id est, regni cœlestis iustum iudicium.* Ioh. 2. *Magnus dies Domini & terribilis valde, quis sustinebit eum?* Nunc ego dicit Dominus: *Convertemini ad me in toto corde vestro.* Quasi diceret: Præparate vos ad diem Domini, pœnitentiam agendo. De secundo Apoc. 18. *Exite de illa populus meus, & ne participes suis delictorum eius, & de plagiis eius non accipiatis.* Exite de Babylone, &c. id est, præparate vos ad iudicium, pœnitentiam agendo, & peccata mundi non faciendo, & per tales prouidentiam euadetis eius pœnam. Luc. 12. *Si sciret pater familiæ qua hora fur veniret, vigilaret utique, & non sineret perfodi dominum suum.* Glossa. Nesciente patre familiæ, domum fur perfodit: quia dum à sui custodia spiritus dormit, improvisa mors carnis habitaculum irrumpit, & animam ad supplicia trahit. Furi autem resisteret, si vigilaret: quia aduentum iudicis occulte venientem præcauens, iudici pœnitendo occurreret, & sic utique dormientium, id est, non præparatorum pœnam euaderet. De tertio Matth. 25. *Cum fatuæ virgines irent emere, venit sponsus, &c.* Cum fatuæ animæ non paratæ irent emere ad forum diaboli cum Eva, vel cum Dina, ubi pro modica re dant multa

bona, quæ præparatæ erant, intrauerunt cum sponso ad nuptias.

Ecce triplex lucrum præparationis ad iudicium, scilicet, possesso cœlestis regni, societas amabilis sponsi, deliciae totius boni. Primum notatur ibi, *intrauerunt.* Secundum ibi, *cum eo.* Tertium ibi, *ad nuptias.* De primo Matth. 25. *Venite benedicti, possidete paratum vobis regnum à constitutione mundi.* De secundo 1. Thessal. 4. *Semper cum Domino erimus: sine quo nulli bene, & cum quo nulli male esse poterit.* Ioan. 17. *Pater quos dedisti mihi, volo ut ego sum, & illi sint mecum, & videant claritatem meam, quam dedisti mihi.* De tertio Iohannæ 66. *Gaudere cum ea gaudio uiuenter qui lugitis cum ea, id est, cum bonorum omnium pacifica, & iucunda societate, ut repleamini ab uberibus consolationis eius, & deliciis affluatis ab omnimoda gloria eius.* Amen.



## DE SECUNDA CAVSA INSTITUTIONIS,

Scilicet, de sacrificio altaris.

### S E R M O III.

*Venite, comedite panem meum, &c. Causam tuam, &c. Placebit Domino sacrificium Iuda & Ierusalem, quasi regis & militiae, id est, Christi & Ecclesiae.* Mal. 3.



E CVNDA causa institutionis sacramenti Dominicæ corporis est sacrificium altaris, ut haberet Ecclesia ad cultum diuinum munus offerre Deo super omnia sacrificia pretiosum & acceptum. Circa sacrificium altaris tria possunt notari, scilicet,

- I. *Forma offerendi,*
- II. *Questio de sacrificio legali,*
- III. *Et excellentia nostri sacrificij.*

De duabus primis potest hic dici, & de tertio in sequenti.

Primo est notanda forma sacrificij, & hæc est triplex. Prima in oblationum veterum præfiguratione, secunda in humanæ formæ veritate, tertia in panis & vini specie. Prima est synagogæ commodata sub lege, secunda charitatis diuinæ oblata in cruce, tertia fidelis animæ consecrata in mensa Ecclesiæ. Prima data est in signum, secunda in pretium, tertia in solatium.

De primo Leu. 4. *Si omnis turba Israël per ignorantiam peccauerit, offerat pro peccato suo victimam, id est, Christum, dicit Glossa.* Hoc autem non erat in persona, sed in figura. Similiter Exod. 12.

Agnus

Agnus immaculatus quem occidebant in Pascha, & cuius carnes edebant, figura Christi erat, vt dicit Gregorius. De secunda forma Isa. 53. *Sicut ovis ad occasionem ducuntur, vulneratus est propter iniquitates nostras, oblatus est quia ipse voluit.* Hoc vere secundum formam humanam in cruce. Hebr. 10. *Sanctificati sumus per oblationem corporis Iesu Christi semel,* scilicet, in cruce. De III. Psal. 109. *Tu es Sacerdos secundum ordinem Melchisedech.* Gen. 14. *Obtulit panem & vinum.* Sic Christus dat corpus & sanguinem suum in sacrificio Ecclesiæ sub panis & vini specie. Matth. 26. *Accipit Iesus panem, & benedixit, & ait: Hoc est corpus meum. Et accipiens calicem, id est, vas cum vino, gratias egit, dicens: Hic est sanguis meus.*

Secundo notanda est quæstio de sacrificio legali, in qua fiunt. Primo contra insufficientiam quæ imponitur sacrificiis legalibus, opponitur. Secundo contrarietas soluitur. Tertio causa sacrificij illius assignatur.

Primo contra insufficientiam quæ imponitur legalibus sacrificiis, scilicet, quod Deo non placuerunt, & quod peccata non abstulerunt, vt probatum est supra in primo sermone secundum illud Ierem. 6. *Holocaustomata vestra non sunt accepta, & victimæ vestre non placuerunt mibi:* & contraria similia sic opponitur Leu. 4. *Si peccauerit anima de populo terræ, offerat capram immaculatam, & adolebit eam Sacerdos super altare, in odorem suavitatis Domino, & dimittetur ei.* Ergo videatur, quod vetus sacrificium placuit Deo, & quod propter hoc peccata dimisit. Heb. 9. *Omnia pene in sanguine secundum legem mundantur, id est, per sanguinem animalium sacrificatorum remittuntur peccata delinquentium.* Ergo vt prius illa sacrificia Deo placuerunt, & peccata dimiseruntur.

Secundum horum contrarietas sic potest resolvi, In sacrificando tria semper fuerunt, scilicet, 1. ipsum sacrificium, 2. personæ offerentium, 3. remissio peccatorum. Sed in singulis istorum duo attendebantur. 1. In sacrificio, caro vel sanguis animalis offerebatur. Et præterea aliud multo melius, scilicet, res spiritualis quæ ibi figurabatur, vt in agno vel vitulo Christus, in capro penitentia, in boue vita robusta & actiua, in aue sublimis & contemplativa, & sic de cæteris. 2. Item personæ offerentium duæ fuerunt species, quia aliae dignæ, aliae indignæ. Indigni erant, qui illa sacrificia carnaliter tantum attendebant. Digni vero qui ea spiritualiter intendebant, & intelligebant, & in eis Christum præfiguratum vel explicite vel implicite credebant: & secundum spiritualem illorum intellectum, vitam suam regebant. 3. Item ibi erat remissio peccatorum, & hoc quantum ad duo, scilicet, quantum ad pœnam, id est, quantum ad quandam legis irregularitatem: vel quantum ad culpam, id est, conscientiæ maculam.

His visis, facile soluuntur quæ de sacrificiis in Scripturis sacris contraria dici videntur.

**SOLVITIO.** Reuera enim illa sacrificia, secundum se, scilicet, opera operata, id est, carnes & sanguis hircorum, non placebant Deo: nec propterea remisit peccatum, quantum ad culpam, id est, conscientiæ maculam: sed tamen apud homines remissa reputabantur, quantum ad quan-


dam legis pœnam, vnde cum Heb. 10. Apostolus dicit: *Impossibile est sanguine hircorum auferri peccata. Et omnia pene in sanguine mundantur secundum legem.* Primum intelligendum est, quantum ad animæ culpam, secundum quantum ad carnis pœnam, vnde Heb. 9. *Sanguis hircorum, & taurorum, & cini vitula aspersus inquinatos sanctificat ad emundationem carnis.* Glossa: Sanctificat, id est, à peccato mundat, id est, à pœna legis, ad emundationem valens non animæ sed carnis. Veruntamen istorum sacrificia non secundum se, vt dictum est, sed propter fidem Salvatoris quem in illis venturum, & pro redēptione mundi passurum credebant, Deo placebant, & eis remissionem peccatorum, & quantum ad pœnam supradictam legis, & quantum ad culpam animæ, tribuebant. Gal. 2. *Ex operibus legis non iustificabitur homo nisi per fidem Iesu Christi.* Heb. 11. *Fide plurimam hostiam Abel quam Cain obtulit Deo.* Plurimam, id est, acceptabiliorem & plus sibi valentem: intellexit enim & credidit in agno quem Deo obtulit, hostiam meliorē, id est, Salvatorem, quod non Cain & cæteri indigni. Genef. 4. *Respexit Dominus ad Abel, &c.*

Tertia causa institutionis legalium sacrificiorum assignanda. Cum enim à Deo instituta sint, qui sine causa nihil facit, & tamen, vt supra probatum est in primo sermone, mutanda erant: quæri potest causa institutionis eorum. Ad hoc breuiter dicendum, quod licet per se non valuebant ad remissionem culpæ, tamen multum utilia fuerunt ad doctrinam sapientiæ. Data sunt quippe seruis ad tempus tanquam signa rerum meliorum, & quasi parvulis tanquam characteres librorum, in quorum proprietatibus & modulis offerendi, proficerent in disciplina veræ fidei, vt adepta vera scientia proflerentur, elementa, & collata veritate cessarent umbras & signa. Deut. 11. *Ponite verba mea in cordibus vestris, & suspendite ea pro signo in manibus, & scribite ea in postibus & ianuis, scilicet, sacrificia, ut oues, boues, & huiusmodi, quasi literas parvorum.*

In quibus multa bona sunt discenda, & sunt præcipue trias, 1. Fides Salvatoris, 2. forma de moribus, 3. spes de cœlestibus. Primum poterant discere in sacrificiis ouium, secundum in sacrificiis taurorum, tertium in sacrificiis animalium extra castra combustorum. De I. Isa. 53. *Sicut ovis ad occasionem ducetur, & luore eius sanati sumus.* Cum ergo ovis offerebatur, poterant de vera fide tria discere, scilicet, Salvatoris innocentiam, in passione eius mansuetudinem, humani generis per mortem Christi redēptionem. De I I. Dan. 3. *In Spiritu humilitatis & in animo contrito suscipiamur, sicut in holocausto arietum & taurorum.* Cum ergo cornuta animalia in holocaustum, id est, per ardorem ignis in cinerem redigenda offerebantur: poterant de bonis moribus discere, scilicet, 1. vt de moribus & virtutis virtute resisterent, 2. Dei & proximi amore arderent, 3. cordis & corporis humilitatem in omnibus conseruarent. De III. Leui. 4. Heb. 13. *Quorum animalium inferrur sanguis pro peccato in sancta sanctorum per pontificem: horum corpora cremantur extra castra.* Sanguis animalium significat animas iustorum.

Cum hæc siebant, poterant tria discere de spe cœlestis gloriæ obtinendæ, 1. quæ sunt pœnitentia viuentium, 2. Saluatoris officium, 3. beatorum suffragium. Primum discimus in eo quod corpora illa extra castra cremabantur, quia ibi corpora cremari est fideles extra delicias & voluntates seculi pœnitentiam agere. Secundum discimus in eo quod sanguis illorum per ponticem inferebatur in sancta sanctorum, quia hoc est iustorum post hanc vitam beneficio Christi assumi in cœlum. Tertium discimus in eo quod sanguis per pontificem in sancta delatus, valuit ad redemptionem peccatorum hominum viuorum: quia hoc est animas beatorum, iam per Christum in cœlo subleuatas, intercedere pro peccatis exulum adhuc in mundo relictorum.

De primo 2. Timoth. 2. *Fidelis sermo, nam si commortui sumus, scilicet, agendo pœnitentiam, & coniuemus, recipiendo vitam æternam: si sustinebimus, & conregnabimus.* Rom. 8. *Non sunt condigne passiones huius temporis ad futuram gloriam quæ reuelabitur in nobis.* Ecce quod pœnitentiam agere, mala in hoc mundo sustinere, valet ad spem obtainenda cœlestis gloriæ. De secundo Ioan. 14. *Iterum venio, & accipiam vos ad meipsum.* Ecce quod diuinæ pietatis officium valet ad spem cœlestium. Cantic. 5. dicunt beati: *Quo abiit dilectus tunc, o pulcherrima mulierum?* respondens Beata Virgo. 6. *Dilectus meus descendit in hortum suum, ad aureolam, ut pascatur in hortis & lilia colligat,* id est, castas animas de mundo assumat, & ad cœlestia perducat. De tertio Osee 2. *Ego exaudiam cœlos, & illi exaudient terram,* id est, Sanctorum precibus qui sunt in cœlis, saluantur habitantes in terris. Ecce quod orationes beatorum valent ad spem cœlestium. Apoc. 8. *Ascendit fumus incensorum, de orationibus Sanctorum, de manu Angeli coram Deo.* Quia scilicet Sancti offerunt orationes pro nobis Christo, & Christus Patri suo, ut peccatorum remissionem recipiamus, & ad eorum beatam perueniamus societatem. Amen.



## DE TERTIO

CIRCA SACRIFICIVM,  
scilicet, de sacrificij nostri  
excellentia.

## SERMO IV.

*Venite, comedite panem meum.**Et, Causam tuam, &c. vt in  
primo sermone.*

**D**ICTO iam supra de duobus circa altaris sacrificium notandis, hic de tertio est dicendum. Tertio ergo notanda est nostri sacrificij, scilicet corporis Christi excellentia, qua præcellit omnia legis sacrificia triplici ratione, scilicet,

- I. Honestatis.
- II. Dignitatis.
- III. Et virtutis.

Ratione honestatis quoad seculum, dignitatis quoad Deum, virtutis quoad suæ bonitatis effectum.

I. Excellit sacrificium nostrum cætera ratione honestatis. Quod probatur à tribus: ab exteriori specie, à virginali origine, à spirituali dulcedine. Primo probatur honestas huiusmodi ab exteriori specie, quia sub nulla alia qualitate cibi posset tam monde, tam pulchre, tam honeste ministrari, sicut sub specie panis & vini: non enim sequuntur hæc inconuenientia multæ, quæ sequebantur illa cruenta legis sacrificia. Prou. 17. *Melior est bucella sicca cum gaudio, quam domus plena victimis cum iurgio.* Buccella sicca est sacrificium nostrum sub munda specie panis & honesta. Zach. 9. *Quid bonum & quid pulchrum eius nisi frumentum electorum, & vinum germinans virginem?*

Secundo probatur honestas eius à virginali origine: multum enim commendat eius honestatem, quod à nulla corruptione, sed à virginali flore sumpsit originem. Eccles. 24. *Flores mei fructus honoris, & honestatis,* quasi flores pudicitiae meæ & virginitatis versi sunt in fructum nobilissimæ & honestissimæ prolis ex virginitate matris. Cant. 3. *Egredimini & videte filia Sion regem Salomonem in diadema, quo coronauit eum mater sua.* Glossa, Egredimini ab ignorantia infidelitatis, & videte Regem Christum in diadema, id est, in carne, quo coronauit eum mater sua, scilicet Maria, id est, honestauit in hoc, quod est virgo non deturpans, ut aliæ mulieres, sorde originalis peccati.

Tertio probatur honestas sacrificij nostri, à spirituali dulcedine, qua cunctos Christianos trahit ad se: ut enim dicit Tullius: *Honestum est, quod sua vi nos ad se trahit & allicit,* ut scilicet res virtuosa, maxime vero talis quæ abundat dulcedine pietatis, & talis res est sacrificium Dominici corporis. Eccles. 49. *Memoria Iosie in compositione odoris facta opus pigmentary.* Memoria Iosie est memoriale Saluatoris, vel sacrificium altaris. Hoc factum est opere Spiritus sancti, ex pretiosis speciebus diuinitatis & humanitatis suæ, ut suauissimæ honestatis & pietatis odore ad se trahat fideles Ecclesiæ. Cant. 1. *Oleum effusum nomen tuum, ideo adolescentula dilexerunt te.* *Trahe me post te, cherremus in odorem unguentorum tuorum.* Hinc omnes qui vere credunt, ob spem gratiæ & deuotionis ad hoc sacrificium videntur & orandum, ad Ecclesiam frequenter & ferventer accurrunt.

II. Excellit sacrificium nostrum cætera ratione dignitatis. Quod probatur à tribus pretiosissimis rebus, ex quibus consistit, scilicet, 1. ex carne Christi mundissima, 2. anima iustissima, 3. deitate altissima. Hæc tria in agno paschali figurata sunt, in nostro sacrificio vere futura. Exod. 12. *Caput agni cum pedibus eius & intestinis vorabitis.* Caput agni significat Christi diuinitatem, intestina animam, pedes carnem. Sapient. 8. *Puer eram ingeniosus, id est, Filius Dei sapientia plenus: & possedi animam bonam, id est, veni ad corpus incoquatum.*

Ecce

Ecce in Christo Deus, anima, & corpus. Propter hæc tria dicimus: *Aue salus mundi, Verbum Patris, hostia vera, viua caro, deitas integra, verus homo, ex carne scilicet & anima.*


Propter tantæ dignitatis excellentiam habet sacrificium nostrum triplicem præ cæteris prærogatiuam. 1. Deo secundum se est acceptum, 2. Angelis reuerendum, 3. hominibus adorandum. Primum est propter animam iustum, secundum propter carnem mundam, tertium propter deitatem summam. De primo Mal. 3. *Placebit Domino sacrificium Iuda, id est, Christi iusti Regis, de quo Iuda Rex meus, Et ecce Rex tuus venit tibi iustus & Saluator.* Sacrificium ergo Iuda Domino placet: quia corpus Christi oblatum Deus Pater approbat, in quo scilicet se maxime humiliauit usque ad mortem, Patri obediendo, & de diabolo triumphando, & genus humanum redimendo. Eccl. 35. *Sacrificium iusti acceptum est, & odor suavitatis in conspectu Altissimi.* De secundo Matth. 24. *Vbicunque fuerit corpus, ibi congregabuntur & aquile, id est, sancti Angeli.* Leo Papa. *Circa corpus Domini aquile sunt qua spiritualibus alis circumvolant, verum sancti Angeli spiritus mundi munditiam amantes, mundum corpus Domini venerantes, & presentes fideles protegentes.* Gregor. *Quis fidelium dubium habere possit in ipsa immolationis hora calos aperiri, in illo Christi mysterio Angelorum adesse choros, summa & im sociari?* De tertio Psal. 98. *Adorate scabellum pedum eius: quoniam sanctum est.* Isa. 66. dicitur terra scabellum Dei & signat carnem Christi, quæ originaliter de terra est. Hæc est nobis adoranda, quia sancta, quia Deo vnta. Augustinus. *Sciendum quia in Christo terra est, id est, caro que sine impietate adoratur, quia à verbo Dei assumpia: qui enim adorat, non terram intuetur, sed illum potius cuius scabellum est, propter quem adorat.* Item Augustinus. Dicunt hæretici, Quid est quod carnem eius quam creaturam esse non negas, similiiter cum diuinitate adoras, & ei non minus quam diuinitati deseruis? Respondco, Dominicam carnem imo perfectam in Christo humanitatem, ideo adoro, quia à diuinitate suscepta, & diuinitati in unitate personæ est vnta. Si hominem separaueris à Deo, illi nec credo, nec seruo, velut si quis purpuram vel diadema regis per se iacens inueniat, nunquid ea adorabit? cum ea vero Rex fuerit indutus, periculum mortis incurrit, si ea cum Rege quis adorare contempserit. Sic etiam in Christo Domino humanitatem non solam vel nudam, sed diuinitati vnitam, scilicet, unum Filium Dei, verum Deum & verum hominem, si quis adorare contemplerit, æternaliter morietur. Alex. Papa. *Nihil in sacrificiis maius esse potest, quam corpus & sanguis Christi: & sicut hæc oblatio potior est cæteris, ita potius excoli & venerari debet.* Quia ergo inestimabiliter melior est cæteris, quia Deo vnta, maxime debet adorari, & docendi sunt paruuli Christianorum eam reuerenter adorare.

Tertio excellit sacrificium nostrum cætera ratione virtutis, id est, per effectum sue bonitatis. Habet enim triplicem bonum actum in triplici statu fideliū, scilicet, 1. in hoc mundo, 2. in purgatorio, 3. in cælo. In primo statu peccata quotidiana relaxat, in secundo penitentia grauem alleuiat,

D. Alberti Magni Serm.

in tertio gaudium magnum generat. Hinc est, quod triplices missæ celebrari solent, scilicet, pro salute viuorum, pro requie defunctorum, & pro gloria beatorum. Hinc est etiam, quod hostia sacra Sacerdotis in tres partes frangitur, ut virtus sacrificij corporis Domini in praedicto triplici statu fidelium valere demonstretur. De primo Leu. 5. *Anima qua peccauerit per ignorantiam, offerat arietem immaculatum, id est, Christum, dicit Glossa.* Hinc canit Ecclesia, *Agnus Dei qui tollit peccata mundi.* Gregorius. *Dominus dedit nobis sacramentum salutis, ut quia quotidie peccamus, & ille iam pro nobis mori non potest, per hoc sacramentum remissionem consequamur.* De secundo Leu. 17. *Dedi vobis sanguinem, ut super altare in eo expietis pro animabus vestris, & sanguis pro anima piaculo sit.* Et ideo caro & sanguis Christi, recte ab Ecclesia pro animabus defunctorum offeruntur, ut à pena purgatoriū qua pro residuo penitentiae suæ ligati sunt, absoluantur. August. *Orationibus & elemosynis sanctæ Ecclesie, & sacrificio salutari, non est dubium defunctorum animas releuari, ut cum eis misericordius agatur à Domino, quam eorum peccata meruerunt in hoc mundo.* De tertio Leu. 10. *Pectusculum quoque quod oblatum est, edetis in loco mundissimo tu & filii tui, ac filia tecum.* Pectusculum quod scilicet optimum & dulcissimum est animalium, signat dulcedinem corporis Christi, in quantum comeditur in loco mundissimo, id est, in quantum delectat beatos in eo quod plurimum gaudent & congratulantur in hoc sacrificio de memoria sue redemptiois, de aspectu nostræ salutis, de admiratione diuinæ bonitatis. Vel certe pectusculum comeditur in loco mundissimo, quia dulcedine corporis Domini qua hic pascimur in velamine & sacramento, cafruuntur beati visione manifesta in cælo. Apocal. 2. *Vincenti dabo manna absconditum.* Infra dicit Glossa, *meipsum qui sum panis viuus, qui de cælo descendit.* Quod manna etiæ nunc manet absconditum, tunc erit manifestum, habens omnis saporis delectamentum, hinc dicit Complenda, Perficiant in nobis Domine sacramenta, quod continent: ut quæ nunc specie gerimus, rerum veritate capiamus, id est, corpore Christi, manifesta visione videamus, vel perfruamur secundum illud: *Qui diligit me, diligetur à Patre meo, & ego diligam eum, & manifestabo ei meipsum.* Et in illa Domini visione erit nobis omnis boni plena fruitio. Psalm. 15. *Adimplebis me letitia cum vultu tuo, & satiabor, cum apparuerit gloria tua.*

Amen.



DE TERTIA CAVSA  
INSTITUTIONIS,


Vt sit cibus hominis, ratione  
diuinæ liberalitatis.

S E R M O V.

*Venite, comedite panem meum.*

*Et, Causam tuam, Eccl.*

*Caro mea vere est cibus. Ioan. 6.*



D est, caro Dei Verbum incarnatum, vere est cibus hominis. Tertia causa institutionis sacramenti Dominic corporis est cibus hominis: vt non solum habeamus in hoc memoriam Salvatoris, & sacrificium altaris (de quibus dictum est) sed etiam ad cibum hominis totius valens, scilicet, animæ & corporis. Circa hoc quod Dominus dat corpus suum in cibum homini, potest triplex sapientia Dei ratio assignari, scilicet,

- I. Diuinæ liberalitatis magnitudo,
- II. Humana naturæ corruptio,
- III. Et eiusdem naturæ conditio.

De prima ratione potest hic dici, & de aliis in sequenti. Prima ratio sapientia Dei qua dat homini corpus suum in cibum, est diuinæ liberalitatis magnitudo. Cum enim summe bonus sit, summa eum liberalitas decebat: sed nulla hac maior esse potest, ut iam probabitur: ergo hanc eum habere oportebat. Probatur autem liberalitas diuinæ bonitatis maxima esse in hoc facto quantum ad tria: primo quantum ad magnificientiam doni, secundo quantum ad nobilitatem dantis, tertio quantum ad utilitatem accipientis.

I. Probatur in hoc facto maxima liberalitas Dei, quantum ad magnificentiam doni. Quia largitor omnium bonorum in hoc sacramento dat seipsum, & hoc largissime: quia proprium corpus in cibum, secundum quod dicit: *Accipite, & comedite, Hoc est corpus meum.* Hic autem summus & supereffluētissimus gradus est diuinæ largitatis quantum ad donum. Hinc gradus quidam proponi possunt diuinæ liberalitatis, quibus largitus est homini bona sua, & sic patebit, quod iste sit summus.

Primus gradus liberalitatis Dei, quod largitus est homini cælum & terram & omnes irrationalles creature ad seruendum. Eccl. 17. *Deus de terra creavit hominem, & dedit illi potestatem corrum que sunt super terram.* Gen. 1. *Faciamus hominem ad imaginem & similitudinem nostram, & præst uti uersa creatura.* Hinc cælum & terra & omnia que in eis sunt, seruiunt homini. Deut. 4. *Solem & lunam & omnia astra cæli creavit Dominus Deus in ministerium cunctis gentibus.* Matth. 5.

*Deus solem suum facit oriri super bonos & malos, & pluit super iustos & iniustos.* Act. 14. *Et quidem Deus non sine testimonio semetipsum reliquit bene faciens de celo, dans pluvias & tempora fructifera, implens cibo & letitia corda nostra.* Non sine testimonio se reliquit benefaciens, id est, per beneficia & creature se Deum & liberalem testatus est. Psal. 8. *Quid est homo quod memor es eius? & constitueris eum super opera manuum tuarum.*

Secundus gradus, quod largitus est homini illas nobilissimas creature rationabiles supercælestes, id est, sanctos Angelos administrandum. Heb. 1. *Omnes sunt administratori spiritus, in mundum missi propter eos qui hereditatem capiunt salutis.* Matth. 18. *Angeli eorum semper vident faciem Patris.* Angeli dicuntur parvulorum: quia unicus à nativitate datus est Angelus ad ministerium. Hinc leguntur hominibus saepe obscuria impendisse, & faciunt adhuc quotidie peccatores conuertendo, multos à malis defendendo, iustos ad cælos deducendo. Exod. 22. *Ecce mittio Angelum meum qui precedat te, & custodiat in via, & introducat ad locum quem paraui.* Praecedet te, lumen virtutum ostendendo: custodiet in via, in igne purgatorij defendendo: & introducit te, ad sedem regni cælestis perducendo.

Tertius gradus, quod largitus est Deus homini seipsum. Luca 1. *Benedictus Dominus Deus Israël, quia visitauit & fecit redemptionem plebis sua.* Insurandum quod iurauit ad Abraham patrem nostrum, daturum se nobis. Et dedit seipsum multis modis, primo in socium nostræ peregrinationis. Baruch. 3. *Hic est Dominus Deus noster qui adiunxit omnem viam discipline, & tradidit illam Iacob puer suo, & Israël dilecto suo.* Post hac in terris visus est, & cum hominibus conuersatus est. Quasi diceret: Quia Deus fecerat homini viam peregrinationis, dans mandata bona conuersationis: ne via homini videretur grauis, factus est Deus homo, & per hoc socius viæ & peregrinationis. Luc. 8. *Iter faciebat Iesus per ciuitates & castella, prædicans & euangelizans regnum Dei, & duodecim cum illo, & mulieres que erant curata à spiritibus immundis & infirmitatibus, & Maria Magdalena, & Ioanna, & Susanna, & aliae multæ, & turba multa conuenit ad eum.* Et vere bonus dedit se in bonum socium, quia socios viæ lassos verbis optimis confortauit, periclitantes liberauit, infirmos curauit, mortuos suscitauit.

Quartus gradus, quod dedit se in seruum nostræ necessitatis. Phil. 2. *Christus exinanivit semetipsum, formam serui accipiens.* Hinc sitientem portauit, esurientem pauit, pedes Discipulorum lauit. Matth. 20. *Filius hominis non venit ministrari, sed ministrare.* Luc. 22. *Ego in medio vestrum sum, sicut qui ministrat.*

Quintus gradus est, quod dedit se in pretium nostræ redemptionis. Ephes. 5. *Christus dilexit nos, & tradidit semetipsum pro nobis, hostiam & oblationem Deo, in odorem suavitatis.* Matth. 20. *Filius hominis venit animam suam dare, redemptionem pro multis.*

Sextus gradus, & summus liberalitatis Domini est, quod dat homini corpus suum in cibis. Osee 11. *Ego quasi nutritius Ephraim, & declinavi ad eum, ut vesceretur.* Ioan. 6. *Panis quem ego dabo, caro mea est pro mundi vita.* Greg. *Bonus pastor, Dominus animam suam pro omnibus posuit, ut in sacramento nostra*

*nostro, corpus suum & sanguinem verteret, & oves quas redemerat, carnis sua alimento satiaret.* Et in hoc est expressio summæ largitatis, & præcipui amoris: magnum enim est, dare se in socium peregrinationis, & in seruum necessitatis, & maius in pretium redemptionis. Tale tamen donum adhuc est in separatione & remotione ab eo cui datur; sed quod datur in cibum, datur non ad separationem aliquam, sed ad omnimodam vniuenientiam: enim in unitate corporis, cibus & sumens cibum. Ioan. *Qui manducat meam carnem, & bibit meum sanguinem, in me manet, & ego in eo.* Et sic apparet in tali dono supereffluentissima largitas diuinæ bonitatis.

II. Probatur in hoc factō maxima liberalitas Dei, quantum ad nobilitatem dantis, quæ tam excellens est in hoc sacramento, vt corpus suum largiatur diffuse & late: quia non solum dat illud dignis & amicis, verum non subtrahit indignis, malignis, & inimicis, 1. Psal. 26. *Appropiant super me peccatores, ut edant carnes meas.* Qui enim permisit se malignorum manibus semel crucifigi, permittit se quotidie sceleratorum manibus tractari, & immundorum ac inimicorum dentibus in Sacramento lacerari. 2. Hinc hosti suo & traditori Iudea dicitur in cœna cum aliis Discipulis suis corpus suum dedisse. 3. veritatem enim suæ præsentiae ad instar solis oriri facit super bonos & malos, exhibens se in hoc mundo dignis & indignis: licet non ab omnibus effectus suscipiat æqualis. Nam dignus effectum suscepit bonitatis Dei, indignus seueritatis. 4. Sicut oculus æger positus in solem lucem suscepit non ad delectationem, sed ad turbationem: sic peccator & inimicus suscepit quidem verum corpus Domini non ad salutem, sed ad damnationem.

Veruntamen in hoc apparet summus gradus liberalitatis Dei, quantum ad nobilitatem dantis. Magnum enim est dare magna dona proximis & amicis, magnum seruis & ancillis, maius autem ignotis & peregrinis, sed maximum inimicis. Hinc arguuntur magnæ ingratitudinis Iob 19. *Quare me persequimini sicut Deus, & carnis meis saturamini?* Rom. 2. *An diuitias bonitatis Dei & patientia & longanimitatis contemnitis?* Ignoras quoniam benignitas Dei ad pœnitentiam te adducit? Copiosa bonitas & benignitas Dei est liberalitas nobilitatis eius, qui inimicis & contra eum peccantibus multa bona facit, maxime cum tales corpus suum sumere permittit, vt tanta liberalitate eos conuertat.

III. Probatur in hoc factō maxima liberalitas Dei quantum ad utilitatem accipientis. Quia in hoc sacramento digne suscipiens efficitur Deiformis, id est, per gratiam bonitatis, siue per imaginem imitationis Deo quodammodo similis Ioan. 1. *Quotquot autem receperunt eum, dedidit eis potestatem filios Dei fieri,* id est, per gratiam bonitatis Deo similes. Amb. *Quia Dominus Iesus consors est diuinitatis & corporis, & tu qui accipis carnem eius, diuine substantię in illo participas alimento.* Diuina substantia bonitas est. In hoc ergo alimento diuinæ substantię participare, est assimilari per gratiam bonitati diuinæ. Prou. 11. *Qui bonus est, hauriet sibi gratia a Domino.* Gratia vero est influentia diuinæ bonitatis in animam, per quam assimilata Deo fit ei grata & vitæ æternæ.

D. Alberti Magni Serm.

næ digna. Non ergo sufficit liberalitati diuinæ, quod in hoc cibo intellectum illuminat, quod affectum sanat, quod memoriam delectat, quod totum hominem in bono confortat, quod corpori suo mystico associat: quin insuper, vt dictum est, *Deo similem faciat:* & iste gradus summus est & supereffluentissimus diuinæ largitatis, quantum ad utilitatem accipientis: nemo enim potest creaturam ad maius promouere, quam quod assimiletur suo Creatori, in praesenti scilicet per gratiam, & in futuro per gloriam. 2. Corinth. 9. *Gratias Deo ago super inenarrabili dono eius.* Amen.



## DE II. ET III. RATIONE QVA DATVR CORPV CHRISTI IN CIBVM, scilicet, de humanæ naturæ corruptione, & con- ditione.

### S E R M O I V.

*Venite, comedite panem meum.*  
Et, *Causam tuam, Eccl.*



E C V N D A ratio sapientiæ Dei qua Dominus dat homini corpus, scilicet, in cibum, est humanae naturæ corruptio, quæ huius cibi exigebat medicamentum, & hoc quantum ad tria.

- I. *Quantum ad congruam curationis inchoationem.*
- II. *Quantum ad integrum corruptionis curationem.*
- III. *Quantum ad firmam sanitatis conservacionem.*

Primo humanæ naturæ corruptio exigebat talem cibum, quantum ad congruam curationis inchoationem, quia sicut initium corruptionis & mortis cœpit à cibo à medico vel per medicum vetito, scilicet, à ligno scientiæ boni & mali: sic initium iustificationis & vitæ incipere debuit à cibo per eundem medicum persuadendo, scilicet, à vero ligno vitæ, id est, à corpore Dominico. De primo Gen. 2. *De ligno scientia boni & mali ne comedas. In quacunque enim die comederis ex eo, morte morieris.* De secundo Ioan. 6. *Nisi manducaueritis carnem Filii hominis, & biberitis eius sanguinem: non habebitis vitam in vobis.*

Secundo humanæ naturæ corruptio exigebat corpus domini in cibum, quantum ad integrum corruptionis curationem: serpens enim malignus infudit homini per venenum pomi vetiti triplicem corruptionem, scilicet, 1. in anima tenebras ignorantia, 2. in carne mortuum prauæ concupiscentiæ, 3. & mortem utrobique. Gen. 3. *Serpens decepit*

Y 3

decepit me. De I. Psal. 48. *Homo cum in honore esset, non intellexit: comparatus est iumentis insipientibus.* Gen. 1. *Tenebrae erant super faciem abyssi, scilicet, ignorantiae super faciem humani cordis ex diabolica deceptione.* De II. Gal. 5. *Caro concupiscit aduersus spiritum.* Rom. 7. *Video aliam legem in membris meis, repugnantem legi mentis mea.* Lex in membris est morbus concupiscentiae, mouens membra ad actum malitiae. De III. Sap. 2. *Inuidia diaboli intronuit mors in orbem terra.* De omnibus Augustinus: *Si Angelus de proprio pluens in paradiſo non esset auditus, non precipitaremur in mortem: sed venit de celo lapsus, serpens factus, & emisit venenum de proprio: locutus est de suo, Gustate, & eritis sicut Di. Et illi appetentes quod non erant, amiserunt quod acceperant, scilicet, intelligentiam, vite iustitiam, non moriendi possibilitatem.*

Quia igitur diabolus per cibum venenosum triplicem corruptionem infuderat, necesse fuit ad integrum curationem, ut medicus & Saluator noster cibum medicinalem contra haec tria daret, & hoc est corpus suum, quod 1. pie recipientium ignorantiae tenebras illuminat, 2. morbum prauæ concupiscentiae sanat, 3. & mortem defruendo triumphat. De I. Psalm. 26. *Dominus illuminatio mea, & salus mea.* Psalm. 33. *Accedite ad eum, & illuminamini.* Corpus enim Christi est Verbum Dei, id est, vera lux in carne humana quasi in lucerna, qua illuminatur fidelis anima. De II. Psalm. 77. *Pluit illis manna ad manducandum.* Exod 16. *Mane ros iacuit in similitudine pruina super terram.* Panis ergo celestis in similitudine pluiae roris & pruinæ apparebat: quia corpus Domini à furore concupiscentiae prauæ refrigeravit. De III. Ioan. 6. *Patres vestri manducaverunt manna in deserto, & mortui sunt. Hic est panis de celo descendens, ut si quis ex ipso manducaverit, non morietur.* Et sic cibus iste mortem æternam destruit.

Tertio humanæ naturæ corruptio exigit corpus Domini in cibum, quantum ad firmam conseruationem sanitatis: quidam enim ad tempus de peccatis compunguntur & quodammodo curantur, sed tempore temptationis per reciduum iterum corruptiuntur. Psal. 37. *Putruerunt & corrupte sunt circatrices mee à facie insipientie mee.* Ad conseruationem autem sanitatis animæ, & ad incorruptionem bonæ vitæ valet cibus iste. Cant. 1. *Fasciculus myrræ dilectus meus mihi, inter ubera mea commorabitur.* Sicut enim myrra incorrupta seruat corpora, sic corpus Domini pie sumptum corda. Ambros. *Considera utrum prestantior sit panis Angelorum, id est, manna Iudeorum, an corpus Christi: illud corruptioni obnoxium, hoc ab omni corruptione alienum: & quicunque religiose gustauerit, corruptionem sentire non poterit.*

Tertia ratio sapientiae Dei qua Dominus dat homini corpus suum in cibum, est humanæ naturæ conditio, quæ rationalis creatura est, & corpori coniuncta. Rationalis creatura potest tribus modis considerari, & secundum hoc indiget cibo triplici. Primo consideratur rationalis creatura secundum id quod est incorporea, & pure spiritualis, ut natura angelica. Secundo modo ut est corpori coniuncta, sicut dissimilis dissimili, spiritus carni. Tertio modo secundum quod illæ duæ naturæ, scilicet, corpus & anima singulis


personis hominum sunt familiari societate & miro amore coniunctæ. Sed quoque modo istorum trium consideretur rationalis creatura, secundum conditionem suam conuenienti indiget alimonia.

Primo enim modo considerata, scilicet, secundum quod est incorporeæ & pure spiritualis, ut natura angelica, secundum conditionem suam exigit per quod viuat & subsistat, alimentum, scilicet, Verbum Dei æternum secundum te incorporeum, quod est æterna Dei sapientia. Tob. 12. *Ego cibo inuisibili, & potu qui ab hominibus videri non potest, vtor.* Prou. 3. Eccl. 1. *Lignum-vita est sapientia Dei, & fons sapientiae verbum Dei in excelsis, reficiens scilicet Angelos in cælis.*

Secundo modo considerata rationalis creatura, ut est corpori coniuncta, sicut dissimilis dissimili, spiritus carni, pretiosum vili, secundum conditionem utriusque naturæ, indiget utroque cibo sibi conuenienti: sed dissimili, quia spiritus spirituali ad modum Angeli, corpus corporali ad modum bruti. De I. Psal. 77. *Panem Angelorum manducauit homo.* 1. Cor. 10. *Patres nostri omnes eandem escam spiritualem manducauerunt.* Sap. 9. *Siquis erat consummatus inter filios hominum, si ab illo effugerit sapientia tua, in nihilum computabitur.* Quasi di. Qui spirituali cibo qui est Dei sapientia caruerit, à vita spirituali deficiet. Eccl. 15. *Cibauit eum pane vite & intellectus; & aqua sapientia salutaris potauit eum.* De II. 2. Reg. 12. *Pauper quidam habebat oniculam quæ de pane illius comedens, &c.* Eccl. 39. *Initium necessaria rei vita hominum lac, & panis, mel, & botrys vine & oleum.* Hac omnia Sanctis in bona: sic & impis in mala conuertentur. III. De utroque Deut. 8. Matth. 4. *Non in solo pane vivit homo, sed in omni verbo, quod procedit de ore Dei.* Augustinus. *Sicut anima vita est corporis, sed non vivificat illud sine cibo corporali,* id est, sine verbo Dei. Et sic haec & illa natura hominis, ut sibi dissimiles dissimilem cibum habuerunt, & alieno modo & longe ab inuicem comedenterunt. Nec cibus spiritus congruebat corpori, nec cibus corporis spiritui.

Tertio vero modo considerata rationalis creatura, scilicet, secundum quod illæ naturæ, id est, corpus & anima sunt in singulis personis hominum, familiari societate miro amore coniunctæ, tunc exigitur ad æternam saluationem utriusque unus cibus toti homini, id est, utrique naturæ conueniens, spiritualis simul & corporalis, scilicet, Verbum caro factum, quem simul socialiter sub quodam sacramento comedant, cuius virtute anima de presenti miseria ad vitam beatitudinis æternæ perueniat, & corpus ad modicum tempus seruetur in terra, tandem gloriose resurgat. De hoc cibo Ioan. 6. *Caro mea vere est cibus, id est, caro Dei, caro humana, unita Dei Verbo, vere est cibus, scilicet, totius hominis, valens animæ & corpori.* Eccles. 1. *Vnus est Altissimus creator omnium.* Ipse creauit sapientiam in Spiritu sancto, & secundum datum suum præbet illam diligentibus se. Creauit sapientiam in Spiritu sancto, id est, virtute spiritus sancti: creaturam carnis de Virgine sumplit, & sapientie suæ vniuit, & secundum datum suum, id est, liberalitatem præbet illam, scilicet, in cibum diligentibus se, scilicet, fidelibus: ut prospicit, sicut dictum est, corpori & animæ.

De hoc conuiuio corporis & Spiritus Isa. 11. *Vitulus & vrsus pascentur simul.* Vitulus significat corpus quod in sacrificium Domino est mactandum, vrsus spiritum qui sicut vrsus bestiis, sic terribilis esse debet bestiæ libus motibus & moribus. Hi pascentur simul, scilicet, vero cibo, id est, carne Christi: ut profit animæ & corpori. De I. Ioan. 6. *Qui manducat meam carnem, & bibit meum sanguinem, habet vitam æternam,* scilicet, quo ad animam quæ post hanc miseriam virtute hu- ius sacramenti perducetur ad vitam æternam. De II. sequitur: *Et ego resuscitabo eum in nouissimo die:* quia Dominus ciudem sacramenti virtute reformabit corpus de puluere configuratum cor- pori claritatis sue. Amen.



## PARS II. DE FORMA DONATIONIS Qua corpus datur relatum.

### SERMO VII.

*Venite, comedite panem meum,*  
Eccl. Prou. 9.

*Quomodo potest nobis dare car-  
nem suam ad manducandum?*  
Ioan. 6. *Sacramentum Regis  
abscondere bonum est.* Tob. 12.

**S**ECUNDVM principaliter circa sacramentum Dominicum corporis notandum, est forma donationis. Et circa hanc tria sunt consideranda. Primum est quod Dominus dat corpus suum velatum. Secundum quod dat velatum sub specie panis. Tertium quod dat sub specie tritici. Primum circa formam donationis Dominicum corporis considerandum est, quod datur velatum, non nudum, secundum illud Apocal. 2. *Dabo manna absconditum,* quasi cibum cœlestem, velatum. Sed quia ex hoc humanus sensus terretur, & miratur, cum aliud videtur, & aliud credi iubetur: huius velaminis quadruplex ratio sapientiæ Dei potest assignari.

- I. *Est indignitas malorum.*
- II. *Fides bonorum.*
- III. *Instructio morum.*
- IV. *Imbecillitas omnium.*

De primis duobus potest hic dici & de aliis in sequenti.

Prima ratio, quare Dominus corpus suum dat velatum est indignitas prævorum, quæ exigit ut

veletur, sicut æger oculus, ut sibi sol & quodlibet lumen tegatur. Et in hoc benignissime agit cum eis misericordia Saluatoris: si enim prout nudum corpus viderent, & hoc à fidelibus manducari, ex ipso aspectu scandalizarentur, & tripliciter male perirent, 1. in corde per errorem, 2. in lingua per detractionem, 3. in anima per spiritualem mortem. De I. Ioan. 6. *Caro mea vere est cibus, & sanguis meus vere est po-  
tus.* Sequitur: *Ex hoc multi discipulorum eius abi-  
runt retro,* quasi abhorrentes verba de humana carne comedenda. Ambros. *Forte dices, quomodo  
vera est caro, quomodo verus sanguis, quia simili-  
dinem non vides carnis?* attende ubi discipuli Chri-  
sti audientes, quod carnem suam dare manducan-  
dam, recedebant, solus Petrus dixit: *Verba vite  
eterna habes, ad quem ibimus?* Ne ergo plures scan-  
dalizarentur, & ne velut quidam esset horror hu-  
mana carnis, sed maneret gloria Saluatoris, ideo in-  
similitudine accipis sacramentum, sed vera natura  
gloriam virtutemque consequeris.

De II. In codem, ubi Dominus dixit: *Panis  
quem ego dabo, caro mea est pro mundi vita:* litiga-  
bant Iudei adiuvicem dicentes: *Quomodo potest hic  
nobis carnem suam dare ad manducandum?* Litigatio huiusmodi, murmur, & detractio est de nuda manducatione corporis Christi, & ideo debuit velari. Psal. 54. *Si is qui oderat me, super me  
mala locutus fuisset, abscondisem me forsitan ab eo.* De III. Num. 4. *Aaron & filii eius intrabunt, ipsi  
disponent opera,* id est, operient sacramenta. *Alij nulla curiositate videant que sunt in sanctuario  
priusquam inuoluatur, alioquin morientur.* 1. Reg. 6. *Percussit Dominus multos eo quod vidissent arcam  
Domini,* quasi scilicet non licebat eis eam vide-  
re detectam. Arca signat corpus Domini quod malignis est velandum, ne spiritualiter moriantur, si videant nudum, quia causa suæ cæcitatris putarent esse phantasticum. Eccl. 3. *In pluribus  
operibus Dei ne fueris curiosus, non est enim tibi ne-  
cessarium ea que abscondita sunt, videre oculis tuis.*

Secunda ratio est fides bonorum. Et haec ratio potest in tria distingui, quæ exigunt hoc velari, scilicet 1. fidei esse verum, 2. infidelitatis primæ remedium, 3. & fidei meritum. Primo fidei esse verum exigit, ut corpus Christi veletur. Heb. 11. *Fides est argumentum rerum non  
apparentium.* Ut enim dicit Augustinus: *Fides est  
credere, quod non vides,* id est, credere verbis Dei de re occulta, quæ vere est, & tamen eam oculis non vides. Nam de re quam videmus, scientiam potius, quam fidem habemus. 1. Pet. 1. *Christus est  
in quem non videntes creditis.* Quatenus culpæ in-  
fidelitatis respondeat modus congruus satisfa-  
ctionis, vnde sicut primorum parentum incredu-  
litas incepit ex auditu verbi diaboli, suadentis cibum habentem quodammodo mortem velatam, & in eo sunt sensus eorum vane delectati: sic congruit ut fides saluandorum incipiatur ex au-  
ditu verbi Saluatoris, suadentis cibum habentem veram vitam absconditam, & in quo nostri sensus sint pie decepti præter auditum, ut scilicet fides sit ex auditu tantum, & non ex visu, vel ex aliis sensibus: auditus autem per verbum Christi.

Hoc pulchre figuratum est Gen. 27. In benedi-  
ctione Iacob, ubi sensus Isaac decepti sunt,  
putantis sentire Esau, dum sensit similitudinem  
eius qua velatus erat Iacob, vnde sciendum quod

in illa figura Dominici corporis quatuor erant personæ, scilicet, Isaac, & Rebecca, qui masculus & fœmina, significant duas naturas in nobis, id est, corpus & animam: masculus qui magis solet esse manifestus & exterioribus plus intendit, significat exteriorem hominem, id est, corpus nostrum cum sensibus suis: fœmina quæ domi residens familiam regit, signat interiorem hominem, id est, fidelem animam, quæ suæ salutis & aliorum curam gerit. Jacob bonus & formosus habitans in tabernaculis, quem diligit Rebecca, id est, fidelis anima, signat verum corpus Christi. Esau quem amat Isaac, id est, corpus, eo quod cibis eius vescitur, signat substantiam panis cum accidentibus, scilicet, colore, sapore, & ceteris.


Dum itaque Isaac quasi homo exterior, id est, Sacerdos benedicere debet Esau, id est, panem, Esau recedit, id est, substantia panis, sed similitudo Esau, scilicet, vestes cum dolore, pelles pilosæ, cibus cum sapore, id est, accidentia panis siue similitudo, scilicet, color, sapor, odor, durities, manent circa Jacob, id est, corpus Christi: unde in his omnibus sensus Isaac, id est, corporis nostri falluntur. 1. Ibi fallitur visus caliginosus, id est, debilis corporis nostri, quia putat præ oculis habere Esau, id est, panem, & habet tantum vestes eius, id est, speciem panis, & sub illa latet Jacob velatus, id est, corpus Christi. 2. Ibi fallitur gustus Isaac, id est, corporis nostri: quia putat gustare, & comedere cibum Esau, id est, panem, & gustat tantum similitudinem eius. 3. Ibi fallitur olfactus Isaac, id est, corporis nostri, quia putat sentire Esau, id est, panem qui vere non est ibi, sed sentit odorem vestimentorum eius, id est, formam panis quibus vestitus est Jacob, id est, velatum corpus Christi. 4. Ibi fallitur tactus Isaac, id est, corporis nostri, quia putat tangere Esau, id est, panem, & tangit pelliculas similes Esau, id est, similitudinem siue speciem panis, quibus velatus est Jacob, id est, corpus Christi. Sapiens erat Isaac, sed in iudicio cognoscendi Esau fallebatur. Sic homo noster exterior in iudicio panis altaris sensibus fallitur præterquam in auditu, unde ait: *Vox quidem vox Jacob, sed manus sunt Esau. Manus quas tango, sunt Esau, nihil falsius.* Vox quam audio dicentem: Ego sum, vox Jacob est, nihil verius. Similiter sacramentum quod tango, substantia panis est, nihil falsius. Vox Christi dicentis: Hoc est corpus meum, nihil verius.

Primæ ergo infidelitatis remedium exigit, quod corpus Christi detur velatum: ut quia sensus primi parentis in cibo peremptionis vane delectabantur, sensus nostri corporis in cibo benedictionis ad instar Isaac decipientur: ita tamen quod Rebecca, id est, fidelis anima in fide sua non fallatur: credit enim vere in benedictione sacra esse Jacob, id est, corpus Christi velatum similitudine Esau, id est, specie panis, sed omnino ibi non esse Esau, id est, substantiam panis.

Tertio fidei meritum exigit, ut corpus Christi veletur: quia, ut dicit Gregor. *Fides non habet meritum, cui humana ratio præbet experimentum,* supple, sufficiens. Velatum ergo voluit Dominus dare corpus suum: quia in hoc credere verbis suis, plus quam sensibus nostris magnum habet meritum. *Ioan. 6. Beati qui non viderunt, & crediderunt.* Huius meritum fidei siue fructus meriti

triplex est, scilicet 1. spiritualium bonorum plena copia, 2. temporalium sufficientia, 3. æternalium supereffluentia: hinc orat Rebecca, id est, fidelis anima, *In me sit ista maledictio filii mihi, id est, haec triplex benedictio, Det tibi Deus de rore celi,* quantum ad primam, & de pinguedine terra, quantum ad secundam, abundantiam vini & olei, quantum ad tertiam.

De primo *Ioan. 7. Qui credit in me, flumina de ventre eius fluent aquæ vinea: hoc autem dixit de Spiritu, quem accepturi erant credentes in eum.* Osee 14. *Ero quasi ros, & Israel germinabit quasi lumen.* De secundo *Heb. 11. Sancti per fidem vice runt regna, adepti sunt re promissiones, scilicet temporalium.* Isa. 1. *Si volueritis & audieritis me, bona terra comedetis.* Matth. 6. *Primum querite regnum Dei, recte credendo: & institiam eius, iuste viuen do: & hec omnia adiicientur vobis.* De tertio 1. Pet. 1. *Credentes in Christum quem non videtis, exultabitis latitia inenarrabili & glorificata, reportantes finem fidei vestre salutem animarum vestrum.* Prou. 1. *Qui audierit me, absque terrore requiesceret, & abundantia perfuerit terrore malorum sublato.* Amen.



## D E D V A B V S

### A L I I S R A T I O N I B V S Q V I B V S D A T V R C O R P V S

Christi velatum: quæ sunt  
instructio morum, &  
imbecillitas om-  
nium.

### S E R M O VIII.

*Venite, comedite panem meum,  
&c. Prou. 9.*

*Quomodo potest nobis dare car-  
nem suam ad manducandum?  
Ioan. 6.*

ERTIA ratio quod Dominus corpus suum dat velatum, est instructio morum. *Job 28. Trahitur sapientia de occultis.* Tria vero in sacramento occultantur, in quibus mores instruuntur, 1. persona Saluatoris, 2. pulchritudo magnæ claritatis, 3. & mirum opus omnipotentis. De primo *Isa. 45. Vere tu es Deus absconditus Deus Israel Saluator.* De secundo *Isa. 8. Exspectabo Dominum qui abscondit faciem suam.* De tertio *Eccl. 43. Multa abscondita sunt maiora his: pauca enim vidiimus operum eius.* In his discimus tria tam virtuose abscondi posse in nobis.

I. Nostram personam.

II. Pulchritudinem corporalem.

III. Et honorum operum intentionem.

Primum

# Pars III. De forma donat. Serm. VIII. 26 i

Primum à persecutorum furore, secundum à stultorum inspectione, tertium ab humano fauore.

Primo discit in hoc sacramento iustus abscondere personam suam propter tria, 1. vt scilicet persecutoris ira quiescat, 2. vt præceptum à Domino opus perficiat, 3. vt gloriolum coronam acquirat. De primo Isa. 26. *Vade populus mens intra in cubicula tua, clande ostia tua super te, abscondere modicum, donec pertranseat indignatio mea,* scilicet, in persecutione, quod multi iustorum leguntur fecisse. De secundo 2. Corinth. 11. *Damasci prepositus custodivit ciuitatem, ut me comprehenderet: & per fenestram in porta dimissus sum per murum, & sic effugi manus eius.* Similiter Tobias cum iuberet Rex occidi eum, fugiens nudus latuit, vt scilicet opera misericordia quæ cœperat, adimpleret. De tertio 1. Reg. 26. *Cum fugeret David a facie Saul, absconditus est in colle Achillæ,* id est, in Domino. Achilla enim interpretatur suscipiens eum, vnde Dominus susceptor meus. Absconditus autem est in Domino, vt per inclita opera gloria sibi restaret regni corona. Ioan. 8. *Tulerunt lapides Iudei ut iaceverent in Iesum. Iesus autem abscondit se, & exiuit de templo.*

Secundo discit iustus pulchritudinem corporalem abscondere ab hominum inspectione: quia exterior pulchritudo & ornatus multis fuit occasio calus. Decor ergo corporalis abscondi debet tribus modis: 1. per habitus vilitatem, 2. per ieuniorum austерitatem, 3. per boni operis assiduitatem. De primo Iob 16. *Sacrum confui super cutem meam, & operui cinere carnem meam.* Gen. 24. *Rebecca conspecto Isaac, tollens pallium, operuit se.* 1. Cor. 11. *Mulier debet velamen habere super caput suum propter angelos,* id est, propter bonos. De secundo Gal. 6. *Mihil mundus crucifixus est & ego mundo.* Quasi diceret, Vilis est mundus propter pœnam suæ solitudinis, & ego vilis mundanus propter macerationem mei corporis. Augustinus. *Carnem vestram domate ie- innio, & abstinentia esce & potus, quantum valetudo permittit.* De tertio Psal. 38. *Tabescere fecisti sicut araneam animam eius.* Sicut aranea ex suis visceribus trahens opus naturæ, tabescit exinde: sic iustus frequentans opera laboriosa charitate maceratur, & pallescit in corpore. Eccl. 33. *Iugum & lora curvant collum durum, & seruum inclinant operationes assidue.* Cant. 1. *Nolite me considerare, quod fusca sim: quia decolorauit me sol.* Sol effectus ardoris, id est, opus amoris, Christus formam servi accepit, in qua claritatem deitatis abscondit, Vnde Isa. 53. *Non est species ei neque decor, & quasi absconditus vultus eius & despectus.*

Tertio discit iustus in hoc sacramento virtutum, & bonorum operum intentionem abscondere ab humano fauore. Matth. 13. *Simile est regnum celorum, id est, conuersatio iustorum,* dicit Glossa, *thesauro abscondito in agro cordis.* Gregorius. *Sic sit opus in publico quatenus intentio maneat in occulto, ut & de bono opere proximis prebeamus exemplum, & tamen per intentionem quæ Deo soli placere querimus, semper optemus secreta.*

Triplex vero bonum præcipue debemus abscondere à fauore hominum, scilicet, eleemosynam, orationem, ieunium. De primo Matth. 6.

*Cum facis eleemosynam, noli tuba ante te canere, tuba tumoris, iactantiae, & apparentiae, sicut hy porcrite faciant, ut honorificentur ab hominibus.* Amen dico vobis, *recepérunt mercedem suam.* Tercium autem faciente eleemosynam, nesciat sinistra tua, id est, intentio prava, *quid faciat dextera tua, dilectio pura, ut sit eleemosyna tua in abscondito, piæ intentionis:* & Pater tuus qui videt in abscondito, reddet tibi. De secundo Matth. 6. *Et cum oraueris, intra in cubiculum tuum, id est, secretum mentis:* & clauso ostio, omni aditu cordis, ora Patrem in abscondito intentionis: & reddet tibi. De tertio ibidem. *Et cum ieunias, vngue caput tuum, id est, refice Christum operibus misericordiae, quod tibi subtrahis, membris eius pauperibus conferendo;* & faciem tuam laua, peccata cordis & sensuum lacrymis poenitentiae purgando: ne videaris hominibus ieunans, sed Pater tuus qui est in abscondito, reddet tibi.

Quarta ratio, quare Dominus corpus suum dat velatum, est imbecillitas omnium quæ hoc exigebat. Nam claritatem huius gloriosi corporis nullus posset ferre mortalis hominis oculus, nisi velatam, quod probatur tribus modis.

1. A figura legali.

2. Ab accidente materiali.


3. A ratione naturali.

Primo probatur hoc à figura legali. Exod. 34. *Videntes filij Israël ex consortio sermonis Dei cornutam faciem Moysi, timuerunt prope accedere, vnde posuit velamen super faciem suam, quando loquebatur ad eos.* Facies enim Moysi tam magnam concepit radiositatem ex frequenti & familiari appropinquatione ad diuinum lumen, quod videbatur humanis oculis quasi cornuta, vnde non potuerunt claritatem vultus eius sustinere nisi velatam. Sic nimis, imo multo magis corpus Christi Resurrectione eius glorificatum, & spirituale ac deiforme factum, nullus potest inspicere mortalis hominis oculus, nisi alia specie velatum.

Secundo probatur hoc ex eo quod accedit matre Dei Mariae, quæ non potuit sustinere claritatem & gloriam praesentiæ Filij Dei, nisi esset obumbrata. Carne autem Virginis velata majestas opere Spiritus sancti facta est possibilis ferri à Virgine, & etiam à nobis videri: vnde *Verbum caro factum est, & habitavit in nobis, & vidimus gloriam eius.* Sed caro illa post Passionem & Resurrectionem glorificata, & ad similitudinem Dei clarificata secundum illud Ioan. 17. *Clarifica me Pater claritate quam habui priusquam mundus fieret:* facta est impossibilis à nobis videri, vel ab oculis mortalibus in propria forma nuda videri, nisi esset velata aliqua specie visibili. Eccl. 11. *Mirabilia opera Altissimi, & gloria, & absconsa, & inuisa.* Iuxta illud Exod. 33. *Non videbit me homo & viuet, verum in propria specie.* 1. Corint. 13. *Videmus nunc per speculum (rationis) & in enigmate, id est, in figura panis.*

Tertio probatur idem ratione naturali, quæ est nimia dissimilitudo oculi nostri luminis, ad claritatem luminis corporis Christi. *Oculus enim noster, Augustinus, ager & corruptibilis est:* illius vero claritas incorruptibilis, & quodammodo immensa: quia, vt dictum, deiformis: hæc est enim ratio visibilitatis omnis luminis, similitudo aliqua videntis ad lumen: & quanto maior similitudo

tudo ad lumen maximum, tanto limpidior est & dulcior visio. Hinc est quod sanus oculus aliquatenus videre potest nudum corpus solum, & non corpus Christi: quia cum illo habet aliquam similitudinem luminis & corruptibilitatis, quam non habet cum corpore Christi: nisi enim oculus aliqua ex parte cœlesti lumini similis esset, nequaquam illud videre posset, sicut nec auris, nec digitus, aut etiam cœlus, scilicet, propter nimiam dissimilitudinem. Quia ergo ob nostram imbecillitatem & corporis Christi nimiam claritatem nequimus illud in hac vita videre nudum: teneamus gratariter ex sua bonitate inuolutum, donec reformet corpus humilitatis nostræ, configuratum corpori claritatis suæ, & sic per illam claritatem magnificatam, & usque ad incorruptionem roboratam possimus videre dulciter oculo ad oculum Dominici corporis claritatem. *Luc. 11. Si oculus tuus simplex fuerit, id est, intentio cordis pura: totum corpus tuum lucidum erit, ad videndam scilicet claritatem Christi.* *1. Ioan. 3. Scimus cum apparuerit quia similes es erimus: quoniam videbimus eum sicuti est.* Bern. *Signum quidem videtur per superiores oculorum fenestras veritatem intrare debere ad animam, sed hoc nobis, ô anima, seruatur in posterum, cum videbimus facie ad faciem, & haec visio erit nobis vita eterna. Amen.*



## D E

## FORMA DONATIONIS qua datur sub specie panis.

## SERMO IX.

*Venite, comedite panem meum,*  
*&c.*

*Cibauit illum pane vita, id est,  
corpo Christi, dicit Glossa,  
Eccles. 15. Vel aliud de pane.*

**S**ECUNDVM circa formam donationis Dominici corporis considerandum est, quod Dominus dat illud velatum sub specie panis, secundum illud: *Accipit Iesus panem, & benedixit, & ait: Hoc est corpus meum.* Ad tactum & ad verba Creatoris intus erat corpus Salvatoris, & foris mansit species panis.

Dominus dat corpus suum sub specie panis triplici ratione.

I. *Propter collatam sibi præ ceteris cibis habilitatem.*

II. *Propter faciendam significationis sue cognitionem.*

III. *Propter rerum sibi significatarum*

*similitudinem, vel propter nostræ præparationis instructionem, & propter sui effectus similitudinem.*

Primum ponitur hic secundo loco, secundum infra sermone 15. circa finem, tertium hic circa finem.

Primo dat Dominus corpus suum sub specie panis, ob habilitatem. Sub nulla enim alia specie cibi, tam respectu ministrantium, quam accipientium posset aptius exhiberi: & hoc triplici consideratione, 1. quantum ad inuentionem, 2. quantum ad administrationem, 3. & quantum ad conseruationem. De primo habilius est species panis: quia omni loco, omni tempore facilius inuenitur, quam aliis cibus. Item secundo quia mundius & honestius tractari potest in altari, melius diuidi, conuenientius à sanis & infirmis sumi quam aliis cibus. Item quantum ad tertium habilius est. Quia si debet leuari, portari, vel custodiri: commodius fit sic sub specie panis, quam cibi alterius. *Psal. 109. Irravit Dominus, & non pœnitabit cum: tu es Sacerdos in eternum secundum ordinem Melchisedech.* Quia scilicet nec oves, nec capras obtulit, sed panem & vinum.

Secundo dat Dominus corpus suum sub specie panis propter faciendam significationis sue cognitionem & fidem. Sacramentum enim est nouæ legis, & ideo sacræ & secretæ rei est signum, quod suggerit nobis rei quam significat, cognitionem & fidem. Augustinus. *Signum est res præter speciem quam ingerit sensibus aliquid aliud ex se faciens in agnitionem venire.* Signorum autem tria sunt genera, naturale, artificiale, & sacramentale. Signum naturale secundum naturam significat, sicut fumus significat ignem, rubor cœli vespertinus significat futuram serenitatem. *Matth. 16. Facto vespere dicitis: Serenum erit, rubrum est enim cœlum.* Signum artificiale secundum impositionem hominis significat, & hoc est duplex, 1. aliud enim non continent quod significat, vt arcus triumphalis, & circulus vini, 2. aliud continent quod significat, vt puluinar significat plumas & continent eas, pastillum significat carnes & continent.

Signa sacramentalia secundum impositionem Dei significant, & sunt similiter duplia, 1. alia enim non continent, quod significant: vt sacramenta legalia, sicut serpens æneus erectus in eremo significabat quidem Salvatorem, sed non continebat eum: sicut circulus suspensus ante dominum significat vinum, quod tamen non est in illo contentum. *Num. 21. Fecit ergo Moyses serpentem æneum, & posuit eum pro signo, quem percussi aspicientes sanabantur.* Sap. 16. *Signum habentes salutis non per hoc quod videbant, sanabantur, sed per te omnium Salvatorem.* Similiter agnus paschalis & circuncisio significabant rem facram: sed non continebant, quia secundum se non iustificabant. *Rom. 3. Ex operibus legis non iustificabuntur omnis caro coram Deo.*

2. Item alia sunt signa sacramentalia, quæ etiam secundum impositionem Dei significant: sed continent quod signant, vt sacramenta euangelica, sicut Baptismus, & Eucharistia. Hugo. *Sacramentum euangelicum est materiale elementum foris sensibiliter propositum, ex similitudine representans, & ex institutione significans, & ex sanctificatione*

*Ecclesiasticus continens aliquam gratiam specialem.* Baptismus significat animæ purificationem, & continet: quia efficit & figurat scilicet peccatorum remissionem. Act. 2. Petrus ait: *Baptizetur unusquisque vestrum in nomine Iesu Christi, in remissionem peccatorum.* Similiter Sacramentum altaris signat corpus Domini, & vere continet illud: quia post consecrationem panis, sub specie eius, id est, sub signo illo panis, quod Deus posuit ad significandum corpus Domini, totus est Christus. Sic sub signo positio hominis, scilicet, in pastillo sunt occultatae carnes. Matth. 26. *Accipit Iesu panem, & benedixit, & ait: Hoc est corpus meum, signatum scilicet specie panis.* Ioan. 6. *Filius hominis dabit vobis cibum, qui permanet in vitam eternam. Hunc enim pater signauit Deus.* Igitur si cum video signum posuimus hominis, ut pastillum, & credo ibi sub tenui pane esse carnes: multo magis cum video signum posuimus Dei, ut sacramentum altaris, credere debo, ibi sub specie panis esse absconditum corpus Salvatoris. Psalm. 30. *Quam magna multitudo dulcedinis tua Domine, quam abscondisti timentibus te.*

Tertio dat Dominus corpus suum sub specie panis, propter rerum ibi significatarum similitudinem. Tres enim ibi res significantur, quarum species illa panis est sacramentum, id est, sacrum signum expressam habens in se illam similitudinem. Prima res ibi significata, est naturale corpus Christi, quod ibi continetur. Secunda res, corpus eius mysticum, scilicet, Ecclesia, quod ibi significatur, & non continetur. Tertia res est effectus sacramenti in anima fideli.


I. Species panis primæ rei ibi signata, id est, veri corporis Christi, habet similitudinem non ratione sui, sed ratione subiecti, quod habuit ante consecrationem, id est, panis qui prius fuit: sicut enim ex pluribus & puris granis panis efficitur, sic corpus Christi ex pluribus membris puris & immaculatis consistit. Cantic. 7. *Venter tuus sicut acer nus tritici, vallatus liliis.* Exod. 25. *Arca de lignis Setim imputribilibus:* quia corpus Christi constat ex membris purissimis, & ab omni vicio mundis.

II. Species panis secundæ rei ibi signata tenet similitudinem, id est, mystici corporis Christi, scilicet, Ecclesiae, quæ est unitas fidelium: sicut enim ex multis granis puris conficitur unus panis, sic ex multis fidelium personis à culpa mortali mundis & vinculo charitatis unitis, Ecclesiastica unitas consistit. 1. Corinth. 10. *Vnus panis, & unum corpus multi sumus.*

Hinc sciendum, quod in pane triplex unus attenditur, per quam triplex fraternitas sive causa & vinculum amoris, quod inter fideles esse debet, figuratur. Primo grana nobilia & sibi similia colliguntur. Secundo farina conspergitur per aquam, & pasta conficitur. Tertio ut solidus fiat panis, pasta igne decoquitur. Primum, scilicet, grana similia significant fraternitatem & amorem naturalem, quia omnes de uno & primo parente sumus nati. Secundum, scilicet, panis igne solidatur spirituali. Tertium spiritualiter: quia uno Spiritu sancto, ad unam Christianam religionem sumus congregati. De primo Gen. 42. *Descenderunt fratres Ioseph, ut emerent frumenta in Aegypto:* quasi humiliauerunt se fideles, ut amorem naturalem omnium hominum acquirereant.

Eccles. 13. *Omne animal diligit simile sibi, & omnis homo proximum sibi.* De secundo 1. Corinth. 5. *Sitis noua conspersio, sicut estis azimi, id est, vnum quid per dilectionem sacramentalem.* 1. Ioan. 4. *Hoc mandatum habemus à Deo, ut qui diligit Deum, diligat & fratrem suum.* De tertio Exod. 12. *Coxerant farinam conspersam, & fecerunt panes,* id est, profecerunt vique ad dilectionem spiritualem, Ioan. 13. *Hoc est præceptum meum, Ut diligatis inuicem, sicut dilexi vos.* Augustinus. *Non autem carnalis, sed spiritualis debet esse inter vos dilectio.*

III. Species panis secundum quod erat panis, habet in se similitudinem tertiae rei ibi signata, id est, effectus sacramenti in anima fideli: sicut enim panis tria facit, scilicet, confortat, satiat, & vitam conseruat: sic panis sacramentalis animam fidem, confortat ad peccatum deuincendum, satiat ad fastidium mundi faciendum, in vita conseruat ad Deum semper laudandum. De primo Psal. 103. *Panis cor hominis confirmat,* ad omne vitium scilicet deuincendum. Vnde *diligam te Domine fortitudo mea: qui scilicet præcinxisti me virtute ad bellum, & supplasti insurgentes in me, subiugasti me.* De secundo Psalm. 104. *Pane celi saturauit eos, ad mundi scilicet fastidium faciendum.* Prou. 27. *Anima saturata calabit fauum.* De tertio Eccl. 34. *Panis egentium vita pauperis est ad Deum,* scilicet semper laudandum. Psal. 145. *Lauda anima mea Dominum, laudabo Dominum in vita mea.* 2. Paral. in fine. *Laudabo te Domine semper omnibus diebus vita mea: quoniam te laudat omnis virtus celorum.* Laudemus ergo hic Deum, cum bonis in bona conuersatione, ut eum laudare mereamur semper cum Sanctis in æterna beatitudine. Amen.



## D E

### FORMA DONATIONIS sub specie panis triticei.

#### S E R M O X.

*Venite, comedite panem meum,*  
*&c. Vt supra. Conuertentur*  
*& vivent tritico. Oseæ 14.*  
*Vel aliud.*



ERTIVM circa formam donationis corporis Domini considerandum est, quod Dominus dat illud sub specie panis triticei, & non alterius, & hoc propter tria.

- I. *Propter huius grani præcateris naturalem nobilitatem.*
- II. *Propter fidelium discretam in eo significationem.*
- III. *Propter corporis sui expressam similitudinem.*

Primum probatur à tribus. Quia 1. hoc granum est pa-

est purissimum, 2. quia ad panem communissimum, 3. & quia ad panem maxime nutritiuum. Primo hoc granum est purissimum, quia hæc species solum inter alias attingit complementum, id est, summam puritatem. Nam, ut Alchimici, id est, aurifices in speciebus quibusdam licet multæ species esse videantur: tamen una est quæ attingit complementum, & aliae sunt differentes ab ea quibusdam ægritudinibus, sicut patet de auro, & ideo omne metallum purgatione materiæ in aurum debet transmutari, sic etiam videmus de granis, quod bonitate terræ purgatur filigo, & in triticum nobilitatur, & ideo tripliciter & absolute panis triticeus est panis, propter excellentem puritatis suæ nobilitatem. Secundo granum tritici est ad panem communissimum, quia competit sanis & infirmis, imo omni animali panem comedenti: & ideo vere est panis, propter communis conuenientiæ nobilitatem. Tertio granum tritici est ad panem maxime nutritiuum, quia puritate naturali & competitibilitate communi maxime membris adhæret, & confortat, & hac ratione congruum est, ut nobilissimum corpus quasi nobilissimus panis filiorum Dei detur filiis, sub specie nobilissimi panis, scilicet, triticei.

Secundo dat Dominus corpus suum, sub specie panis triticei, propter fidelium discretam in eo significationem. Sicut enim triticum secundum triplicem statum habet considerari, sic fidelium vniuersitas in tres status solet distingui. Triticum autem consideratur 1. vel secundum quod constat in agris, 2. vel secundum quod grana separantur à paleis, 3. vel secundum quod grana iam purgata, locantur in granariis. Similiter inter fideles tres differentiæ sunt, 1. incipientium, 2. proficientium, 3 perfectorum. Primi significantur per triticum stans in agro, secundi per grana quæ purgantur à paleis, tertii per grana purgata quæ locantur in granariis. Primi desiderant optimam doctrinam Prædicatorum, secundi frequentem purgationem peccatorum, tertii æternam requiem beatorum.

De primo Iob 37. *Frumen tum desiderat nubes, & nubes spargunt lumen suum, que lustrant cuncta per circuitum.* Gregorius. *Electi sunt frumentum Dei caelstibus horreis recondendi: frumentum nubes desiderat, quia electus quisque presentiam suam sanctorum predicatorum exoptat.* Nubes lumen spargunt, quia predicatorum sancti exemplo vita & bene agendo & loquendo dilatant. Nubes autem cuncta per circuitum lustrant, quia predictionis luce mundi fines illuminant. De secundo Iudicum 6. Cum Gedeon excuteret & purgaret frumenta in torculari, ut fugeret Madian, apparuit ei Angelus Domini. Gedeon electum quæcumque significat, qui sub umbra sanctæ crucis, rectitudinem iudicij confessionis quasi virga cor suum à vitiorum paleis sequestrat: consolatio eum diuina contradæmonum tentamenta confortat. Eccli. 2. *Qui timent Dominum, preparabunt corda sua, & in conspectu illius sanctificabunt animas suas.* De tertio Iob 5. *Increpationem Domini ne reprobes, & ingredieris in abundantia in sepulchrum,* id est, locum tibi in regno Dei præparatum, sicut infertur aceruuus tritici in tempore suo, id est, cætera multitudo beatorum. Luc. 3. *Venit fortior me post me, cuius ventilabrum in manu eius, & purgabit*

*aream suam, & congregabit triticum in horreum suum, paleas autem comburet igne inextinguibili.*

Tertio dat Dominus corpus suum, sub specie panis triticei, propter corporis sui expressam similitudinem. Triticum enim potest tribus modis considerari, scilicet, 1. ut iacens in aceruo, 2. ut cadens in agro, 3. ut in panis complemento. Penes primum modum significat corpus, ut in Virgine conceptum, penes secundum ut pro nobis in mundo passum, penes tertium ut in cælo glorificatum. In primo mater Christi multum honoratur, in secundo peccator liberatur, in tertio beatus eleæctatur. De primo Cant. 7. *Venter tuus, sicut aceruuus tritici vallatus liliis.* Venter est corpus Beatæ Virginis. Luc. 1. *Beatus venter qui te portauit.* Aceruuus tritici, munda membra Christi, ut conservata in utero virginali. Lilia, decor omnimodæ castitatis, quo ornantur membra & sensus Beatæ Virginis. De secundo Ioan. 12. *Nisi granum frumenti cadens in terram mortuum fuerit, &c.* Si autem mortuum fuerit, multum fructum affert. Christus enim per mortem suam genus humanum de morte æterna liberavit. Rom. 5. *Commendat suam charitatem Deus in nobis: quoniam cum adhuc peccatores essemus, Christus pro nobis mortuus est.* Ex hoc quod Dominus se dicit granum frumenti habet Ecclesia, quod sub nulla alia specie panis consecrat corpus Domini. De tertio Zach. 9. *Quid bonum, & quid pulchrum eius, nisi frumentum electorum?* quasi panis pulcherri-  
mus, dulcissimus, & nobilissimus corporis Christi in gloria beatorum.

Hinc sciendum, quod beari habebunt in eo triplex bonum: 1. omnium deliciarum præparationem, 2. omnium desideriorum impletionem, 3. omnium bonorum securam & æternam fruitionem. De primo Gen. 49. Aser pinguis panis eius præbebit delicias regibus. Psal. 67. *Parasti in dulcedine tua pauperi Deus.* Sap. 16. *Paratum panem de cælo præstisti eis sine labore omne delectamentum in se habentem, & omnis saporis suavitatem.* 1. Corinth. 2. *Nec oculus vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis ascendit, que preparauit Deus diligentibus se.* De secundo Psal. 148. *Lauda Ierusalem Dominum, qui posuit fines tuos pacem, & adipue frumenti satiat te.* Item Psal. 102. *Benedic anima mea Dominum: qui replet in bonis desiderium tuum.* Ierem. 31. *Inebriabo animas sacerdotum pinguedine & populus meus bonis meis adimplebitur.* Sap. 16. *Substantiam tuam & dulcedinem quam in filios habes, ostendebas, & deseruens uniuscuiusq[ue] voluntari, ad quod quisque volebat conuertebatur.* De tertio Luc. 14. *Beatus qui manducabit panem in regno Dei,* scilicet, propter omnium bonorum securam sine fine fruitionem. Isa. 62. *Iurauit Dominus in dextera sua, Si dedero triticum tuum ultra cibum inimicis tuis:* & si biberint filii alieni vinum tuum, in quo laborasti. *Quia qui congregabant illud, comedent: & qui comportant illud, bibent in atris sanctis meis.* Hic comedunt & bibunt mali cum bonis, ibi erunt mali sub æterno interdicto, & boni in seculo, & æterno Christi conuiuio. Psalm. 15. *Adimplebis me letitia cum vultu tuo, delelationes in dextera tua usq[ue] in finem.*

Amen.

PARS III.  
DE DVOBVS  
MIRABILIBVS IN  
consecratione corporis  
Domini.

SERMO XI.

*Venite, comedite, &c. Vt supra.  
Mirabilia opera tua, & anima  
mea cognoscet nimis. Psal. 137.*



ERTIO principaliter circa sacramentum Dominici corporis notanda sunt mirabilia diuinæ operationis, tanquam signa siue miracula diuinæ virtutis. Hæc mirabilia signa consideranda sunt in tribus.

I. In Dominici corporis consecratione.

II. In eiusdem possessione.

III. In perceptione.

Primo enim corpus Domini consecramus, secundo possidemus, tertio percipimus.

I. In consecratione Dominici corporis consideranda sunt, & credenda tria mirabilia signa diuinæ operationis.

1. *Est quod ibi sub specie panis est verum corpus Christi.*

2. *Quod tota substantia panis mutatur in corpus Domini.*

3. *Quod mutatur in corpus Domini vel Christi, ita tamen ut maneant panis accidentia.*

Primum est mirabile, secundum mirabilius, tertium mirabilissimum. De duobus primis potest hic dici, & de tertio in sequenti.

Primum mirabile signum in consecratione sacramenti altaris est, quod ibi sub specie panis est verum corpus Christi, quod de Virgine sumpsit. Et hoc probatur tribus modis: primo testimonio fide dignorum, secundo ratione signorum positorum, tertio demonstratione miraculorum.

Primo probatur primum mirabile testimonio fide dignorum, 1. secundū quod lex dicit Deut. 19. *In ore duorum vel trium stat omne verbum.* Audi ergo quod Augustinus dicit: *Accedit verbum ad elementum, & fit sacramentum,* hoc est, Dei verbum à Christo institutum, profertur super panem, & mox fit sacrum secretum, scilicet, corpus Saluatoris sub specie panis. 2. Item Augustinus: *Hoc quod omnibus modis probare contendimus sacrificium ecclesie duobus constare: visibili elementorum specie, & inuisibili carne Christi & sanguine, sicut Christi persona constat ex Deo & homine.* 3. Ambr. *Panem istum quem sumimus in mysterio, utique illum intelligo, qui manu Spiritus sancti formatus est in utero Virginis, & igne Passionis decollatus in ara crucis.* Panis enim Angelorum factus est cibus hominum. 4. Gregorius. *Magnum atque pauendum est mysterium: quia aliud videtur, & aliud intelligitur.* Figura panis & vini videtur, & faciente Domino,

D. Alberti Magni Serm.

*Corpus & Sanguis Christi intelligitur.* 5. Eusebius. *Vere unita & perfecta Ecclesia hostia fide estimanda: non specie neque exteriori censenda visu, sed interiori intellectu: unde celestis confirmat auctoritas, Accipite & comedite, Hoc est corpus meum. Recedat ergo omne infidelitatis ambiguum: quia quidem qui auctor est muneric, ipse est etiam testis veritatis.*

Secundo probatur idem ratione signorum positiorum. Ratio autem eorum est rem ita esse ut signat. Est autem tale signum duplex: scilicet hominis artificiale, Dei sacramentale. Signum positivum hominis, secundum impositionem hominis significat, & est duplex. Nam aliud non continet quod significat, ut circulus vini. Aliud continet quod signat, ut pastillum, quod significat carnes & continet eas intus absconditas.

Similiter signum positivum Dei, quod est in sacramentis, secundum impositionem Dei significat: & est duplex. Nam aliud non continet quod significat, ut sacramenta legalia, quæ non efficiunt quod figurant, sicut Agnus paschalis, & similia. Aliud vere continet quod significat, ut sacramenta euangelica, sicut Eucharistia. Significat enim secundum impositionem Dei, rem sacram, scilicet, corpus Christi, & vere continet illud: unde, *Accipit Iesus panem, & benedixit, & ait: Hoc est corpus meum.* Signum mansit foris, scilicet, species panis: & intus erat corpus Saluatoris. Eccl. 36. *Innova signa, & immuta mirabilia.* Quasi diceret: Quia vetera signa non continebant gratiam quam significabant, fac noua quæ cōtineant quod signant. Augustinus. *Ideo dicuntur sacramenta, quasi sacra rei signa: quia in eis aliud videtur, aliud intelligitur: quod videtur, speciem habet corporalem: quod intelligitur, fructum habet spirituale.* In specie enim panis & vini quam videmus, res inuisibilis, id est, carnem Christi, & sanguinem honoramus.

Tertio probatur idem demonstratione miraculorum Exod. 34. *Signa faciam que nunquam sunt visa, opus Domini terrible.* Paschafius. *Ne uno qui Sanctorum vitas & exempla legit, ignorat, quod sepe corporis Christi & sanguinis sacramenta aut propter dubios, aut certe propter ardentes amantes visibili specie in agni vel pueri formam, aut in carnis & sanguinis colorem in eo statu sint, ut quod latebat in mysterio, patesceret in miraculo.*

Beato enim Basilio die Pasche diuina mysteria celebranti. *Hebreus quidam se, sicut Christianus populo immiscuit, officij volens explorare mysterium: qui videt infantem partiri in manibus Basili & communicantibus omnibus venit ipse, & data est ei Hostia vere Caro facta, & seruans reliquias, abiit in dominum suum, & ostendit uxori sua, narrans quæ propriis oculis viderit.* Credens ergo ait, *Vere horribile & admirabile est sacramentum Christianorum, in crastino venit ad Basilium, & baptizatus est cum omni domo sua.*

*Item, Quidam presbyter erat, Aegidius nomine, religiosus valde, qui cum sanctam duceret vitam, cœpit prius precibus pulsare Deum, ut sibi monstraret naturam corporis Christi & sanguinis.* Venit ergo dies, ut idem more solito diuina celebraret: & post Agnum Dei procumbens genibus, Creator, inquit, & Redemptor omnipotens Deus, pande mihi exiguo, in hoc mysterio naturam corporis Christi, ut mihi liceat eum prospicere in forma pueri, quem olim sinus matris virgineus tulit vagientem, & ecce Angelus Domini eum de celo veniens affatur, Surge, propera, si Christum videre placet, adest praesens corpore.

corporeo vestitus amictu, quem sacra puerpera ges-  
fit. At presbyter pauidus, surgens, vedit super  
aram puerum sedentem. Cui Angelus, Quia Christum  
videre placuit, quem sub specie panis verbis sa-  
craisti mysticus, nunc oculis inspice, & traetla manibus.  
Tunc sacerdos caelesti munere fatus, quod mirum di-  
ctu est, vlnis tremebus puerum accepit, & pectus  
proprium Christi pectori iunxit. Deinde profusum in  
amplexum, dat oscula pia Deo, & suis labiis pressit  
pia labia Christi. Quibus ita peralatis, restituit pue-  
rum in altari, & rursus homo prostratus deprecatur  
Dominum, ut dignetur ipse verti in pristinam for-  
mam, & surgens inuenit corpus Christi in formam  
remessa priorem, & sic sub specie debita communi-  
cavit eidem.

Secundum mirabile signum in consecratione  
sacramenti altaris est, quod substantia panis mu-  
tatur in corpus Christi, quod sumpsit de Virgine:  
& hoc fit verbi Dei potestate. Quod probatur  
tribus modis fieri posse. Primo à potestate simili.  
Secundo à minori. Tertio à maiori. Primo à po-  
testate simili: quia verbum Christi substantiam  
vnam in aliam commutauit. Secundo à minori:  
quia res quæ minus possunt, substantiam vnam  
in aliam mutant. Tertio à maiori: quia verbum  
Dei multo maiora fecit. I. verbum Dei mutat  
substantiam panis in corpus Christi, quod pro-  
batur à simili, eo quod quandoque vnam substan-  
tiā in aliam commutauit. Hinc legitur Ioan. 2.  
quod Dominus vocatus ad nuptias, deficiente  
vino, iussit hydrias impleri aqua, quam protinus  
in vinum commutauit. Et sequitur ibi: *Hoc fecit  
initium signorum Iesu, & manifestauit gloriam suam.*  
Sicut ergo in nuptiis potuit aquam in vinum  
conuertere: sic potest in suo sacramento panem  
in suum corpus, & vinum in sanguinem commu-  
tare: in similibus enim simile est iudicium, vnde  
sicut ibi, ita & hic. Vbi similis præcipit virtus,  
similis obedit effectus.

Secundo probatur idem à minori, eo quod res  
quæ minus possunt quam verbum Dei, substan-  
tiā vnam mutant in alteram. Vnde sciendum,  
quod prouidentia Dei mutationes rerum tribus  
modis fieri voluit, præter quas verbo suo facit,  
scilicet, arte, natura, & gratia. I. Ars enim hominis  
vnam substantiam mutat in alteram: vt patet in  
vitifice, qui vitem cinerem in præclarum & no-  
bile mutat vitrum: ergo multo magis virtus ver-  
bi Christi mutare potest panem in corpus eius,  
& vinum in eius sanguinem. Ecclæ. 8. Sermo Dei  
potestate plenus est, nec dicere ei quicquam potest,  
*Quare ita facis?* Eusebius. Inuisibilis Sacerdos vi-  
sibilis creaturas in substantiam corporis & sanguinis  
sui, verbo suo secreta potestate commutat.

Item, Natura mutat vnam substantiam in alte-  
ram, sicut in vite aqua mutatur in vinum, & ope-  
re apum succus florum perfecta natura mutatur  
in fauum mellis. Similiter in nobis ipsis panis  
quem manducamus, quotidie per naturam muta-  
tur in carnem, & gramina comepta à brutis con-  
uertuntur in carnem & sanguinem, & sic de simili-  
bus pluribus in natura: ergo multo magis virtus  
verbi Christi mutare potest panem in substanciā  
sui corporis. Damascenus. *Sicut panis & vi-  
num transeunt per nutrimentum in corpus homi-  
nis, & non in aliud corpus: ita panis altaris & vinum  
virtute consecrationis transeunt in corpus & sanguinem  
Christi, quæ prius non erant.*

Item, Gratia hominis mutat substantiam vnam  
in alteram. Hinc Moyses per gratiam specialem  
mutauit virgam in serpentem, & aquam in san-  
guinem: ergo multo magis virtus verbi Christi  
mutare potest panem in Corpus eius, & vinum  
in Sanguinem. Ambros. *Virgam tenebat Moyses,*  
& proiesit in terram, & facta est serpens, & sic vide-  
mus prophetica gratia mutatam esse. *Quod si tantum  
valuit benedictio humana, ut naturam conuerteret,*  
quid dicemus de ipsa consecratione diuina, vbi ipsa  
verba Salvatoris operantur? Si ergo queras, *Quomo-  
do potest quod est, fieri corpus Christi?* Respondeo,  
*Consecratione, quæ fit Christi sermone.*

Terrio probatur idem à maiori, quia verbum  
Dei multo maiora facit, & facere potest, quam  
quod panem in corpus mutat Christi. Vnde, *In  
principio erat Verbum. Omnia per ipsum facta sunt,*  
& sine ipso factum est nihil. Eugenius. *Sicut ad nu-  
tum precipientis repente ex nihilo consistunt excelsa  
calorum, profunda fluctuum, vasta terrarum: ita ex  
potestate in spiritualibus sacramentis, ubi precipit  
virtus, seruit effectus. Imo multo potius in hoc sacra-  
mento omnipotenti virtuti seruit effectus: quia multo  
magis est de nihilo facere nouam creaturam, quam  
substantiam quæ iam est, mutare in alteram.* Am-  
brosius. *De totius mundi operibus legitur, Quia ipse  
dixit, & facta sunt. Sermo ergo qui potuit ex nihilo  
facere quod non erat: non potest ea quæ sunt, in id  
mutare quod non erant: non enim minus est dare no-  
nas, quam mutare rerum naturas. Et sic erat in rebus,  
quod erat panis ante consecrationem, iam corpus  
Christi est post consecrationem: quia sermo Christi  
mutat creaturam.*

Cum itaque irrationalis creatura & inanima-  
ta, scilicet, panis mutatur in melius, scilicet, in  
corpus Christi virtute verbi Dei: mirum est quod  
peccator homo non multis verbis, nec beneficiis,  
nec comminatione, nec promissione, conuer-  
tetur de mala vita in bonam. Sed quia nihil  
apud Deum impossibile est, suppliciter rogandum  
est, vt nos conuertatur ad similitudinem  
imaginis bonitatis suæ, in præsenti per gra-  
tiam, & in futuro per gloriam. Amen.

## DE TERTIO MIRABILI in consecratione.

### S E R M O X I I .

*Venite, comedite, &c. Ut supra.  
Mirabilia opera tua, &c. Ps. 138.*



ERTIVM mirabile signum, imo mi-  
rabilissimum signum in consecra-  
tione Sacramenti altaris est, quod  
mutatur in corpus Christi panisto-  
ta substantia: sic tamen, vt maneat  
panis accidentia, id est, color, odor, & sapor, &  
huiusmodi corpus Christi circumstata & nostris  
sensibus obiecta. Quod enim in cœlestratione pa-  
nis mutatur in corpus Christi, iam supra probatū  
est. Et quod manent accidentia humanis sensibus  
obiecta, patet. Talis mutatio est supernaturalis, &  
dicitur proprie conuersio sive transubstantiatio.  
Quia similis ei per omnia non inuenitur in natura.

Quod

Quod cum diuina virtute in hoc sacramento possit fieri, triplici similitudine potest ostendi.

## I. Sumitur de gratia prophetali.

## II. De conuersatione spirituali.

## III. De mutatione naturali.

Prima similitudo quod substantia panis in corpus Christi posset transmutari, ita ut accidentia maneant, sumitur de gratia prophetali. Hinc est quod 4. Reg. 2. dicitur : *Eliseus misit sal in aquas amaras, & conuerte sunt in dulces.* In qua conuersione quatuor consideranda sunt, scilicet, continens, & contentum : operans, & operatum. Continens est species illa, siue claritas exterior aquarum quae manet. Contentum amaritudo interior. Operans est gratia prophetalis. Operatum est dulcedo subsequens aquarum. Primum, scilicet, continens, id est, species aquarum exterior manet. Secundum, scilicet, contentum, id est, amaritudo interior transit, atque mutatur in quartum, scilicet, operatum, id est, in dulcedinem : & hoc per tertium, scilicet, per operans, id est, per gratiam prophetalem. Sic est quodammodo in mutatione panis in corpus Christi. Primum enim, scilicet, continens, id est, species panis exterior manet. Secundum, scilicet, contentum, id est, substantia panis interior mutatur in quartum, id est, in corpus Christi : & hoc per tertium, scilicet, per operans, id est, per verbum Dei.

Secunda similitudo eiusdem sumitur de conuersatione spirituali. De prima 1. Reg. 10. dicit Samuel ad Saul, qui significat peccatorem. *In filiet in te Spiritus Domini, & mutaberis.* In qua mutatione siue conuersione, quatuor iam supra dicta consideranda sunt, scilicet, *continens, contentum, operans, & operatum.* In statu enim peccati videatur homo exterior pulcher & sanus : sed homo interior amaritudine & peccati veneno plenus est, & ægrotus. Hic dum per Spiritum Dei conuertitur, specie corporis manente exteriori, amaritudo & langor peccati interior in dulcedinem & sanitatem gratiae commutatur. Primum ergo, scilicet, species corporis exterior manet. Secundum, scilicet, amaritudo peccati interior transit in quartum, scilicet, in dulcedinem gratiae : & hoc per tertium, scilicet, per Spiritum Dei, & sic fit, ut iam dictum est, in conuersione panis in corpus Christi. Eugenius ad quandam conuersum. *Quanta & quam celebranda beneficia vis diuina bonitatis operatur, & quomodo tibi nouum & impossibile esse non beat, quod in Christi substantiam terrena conuertantur, te ipsum interroga, qui præterita vilitate deposita subito nouam induitus es dignitatem. In exteriori nihil additum, totum est in interiori mutatum.*

Tertia ergo similitudo eiusdem sumitur de imitatione naturali. Videmus enim quod ponuntur oua sub aue, ut sub gallina, vel columba : & per naturam mutantur in carnem, imo in auiculam viuam. In hac mutatione similiter illa quatuor quae iam dicta sunt, possumus inuenire. Ibi enim est continens, scilicet, testa, quasi species oui exterior : & contentum, scilicet, vitellum, quasi substantia oui interior : & operans, scilicet, natura : & operatum, scilicet, caro pulli, imo integrum corpus pulli viui. Primum, scilicet, testa, siue species exterior manet. Secundum, scilicet, vitellum, siue substantia interior transit & mutatur in quartum, scilicet, in

corpus pulli viuum : & hoc per tertium, scilicet, operantem naturam. Et mira similitudo: quia testa diebus aliquibus integra manente exterius videtur quasi adhuc sit ouu, quod non est ouum, sed viui pulli integrum corpus testa velatum. Si- cut ergo in hac re columba per naturam : sic in sacramento altaris operatur Spiritus sanctus per suam omnipotentem virtutem. Hinc est quod in columbae specie super Christum apparuit Luc. 3. Hinc etiam Genel. 1. *Spiritus Dei ferebatur super aquas, verum, sicut avis fouens oua,* dicit Glossa. Ergo si ponis sub aue unum, vel duo, vel plura oua, vertit ea per naturam interius in carnem, testa manente exterius : quanto magis si ponas in altari unam hostiam panis, vel duas siue centum, siue mille vel plurimas, manente panis exterius specie, Spiritus sanctus eas repente interius in corpus Christi sua virtute conuertit. Augustinus. *Cum panis per manus hominis ad illam visibilem speciem perducatur, non tamen sacrificatur: ut sit tam dignum sacramentum, nisi operante invisibiliter Spiritu Dei. Quia sicut de Virgine per Spiritum sanctu vera caro Christi sine coitu est formata: ita per eundem de substantia panis mystice idem corpus Christi consecratur.* Attende quod dicit, de substantia panis, non quod sit materia corporis Christi, sed quia panis conuertitur in corpus Christi, unde verus.

## Corpus de pane, corpus de Virgine. Primum.

## De conuersum, sed materiale secundum.

Hinc moraliter notandum est, quod cum irrationalis creatura, scilicet, panis, per verbum Dei & Spiritum eius in melius conuertitur : quanta sit peccatoris duritia, qui multis verbis, & Spiritus sancti circa se operationibus ad conuersiōnem non perducitur. Ierem. 5. *Indurauerunt facies suas supra petram, & noluerunt reuerti.* Haec induratio finalis impoenitentia est, cuius triplex causa assignari potest. Prima, longa consuetudo peccandi. Secunda, incredulitas de iustitia Dei. Tertia, seductio inimici. De prima Sap. 14. *Conualesce iniqua consuetudine error tanquam lex custoditus est.* Ier. 13. *Si mutare potest Aethiops pellem suam aut pardus varietates suas: & vos poteritis bene facere, cum didiceritis malum.* Glossa. Consuetudo peccandi, quodammodo in naturam transit. Sed quod hominibus impossibile est, Deo est possibile, ut non Aethiops vel pardus, id est, longævi peccatores suam naturam per se mutare videantur, sed Deus qui in illis operatur. August. *Vocabas me Domine, & suspirabam ligatus, non ferro alieno, sed mea ferrea voluntate. Velle enim meum tenebat inimicus, & inde mihi catenam fecerat, & constringerat me. Quippe ex voluntate peruersa facta est libido: & dum seruitur libidini, facta est consuetudo: & dum consuetudini non resistitur, facta est necessitas.*

De secundo Soph. 1. *Visitabo super viros defixos in facibus suis, qui dicunt in cordibus suis: Non faciet bene Dominus, & non faciet male.* Glossa. Tollunt Deo prouidentiam, putantes quod nec bonis bona, nec malis mala possit reddere, sed omnia casu regatur. Ps. 3. *Dixit insipiens in corde suo: Non est Deus, scilicet iustus iudex qui vindicet peccata.* Unde sequitur: *Corrupti sunt, & abominabiles facti sunt.*


De tertio Osea 5. *Non dabunt cogitationes suas, ut reuertantur ad Dominum, quia spiritus fornicationis in medio eorum, & Dominum non cognoverunt.* Quasi di. Quia spiritus malignus obsidet eos, & excusat, ut Dominum non agnoscant, & promis-

D. Alberti Magni Serm.

Z. 2. sionibus

sionibus falsis seducit: ideo conuerti non possunt. Eccles. 29. *Repromissio nequissima multos perdidit.* Gen. 34. *Egressa Dina, ut videret mulieres regionis illius, vidit eam Sichem princeps terræ, id est, diabolus: & adamauit eam, rapuit, dormiuitque cum ea, & agglutinata est anima eius cum ea: tristemque blanditiis deliniuit.* Quia mundi prospera, peccati lenocinia, longam vitam fallo re promittunt. 3. Reg. 22. dicit Michæas: *Egressus spiritus, ait, Ego decipiam Achab, egrediar, & ero spiritus mendax in ore omnium Prophetarum eius: qui dicebant regi, Ascende in Ramoth Galaad, & vade prospere, & tradet Dominus inimicos tuos in manus tuas.* Et in hoc deceptus est: ingressus enim prælium, quidam percussit eum casu sagitta inter pulmonem & stomachum, & graniter vulneratus, mortuus est vesperi.

Sed quamvis ob prædictas causas induratis conuercio rara sit: tamen Deo omnia possibilia sunt, qui potes est de lapidibus suscitare filios Abraham. Et ideo suppliciter rogandus est: ut sicut Spiritus sancti virtute creaturam panis in corpus suum conuertit: ita nos in similitudinem imaginis bonitatis suæ, & in corpus suum mysticum conuertat: ut simus unum cum ipso in præsenti per gratiam, & in futuro per gloriam. Amen.



## D E

## TRIBVS MIRABILIBVS quæ considerantur in corporis Christi possessione.

## SERMO XIII.

*Venite, comedite, &c. Vt supra.  
Mirabilia opera tua Domine  
& anima mea cognoscet nimis.  
Psal. 138. Vel aliud simile.*

**D**ICTO iam supra de tribus mirabilibus in corporis Christi consecratione, hic dicendum est de tribus mirabilibus, quæ etiam fiunt virtute & perfectione consecrationis, & attenduntur in eiusdem corporis possessione, id est, dum post consecrationem illud adhuc exterius nobiscum habemus.

- I. *Mirabile est, quod tam magna res continetur sub tam parua specie panis.*
- II. *Quod unum & idem corpus est in pluribus locis.*
- III. *Quod licet sit in pluribus locis, tamen per partes non est dividum, sed manet in se coniunctum.*

Primum mirabile signum considerandum in possessione Dominici corporis est, quod tam magna res, scilicet, verum & integrum corpus Christi, continetur sub tam parua specie panis. Et huius mirabilis rei triplex potest ratio assignari. Prima est demonstratio magnitudinis sapientiae artificis tantæ rei. Secunda, æqualitas potentiae Christi,

cum potentia Dei. Tertia, sufficiens causa ad finem Sacramenti.

Prima ratio, quod tam parua species panis fiat verum & integrum corpus Christi, est demonstratio magnitudinis sapientiae artificis tantæ rei Spiritus sancti. Videmus enim, quod artifices, quanto sunt in arte sculpendi peritiores, tanto sculpunt imagines subtiliores. Vnde si artificibus offeratur materia gemmæ vel metalli valde parua, & rogetur in ea fieri irnago subtilissima: minus subtilis responderet, quod eam facere non possit: quam tamen maxime subtilis in arte facile facit. Sic fit ad demonstrandam incomparabilem Spiritus sancti sapientiam, sub minima specie Sacramenti facile facit totum corpus Christi. Hinc Sap. 7. *Spiritus sanctus dicitur esse subtilis, non enim potes ei tam subtilem partem panis in altari propone, quin sciat, & possit eam in verum corpus Christi conuertere.* Damascenus. *Quomodo fiet hoc, ait Virgo, quoniam virum non cognosco? Respondit Angelus, Spiritus sanctus superueniet in te; & tu quasris quo modo panis fiet corpus Christi, maxime tam parvus, dico tibi & ego, Spiritus sanctus superueniet, & ipse faciet haec que super naturam sunt, & super intelligentiam.*

Secunda ratio ad idem, similitudo potentiae Christi cum potentia Dei. Quicquid enim potest Filius Dei per naturam, hoc potest Filius hominis propter personæ unitatem. Matth. vltimo. *Data est mihi omnis potestas in celo & in terra.* Ambr. super illud verbum Angeli, *Hic erit magnus & Filius Altissimi vocabitur: Non ideo erit Magnus, quod ante partum Virginis Magnus non fuerit: sed quia potentiam quam Dei Filius ante tempora naturaliter habet, hic erit ex tempore accepturus: quia sicut in unam personam, ita in unam potentiam conueniunt Dei & hominis Filius: sed Dei Filius verbum Patris illam habuit potentiam, quod minima parte corporis opere Spiritus sancti de Virgine separata se vestiuit, & se vere in eam inclusit: secundum illud, *Verbum caro factum est, & habitavit in nobis:* ergo similem potestatem dedit homini Christo, scilicet, ut possit facere corpus suum esse sub minima specie panis. Psal. 198. *Dominus in Sion Magnus.* Sion interpretatur speculum, ut dicit Augustinus, & Papias. Et dubium non est, quod magna imago tam expresse & tam integre apparet in tam paruo speculo, sicut in magno. Magnus ergo Dominus in Sion, id est, in speculo esse dicitur: quia verum corpus Christi tam integraliter esse sub parua specie panis, sicut sub magna rectè creditur.*

Tertia ratio ad idem, est sufficiens causa ad finem Sacramenti, & finis Sacramenti est animam fidem spiritualiter cibare, & contra malum & ad bonum confortare. Causa huius efficiens est corpus Christi: & id potest tam plene sub specie panis parua, quam sub magna: quia sub utraque æqualiter vinitum est Deo, ex quo fluit omnis virtus in Sacramento. Quantumcunque enim parua sit species illa panis, ibi est totum corpus Christi per conversionem, sanguis per connexionem, anima per coiunctionem, & deitas integra per unionem: vnde certum est, quod habet rationem cibandi spiritualiter & confortandi animam. Exod. 16. *Qui minus collegerat, non reperit minus de manna, quam qui plus collegerat.* Hilarius. *Vbi pars est corporis, id est, minima pars Sacramenti, ibi est & totum*

rum corpus. Eadem enim ratio est in corpore, quo in manna, quod in eius figura praecessit, de quo dicitur: Qui plus collegit, non habuit amplius: atque qui minus parauerat, non habuit minus. Non est enim quantitas visibilis in hoc estimanda mysterio, sed virtus spiritualis. Vnde qui multum vel magnum panem consecrat, non habet amplius quam verum corpus Domini: & qui paruum, non habet minus quam integrum corpus Christi ad salutem sui.

Secundum mirabile signum circa corpus Domini, quod unum & idem corpus est in pluribus locis, in pluribus hostiis, in pluribus portionibus. Et hoc probatur tribus modis. Primo per veracem prophetiam, secundo per manifestam rationem, tertio per visibilem similitudinem.

I. Probatur, quod corpus Christi potest esse in pluribus locis, per prophetam. Mal. 1. ad Iudeos: Non est mihi voluntas in vobis, dicit Dominus, & munus non suscipia de manu vestra. Ab Ortu enim solis usque ad Occasum magnum est nomen meum in Gentibus, & in omni loco sacrificatur, & offertur nomini meo oblatione munda. Ecce loca plurima exprimit, & unam oblationem mundam fidelium dicit. Exod. 20. In omni loco in quo fuerit memoria nominis mei, veniam ad te, & benedicantib. Memoria nominis Domini est sacrificium altaris, scilicet, corpus Christi, quod fieri iussit in commemorationem nominis eius. Hoc fit in multis locis: & in hoc venit unus Dominus ad benedicendum nobis.

II. Probatur idem per manifestam rationem, quae est, quod Filius hominis participat potentiam Filij Dei, propter personam unitatem. Ambr. Sicut in unam personam, ita in unam potentiam conueniunt Dei, & hominis Filius. Vnde sicut Dei Filius est essentialiter in omnibus rebus: ita dedit Filio hominis, ut corpus eius sacramentaliter esse posset in pluribus locis. Augustinus. Intelligentum est corpus Christi esse in uno loco, id est, in celo ubi ascendit ad dextram Patris, scilicet visibiliter in forma humana: veritas tamen eius, id est, diuinitas ubiq. est. Veritas eius, id est, verum corpus in omni altari sacramentaliter est, ubi celebratur. Innocentius III. Disposuit celestis altitudo consilij, ut sicut tres persona sunt in unitate essentiae, scilicet, Pater, & Filius, & Spiritus sanctus: ita tres essent substantiae in unitate personae, scilicet, diuinitas Christi, corpus, & anima. Cum ergo Christus secundum naturam diuinam, tribus modis existat in rebus, scilicet, in omnibus per essentiam, in solidis iustis per gratiam, in homine assumto per unionem: voluit, ut idem secundum naturam humanam etiam tribus modis in rebus existeret: in celo localiter, in Verbo personaliter, in altari sacramentaliter. Vnde sicut secundum diuinitatem, totus essentialiter est in omnibus rebus: ita secundum humanitatem totus sacramentaliter est pluribus locis.


III. Probatur idem per visibilem similitudinem, quae cunctis in speculo declaratur. Nam si facie tua plura proponis specula, in omnibus aequaliter & integraliter una facies apparebit. Et si unum speculum in plura frusta etiam parua confringas, perfecte tua facies in singulis erit. Speculum multiplicetur & in plura frangatur: tamen facies in omnibus manet una, nec mutatur. Sic est reuera in Sacramento Christi, qui speculum dicitur & imago Dei. Sap. 7. Speculum est

D. Alberti Magni Serm.

sine macula Dei maiestatis, & imago bonitatis illius. Si ergo speculum, id est, forma panis in partes plures diuidatur: in singulis erit imago unita diuinitati, id est, verum corpus Christi. Hieronym. Singuli fidelium accipiunt Christum Dominum, & in singulis portionibus totum est, nec per singulos minuitur, sed integrum se prebet in singulis.

Tertium mirabile signum circa corpus Domini, quod licet in pluribus locis, vel hostiis, vel portionibus est: tamen per partes non diuiditur, vel non est diuisum: sed manet in se integrum & coniunctum. 1. Cor. 1. *Divisus est Christus?* Quasi diceret: Non est diuisus. Quia licet sit in celo localiter, in corde iusti spiritualiter, in multis locis sacramentaliter: tamen manet in se coniunctum. Et huius mirabilis rei est ratio ineffabilis, unio hominis & Dei, carnis & Verbi. Vnde sicut Verbum Dei ubique est, & totum replet celum & mundum, manens indiuisum: sic dedit corpori (quod assumpit, & in unitate personae unituit) in multis locis posse esse, & in se coniunctum manere. Gregor. *Sicut diuinitas Verbi Dei una est, que totum implet multis locis mundum: ita licet multis & innumerabilibus diebus illud consecretur corpus, non sunt tamen multa corpora Christi, sed unum corpus cum illo quod assumpit de Virgine, & quod dedit Apostolis.* Diuinitas enim Verbi, quae ubique est, replet illud, & coniungit: & facit ut sicut ipsa una est, ita veritas corporis Christi unus est corpus sic in veritate. Augustinus. *Quando Christum manducamus, partes de illo non facimus: sed in Sacramento fit hoc, Vnusquisque accipit partem suam in Sacramento, & manet integer totus in seipso, manet integer totus in celo, manet in corde tuo. Totus enim erat apud Patrem, quando venit in Virginem: implevit illam, non recessit ab illo: venit in carnem, ut eum homines manducarent: & manebat integer apud Patrem, ut Angelos pasceret.*

Rogandus est ergo Dominus, licet nos sumus necessario corporaliter abinuicem diuisi, ut sumus per ipsum semper coniuncti spiritualiter in charitate, & digne nos pascat suo in praesenti sacramento & plena visione sui cum Angelis in futuro. Amen.



## D E

### TRIBVS MIRABILIBVS in corporis Christi per- ceptione.

#### S E R M O X I V.

*Venite, comedite, &c. Ut supra.  
Mirabilia opera tua Domine*

*& anima mea cognoscet nimis.*

*Psal. 138.*

 Icto parum superius de tribus mirabilibus diuinæ operationis, quæ considerantur in Domini corporis consecratione, & postea de tribus aliis in eiusdem corporis possessione: hic dicendum est de tribus ultimis considerandis in eius perceptione.

- I. Mirabile est, quod corpus Christi dum manducatur, non minuitur.
- II. Quod si non manducatur, quodammodo minuitur,
- III. Quod dum manducatur, augmetatur.

Primum mirabile signum considerandum in perceptione corporis Domini est, quod cum manducatur, non minuitur. Et hoc est contra hæreticos qui dicunt, si corpus Christi omni monte maius esset, iamdiu Clerici illud consumpsissent. Huius ergo tam miræ rei, scilicet, inconsumptibilitatis corporis Christi in manducatione sui, triplex ratio potest assignari. Prima ratio est quotidiana potestas consecrandi. Secunda incorruptibilitas sui. Tertia infinita causa pascendi.

Prima ratio quod corpus Domini dum manducatur, non minuitur, est quotidiana potestas consecrandi. Nam quia omnibus diebus, & omnibus fidelium locis, & sub tot hostiis quot sufficiunt fidelibus, verum & vnitum corpus Christi, ex præcepto eius consecrare possumus: idcirco dum illud manducamus, consumere vel minuere non possumus, nec valemus. Sicut enim in nobis, causa salutis æternæ, semper manet affectus illud manducandi: sic & potestas & effectus consecrandi. Et cum iam consecratum manducamus, nequaquam illud minuimus: quia id semper in se veraciter perseverat integrum, ne sacramentaliter in Ecclesia possit deficere, semper consecrando in forma panis: quia sacramentum in nutriendo & renouando conseruamus, quod pulchre figuratum est in panibus propositionis, de quibus dicitur Exod. 35. *Pones super mensam meam panes propositionis in conspectu meo semper.* Et quomodo dicitur super Leu. 24. *Accipies quoque similam & coques ex ea duodecim panes, & statues illos super mensam meam, ut sint panes in monumentum oblationis Domini.* Per singula sabbata mutabuntur fædere sempiterno. Similiter de igne Dei dicitur Leu. 6. *Ignis in altari meo semper ardebit, quem nutrit Sacerdos subiiciens ligna mane per singulos dies.* Ignis iste nunquam deficit in altari. Sed mensa illa cum panibus & ignis cum altari deficit, quid igitur? mentitus est Deus? absit, sed umbra deficit in Synagoga: veritas manet, nec deficit in Ecclesia. Sacerdos enim noster semper Sacramentum altaris consecrando nutrit: & corpus Christi quod in illo semper idem est, nunquam manducatione fidelium deficit.

Secunda ratio ad idem est vera incorruptibilitas corporis huius. Surrexit enim glorificatum, immortale, & immutabile, & impossibile posse corrupti. Psal. 15. *Non dabis Sanctum tuum videre corruptionem.* Vnde cum illud manducamus, non sicut aliis cibus, corruptitur, nec mutatur in corpus nostrum: sed influit nobis sine corruptione sui spirituale nutrimentum. Hoc figuratum est 3. Reg. 17. vbi pugillus farinæ in domo viduæ, per multos dies cibans totam familiam, non defecit, iuxta verbum Eliæ. August. *Qui manducat me, dicit Dominus, vivit propter me: non ergo timeamus manducare panem istum, fratres, ne forte consumamus illum, & postea quod manducemus, non inueniamus.* Quando enim manducatur, vita manducatur: nec occiditur, quando manducatur, sed

mortuos vivificat: manducatus reficit, sed non deficit: vivit manducatus, quia surrexit occisus. Hinc etiam lapidi pretioso comparatur, de quo virtus exit phantasmata fugandi vel inflationes sedandi, vel operandi alia, sine diminutione sui. Deut. 12. *Constituit hominem, ut fugat mel de petra, oleumque de saxo durissimo.* Petra autem erat Christus. 1. Corinth. 10. Sicut ergo gemina, virtutem suam effundendo, non minuitur: sic corpus Domini nos pascendo non minoratur.

Tertia ratio ad idem est causa pascendi. Quotquot enim ad ipsum accedere possunt, pastum sufficientem in ipso inueniunt. Hinc Dominus fons viuus, & lux vera vere dicitur. De primo Gen. 2. *Fons ascendebat è terra, id est, Christus,* dicit Glossa, irrigans vniuersam superficiem terræ, id est, inspirans cordi utilia, & honesta. Ierem. 2. *Dereliquerunt me fontem aquæ viue.* De secundo Ioan. 1. *Erat lux vera quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum.* Sicut ergo fons terram irrigat, & sine sui diminutione herbas, & arbores nutrit: sic Christus Ecclesiam pascit. Item, sicut sol non deficit, toti mundo lumen suum communicando: sic nec Christus, Ecclesiam totam pascendo. Hinc euident exemplum est in candela, de qua millesies tantus sumi potest ignis, quantus in ea est: nec propter hoc minuitur lumen eius. Igitur multo potius Dominus nos seipso pascit: nec tamen deficit. Psal. 144. *Oculi omnium in te sperant Domine, & tu das escam illorum in omni tempore.* Tu autem idem ipse es & anni tui non deficient.

Secundum mirabile signum in perceptione corporis Domini est, quod si non manducatur, quodammodo minuitur. Ad intelligentiam tam miræ rei, sciendum, quod duo sunt corpora mystica in hoc mundo, scilicet, corpus mysticum Christi, & corpus diaboli, siue Antichristi: ad quorum alterum pertinent omnes homines mundi. I. Corpus Christi sancta est Ecclesia, tanquam ipsius munda & fidelis sponsa, cuius ipse caput est: & singulæ personæ fidelium, sine culpa criminali, sunt ipsius membra: & omnes, qui corpus eius digne sumunt, membra ipsius sunt. 1. Corinth. 12. *Vos estis corpus Christi, & membra de membro.* Sicut enim corpus unum est, & membra habet multa: ita & Christus. Item cap. 10. *Vnum corpus multi sumus, qui de uno pane participamus.*

II. Econtra corpus diaboli vniuersitas est iniuriorum tanquam illius meretrix & adultera, cuius ipse caput est, & singulæ personæ malorum sunt membra. Iob 41. *Corpus eius quasi scuta fusiæ, compactum squamis se prementibus.* Gregorius. *Corpus diaboli sunt omnes iniqui, qui quia per obstinationem duri sunt, & per vitam fragiles, scutis fusilibus comparantur.* Hoc corpus diaboli reple compactum squamis se prementibus dicitur: quia cum de iniquitate sua corripitur, quibus valet tergiuersatioibus, se excusare conatur: & quasi quasdam squamas defensionis obicit, ne transfigi sagitta veritatis possit. Apoc. 17. Dicit Glossa super illud: *Venis ostendam tibi damnationem meretricis magna.* Meretrix ista magna est Antichristus, & omnes mali, qui tempore eius erunt, qui sedet super aquas multas, id est, iam regnat super malos praesentes, quorum omnium est ipse caput. Vnde sciendum, quod sicut Christus per se, & per suos semper studet membra diaboli præcidere, & membris suis

suis incorporare, secundum illud Act.10. *Surge Petre, occide, & manduca*: sic diabolus per se, & per suos conatur membra Christi tollere, & meretricis sue membris vilibus vnire. 1. Pet. 5. *Sobrij estote, & vigilate: quia aduersarius uester diabolus, tanquam leo rugiens, circuit querens quem denoret.* Deut. 21. *Populus iste fornicabitur post deos alienos, & derelinquent me.* 1. Cor. 6. *Nescitis quoniam corpora vestra, membra sunt Christi. Tollens ergo membra Christi, faciam membra meretricis?* *Absit*, vt tantum nefas faciam: quod tamen, heu, multi faciunt. Augustinus. *Non possunt simul esse corpus Christi, vel membra Christi, & membra meretricis, nec isti dicendi sunt manducare corpus Christi, qui sunt membra meretricis.* Ecce quod isti mali non manducant corpus Christi, scilicet, spiritualiter, et si manducant sacramentaliter: sed non manducando spiritualiter corpus Christi, & male viuendo, tollunt membra Christi, & faciunt ea membra diaboli: & sic diminuunt, quantum in se est corpus Christi: quod enim diabolo in animabus accrescit, Christo decrescit, & corpus eius mysticum diminuitur.

Tertium mirabile signum in perceptione Dominici corporis est, quod dum manducatur à fidelibus, tunc augmentatur. Et hoc potest probari dupliciter, scilicet, ratione, & similitudine. Primo probatur istud mirabile ea ratione, quod dum manducatur corpus Christi, non ipsum, vt aliis cibus, in manducantem conuertitur, sed è conuerso vere manducans spiritualiter in illud mutatur, nam manducantem se Dominus sui corporis mystici membrum facit, & sibi ipsi eum incorporans cum suo corpore quod de Virgine sumpsum, quodammodo vnum efficit. 1. Corint. 10. *Vnum corpus multi sumus, qui de uno pane participamus.* Item 12. *Vos estis corpus Christi, & membra de membro.* Augustinus. *Commendauit Christus in hoc sacramento corpus & sanguinem, quod suum & fecit nosipso.* Nam & nosipsi corpus ipsius facti sumus: caro enim nostra carni eius unita & incorporata vnum cum illa efficitur. Osee vltimo. *Conuententur sedentes in umbra eius, viuent tritico, id est, Dominici corporis Sacramento,* quod dicitur umbra Christi: quia dat se ibi non in sua luce, sed in velamine. Sic comedentes conuertentur: quia in corpus Christi mutabuntur: & sic patet dum multi fidelium comedunt corpus Christi, & in illud, ipsi mutantur, & membra eius efficiuntur: quod corpus Christi dum manducatur, augmentatur.

Secundo probatur idem similitudine humanæ scientiæ. Nam quanto magis homo scientiam suam aliis distribuit, tanto amplius crescit. Matth. 25. *Domine duo talenta tradidisti mihi: ecce alia duo superlucratus sum.* Boetius. *Scientia est animi nobilis possessio, que auarum designatur possessorem: nisi publicetur, elabitur: & distributa, suscipit incrementum.* Similiter diuina sapientia incarnata multis in cibum donata, sapientes facit, & in se quodammodo conuertit: & sic dum comeditur, non minuitur, sed augmentatur. Eccl. 1. *Creator omnium creauit sapientiam Spiritu sancto,* id est, incarnari fecit, & secundum datum suum præbet illam diligentibus se: & in hoc sapientia Dei crescit, dum multos in sapientia crescere facit. Eph. 4. *Crescamus in illo per omnia, qui est epar nosstrum Christus: ex quo totum corpus compa-*

*etum, scilicet per fidem, & connexum per charitatem in mensuram vniuersusque membra, augmentum corporis facit in edificationem sui in charitate.* Amen.



## PARS IV. DE QUALITATE NOSTRAE PRÆPARE RATIONIS AD SACRA MENTUM.

### S E R M O X V.

*Venite, comedite panem meum.*

*Vt supra.*

*Probet autem seipsum homo, & sic de pane illo edat.* 1. Cor. 11.

*Probet, id est, præparet se, examinet, purget.*

Item aliud, *Præparate corda vestrâ Domino.* 1. Reg. 7.



VAR TVM principaliter circa Sacramentum Dominici corporis notandum, est qualitas nostræ præparationis, nam valde iustum est, vt ad tam dignum & venerandum cibum, scilicet, ad ipsum Dominum omnium, non inaccurate, vel indeuote: sed aliquo competenti modo præparati, accedamus ad ipsum. Exod. 19. *Sacerdotes qui accedunt ad Dominum, sanctificantur: ne percutiatur eos.* Similiter & alij. Præparatio nostra potest in tribus considerari.

I. *In dignitate suscipiendi corporis.*

II. *In hostia propositi panis.*

III. *In figura agni paschalis.*

De duobus primis potest hic dici, & de tertio in sequenti.

Primo modus nostræ præparationis ad Sacramentum consideratur in dignitate ipsius Sacri corporis. Nam quia mundissimum est, & Deo viuo plenum, & vnitum: necesse est, illud suscipienti per tria præparari, scilicet, 1. per fidei plenitudinem, 2. per munditiae magnitudinem, 3. per orationis deuotionem.

Primum præparatiuum est fidei plenitudo. Heb. 10. *Accedamus cum vero corde, in plenitudine fidei.* Cum vero corde, id est, cum vero intellectu, sine errore, in plenitudine fidei, id est, in plena fide credentes que non videmus, scilicet, sub specie

panis esse totum Christum, verum hominem, & verum Deum. Propter huiusmodi fidei magnum meritum. 1. Pet. 1. *Credentes in Christum quem non videntis, exultabit latitia inenarrabili.*

Secundum præparatiuum est munditiæ magnitudo. Quia congruum est, vt vas sit mundum, suscepturnum corpus mundissimum. Exod. 16. *Sume vas unum, & mitte ibi man.* Vas vnum quasi singulariter & excellenter mundum. Hinc Hebr. 9. dicit Apostolus vas istud esse vrnam aurream. Decet enim cor quasi aurum esse purissimum, per magnam munditiam, quod capere debet cælestem panem. Alexander Papa. *Nihil in sacrificiis maius esse potest, quam corpus & sanguis Christi : nec vilia oblatio hac potior est, sed omnes preæellit, que pura Deo conscientia offerenda est, & pura mente sumenda.* Hugo. *Pura conscientia est, que non habet de præterito iustam accusationem, de presenti instanti delectationem, de futuro minus instanti voluntatem.* Matth. 27. *Ioseph petuit à Pilato corpus Iesu : & accepto corpore, inuoluit illud in fine dione munda.* Glosa. *Sindone munda Iesum inuoluit, qui pura mente eum suscipit.* Hinc etiam mos Ecclesiæ habet, vt sacrificium altaris non serico, non panno tincto, sed potius in linea celebretur.

In tribus vero, quæ perducunt corporale linum ad candorem, intelliguntur tria, quæ faciunt ad nostram mundificationem. Primo enim lauatur, secundo torquetur, tertio exiccatur. Sic qui ad suscipiendum Dominum nostrum mundus vult fieri, primo debet per aquam lacrymarum lauari, secundo per opera pœnitentiae torqueri, tertio per feruorem amoris Dei, à carnalium desideriorum humore siccari. De primo Hebr. 10. *Accedamus, aspersi corda à conscientia mala, & abluti corpus aqua munda, id est, mundati lacrymis à peccatis cordis & corporis.* Exod. 30. *Lauabitur Aaron, & filii eius, manus & pedes, id est, opera, & cogitationes aqua compunctionis, & confessionis, quando accessuri sunt ad altare :* ne forte moriantur. Ierem. 4. *Laua à malitia cor tuum Ierusalem, ut salua fias. Vsq[ue]quo morabuntur in te cogitationes noxie ?* Psalm. 50. *Lauabo per singulas noctes, id est, conscientiam meam. Lacrymis meis stratum meum rigabo.*

De secundo Exod. 26. *Cortinas tabernaculi, id est, ornatum animæ facies de byssò retorta : de operibus pœnitentiae, ieuniis, afflictionibus, orationibus, & huiusmodi.* 1. Corinth. 9. *Castigo corpus meum, & in seruitutem redigo.* Eccles. 33. *Seruo maleuolo, id est, corpori, tortura & compedes : mitte illum in operationem, ne vacet.* Psal. 33. *Multa tribulationes iustorum.* De tertio Psal. 21. *Aruit tanquam testa virtus mea.* Quasi diceret: Diuini amoris igne purgatus sum ab omni prauo humore. Item, *In sole posuit tabernaculum suum, ad sicandum scilicet per amorem diuinum : vt fiat valde pulchrum & mundum.* Cant. 4. *Tota pulchra es amica mea, & macula non est in te :* quia scilicet bene lota, torta, & exiccata. Num. 11. *Sanctificamini : cras comedetis carnes.*

Tertium præparatiuum est orationis deuotio. Psal. 104. *Perierunt, & venit coturnix, & pane cali saturauit eos.* Iob 3. *Antequam comedam, suffiro.* Hinc Maria Magdalena, & aliae deuotæ portabant aromata, dum quererent corpus Iesu Luc. 24. Sic nobis accessuris ad corpus Domini, præ-

libanda est deuotionis oratio : vt quod forte minus parati sumus per iejunium & confessio-nem, suppleat spiritualium aromatum, id est, oblationum oratio. 2. Paral. 30. Magna pars populi quæ sanctificata non fuerat, comedit phage & oravit pro eis Ezechias Rex dicens: *Dominus bonus propitiabitur cunctis qui in toto corde requirunt eum, & non imputabitur eis, quod minus sanctificati sunt.* Augustinus. *Quamvis quis peccato mordeatur veniali, peccandi tamen non habeat voluntatem : satisficiat lacrymis & orationibus, & confidens de Domini miseratione accedat ad Eucharistiam intrepidus & securus.*

Secundo modus nostræ præparationis consideratur in hostia panis. Sicut enim grana frumenti arte humana gradatim proficiunt ad panis complementum: sic anima peccatrix gratia Dei proficit ad bonum statum, in quo licenter suscipiat corpus Dominicum. Grana ex quibus fit hostia, significant statum peccatoris, propter tria. Sunt enim dura, & furfure operta, & ab inuicem distincta: sic 1. peccator durus est in corde, qui non vult conuerti ad dulcem Deum de sua iniuitate. Ierem. 5. *Indurauerunt facies suas super petras, & noluerunt reuerti.* 2. Item, Peccator operatus est quasi furfure, peccati deformitate. Ibidem 2. *Quam vilis facta es nimis, iterans vias tuas !* 3. Item, Peccator diuinus est à proximo suo, charitatis priuatione. Oſcæ 10. *Diniſum est cor eorum, nunc interibunt.*

Similiter & tritici grana ad statum in quo sunt in hostia, per hunc modum sunt deducta. Primo, contrita est durities eorum per molam, & in minimas partes redacta. Secundo, à furfure sunt mundata. Tertio, commixta est farina adiuicem per aquam, & ignem decocta, & in panem solidata: sic peccator qui dignus erit corpus Domini sumere, debet semper tria quæ in his signantur, præparare, 1. scilicet, per cordis contritionem, 2. per oris confessionem, 3. & per proximi dilectionem.

De primo Isa. 47. *Tolle molam, & mole farinam.* Quasi diceret: Fac in te molam spiritualem de duobus molaribus, considerando misericordiam Dei, & iustitiam ad emoliendum cordis tui duritiam: misericordiam quasi superiori lapidem, quæ nunc operatur, & circuit: sed post hanc vitam operari cessabit. Psalm. 85. *Misericordia tua Domine magna est super me.* Item considerando iustitiam, quasi inferiorem lapidem, quæ nunc iacet, & quiescit: sed post hanc vitam eleuatur, operatur, & currit. Ezech. 7. *Indicabo te iuxta vias tuas, non parcer oculus meus, & miserebor.* Matth. 21. *Super quem ceciderit lapis iste, conteret eum.* Roman. 11. *Vide bonitatem Dei, & severitatem.* Iob 23. *Deus emolliuit cor meum, & omnipotens conturbauit me.* Deus cui proprium est misereri semper & parcere: omnipotens, quem oportet iuste indicare. Psal. 50. *Sacrificium Deo spiritus contribulatus, cor contritum & humiliatum Deus non despicias.*

De secundo Amos 9. *Ecce mandabo ego, & concutiam in omnibus gentibus domum Israel, sicut concutitur in cribro,* vbi scilicet furfures separantur à nucleis, impurum à puro. Sic per confessionem mundatur anima à vili peccato. Psalm. 95. *Confessio & pulchritudo in conspectu eius.* 1. Mach. 4. *Dixit Iudas, & fratres eius, id est, confitentes, Ecce contriti sunt inimici nostri : ascendamus nunc mundare*

dare sancta nostra.Eccles.2. Qui timent Dominum, præparabunt corda sua, & in conspectu illius sanctificabunt animas suas. Glossa. Felix anima, quæ quotidie mundat cor suum, ut suscipiat habitatorem suum Deum, cuius possessio nullius eget bono: quia omnium bonorum auctorem in se habet.

De tertio Genes.18. Accelerata tria sata simile commisce, & fac subcineritos panes: vt scilicet vitulum optimum cum illis comedenter. Qui enim vitulum optimum, id est, corpus Christi vult sumere, prius debet de tribus satis similæ panem igne coquendo solidare, id est, ad tres hominum differentias, scilicet, ad superiores, æquales, & inferiores, veram dilectionem conseruare. 1. Corinth. 10. Vnus panis & unum corpus multi sumus, qui de uno pane, & de uno calice participamus. Augustinus. Qui accipit mysterium unitatis, & non tenet vinculum pacis: non mysterium accipit pro se, sed contra se. Matth. 22. Intrauit Rex, ut videret discumbentes, & vidit unum non habentem vestem nuptialem, id est, charitatem, & ait ministris: Ligatis manibus & pedibus eius, projecite eum in tenebras exteriores. Ibi erit fletus & stridor dentium. Matth. 5. Si offers munus tuum ante altare, vade prius reconciliari fratri tuo. Glossa. Si fratrem lessisti, reconciliare ei: etiam si aduersarius extiterat, esto benevolus, ut fratriculus: & tunc offeres munus tuum, ut sit Deo gratum. Propter prædicta in pane notanda dicitur Exod. 13. Azyma comedetis, id est, panem sine fermento. Et erit quasi signum in manu tua, & quasi monimentum ante oculos tuos: quod scilicet significatur in eo, ut dictum est, cordis contritio, oris confessio, proximi dilectio: quibus debemus nos præparare, ut digni possimus ad Christi corpus accedere, & eo ad fruendum in cælo cum Angelis peruenire. Amen.

## DE PRÆPARATIONE nostra, & mandatione spirituali.

### S E R M O XVI.

*Venite, comedite, &c. Ut supra. Probet autem seipsum homo, & sic de pane illo edat. 1. Corinth. II.*

*Sanctificamini, cras comedetis carnes. Num. II. Ecce agnus Dei. Ioan. I.*

 Ic dicendum est, qualiter in figura agni paschalis consideratur modus nostræ præparationis: de qua Exod. 12. legimus. Hæc figura in tres partes est diuidenda.

*Prima pars est ipse agnus edendus.  
Secunda, fercula cum quibus est comedendus.*

*Tertia, personarum edentium habitus.*

In prima discimus præparati per fidei integritatem, in secunda per animi virtuositatem, in tertia per vitæ honestatem.

Prima pars huius figuræ, est ipse agnus qui secundum legem manducatur, & in hoc tria considerantur. Primo quando comedendus, quia in nocte. Secundo qualiter, quia non crudus, non coctus aqua, sed assus igni. Tertio quid in eo comeditur, quia caput cum pedibus & intestinis: & in his fidei nostræ integritas de corpore Christi figuratur. In primo, scilicet, quod agnus in nocte comeditur, cum res plene non videtur: credendum significatur, quod corpus Christi nobis in præsenti dari debuit, non manifestum, sed in sacramento velatum. Tob. 12. *Sacmentum Regis abscondere bonum est.* 3. Reg. 8. *Dominus dixit, ut habitaret in nebula. Nunc enim videmus in enigmate,* id est, in figura obscura, quia in nocte: *tunc autem facie ad faciem:* quia in luce. In secundo, scilicet, quod non comedetur ex eo crudum, significatur, quod non debemus credere Christum purum hominem esse. Item, quod non comedunt aqua coctum, significat, quod non debemus credere Christum secundum communem hominum consuetudinem conceptum, aut natum. Item, quod comedunt assus igni, significat, quod Christi incarnatione & eius corporis consecratio credenda est celebrari per potentiam Spiritus sancti. In tertio, scilicet, caput agni cum pedibus & intestinis vorari præcipitur: significatum est, esse credendum, quod in hoc sacramento totus Christus cum diuinitate, & corpore, & anima continetur, & sumitur.

Secunda pars huius figuræ, sunt fercula tria, cum quibus solebant agnum manducare, scilicet, lactucæ agrestes, panes azymi, & sanguis agni. Exod. 12. *Edent carnes agni, & azymos panes cum lactucis agrestibus: & sument de sanguine agni, & ponent super virumque postem, & insupliminaribus domorum.* Primum ferculum, scilicet, lactucæ agrestes, significat dolorem de peccatis. Secundum, scilicet, panes azymi, intentionem puram in operibus bonis. Tertium, scilicet, sanguis agni, memoriam & imitationem Dominicæ passionis, quibus præparari debet anima fidelis. De primo Greg. Exod. 12. Num. 11. *Lactucæ agrestes valde amare sunt, carnes vero agni cum his sunt edenda: quia dum corpus Christi accepimus, pro peccatis compungi debemus: ut amaritudo pœnitentia abstergat, amorem peruersæ vita. Isa. 38. Recogitabo tibi omnes annos meos in amaritudine animæ mee.*

De secundo 1. Corinth. 5. *Epulemur non in fermento veteri, neque in fermento malitia & nequitia: sed in azymis sinceritatis & veritatis. Non in fermento veteri, id est, non in corruptione peccati superbia, quæ fit in Deum: neque in fermento malitia, quæ fit in proximum: neque in fermento nequitia, quæ fit in seipsum: sed epulemur in azymis sinceritatis & veritatis, id est, in sinceritate à virtutis, & in veritate bonorum operum: ut scilicet studeamus esse in statu innocentiae, vel nouæ vitæ sine fraude. De fermento veteri Gregorius. Panes sine fermento comedit, qui recta opera sine corruptione vanæ gloria facit. De fermento malitiæ idem. Panes sine fermento manducat, qui opera misericordia sine peccati commixtione exhibet, ne peruersæ rapiat, quod quasi recte dispensat. Unde per Amos 4. increpando dicitur: Sacrificate de fermento*

mento laudem. De fermento enim laudem immolat, qui Deo sacrificium de rapina parat. De fermento nequitiae Exod. 12. *Qui conederit fermentatum, peribit anima eius de filii Israël.* Fermentatum comedere, est delectari peccati corruptione, quod committitur in se. Psal. 35. *Dixit iniustus, ut delinquat in semetipso.*

De tertio iherculo supradicto Gregorius. *Sanguis agni, id est, Christi super utrumque postem ponitur: quando non solum ore corporis, sed etiam ore mentis hauritur, & ad imitationem intenta mente cogitatur.* Nam qui sic Redemptoris sanguinem accipit, ut imitari Passionem eius needum velit: in uno tantum poste sanguinem ponit. Item in superliminaribus ponendus est sanguis agni: quia non tantum in memoria, sed in manifesto debet portari crux Passionis Christi. Ad Galatas vltimo. *Mihi absit gloriari nisi in cruce Domini nostri Iesu Christi, per quem mihi mundus crucifixus est, & ego mundo.* Et ibidem statim post subditur: *Ego enim signata Domini Iesu in corpore meo porto.*

Tertia pars huius figuræ, est habitus, sive tria insignia illorum qui manducant agnum, scilicet, cingulus renum, calceamenta pedum, baculus manuum. Exod. 12. *Sic comedetis agnum: 1. Rennes vestros accingetis, 2. calceamenta in pedibus habebitis, 3. tenentes baculos in manibus.* Primum designat carnis & mentis continentiam: secundum, exemplorum patrum custodiæ: tertium, vitiorum nostrorum correctionem. Et haec exiguntur ad communicantium præparationem.

Primum præparatiuum, carnis & mentis continentia, in cingulo renum figurata. Gregorius. *In renibus accipitur carnis delectatio.* Vnde Ps. 25. *Vre renes meos, & cor meum.* Qui ergo Pascha comedit, carnes accingit: quia qui corpus Christi accipit, voluptatem domet, luxuriam refrænet.

Hæc præparatio continentia attendenda est, quantum ad tria hominum genera, scilicet, 1. coniugatos, 2. in continentia pœnitentes, 3. & spirituales. Primi ante sacram communionem seruare debent continentiam aliquantam, secundi longiorem, tertij continuam. De primo dicitur ad Dauid 1. Reg. 21. *Si pueri mundi sunt, maxime à mulieribus: manducent, scilicet, panem sanctum.* Respondit Dauid: *Si de mulieribus agitur, continuimus nos ab heri & nudiustertius.* Dedit ergo ei Sacerdos sanctificatum panem. Exod. 19. *Descendet Dominus coram omni plebe super montem Sinai, scilicet, in igne & nubis caligine.* Estote ergo parati in diem tertium, ne approximeris uxoris vestris. Si talis continentia seruata est ad figuram: quanto magis seruanda erit ad suscipiendam corporis Christi veritatem?

De secundo Leu. 22. *Homo qui fuerit leprosus aut patiens fluxum seminis, id est, peccans per incontinentiam carnis: non vescetur de his quæ sanctificata sunt mihi, donec sanetur, scilicet, per pœnitentiam.* Hinc statuti sunt ante Pascha quadraginta dies pœnitentia, ut his peractis in ieiunio & orationibus, & continentia, & bonis operibus, tunc possint communicare pœnitentes cum aliis bonis Christianis. Hinc super illud 1. Corinth. 11. *Si nosmetipso dijudicaremus, non utique indicaremur.* Dicit Augustinus. *Ab ipsa mente pœnitentis talis sententia proferatur, ut se indignum iudicet participationis corporis & sanguinis Domini,*

*& ad tempus per ecclesiasticam disciplinam à sacramento cœlestis panis separetur.* Indigne enim accipit, si tunc accipit, quando debet agere pœnitentiam, id est, quando incipit. Ergo prius se iudicet, & severitate pœnitentia se exerceat: ut se iudicatus non iudicetur à Domino.

De tertio scilicet, de continentia continua & sempiterna religiosorum, & in sacris ordinibus existentium Luc. 12. *Sint lumbi vestri praecincti, & vos similes hominibus expectantibus Dominum suum.* Quia enim tales semper debent ad suscipiendum Dominum vigilare, & expectare, & parati esse, nunquam debent soluere cingulum continentia, sed omnimodam & perpetuam castitatem seruare. Leu. 21. *Sacerdotes sancti erunt Domino suo, & non polluent nomen eius.* Incensum enim Domini, & panes Dei sui offerent, & ideo sancti erunt. Et ibidem. *Sit ergo sanctus: quia & ego sanctus sum Dominus, qui sanctifico vos: de quo etiam venerabilis inquit Beda: Si veteris testamenti Sacerdotes, secundum ordinem vicis sue intraturi templum ad offerendas legales hostias, à propriis uxoriibus oportuit abstinere: quanto magis nostri Sacerdotes, quos ad consecrandum sacrosanctum corpus Domini paratos semper esse oportet, continuam & sempiternam debent castitatem obseruare?*

Secundum præparatiuum est exemplorum patrum custodia per calceamenta pedum figurata. Gregorius. *Calceamenta in pedibus habere, est mortuorum patrum vitam aspicere, & nostra vestigia à peccati vulnere custodire.* Cant. 7. *Quam pulchri sunt gressus tui, in calceamentis filia principis!* Gressus sunt profectus operum: in calceamentis, id est, in consideratione vita patrum.

Tertium præparatiuum est correctionis disciplina in baculis manuum figurata. Baculus enim significat rectitudinem iustitiae, qua nosipso debemus de nostris excessibus ante communionem iudicare. Psal. 2. *Virga directionis, virga regni tui. Apprehendite disciplinam, ne quando irascatur Dominus, & pereatis de via iusta.* 1. Cor. 11. *Qui manducat, & bibit indigne: iudicium sibi manducat & bibit, non diiudicans corpus Domini: quod si nosmetipso diiudicaremus, non utique iudicaremur.* Augustinus. *Ascendat homo aduersum se tribunal mentis sue, & constituto in corde iudicio, adsit accusatrix cogitatio, & testis conscientia, & carnifex timor Dei: inde quidam sanguis anime confitentis per lacrymas profluat: & sic cessat vindicta diuina, cum confessio & correccio præcedit humana, & fit homo dignus ad sumendum Christi corpus verum nunc in Sacramento, & perfecta fruizione in futuro.*

De primo Deut. 8. *Afflixit te Dominus penuria, & dedit tibi cibum manna, quod ignorabas tu & patres tui: ut ostenderet tibi, quod non in solo pane vinit homo, sed in omni verbo quod egreditur de ore Domini.* Afflixit te, id est, fecit ut te affligeres & corrigeres, penuria, id est, pena in voluntatis tua, & voluptatis carentia: & tunc dedit tibi cœlestem panem corporis sui. De secundo Heb. 12. *Omnis disciplina in presenti quidem videtur non esse gaudi, sed mœroris: postea autem fructum pacatissimum exercitatis per eam mentibus reddet iustitie.* Amen.



P A R S V.

DE TRIPLICI  
MANDVCANDI MODO,  
& primo de sacramentali tan-  
tum, quo indigne man-  
ducant maleuoli,  
& dolosi.

S E R M O X V I I .

*Venite, comedite panem meum.*

Vt à principio.

*Quicunque manducauerit , vel  
biberit calicem Domini indi-  
gne, reus erit corporis & san-  
guinis Domini. i.Corinth.ii.*

 V I N T V M principaliter circa sacramentum Dominici corporis notandum , est modus manducationis.Et hic est triplex , scilicet ,

- I. *Sacramentalis tantum,*
- II. *Spiritualis tantum,*
- III. *Sacramentalis & spiritualis simul.*

Ad hoc sane intelligendum , sciendum , quod in cibo altaris duo sunt : sacramentum, & virtus sacramenti. Sacrementum vt dicit Augustinus, in duobus constat : scilicet , visibili panis & vini specie , & inuisibili carne & sanguine Christi. Virtus vero sacramenti est sanatio à damnatione mortis æternæ. Hanc virtutem sacramenti crediderunt , & spiritualiter gustauerunt omnes saluandi ab origine mundi , & quotidie gustant omnes boni Christiani. Sacrementum vero altaris , id est , visibilem speciem panis cum carne Christi manducant soli Christiani : & hoc tam boni, quam mali, sed modo dissimili : quia mali manducant sacramentum tantum , id est , sub visibili specie panis corpus Christi , sed non manducant virtutem sacramenti spiritualem , id est , salutem & vitam æternam.Boni vero manducant utrumque simul, scilicet , sacramentum, & virtutem sacramenti.

Ex his patet triplex modus manducandi corpus Christi, primus sacramentalis tantum, secundus spiritualis tantum, tertius sacramentalis & spiritualis simul. Primo modo manducant mali Christiani , secundo omnes saluandi, tertio soli boni Christiani. Primi manducant, & non manducant: secundi non manducant, sed tamen manducant: tertij manducant, & manducantur.

Primus modus manducandi corpus Christi, est sacramentaliter tantum , quo mali Christiani

manducant: quia venerandum corpus in mortali peccato , ore polluto sumentes , cordis affectum ad influentiam virtutis bonitatis eius , peccatis suis immundis & duris, quasi luto & lapide, claudunt. Ezech.14. Posuerunt immunditias suas in cordibus suis , & idola sua scandalum iniquitatis sua statuerunt contra faciem suam. Isti manducant & non manducant. Manducant quidem , quia corpus Christi sacramentaliter sumunt : sed tamen non manducant, quia virtutem spiritualem, id est , salutem animæ non percipiunt. Eccli. 6. *Est aliud malum , quod vidi sub sole, & quidem fre-  
quens apud homines. Vir cui dedit Deus dinitias,  
& substancialiam , & honorem : nec tribuit ei potesta-  
tem, ut comedat ex eo. Heb.vlt. Habemus altare de  
quo edere non habent potestatem , qui tabernaculo  
deseruiunt, id est, peccatis carnalibus. i.Cor. 10.  
Non potestis bibere calicem Domini , & calicem  
demoniorum. Greg. Est quidem in peccatoribus , &  
indigne sumentibus vera caro Christi , & verus san-  
guis, videlicet, præstantiali essentia , non salubri  
efficientia. Augustinus. Qui discordat à Christo,  
nec manducat carnem eius , nec bibit sanguinem :  
et si tanta rei sacramentum quotidie sumat , sibi ta-  
men erit ad iudicium. Discordat à Christo, qui  
cordis affectum ab eo auertens ad peccatum  
conuertit. Et talis valde infelix dici potest, ad  
quem tantum bonum frequenter venit , & nul-  
lum spirituale lucrum inde percipit.*

Hoc modo, scilicet , sacramentaliter tantum manducantium, tria sunt genera. Primi maleuoli, secundi dolosi, tertij præsumptuosi.

Primi sunt, qui corpus Christi sumunt in pec-  
candi voluntate. Secundi sunt , hypocritæ qui  
foris boni apparentes, occulte sunt parui, & tan-  
quam iusti accedunt ad altare. Tertij sunt, qui  
manifeste mali sunt , tamen præsumunt mandu-  
care. De primis duobus potest hic dici , & de  
tertiis in sequenti sermone 19.

De primo genere dicitur Isa.29. *Appropinquat enim populus iste ore: cor autem eorum longe est à me.  
Appropinquat ore per sacramenti sumptionem :  
sed cor longe est per peccati voluntatem. Tales  
tria mala sequuntur, scilicet, 1. peccati sui aggra-  
vatio, 2. à gratia Christi separatio, 3. ad æternam  
peccatum damnatio. De primo Matth.15. Non est  
bonum sumere panem filiorum , & mittere canibus,  
id est, maleuolis. Augustinus. Habentes voluntatem  
peccandi, variari magis dico Eucharistia perceptione,  
quam purificari. De secundo Sap.1. Peruersa cogi-  
tationes separant à Deo. Quoniam in maleuolum  
animam non intrabit sapientia, nec habitabit in cor-  
pore subditio peccatis. De tertio i. Corinth. 11.  
Quicunque manducauerit panem , vel biberit cali-  
cem Domini indigne : reus erit corporis & sanguinis  
Domini. Ambros. Indignus est , qui non deuota-  
mente accedit ad Eucharistiam , aut in peccandi  
voluntate manens , hic reus est corporis & san-  
guinis Domini, id est, ac si Christum occiderit , pu-  
nietur.*


De secundo genere malorum indigne com-  
municantium, scilicet, de dolosis, siue hypocritis,  
2. Timoth. 3. In nouissimis diebus instabunt tempora  
periculosa, & erunt homines seipso amantes : haben-  
tes quidem speciem pietatis, virtutem autem eius ab-  
negantes. Glosa. Speciem pietatis & religionis,  
qui eadem sacramenta habent cum piis , virtu-  
tem, id est, charitatem abnegantes: multa scilicet  
mala

mala occulte perpetrantes, & manifesta fallaciter excusando.

Tales similiter tria mala sequuntur, quia 1. socij Iudæ proditoris efficiuntur, 2. coram toto mundo confundentur, 3. extra beatorum consortium projicientur. De primo Ioan. 13. *Qui manducat panem meum, leuabit contra me calceum suum.* Hoc dicitur de Iuda, & sibi similibus, & de fictis Domini amicis. Glossa. *Qui manducat panem meum, non vi proficiat, sed vi lateat, is me concubabit,* id est, tradet. Qui ergo vult latere in peccatis suis sub pulchra specie religionis & communionis, similis efficitur & socius Iudæ proditoris. De secundo Eccl. 1. *Ne sis incredibilis timoris Domini, & ne accesseris ad illum duplice corde, nec fueris hypocrita in conspectu hominum:* ne forte reuelet Deus absconsa tua, & in medio synagoga elidat te: quoniam accessisti maligne ad Dominum, & cor tuum plenum est dolo & fallacia. Nahum 3. *Ecce ego ad te meretrix speciosa, dicit Dominus,* id est, anima foris pulchra, intus immunda: & reuelabo pudenda tua in facie tua, & ostendam gentibus nuditatem tuam, & regibus ignoriam tuam, & projiciam super te abominationes tuas, & contumeliis afficiam te. De tertio Matt. 23. *Vae vobis hypocrita, qui similes estis sepulchris dealbatis, quæ foris apparent hominibus speciosa, intus autem sunt plena ossibus mortuorum, & omni spurcitia,* id est, putredine, verme, & factore. Sic & vos à foris apparentis hominibus speciosi: intus autem estis pleni hypocrisi, id est, amore vanæ laudis, & iniquitate, id est, cupiditate temporalium, & odio veritatis. Et ideo primo dicitur: *Vae vobis,* id est, extra beatorum consortium miserabilis projectio. Leu. 7. *Anima polluta* (hypocrisi dicitur intelligi) *quaedam de carnibus hostiæ pacificorum,* id est, corporis Christi: *quaedam oblata est Domino, peribit de populis suis,* id est, ejicietur de saluandis ad damnationem mortis æternæ. Sed ecce contra tam magna mala, dat leue remedium diuina clementia, quod est spiritualis conuersio, scilicet, bonum fieri de malo. Psalm. 36. *Declina à malo, & fac bonum.* Et ex frequenti bene agere, fit bonus homo.

Et cum bonus est, sequuntur eum tria bona, 1. scilicet pœna debitæ relaxatio, 2. diuinæ gratiæ restitutio, 3. æternæ gloriæ acquisitio. De primo 3. Reg. 1. *Si fuit vir bonus, nec unus quidem capillus eius in terram cadet,* id est, ab omni pena erit immunis. Ezech. 33. *Si dixeris impio, Mortem morieris, & egerit pœnitentiam de peccato suo: vita vinet, & non morietur.* De secundo Psal. 124. *Benefac Domine bonis & rectis corde.* Prou. 12. *Qui bonus est, hauriet salutem à Domino, & gratiam.* De tertio Matth. 25. *Euge serue bone & fidelis, quia in pauca fuisti fidelis, supra multa te confitum: intra in gaudium Domini tui.* Euge, quasi bene gaude: serue bone, quia in pauca fuisti fidelis, id est, in bonis quæ tibi commisi, bene negotiatus es: *supra multa te confitum,* id est, supra bona æterni gaudij: vnde *intra in gaudium Domini Dei tui,* ut scilicet omni parte gaudio perfruaris. Isa. 51. *Venient in Sion laudantes, & letitia sempiterna super capita eorum.* Quia causa æternæ lœtitiae erit in Domini Dei sui contemplatione. Ierem. 31. *Venient, & laudabunt in monte Sion: & confluent ad bona Domini.* Tunc tœtabitur virgo in thoro, iuuenes & senes simul.

*Virgo est Beata Virgo Maria præcentrix in cho-ro cælesti: iuuenes sunt omnes beati, senes Angeli. Iti simul Deum laudabunt, & in bonis eius sine fine gaudebunt.*



## DE SECUND O MODO manducandi spirituali tan-tum, quo boni man-ducant.

### S E R M O XVIII.

*Venite, comedite, &c. Vt supra.  
Patres nostri omnes eandem es-cam spiritualalem manducae-runt. 1. Corinth. 10.*

Id est, omnes boni veteres in manna cibum inuisibilem, scilicet Christum spiritualiter intellexerunt, crediderunt, gu-stauerunt, & ab æterna morte per eum sanati sunt.



**E**CUNDVS modus mandu-candi Christum est spiritualis tantum. Est isto modo omnes saluati ab initio manducae-runt, & saluandi manducant. Isti vero non inanducant, & tamen manducant. Ambros. *Non manducans manducat, & manducans non manducat.* Quia scilicet non manducans sacra-mentaliter, aliquando manducat spiritualiter, & è conuerso. Eccl. 6. *Est vir cui Deus dedit divinitatem, substantiam, & honorem, &c. nec tribuit ei potesta-tem ut comedat ex eo, sed homo extraneus vorabit illud,* scilicet cum magno desiderio spiritualiter manducando.

Circa spiritualalem manducionem tria sunt consideranda.

I. *Differentia personarum sic mandu-cantium.*

II. *Ratio spiritualiter manducandi.*  
III. *Et effectus manducionis huius.*

Prima triplex est, scilicet, incipientium, proficiens, & perfectorum. Matth. 14. *Mandu-cantium fuerunt quinque millia virorum, exceptis mulieribus & parvulis.* In parvulis signantur incipientes, in mulieribus proficiens, in viris perfecti.

Secundum circa idem considerandum, est ra-tio, qua dicuntur iam dicti spiritualiter mandu-care. Vnde sciendum, quod primi, scilicet, incipientes manducant spiritualiter, ratione fidei Saluatoris: secundi, ratione bonæ conuersatio-nis: tertij, ratione deuotæ meditationis.

Primi, scilicet, incipientes, manducant spiri-tualiter ratione fidei Saluatoris. Habacuc 2. Heb. 10. *Institus ex fide vinet, tanquam ex cibo spirituali.* Augustinus. *Crede, & manducasti.*

Credere

# De mand. spirit. tantum Ser.XVIII. 277

Credere enim in Christum, est credendo in eum ire, ipsi corde inhærere, in ipso delectari, & per veram charitatem membris eius incorporari.

Secundi, scilicet, proficientes, manducant spiritualiter, ratione bonæ conuersationis. Ioan. 4. *Ego cibum habeo manducare, quem vos nescitis. Meus cibus est, ut faciam voluntatem Patris mei.* Eccl. 15. *Qui timet Deum, faciet bona, &c. Cibauit eum pane vite.*

Iste cibus bonæ conuersationis consistit ex tribus virtutibus, quasi ex tribus ferculis, 1. innocentia, 2. pœnitentia, 3. & misericordia. De primo Psal. 101. *Percussus sum ut fœnum, & aruit cor meum: quia oblitus sum comedere panem meum,* scilicet, innocentia, dum delectabar cibo mali-tiae. Augustinus. *Panem de altari spiritualiter manducare, est innocentiam ad altare portare, debitoribus peccata dimittere.* De secundo Psal. 126. *Surgite postquam federitis, qui manducatis panem doloris,* scilicet pœnitentia pro peccatis. Tob. 2. *Manducauit panem in luctu & tremore, memorans sermonem Amos, Dies festi vestri, id est, gaudij in peccatis, conuertentur in lamentationem & luctum.* Psal. 101. *Cinerem tanquam panem manducabam,* cinerem scilicet pœnitentia. De tertio Prou. 11. *Benefacit anima sua vir misericors. Quia dum pauper ab eo corporaliter reficitur, ipse multo melius à Deo spiritualiter pascitur.* Apoc. 3. *Ecce sto ad ostium, & pulso, scilicet in paupere: si quis aperuerit mihi, intrabo ad eum, & cœnabo cum eo, & ipse mecum.*

Tertij, scilicet, perfecti mandueant spiritualiter, ratione deuotæ meditationis, & in hac manduca-tione tria erunt, quæ in comedione corpórali consistunt: 1. appetitus, 2. masticatio, 3. delectatio. Primo enim debemus spiritualiter esurire Christum cibum nostrum intimo corde desiderando. Secundo, masticare magna discretione cogitationes discutiendo. Tertio in eo delectari dulcedinem eius eligendo, id est, debemus spiritualiter esurire, Christum ardentius desiderando. Iob 31. *Si non dixerunt viri tabernaculi mei, Qui det ut de carnibus eius saturemur?* quasi optabant & desiderabant saturari. Eccl. 14. *Qui edunt me, adhuc esurient.* Gregorius. *In deliciis carnis appetitus placet, experientia displaceat. Quia quo magis sentitur, quod earum saturitas mentem non replet, sed cruciat: eo magis cognoscitur, quod fastidiat.* In spiritualibus deliciis saturitas appetitum parit. *Quia quanto magis earum sapor percipitur: eo amplius cognoscitur, quod audiens ametur.* Isa. 26. *Domine, nomen tuum, & memoriale tuum in desiderio animæ:* *Anima mea desiderabit te in nocte, scilicet, aduersitatis.* Psal. 37. *Domine ante te omne desiderium meum, & gemitus meus.*

I I. Debemus spiritualiter masticare totum Christum, scilicet, membræ & caput, id est, nos ipsos, & Sanctos Dei, & Saluatorem mundi, discreta discussione cogitare nos ipsos dijudicando, Sanctorum vitam ad imitandum pertractando, & incarnationis beneficium deuote mente ruminando.

Primo perfecti masticant, seipsos diligenter se examinando. 1. Corinth. 11. *Probet autem seipsum homo, & sic de corpore, vel de pane illo edat.* Primo probet, id est, examinet, & purget se ipsum to-dum, scilicet, cor, linguam, manum, &c. Et sic

D. Alberti Magni Serm.

postea edat. Iob 13. *Quare lacero carnes meas dentibus meis, & animam meam porto in manibus meis? ut scilicet spiritualiter masticem dijudicando peccata carnis & spiritus.*

Secundo perfecti masticant Sanctos, mortuos, & beatos adhuc viuentes, vitam eorum ad imitandum considerando. Matth. 22. *Ecce prandium meum parati: tauri mei, & altilia mea occisa sunt: venite, comedite. Tauri Prophetæ & Apostoli sunt, qui fortitudine fidei, quasi cornu Principibus mundi restiterunt, & ab eis passi, virtutum exempla nobis reliquerunt. Altilia ab alendo dicta, pingua sunt volatilia, & significant Sanctos interna charitate saginatos, & contemplationis penna superna petentes. Occisa sunt vel ab eo quod fuerunt per pœnitentiam, vel per mortem carnis, iam in requie posita. Hæc nobis sunt spiritualiter masticanda, id est, ad imitandum diligenter consideranda.* Deut. 14. *Omne quod mundum est, comedite: quicquid morticinum est, ne vescamini ex eo. Omne mundum, id est, honestis verbis, operibus, & moribus. Comedite, in corde ponite ad imitandum. Quod morticinum est, id est, peccato contaminatum, ne vescamini ex eo, consentiendo, vel idem faciendo.* Phil. 4. *De cetero fratres quacunque sunt vera, quacunque pudica, quacunque insta, quacunque sancta, quacunque amabilia, quacunque bona fama: siqua virtus, siqua laus discipline: hec cogitate. Quæ & didicistis, & acceptistis, & audistis, & vidistis in me: hac agite: & Deus pacis erit vobis.*

Tertio perfecti masticant spiritualiter carnem Christi, scilicet, incarnationis eius sacramenta & beneficia deuote meditando. Ioan. 6. *Qui manducat meam carnem, & bibit meum sanguinem, habet vitam eternam.* Qui manducat, vel spiritualiter bene masticat. Augustinus. *Hoc pertinet ad virtutem sacramenti, non ad visibile sacramentum.* Quasi diceret. Manducat intus, non foris: Qui manducat mente, non qui premit dente. Et hoc est, quod Apostolus vigilanter dicit tantum de bonis. *Omnes eandem escam spirituali manducauerunt.* Sic manducavit & masticavit Christum Apostolus, vnde 1. Tim. 1. *Magnum pietatis sacramentum quod manifestatum est in carne, iustificatum est in Spiritu,* id est, Christus iustus ostensus est: quia de Spiritu sancto conceptus: apparuit Angelis, predicatum est Gentibus, creditum est mundo: ut tantum beneficium curent soluere Deo: *assumptum est in gloria.* Eccl. 1. *Oritur sol, & occidit, id est, Christus in sua nativitate oritur, & occidit in Passione, & ad locum suum reuertitur, id est, ad sepulchrum terræ, ibique reuivens in Resurrectione, gyrat in Meridiem, in ascensione, & flœtit ad Aquilonem, lustrans cuncta per circuitum, in extremi iudicione.*

I I I. Debemus in spirituali manduca-tione delectari interna dulcedine, quæ elicetur de praediti Christi masticatione. Isa. 55. *Audientes audite me, & comedite bonum, & delectabitur in crastinidine anima vestra,* id est, dulcedine spiritualis gratiæ. Sap. 8. *Intrans in domum meam, conquiscam cum Dei sapientia,* id est, cum Christo, qui est sapida essentia: non enim habet amaritudinem conuersatio illius, nec tedium conuictus illius, sed letitiam & gaudium: & in amicitia illius delectatio bona. Psalm. 30. *Quam magna multitudo dulcedinis tuae Domine, quam abscondisti timen-*

A a tibus

tibus te. Idem 33. *Gustate & videte, quoniam suavis est Dominus. Cant. 4. Mel & lac sub lingua tua, id est, dulcedo spiritualis in meditatione cordis.*

Hæc dulcedo quædam est prægustatio regni cœlestis, valens Christiano contra tria mala, quæ sunt in mundo. Ibi enim falsa est 1. dulcedo in delectabilibus vtendis, 2. grandis amaritudo in aduersis sustinendis, 3. tristis imago in bonis faciendis. De primo Prou. 9. *Aqua furtiva dulciores sunt: & panis absconditus suauior.* Sed hæc falsa est dulcedo, quia animæ perditio. Job 24. *Dulcedo illius vermes. Ecclæ. 9. Sicut pisces hamo capiuntur: ita homines tempore malo.* Esca foris delectat, sed aculeus intus perforat. Job 21. *Ducunt in bonis dies suos, & in puncto ad inferna descendunt.*

De secundo Psalm. 103. *Hoc mare magnum, & spatiolum nauibus.* Quia scilicet in hoc mundo magna est & multa amaritudo. Ierem. 9. *Cibabo populum istum absynthio, & potum dabo eis aquam fellis.* Job 13. *Homo natus de muliere, brevi vivens tempore, repletur multis miseriis.* Psalm. 34. *Multa tribulationes iustorum.*

De tertio Matth. 19. Dixit Dominus cuidam diuiti, *Vade, & quæcumque habes vende, & da pauperibus: & habebis thesaurum in celo: & veni, sequare me: qui contristatus in verbo, abiit moerens.* 1. Reg. 25. Dixerunt pueri Dauid ad Nabal: *Quodcunq; inuenierit manus tua, da seruis tuis, & filio tuo Dauid, qui respondit: tollam panes meos, & aquas, & carnes, & dabo viris quos nescio, unde sint?* Gen. 4. Factum est post multos dies, ut offerret Cain de fructibus terra munera Domino, & non respexit Dominus ad eum, nec ad munera eius. Huius causa fuit, quod male obtulit, scilicet, de tristi corde, & facie.

Contra hæc valet spiritualis dulcedo: quia 1. fallam mundi dulcedinem facit insipidam, 2. grandem amaritudinem facit dulcem, 3. tristem imaginem reddit iucundam. De primo Prou. 27. *Anima saturata calcabit fratum.* Gregor. *Gustatio spiritu, desipit omnis caro.* Phil. 3. *Que mihi fuerunt lucra, arbitratus sum propter Christum detrimenta, propter quem omnia arbitrari ut stercore.* De Augustino dicitur, Displacebat ei quicquid agebat in seculo præ dulcedine Dei. De secundo Deut. 33. *Inundationem maris quasi lac fugent, id est, boni repleti dulcedine spirituali, vincunt amaritudinem mundi.* 4. Reg. 2. Eliseus misit sal in aquas amaras, quæ in dulces versæ sunt. Sic Christus sapote spirituali sanat amaritudinem mundi. Hinc Stephano *lapides torrentes dulces fuere: & multis sanctis ardentes prunæ, candentes testæ, visæ sunt suaves tanquam rosæ.* Hinc multi boni gaudent in tribulatione.

De tertio Dan. 1. Post dies decem apparuerunt vultus eorum meliores præ omnibus pueris, qui vescebantur cibo regio. Vultus eorum quos panis satiavit, qui de celo descendit, dicit Glossa, apparuerunt meliores, decore scilicet & hilaritate ad benefacendum. Prou. 15. *Cor gaudens exhilarat faciem.* 2. Corinth. 9. *Hilarem datorem diligit Deus.*

Tertium circa spirituale mandationem notandum, est effectus huius mandationis, & hic est triplex, scilicet 1. peccatorum remissio, 2. ab æterna morte saluatio, 3. vera corpus Christi ad salutem æternam participatio: etiamsi casu deceperatur sine sacramento. De primo, *Panem*

*nostrum quotidianum, id est, cibum spiritualem, da nobis hodie: & dimittite nobis debita nostra. Ambrosius. Qui manducant spiritualiter, virtutem carnis & sanguinis Christi dicuntur sumere, & vere manducare: quia ipsam corporis Christi efficientiam quotidie sumunt, id est, remissionem peccatorum.* Per Ep. 12. *De secundo Ioan. 6. Hic est panis qui de celo descendit: ut si quis ex ipso manducaverit, scilicet, spiritualiter, non moriatur, scilicet, morte æterna.* quam saecula remittuntur, scilicet *Augustinus super Apostolum: Patres nostri canadem escam spiritualem manducaverunt, quam & nos corporalem, non alteram, id est, manna, quod significat Christum: & idem credentibus effecit. Alij vero qui non crediderunt, manducaverunt, & mortui sunt æternaliter: quod non Moyses & alii alii pœnitentia, Quare? quia cibum inuisibilem spiritualiter intellexerunt, spiritualiter esurierunt, spiritualiter gustauerunt: ut spiritualiter sanarentur, scilicet, ab æterna morte. Similiter & nos spiritualiter manducando, ab æterna morte liberarum. De tertio super illud. 1. Corinth. 10. *Vnus panis & unum corpus multi sumus, qui de uno pane participamus,* dicit Augustinus. Nulli dubium est, tunc quemque corporis sanguinisque Dominicū participem ralem, fieri, quando membrum Christi efficitur: nec alienari ab illius panis calicisque consortio etiam si antequam illum panem edat, de hoc seculo in unitate corporis Christi constitutus abscedat: quia illius sacramenti beneficio non priuatur, quando in illo hoc quod sacramentum significat, inuenitur. Inuenitur autem hoc quod sacramentum significat, quando membrum Christi efficitur: & hoc efficitur, quando credendo & amando, spiritualiter manducat: quia sic in corpus Christi vere convertitur, ut cum ipso æternaliter viuat. Amen.*

## DE TERTIO GENERE indigne communicantium, scilicet, de præsumptuosis.

### S E R M O X I X.

*Venite, comedite panem meum,*  
&c. *Vt supra. Item, Quicunque manducaverit hunc panem,* &c.

 E tertio genere malorum indigne communicantium est hic dicendum, id est, de præsumptuosis, qui scilicet non timent communicare vel celebrare in magnis crimini bus, & manifestis. De his 1. Cor. 1. *Qui manducat & bibit indigne, iudicium sibi manducat & bibit, id est, valde malum est illi.* Vnde sciendum, quod duplex est effectus corporis Domini, scilicet, bonitatis quoad bonos, & severitatis quoad malos: & tamen ipsum semper immutabile & bonum in se manet, sed iusto iudicio effectus eius mutatur in his qui eo male vtuntur. Augustinus. *Sancti malis possunt obesse: quia qui manducat corpus Christi indigne, iudicium*

*iudicium sibi manducat & babit, non quod res illa mala sit: sed quia malus, quod bonum est, male accipit.*

Huius rei exemplum euidens est in sole, & in vino. Nam eandem solis lucem, quam sanus oculus ad delectationem, æger suscipit ad perturbationem: & vinum quod sanus homo ad iucunditatem & confortationem, febricitans accipit ad maiorem infirmitatem, vel forte ad mortem. Hinc est quod indigne communicantes tria mala sequuntur, scilicet,

*I. Magna culpa.*

*II. Dei offensa.*

*III. Et multiplex plaga.*

Primum malum præsumptuose communicantium est magna culpa. Ierem. 11. *Nunquid carnes sanctæ auferent à te malitias tuas, in quibus gloriata es?* Isidorus. *Qui scelerate viuunt in Ecclesia, & communicare non desinunt, putantes tali communione mundari: discant nil ad emundationem proficere, sibi, dicente Propheta: Quid est quod dilectus meus in domo mea facit scelera multa? nunquid carnes sanctæ auferent à te malitias tuas?* Quasi diceret: Non auferunt, sed augmentant.

Huius culpæ triplex est ratio, scilicet, 1. peruersa intentio, 2. diuini præcepti transgressio, 3. maxima ingratitudo. Prima ratio culpæ præsumptuose communicantium, est peruersa intentio. Actionis enim voluntaria triplex est radix siue principium, vel natura, vel virtus, vel libido mala est: sed eius qui est in peccato mortali scienter, & sumit corpus Christi, non potest esse radix, natura, vel virtus: quia neque natura, neque virtus aliquo modo dictaret, quod aliquis rem tam pretiosam, tam venerandam in loco vel vase immundo poneret. Vnde peccator qui corpus Christi sumens ponit in ore suo polluto & corpore, radix non est natura, vel virtus: sed libido, id est, prava intentio vel lucri temporalis, vel vanæ laudis, vel alicuius deceptionis.

Secunda ratio culpæ istorum, est diuini præcepti transgressio. Sicut enim Dominus in statu innocentiae lignum vitæ ad edendum concessit, & in statu culpæ prohibuit: sic nobis in statu bono corpus Christi conceditur, & in malo prohibetur. Matth. 7. *Nolite sanctum dare canibus, id est, immundis peccatoribus. Leu. 21. Homo qui habuerit maculam, scilicet, peccati, non offerat panes Deo suo, nec accedat ad ministerium eius.*

Tertia ratio culpæ istorum, est maxima ingratitudo: quæ enim potest esse maior, quam si quis habens Dominum à quo accepisset quicquid boni haberet, & ipsum insuper morte sua de suspedio æternō liberasset: eum dem Dominum in stabulum immundissimum inimici sui traditorie duceret, & ibi conculcaret, & rursum occideret: Tanta ingratitudine peccant, qui corpus Domini sumunt in peccato mortali. Psal. 55. *Retribuebant mala pro bonis, & odium pro dilectione mea, & conculcauerunt me inimici mei tota die. Heb. 10. Quanta putatis mereri supplicia, qui Filium Dei conculcaverit, & sanguinem testamenti pollutum duxerit, in quo sanctificatus est?* scilicet in morte Christi. Ambrosius. *Christum ille conculet, qui libere peccat absque timore & paenitentia & qui ei indigne*

D. Alberti Magni Serm.

participat. Idem. *Qui indigne Christum sumit, idem est, ac si interficiat.* Augustinus. *Quam temerarium, quamque nefarium est cruentis manibus intermerata Virginis tractare Filium! quis auditus sustineret aurum? quis oculus non confunderetur ad intuitum? quæ mens non raperetur in excessum, ubi mundi pretium mittitur in sterquilinium? non enim minus est detestabile in os pollutum, quam in lutum mittere Dei Filium.*

Secundum malum istorum, est magna offensa Dei. Zach. 1. *Ira magna ego irascor super gentes opulentas: quia ego iratus sum parum, ipsi vero adiuntrunt.* Quasi diceret Dominus: Quasi parum irascor hominibus propter peccata quæ committunt in proximum, sed maxime pro eo quod peccant in Dominum. 1. Reg. 2. *Si peccauerit vir invirum placari ei potest Deus: si autem in Deum, quis orabit pro eo?* Glossa. *Quanto maior gloria tua, tanto grauior offensa.* Mal. 1. *Ad vos ô Sacerdotes qui despiciatis nomen meum, & offertis super altare meum panem pollutum.* Glossa. *Corripit sermo diuinus Episcopos & ministros Ecclesiæ negligentes, & omnes qui Christi nomine censentur, cur nomen eius despiciant.* Quibus aperit causas offensæ; quod panem pollutum offerunt. Polluit enim panem, id est, corpus Christi, qui indignus accedit ad altare, & mensam Domini, si non scelerata voce, scelerato opere despicit: & dum sacramentum violatur, ipse cuius est sacramentum, violatur.

Tertium malum istorum, est multiplex plaga & grauis ex iusta Dei vindicta. Sicut enim ab antiquo filii Israel maximum erat peccatum, & pessimarum causa maledictionum, quod per idolatriam Deum proiecerunt: & postea Iudeis impiis, quod Christum non suscepserunt: sic modo Christianis maximum est peccatum, & causa plagarum, quod corpus Salvatoris indigne suscipiunt. Gregorius super Deut. 28. *Creator omnium per Incarnationis sue mysterium Iudeam visitare dignatus est, sed quia non cognovit tempus visitationis sue, ideo Gentibus frequenter in predicatione nonissime Romanis tradita est: & venerunt super eam omnia genera maledictionum, que in libro legis scripta sunt.* Similiter his qui gratiam Dei ingrati accipiunt, certa est damnatio. Si enim irritam quis faciens legem Moysi, sine ulla miseratione moritur: quanto deteriora meretur supplicia, quæ Filium Dei conculcaverit, & sanguinem testamenti pollutum duxerit?

Hæc supplicia dici possunt triplices plagæ. Prima, multa damna bonorum spiritualium. Secunda, sterilitas terræ seu carisitia temporalium. Tertia, pestes corporum & strages hominum. De prima plaga Thren. 1. *Manum suam misit hostis ad omnia desiderabilia eius: quia vidit gentes ingressas sanctuarium suum, de quibus præceperas, ne intrarent Ecclesiam tuam.* Glossa. Hostis antiquus ad desiderabilia Ecclesiæ manum mittit, & spiritualem ornatum aufert, in membris suis fidem contaminans, baptisma rescindens, id est, gratiam in baptismō datam, doctrinam corrumpens, corpus & sanguinem Domini indigne contrectans, & vasa pretiosa, id est, ous Christi quasi lupus deuastans. Et causa tanti mali redditur: quia Gentes, id est, carnem amantes, & Christi circuncisionem non habentes, ministri altaris efficiuntur.

De secunda plaga Deut. 28. *Si audire nolueris*

A a 2 vocem

vocem Domini Dei tui, ut facias omnia mandata eius, venient super te omnes maledictiones iste. Maledictus fructus terræ tuae, armenta boum tuorum, & greges ouium. Mittet Dominus super te famem & esuriem, & increpationem in omnia opera tua. Haec plague venient si audire nolueris mandata Dei, scilicet, præcipue de corpore Domini non indigne tractando, secundum illud Lou. 21. *Homo qui habuerit maculam peccati, non offerat panem Deo suo, nec accedat ad ministerium eius.* Gen. 3. *Quia comedisti de ligno ex quo tibi præceperam ne comederes: maledicta terra in opere tuo, spinas & tribulos germinabit tibi.*


De tertia plaga 1. Cor. 11. *Prober seipsum homo & sic de pane illo edat. Qui enim manducat indigne, iudicium sibi manducat & babit, id est, ad iudicium mortis se obligat, & multi alij propter scelera vnius saepe feriuntur, vnde sequitur: Ideo inter vos multi infirmi, & imbecilles, & dormiunt multi, scilicet, licet, somno mortis, vel Dei verbere, vel priorum aduersitate.* Num. 11. *Adhuc carnes in dentibus erant, & ecce furor Domini concitatus in populum, percussit eum plaga magna nimis.*

Sed ecce, contra has plagas & omnia iam dicta mala triplex remedium ostendit Scriptura. Primum est emendatio vita per pœnitentiam voluntariam. Secundum, correctio malitiæ per superiorum disciplinam. Tertium, mutatio incorrigibilis personæ per iustitiae distinctionem. De primo. Iocel. 1. *Depopulata est regio, luxit humus, id est, habitatores humi: quia periit messis agri, id est, bona temporalia & spiritualia. Accingite vos & plorate Sacerdotes: ululate ministri altaris, ingredimini, & cubate in sacco.* Glossa. Sancti Sacerdotes, qui comedunt digne Pascha, accinguntur balteo castitatis: peccatores quos remordet conscientia doloris, ut plangent sua, & populi peccata. Accingite ergo vos Sacerdotes & ministri altaris cingulo pœnitentia, & plangite puro corde: ululate in confessione & oratione, ingredimini Ecclesiam per pœnitentiam, vnde existis per culpam: cubate in sacco, id est, delicias quibus offendistis, per vitæ austeritatem compensate, ut iram Dei possitis mitigare.

De secundo Mal. 3. *Ecce venit Dominus quasi ignis conflans, scilicet, per iustos Prelatos, & purgabit filios Levi, id est, ministros altaris: & erunt Domino offerentes sacrificia in iustitia.* Et sic vtique placatus mitigabitur ira eius. Ezech. 7. *Indicabo te iuxta vias tuas, & ponam contra te omnes abominationes tuas, & non parcer oculus meus super te, & non miserebor.* Sicut medicus incidit, vrit: non parcit, ut parcat: ita Dominus. Vnde: *Ego percutiam, & ego sanabo: & flagellat omnem filium quem recipit.* Luc. 14. *Compelle intrare.* Et sic Dominus per iustos Prelatos non parcit vitia corrigoendo, ut parcat iram suam mitigando.

De tertio Ezech. 20. *Iudicabo vos, dicit Dominus, & subieciam sceptro meo, & eligam de vobis transgressores & impios, scilicet, ad abiiciendum, qui in malo perseverant, id est, incorrigibiles,* dicit Glossa: ut scilicet loco eorum iusti restituantur. Isa. 1. *Conuertam manum meam ad te, & excoquam ad purum scoriam tuam, & auferam omne stannum tuum.* Et restituam iudices tuos ut fuerint prius, & consiliarios tuos sicut antiquitus: sicut tempore Moysi & Machabæorum. *Vocaberis Civitas iusti, urbs fidelis.* 1. Machabæ. 4. *Et cogitauit Iudas de-*

*altari holocaustorum quod prophanatum erat, quid de eo faceret.* Et incidit illis consilium bonum, ut destruerent illud: ne forte esset illis in opprobrium, quia contaminauerunt illud Gentes, & demoliti sunt illud. Et reposuerunt lapides in monte domus in loco apto, quousque veniret Propheta, & responderet de eis. Et acceperunt lapides integros secundum legem, & adificauerunt altare nouum secundum illud quod fuit prius. Glossa ibidem. *Altare holocaustorum est fides pura, doctrina recta, & conversatio bona Christi ministrorum.* Sed hoc altare si prophanatum fuerit hæretica prauitate, ut simonia, vel alia scelerum immanitate: iam destruendum erit, id est, à sacerdotij dignitate deponendum: ne forte opprobrium sit sanctæ Ecclesiæ, quod habeat prauos & facinorosos rectores, qui diabolica astutia seducti sunt, vnde Dominus suis Discipulus ait: *Vos estis sal terre, quod si sal evanuerit, in quo salietur? ad nihilum valet ultra, nisi ut projiciatur foras, & conculcetur ab hominibus.* Deposito ergo prophanato altari mystico, reponi debent lapides illi in monte domus in loco apto, donec veniens Propheta respondeat de eis: quia peccatores redigi debent sub pœnitentia, donec per sanctos Doctores dijudicetur pro commissio criminis satisfactio perpetrata. In locum autem eorum lapides integri, secundum legem substitui debent: ut fiat altare nouum secundum illud quod fuit prius. Homines fide Catholica sani, scientia sanctorum Scripturarum imbuti, bonis moribus religiosi in locum regiminis, vnde deciderunt præuaricatores, subrogari debent, secundum auctoritates diuinæ legis, ut sine reprehensione in nouitate vite, & norma iustitiae exhibeat ministerium Deo in Ecclesia, quam sibi acquisiuit Christus prelio sanguinis sua sponsam non habentem maculam neq; rugam. Amen.



## DE TERTIO MODO manducandi, scilicet spirituali & sacramentali, quo boni manducant.

### S E R M O XX.

*Venite, comedite panem, &c.  
Accipite & comedite, Hoc est  
corpus meum. Luc. 12.*

 **T**ERTIUS modus manducandi corpus Christi est sacramentalis, & spiritualis simul, quo soli boni Christiani communicant: & hoc facto manducant, & manducantur. Vnde circa hunc modum tria possunt considerari.

- I. *Est multitudo malorum non communicantium.*
- II. *Magnitudo felicitatis bonorum corporis Christi digne sumentium.*
- III. *Ratio remanducationis sic manducantium.*

Primum

Primum circa hunc modum manducandi considerandum est multitudo malorum non communicantium. Cum enim triplex sit modus communicandi vel manducandi, scilicet, sacramentalis tantum, quo mali Christiani manducant, & tamen non manducant: spiritualis tantum, quo boni non manducant, & tamen manducant: sacramentalis & spiritualis simul, quo soli boni Christiani communicant, vel manducant, & manducantur: restat ad diuisionis huius sufficientiam multitudine quædam malorum, qui nec manducant, nec manducantur, id est, qui corpus Christi non suscipiunt, & ideo morte æterna peribunt. Istorum tres species sunt ac turmæ. Primi, infideles: secundi, negligentes: tertij, contemptores. 1. Infideles sunt, quorum corda per malitiam suam fallente diabolo sic excæcata sunt, ut non possint cognoscere, & credere diuina sacramenta pro salute mundi mirabili Dei sapientia instituta. 2. Negligentes sunt quidam Christiani, qui temporalibus lucris, & secularibus negotiis in tantum se occupant, ut sacram communionem tempore debito sumere negligant. 3. Contemptores sunt, qui sceleribus suis tanto amore inhærent, quod corpus Domini sumere penitus paruipendunt.

De primis Ioan. 6. *Quomodo potest hic nobis carnem suam dare ad manducandum? Quasi dicaret. Non credimus, quod dare possit. Sap. 5. Errauerunt impj: excecauit enim eos malitia eorum, & nescierunt sacramenta Dei. Ioan. 3. Qui incredulus est Filio, non videbit vitam: sed ira Dei manet super eum.*

De secundis Matth. 22. *Misit Rex seruos suos vocare initatos ad nuptias, dicens: Ecce prandium meum paraui, venite ad nuptias. Illi autem neglexerunt, & abierunt, alius in villam suam, alius ad negotiationem suam. Glossa. In villam ire, est terreno labore immoderate insistere: negotiari vero, terrenis lucris nimis inhiare. Tales qui prandium diuini sacramenti negligunt, quamvis fidem & quædam opera charitatis habere videantur: tamen nisi peniteant, damnabuntur. Ioan. 6. Nisi manducaveritis carnem Filii hominis, & biberitis eius sanguinem, non habebitis vitam in vobis. Super illud Eph. 3. Oro, ut possitis comprehendere quæ sit sublimitas & profundum, dicit Glossa: Profundum charitatis sunt ecclesiastica sacramenta, quæ sunt profunda, & inuestigabilia: & sunt fundamentum charitatis, sine quibus non valet charitas, id est, exteriora signa charitatis non valent ad salutem æternam sine sacramentis, ea negligentibus. Num. 9. Siquis & mundus est, & in itinere non fuit, id est, non habet impedimentum iustæ necessitatis, & non fecit Phæse: exterminabitur anima illa de populis suis. Quia sacrificium non obtulit Dominum tempore suo: peccatum suum ipse portabit.*

De tertii 2. Paral. 30. *Perrexerunt cursores cum epistolis legis ex Regis Ezechie imperio, & principum eius, in uniuersum Israel prædicantes: Reuertimini ad Dominum Deum vestrum: & venite ad sanctorium eius, scilicet, ad faciendum Phæse, id est, ad suscipiendum corpus Domini. Et quidam vii acquiescentes consilio venerunt, aliis irridentibus & subfannantibus eos. Ioan. 3. Hoc est iudicium, quia lux venit in mundum, & dilexerunt homines magis tenebras quam lucem: erant enim eorum mala opera. Quasi dicaret: Iusto iudicio excommunicantur, & condemnantur, qui plus diligunt pec-*

*D. Alberti Magni Serm.*

catis suis inhærente, quam se præparare, & Christum suscipere. Canon ait: *Qui pro sceleribus suis duobus vel tribus annis non communicant, excommunicandi sunt, donec pænitentiam agant. Luc. 14. Nemo virorum illorum qui vocati sunt, & non venerunt, gustabit cœnam meam.*

Secundum circa hunc modum considerandum, est magnitudo felicitatis honorū corpus Christi digne sumentium. Et probatur hoc à tribus, 1. ab optimæ partis electione, 2. à Spiritu sancti vera participatione, 3. ab ipsius Christi certa inhabitatione.

Primo probatur felicitas digne communicantium magna ex optimæ partis electione. Quia si- cut Beata Virgo tribus sibi propositis, scilicet, esse matrem, & virginem: vel esse virginem, & non matrem: vel esse matrem & virginem: ultimam & optimam partem, scilicet, esse utrumque simul, elegit. Sic isti inter modos corpus Christi manducandi optimum modum elegerunt. Primus modus est manducare sacramentaliter tantum, & non spiritualiter. Secundus manducare spiritualiter tantum, & non sacramentaliter. Tertius manducare sacramentaliter, & spiritualiter simul. Hanc ultimam & optimam partem, scilicet, de primo modo comedere sacramentaliter, & de se- cundo modo comedere spiritualiter eligunt: & sic ex utraque parte quod melius est, comedunt: & ideo multum felices sunt. Ecclæ. 8. *Lendani ergo latitiam, quod non esset homini bonum sub sole, nisi quod comedederet, & biberet, atque gauderet. Quasi dicaret: Expertus sum plurima genera gaudi- rum, & delectationum carnis, & mundi: & haec vanitas, & error: & finis eorum mœror & luctus, unde landau præ omnibus latitiam, scilicet, ve- ram, id est, testimonium bona conscientiæ: & quod non esset homini bonum sub sole, id est, melius in hoc mundo, nisi quod comedederet, scilicet, panem, qui de celo descendit, id est, corpus Christi: & bibe- ret, scilicet, vinum quod letificat cor hominis, id est, sanguinem Domini.*

Secundo probatur felicitas istorum magna à Spiritu sancti vera participatione. Psalm. 80. *De petra melle saturauit eos. Quia scilicet fideles su- gunt de corpore Christi dulcedinem Spiritus sancti. Sap. 12. O quam bonus & suavis est, Domine, spiritus tuus in nobis, qui scilicet fluit in nobis de tuo corpore. Augustinus. Perceptione sanguis & corporis Christi homo vivit: non sumens tantum sacramentaliter, quod & mali faciunt: sed pertin- gens usque ad Spiritus participationem: ut in corpore Deo tanquam membrum maneat, & eius Spiritu vegetetur.*

Tertio probatur idem ab ipsius Christi certa inhabitatione. Ioan. 6. *Qui manducat meam car- nem, & biberit meum sanguinem, in me manet & ego in eo. Hilarius. Accepta carne Domini, & hausto san- guine, id efficitur, ut nos in Christo, & Christus in no- bis sit: & in nobis Christus per carnem, dum eius car- nem accipimus: & sumus in eo dum secum hoc quod nos sumus, in Deo est.*

Tertium circa hunc modum considerandum, est ratio manducationis digne manducantium, id est, qua ratione dicitur, quod tales manducant, & manducantur, & haec est huiusmodi ratio: quod dum corpus Christi à fidelibus digne man- ducatur, non ipsum ut aliis cibus, in man- ducentem conuertitur: sed è conuerso, vere

A a 3 mandu


manducans in illud spiritualiter mutatur. Nam manducantem se Dominus sui corporis membrum facit, & sibi incorporans per charitatem vnit, & imagini bonitatis suæ similem efficit. 1. Corinth. 10. *Vnum corpus multi sumus, qui de uno pane participamus.* Item 1. Corinth. 12. *Vos estis corpus Christi, & membrum de membro.* Quod vero manducando corpus Christi non illud in nos, sed nos in illud conuertiuntur, triplici similitudine probatur. Prima sumitur de virtute nostri amoris, secunda de virtute rei maioris, tertia de virtute surculi arboris.

Prima similitudo sumitur de virtute amoris nostri, hæc est enim vis amoris transformari cor amantis in amatum, id est, amati fortunæ prosperæ, & aduersæ assimilari. Eccl. 1. *Amicus fixus, id est, fidelis, erit tibi coequalis,* id est, condolet tibi in aduersis, & congaudet in prosperis. Hugo. *Ea vis amoris est, ut talem te esse necesse sit, qualem illud est quod amas: ut cui per affectionem coniungeris, in illius similitudinem ipsa quodammodo dilectionis societate transformaris.* Cant. 8. *Pone me ut signaculum super cor tuum.* Super cor tanquam super ceram calidam, puram & mollem, aptam suscipere impressam imaginem. Super cor ergo calidum amore Dei, purum munditia sui, molle pietate proximi: corpus Christi ut sigillum ponitur, non ut ipsum quod immutabile est, in nos mutetur, sed nos in Imaginem bonitatis eius transmutemur.

Secunda similitudo ad idem sumitur de virtute rei maioris. Nam si ad guttam aquæ magnurn vas vini fundatur, virtute multitudinis vini aqua ex toto in illud mutatur. Sed virtus Dominici corporis ineffabilis est magnitudinis, & nos multum exigui respectu illius. Psalm. 144. *Magnus Dominus, & magna virtus eius, & magnitudinis eius non est finis.* Idem 38. *Substantia nostra tanquam nibilum ante te.* Isa. 40. *Ecce gentes quasi stilla fistula.* Magnitudo itaque virtutis & dulcedinis Christi infusa exiguo & humili cordi nostro, vincit illud, & à se deficere facit, & in illam conuertit, ut iam non mundanis hominibus, non nobisipſis: sed ipſi Christo in voluntate sermone, & bona conuersatione, similes simus. Psalm. 118. *Defecit in salutari tuo anima mea.*

Tertia similitudo ad idem sumitur de virtute rami arboris. Hæc est proprietas surculi bonæ arboris, si trunco inseratur, etiam sylvestri, quod ipsa naturali quidem virtute præualens illius amaritudinem in suam dulcedinem & nobilitatem conuertit, & similem sibi fructum bonum proferre facit. Sic corpus Christi nobis insitum defectus nostros euacuat, & in suam nos bonitatem trahit: & quales ipse frondes, flores, & fructus iustitiae facit: tales & nos per eum faciamus. Hinc Spiritus sanctus dicit Ezech. 17. *Sumam de medulla cedri sublimis, & ponam de vertice ramorum eius, & plantabo in montem excelsum, & erumpet in germen, & faciet fructum.* Cedrus sublimis est Deus Pater: rami eminentes, antiqui patres: vertex ramorum, Beata Virgo: medulla cedri, æterna sapientia Dei: pars de ramorum vertice, caro Christi sumpta de Virgine. Spiritus ergo sanctus medullam cedri, & partem de summo ramo sumpsit: quia Christi incarnationem fecit, & hunc quasi surculum nobilissimum plantat in montem excelsum, cum fidelibus à terrenis

desideriis ad cælestia eleuatis, Dominici corporis tribuit sacramentum. Hinc fructus erumpit: quia cor fidele virtute corporis Domini, propria amaritudine relicta vitiorum, similes Christo spirituales frondes, flores, & fructus virtutum, & bonorum operum facit. Hinc dictum est Augustino. *Cibus sum grandium: cresce, & manducabis me: nec tu me mutabis in te, sicut cibum carnis tuae: sed tu mutaberis in me.* Cant. 2. *Trahe me post te,* me scilicet mutando in te violentia meæ deletionis, magnitudine tuae dulcedinis, virtute firmæ insertionis: ut non maneat in me radix amaritudinis, sed præualeat in me operando virtus, & dulcedo tuae bonitatis. Gal. 2. *Vigo ego, iam non ego: vivit autem in me Christus.* Quasi diceret: Nunc, ut vixi male, non viuo, sed ut Christus bene cogito, loquor, operor, & viuo, donec ad ipsum peruenio. Amen.



## P A R S VI. D E D V O D E C I M E F F E C T I B V S C O R- poris Christi contra duo- decim langores.

### S E R M O . X X I .

*Venite, comedite panem meum.*

*Vt supra.*

*Pater mens usque modo opera-  
tur, & ego operor.* Ioan. 5.

*Item aliud:*

*Altissimus de terra creauit rae-  
dicinam.* Eccl. 38. *Item:*

*Benedictus fructus ventris tui.*

*Luc. 1. Item:*

*Ascendam in palmam, id est, in  
crucem, & apprehendam  
fructus eius.* Cant. 7.

  
**S**EXTVM principale circa sacra-  
mentum Dominici corporis no-  
tandum, est effectus bonitatis  
eius, sive virtus spiritualis. Nam  
quia parentes primi per vetiti à  
Deo pomigustum corrupti mul-  
tas infudere miserias suo generi, necessarium  
fuit medicamento Saluatoris miseris subueniri.  
Circa quod sciendum, quod nostræ miseriæ tres  
sunt generales, scilicet,

*I. Vincula*

# De quatuor effectib.sacr.Serm.XXI. 283

I. Vincula culpa.

II. Defectus gratia.

III. Et mortis plague.

De primo Psal. 118. Funes peccatorum circumplexi sunt me. 2. Paral. in fine. Incurvatus sum multo vinculo ferri, id est, peccati. De secundo Ps. 138. Imperfictum meum viderunt oculi tui. Item Ps. 142. Anima mea sicut terra sine aqua tibi, id est, arida & sterilis, sine fluentis gratiae & germe tritici. De tertio Psal. 17. Circundederunt me dolores mortis. Item Psal. 38. Amone a me plagas tuas. Iob 16. Hostis meus irruit in me, quasi gigas: conscidit me vulnera super vulnera.

In qualibet istarum trium misericordiarum generalium intelliguntur quatuor mala specialia, quasi duodecim langores speciales: ad quos curandos ordinantur duodecim Dominicorum corporis fructus. Apoc. 22. Ostendit mihi Angelus lignum vita, afferens fructus duodecim per singulos menses, id est, ad curandos nostros duodecim defectus siue langores. Psal. 102. Benedic anima mea Domino, qui propitiatur omnibus iniuriantibus tuis.

Isti duodecim langores & fructus depinguntur in duabus figuris quasi arboribus. *Qui sanat omnes infirmitates tuas.* Et post hoc de quatuor fructibus dicitur: & de aliis in sequenti.

**P**rima mala nostra siue langores sunt quasi vincula culpa, quibus multe stringuntur animae, scilicet, 1. demonis tentatio, 2. formitis repugnatio, 3. cordis macula, 4. Creatoris offensa. Contra haec quatuor valet fructus Virginis corpus Salvatoris. De primo langore Ephes. 6. *Induite vos armaturam Dei, ut possitis stare aduersus insidias diaboli.* Eccl. 11. *Multe sunt insidiae dolosae.* Quia scilicet de diversis vitiis, & multis modis tentat. 1. Pet. 5. *Vigilate, quia aduersarius vester diabolus tanquam leo rugiens, circuit querens quem deuoret.* Glossa. Circuit tanquam hostis, clausos obsidens muros, explorat an sit aliqua pars murorum minus stabilis, cuius aditu ad interiora penetret: offert oculis formas illicitas, & forte facies voluptuosas, ut visu destruat castitatem: aures per canora tentat, ut christianum molliat rigorem: linguam conuicio prouocat, manus in iuriis instigat, honores terrae nobis promittit ut cælestes adimat. Psalm. 142. *Persecutus est inimicus animam meam: humiliavit in terra vitam meam.*

De secundo Gal. 5. *Caro concupiscit aduersus spiritum.* Rom. 7. *Video aliam legem in membris meis, repugnantem legi mentis mea.* Augustinus. Aliam legem, id est, formitem peccati in membris meis, ut in oculo ad concupiscentium, in lingua ad maledicendum, in manu ad malefaciendum, & sic de aliis: repugnantem legi mentis mea, id est, legi Dei & rationi. *Fomes iste peccati qui est in carne, & repugnat menti, recte dicitur lex, quia legitime factum est, ut qui non obediuit suo superiori, ei non seruiat suum superiorius, id est, caro.* Supra te est Deus, infra te est caro tua: serui ergo superiori, ut seruatis tibi inferior: contempstisti superiorem, iuste torqueris ab inferiori.

De tertia Ierem. 2. *Si laueris te nitro: tamen maculata es in iniquitate tua coram me.* Prou. 20. *Quis potest dicere, Mundum est cor meum, purum sum a peccato?* Eccl. 7. *Non est homo iustus in-*

*terra, qui faciat bonum, qui non peccet.* Eccli. 47. de Salomone. *Dedisti maculam in gloria tua.*

De quarto Deut. 9. *Memento, & ne obliuiscaris, quomodo ad iracundiam pronouaueris Dominum Deum tuum.* Et quanto maior erat culpa, tanto maior contra peccatorem ira divina. Zach. 1. *Ego iratus sum parum, quidam autem adiuu erunt in malum.* Sciendum quod ira Dei dicitur, non aliquis motus, vel perturbatio animi, quæ illi omnino non accedit, sed iusta vltio, quam delinquenti reddit: & haec est in peccatore ad minus remorsus conscientiae. Eccl. 10. *Qui dissipat sepe, mordebit eum coluber.* Seps est omne præceptum Dei: coluber, vindicta iræ Dei. Augustinus. *Institia Dei non finit esse dedecus culpe absque decore vindictæ.*

**C**ontra haec mala quatuor, ordinantur quatuor Dominicorum corporis fructus primi, 1. qui nos liberauit a vinculis culpe dæmonem fugat, 2. formitem refrigerat, 3. maculam cordis mundat, 4. iram Dei placat. De primo fructu Tob. 6. *Si cordis pescis particulam super carbones posueris, fumus eius extricat omne genus dæmoniorum.* Flumen in quo pisces sunt, mundum: omnes pisces eius, diuersa genera hominum: pisces ille magnus, gentem Iudæorum: cor pisces, quasi membrum nobilissimum, & ex quo vita procedit, Beatam Virginem: particula cordis, significat corpus de Virgine sumptum Salvatoris. Hoc debet super carbones poni, id est, fidelibus accessis amoris igne donari: tunc fumus eius, id est, virtus spiritualis, fugat tentationes dæmonis. Psalm. 67. *Exurgat Deus, & dissipentur inimici eius: & fragiant, qui oderunt eum, a facie eius.*

De secundo fructu Psalm. 67. *Selmon mons Dei* est Christus. Selmon interpretatur umbra. Christus ergo est umbra nostri refrigerii, ut dicit Glossa. De corpore Christi manat umbra gratiae, quæ nobis defensaculum est contra incentiuva vitorum, & carnalis concupiscentiae. Vnde dictum Virgini, *Virtus Altissimi obumbrabit tibi.* Umbra enim fit de corpore, & lumine. Lumen est Verbum Dei: corpus, caro Christi. Accessit lumen corpori, id est, Verbum Carni: *Verbum enim caro factum est.* Dum ergo fidelis corpus Christi sumit, spirituale refrigerium percipit quasi de umbra gratiae, quæ de ipso fluit. Osee 14. *Ero quasi ros, & Israel germinabit quasi lilyum.*

De tertio fructu Isa. 6. *Volauit ad me unus de Seraphin, & in manu eius calculus quem forcipe tulerauit de altari, & dixit: Ecce tetigi haec labia tua, & auferetur iniquitas tua, & peccatum tuum mundabitur.* Lapis iste pretiosus, sumptus de altari, significat corpus Christi: dum eo os cordis tangitur, peccatum veniale mundatur. Gregorius. *Dominus dedit nobis sacramentum salutis, ut quia quotidie peccamus, & ille iam mori pro peccato non potest: per hoc remissionem consequamur,*

De quarto Prou. 21. *Munus absconditum extinguit iras.* Leu. 2. *Si de craticula fuerit sacrificium, simila oleo conspergetur, quam offerens Domino, trades manibus Sacerdotis.* Qui cum obtulerit eam tollat memoriale de sacrificio, & adolebit super altare in odorem suavitatis Domino. Panis in craticula coctus & oblatus, & conspersus oleo, Christus est in cruce pro nobis passus, & totus unctus Spiritu sancto. Huius sacrificij memoriale est

hostia Ecclesiae quæ offertur in memoriam passionis Dominicæ. Hæc debet super altare adole-  
ri, id est, accendi: quia in corde fideli cum fero-  
re desiderij, & deuotionis suscipi. Hic odor suau-  
itatis est Domino, id est, tam grata Deo ut ob-  
eius gratiam iram suam remittat, & nos sibi  
reconciliat, & ad æternam pacem perducat.  
Amen.



D E

## QVATVOR FRVCTIBVS corporis Christi se- cundis.

### S E R M O XXII.

*Venite, comedite panem meum,*,  
&c. Vt supra.

**A**LIA quatuor mala nostra, siue lango-  
res sunt, quasi defectus gratiæ, quibus  
multæ laborant animæ, scilicet,

- I. *Defectus in cognitione nostri.*
- II. *In dilectione proximi.*
- III. *In sapore spirituali.*
- IV. *In conseruatione boni.*

Contra hæc valet fructus Virginis corpus Sal-  
uatoris. De primo langore Genes. 1. *Tenebre  
erant super faciem abyssi:* quasi ab antiquo cor  
hominis obuolutum fuit ignorantia sui. Ier. 17.  
*Prauum est cor hominis, & inscrutabile:* quis co-  
gnoscet illud? Psalm. 50. *Delicta quis intelligit?* ab  
occultis meis munda me, & ab alienis parce seruo  
tuo: & ab alienis quibus alios peccare feci, vel  
aliorum peccatis consensi. Matth. 7. *Quid vides  
festucam in oculo fratris tui, & trabem in oculo tuo  
non vides?*

De secundo Matth. 24. *Quoniam superabunda-  
bit iniquitas, refrigerescet charitas multorum.* Eccli. 43.  
*Frigidus ventus aquilo fluit, & gelavit crystallus  
ex aqua.* Defectus amoris probatur ab exteriori-  
bus signis. 1. Ioan. 3. *Qui habuerit substantiam hu-  
iuss mundi, & viderit fratrem suum necessitatem pa-  
tientem, & clauserit visum ab eo, quomodo charitas  
Dei manet in eo?* Ierem. 9. *Vnusquisque à proximo  
suo se custodiat, & in omni fratre suo non habeat  
fiduciam:* quia omnis frater supplantans supplan-  
tabit, & omnis amicus fraudulenter incedet, & vir  
fratrem suum deridebit & veritatem non loquetur.  
Prou. 10. *Pondus & pondus, mensura & mensura:*  
utrumque abominabile est apud Deum. Glossa.  
Diuersum pondus & diuersam mensuram habet  
in domo sua, vt aliter sibi, aliter proximo no-  
ceat: qui in suis semper actibus, quæ laudentur:  
in proximis quæ vituperentur, querit: sed & qui  
in temporalibus sibi maiorem, proximo mino-  
rem mensuram dare studet. Quia defectum dilec-  
tionis habet, Deo displicet. Similiter est de eo,  
qui malo verbo vel facto proximum contristat,  
laedit, vel damnificat.

De tertio Ierem. 31. *Omnis qui comedere vnam  
acerbam, obſtupescere dentes eius.* Gregorius. *Quid  
est vna acerba nisi peccatum?* *vna quippe acerba  
est fructus ante tempus.* *Quisquis ergo praesentis vita  
delectationibus satiari desiderat, quasi fructus ante  
tempus comedere festinat.* Sed qui vnam acerbam  
comedet, dentes eius obſtupescere: quia qui praesentis  
mundi delectationibus pascitur, interni sensus eius  
ligantur, vt iam spiritualia sapere nequeant. Hoc  
figuratum est Num. 11. in populo Israel, qui in  
Ægypto carnibus cum allio & cœpis satiatus fue-  
rat, & postea in deserto talia concupiscens, pa-  
nem cœlestem, scilicet, manna dulcissimum, cum  
nausea respiciebat. 1. Corinth. 1. *Animalis homo  
non percipit ea quæ sunt spiritus Dei.* Augustinus.  
*Animalis dicitur carnalis homo, qui fertur dissoluta  
laſciuia animæ suæ, quem intra naturalis ordinis  
metas spiritus rector non continet, eo quod ipse Deo  
regendum se non subiicit.* *Talis spiritualem dulce-  
dinem non sapit.*

De quarto Gal. 3. *Sic stulti es sis, vt cum spiritu  
cœperitis, nunc carne consummamini?* Prou. 2. *Re-  
linquunt iter rectum, & ambulant per vias tenebro-  
sas.* Luc. 8. *Qui supra petram:* hi sunt qui cum au-  
diunt verbum, cum gaudio suscipiunt: sed radicem  
non habent, scilicet, stabilitatem firmæ voluntatis:  
quia ad tempus credunt, & in tempore temptationis  
recedunt. Cant. 7. *Mane surgamus ad vineas, &  
videamus si floruit vinea, si flores fructus parturiunt.*  
Glossa. *Non est intuendum si vinea floret, sed si flo-  
res ad partum fructuum conualescunt:* quia non  
mirum est, si quis bonum inchoat: sed valde  
mirabile est, si intentione bona in bono opere  
perficerat.

**C**ontra hæc quatuor mala, quatuor secundi  
fructus corporis Domini, qui nos hic in  
gratia perficiunt, 1. intellectum enim ad se co-  
gnoscendum illuminant, 2. voluntatem siue affec-  
tum in dilectione proximi inflammant, 3. mem-  
oriam spirituali dulcedine delectant, 4. & to-  
tum hominem in bono confirmant.

De primo fructu Prou. 24. *Comede, fili, mel:*  
*quoniam bonum est.* Mel est sapientia Dei incar-  
nata, in cibum dulcem nobis præparata. Hoc bo-  
num est ad spirituale medicinam: quia illumi-  
nat mentem. 1. Reg. 14. *Vidisti quia illuminati  
sunt oculi mei, eo quod gustauerim paululum de-  
melle.* Isa. 7. *Butyrum & mel manducabit omnis qui  
relictus fuerit, vt scilicet sciat reprobare malum &  
eligere bonum.* Psalm. 33. *Dominus illuminatio  
mea, & salus mea.* Accedito ad eum, & illumina-  
mini, scilicet, ad cognitionem nostri. Prou. 20.  
*Lucerna Domini spiraculum hominis, que inuestigat  
omnia secreta ventris.* Spiraculum est illuminatio  
à Domino data homini ad cognitionem sui.  
Vnde Glossa. *Diuini afflatus illuminatio cum in-  
mentem hominis venerit, eam fibi meipsi illuminans  
ostendit que ante cogitationes pravae & portare po-  
terat & pensare bona nesciebat.*

De secundo fructu dicitur Isa. 6. quod *Angelus  
tulit calcum de altari, & tetigit eo os Isaiae.* Cal-  
culus est carbunculus, sic dictus, quia ignitus vt  
carbo, & significat corpus Domini de altari  
sumptum, & charitate inflammatum: quod ac-  
cendit amore corda fidelium. Psal. 17. *Ignis à fa-  
cie eius exarvit, carbones succensi sunt ab eo.* Cant. 8.  
*Lampades eius, lampades ignis atque flammarum.*  
Quia intus ardent Dei & proximi dilectione,  
& ex

& exterius lucent operibus misericordia.

De tertio fructu Psal. 24. *Gustate & videte quoniam suavis est Dominus. Eccl. 49. Memoria Iosie in compositione odoris facta opus pigmentarij. In omni ore quasi mel indulcabitur.* Iosias qui interpretatur fortitudo Domini, significat Christum. Dicit Glossa, Memoria Christi, id est, sacramentum corporis eius, quod in memoriam sui iussit consecrari, opus est odoriferum veri pigmentarij, id est, Spiritus sancti, qui illud composuit de pretiosis speciebus, scilicet, de carne virginali, & sapientia Dei. Hoc quasi mel in ore cordis indulcabitur, si virtus eius in salutem humani generis pie cogitatur. Cant. 2. *Sub umbra illius quem desiderabam, sedi, & fructus eius dulcis gutturi meo.* Primo fidelis anima Christum desiderat, astutus spiritu, & sitit: secundo umbram refrigerij in fructum obtinendi sentit: tertio sedet, expectat, orat, ut se totum ad ipsam reficiendam & vivificandam fructus infundat: quarto per infusam eius dulcedinem suauiter gustat.

Sed dicit aliquis: Ecce saepius, ut possum, me preparo: corpus Domini sumo: sed nihil sentio solatij specialis, nil spiritualis dulcedinis. Respondeo. Cibus iste sive fructus, medicina est hominis. Vnde sicut medicus peritus quandoque quibusdam dat medicinam dulcem palato corporis, & quandoque non, sed palato mentis: quae quamvis non gutturi, tamen bene sapit rationi: pro eo quod dum sanat mentem delectat. Sic Dominus dat suis fidelibus dulce semper corpus: sed dulcedinem suam alio modo illis ostendit, prout cuilibet expedire nouit. Hinc est, quod quidam dulcedinem illam sapiunt per affectum, & ardenter delectantur deuotione: & alii eandem dulcedinem sapiunt per intellectum, & sufficienti reficiuntur utilitate, in eo quod credunt & intelligunt per hunc cibum sanctum veram vitam obtineri.

Igitur quamvis non sapis dulcedinem Domini, primo modo, id est, per affectum intimae devotionis: sapis tamen secundo modo, scilicet, per intellectum multae utilitatis. De primo Isa. 55. *Audite audientes me, & comedite bonum, & delectabitur in crassitudine anima vestra.* Ambros. *Panis candidissime habens omne delectamentum, &c.* De secundo est illud Cant. 2. *Fructus eius dulcis gutturi meo*, id est, pie & fideli mente, quae credit & intelligit hunc cibum sanctum esse sibi utilissimum: vnde Glossa. *Dulcis fructus gutturi cordis*: quia in eo intelligit anima causam vitae, dum etiam corporaliter percipit.

Hæc dulcedo valet contra tria mala, quae sunt in mundo. Require supra in sermone 19. post medium.

De quarto fructu Psalm. *Panis cor hominis confirmat.* Quia scilicet corpus Christi fideles suos in vita sua finaliter confortat. 3. Reg. 19. *Comedit Elias panem*, quem sibi Angelus ministrauit, & ambulauit in fortitudine cibi illius 40. diebus & 40. noctibus usque ad montem Dei Horeb. Horeb interpretatur mensa, mons ergo iste est mensa Dei, & significat satietatem celestis gloriae. Panis utique corporis Christi confortat nos in vita bona & bono opere, 40. diebus & noctibus, id est, toto tempore praesentis penitentiae, usque ad montem & mensam Dei, id est, quo usque perueniamus ad altitudinem securitatis, & satietatem dulcedinis

æternæ gloriae. De his dicitur 4. Reg. 4. *Eliseus incubuit super puerum, posuitque os suum super os eius, & oculos suos super oculos eius, & manus suas super manus eius: & calefacta est caro pueri.* Fidelis anima per puerum: Dominus per Eliseum significatur: qui sicut sigillum ceræ, sic se conjungit animæ. Oculos suos super oculos eius ponit, quia intellectum illuminat: carnem calefacit, quia affectum charitatis inflamat: os super os ponit, quod gustum memoriae dulcedine spirituali delectat: manus super manum ponit, quia in bono opere usque in finem conferuat, & sic totum hominem perficit, & ad vitam æternam perducit. Amen.



## DE QVATVOR fructibus tertiiis.

### S E R M O   X X I I .

*Venite, comedite panem meum,  
& bibite, &c. Ut supra.*

**T**E R T I A alia quatuor mala nostra sive langores, sunt quasi mortis plaga, quibus multæ grauantur animæ, scilicet,

- I. *Debitum mortis æterne.*
- II. *Defluxus bone vite.*
- III. *Exilium mundane misericordie.*
- IV. *Incineratio corporalis materiae.*

De primo langore Rom. 7. *Ego carnalis venundatus sum sub peccato.* Primi enim parentes veneraverunt se, & totam progeniem suam, ad perpetuam servitutem diaboli: quod est ad æternam mortem, pro modica delectatione peccati. Gen. 2. *De ligno scientia boni & mali ne comedas: in quounque die comederis ex eo, morte morieris*, id est, te & posteritatem tuam ad æternam mortem obligabis. Rom. 5. *Per unum hominem in hunc mundum peccatum intravit, & per peccatum mors, id est, certitudo mortis temporalis, & debitum æternæ mortis, nisi subueniret redemptio Saluatoris.* Eph. 2. *Eramus filii iræ natura sicut & ceteri, id est, debitores æternæ mortis.*

De secundo Psal. 101. *Dies mei sicut umbra declinauerunt.* Item Psal. 101. *Saluum me fac Deus, quoniam defecit sanctus, quoniam diminuta sunt veritates à filiis hominum.* Gen. 47. *Dies peregrinationis vite meæ centum triginta annorum sunt, pars & mali, & non peruererunt usque ad dies patrum meorum.* Item Gen. 8. *Sensus & cogitatio humani cordis ad malum prona sunt ab adolescentia sua.* Eccl. 19. *Qui modica spernit, paulatim decidet.* Heb. 2. *Propterea oportet nos abundantius obseruare quæ audiuiimus: ne forte pereffluamus.*

De tertio Gen. 3. *Emisit Dominus Adam de paradiſo voluptatis ut operaretur terram, eiecisque eum, subaudi, in exilium terrenæ misericordie.* Ps. 119. *Heu me, quia incolatus meus prolongatus est.* Heb. 11. *Iuxta fidem Abraham, Isaac, & Jacob, & omnes*

*omnes sancti antiqui defuncti sunt, non acceptis re-promissionibus: sed à longe eas aspicientes, & saluantes & confitentes quia peregrini & hostes sunt super terram.* Qui enim hoc dicunt, significant se patriam inquirere: & siquidem illius meminissent de qua exierunt, habebant tunc tempus reuertendi, non autem appetunt meliorem, id est, cælestem. Hinc flens canit Ecclesia: *Salve regina misericordia: ad te clamamus exiles filii Eusebii, &c.* Glossa super illud Ia. *Ne indigne-mi si mali in mundo florent, si vos patimini: quia non est Christiana dignitatis in temporalibus exaltari, sed potius deprimi.* Mali nihil habent in cælo, vos nihil in mundo: vnde spe illius boni ad quod tenditis, quicquid contingat in via, gaudere deberis.

De quarto Gen. 3. *In sudore vultus tui vesceris pane tuo, donec reuertaris in terram de qua sumptus es: quia cinis es, & in cinerem reuenteris.* Iob 10. *Memento quoq[ue] sicut lumen feceris me, & in puluerem reduces me.* Hinc dicitur nobis in die Cinerum, *Memento homo quia cinis es, & in cinerem reuenteris.* Eccl. 14. *Omnis caro veterascet sicut folium fructificans in arbore viridi.* Glossa. *Sicut fœnum in terra, & folium in arbore nascitur, crescit, virescit, maturescit, arescit, & deicyt: ita caro nostra nascitur ex progenie parentum, crescit in pueritia, florescit in adolescentia, maturescit in iuuentute, arescit in senectute, deicyt in morte, sic ut in puluerem reuertatur.* Sed hoc saepe antequam arescat per senectutem: quia etiam iuvenes variis moribus moriuntur.

**C**ontra hæc quatuor mala ordinantur quatuor tertij fructus Dominici corporis, qui salvant nos à plagiis mortis. Ab æterna enim morte liberat, merita bona ævitæ multiplicat, ad patriam vitæ deducit, ad æternam vitam corpus resuscitat.

De primo fructu Ioan. 6. *Ego sum panis vita.* Patres vestri manducauerunt manna in deserto, & mortui sunt. *Hic est panis de cælo descendens: ut si quis ex ipso manducauerit, non moriatur.* Patres qui manducauerunt manna, omnes mortui sunt: tam mali quam boni, sed dissimiliter: mali enim, qui in manna Christum non intellexerunt, nec crediderunt, mortui sunt morte æterna, quæ est in inferno: boni qui crediderunt, etiam mortui sunt quadam morte longa, qua in limbo, quasi in umbra mortis æternae detenti sunt, & vñque ad mortem Saluatoris ab æterna vita separati. *Sed si quis manducauerit ex hoc pane, non morietur:* quia non solum ab æterna morte quæ est in inferno, sed etiam ab illa longa quæ fuit in limbo virtute corporis Christi liberatur. Et insuper hæc breuis mors corporis in vitam æternam quæ est in cælo, eidem commutatur. Oseæ 13. *De manu mortis liberabo eos.*

De secundo fructu Ioan. 6. *Panis quem ego da-bo, caro mea est pro mundi vita, quasi pro multiplicandis meritis bonaæ vitæ.* Sicut enim parvulus per cibum corporalem crescit magnitudine, robore, & decore: sic fidelis per cibum sacramentalē proficit meritis bonaæ vitæ. Ioan. 10. *Ego sum pastor bonus, ego veni ut oves mee vitam habeant & abundantius habeant.* Psalm. 20. *Vitam peccati a te: & tribuisti ei, Domine, longitudinem dierum: ut scilicet proficiat de claritate in clarita-*


tem, de virtute in virtutem. Item Psal. 137. *Multiplicabis in anima mea virtutem.* Ioan. 15. *Qui manet in me, & ego in eo. Hic fert fructum multum.*

De tertio fructu Ioan. 6. *Ego sum panis viuus qui de cælo descendit: si quis manducauerit ex hoc pane, viuet in æternum,* id est, deducam eum de exilio præsentis miseriae ad cælum: vnde descendit, ubi est vita æterna. Ambros. *Domini corporis figura præcessit, quando Dominus in deserto pluribus manna pluit.* Quia sicut ille panis populum per desertum ad terram promissionis duxit: ita hæc esca cælestis fideles huius seculi desertum transiuentes in cælum subuehit, vnde recte viaticum appellatur, quia in via nos reficiens in patriam vñque perducit. Ierem. 12. *Reducam virum ad hereditatem suam.* Proverb. 3. *Lignum vitæ est his qui apprehendunt eam.* Glossa. *Sicut in paradiſo fuit lignum vitæ: ita per sapientiam Dei que est Christus, viuificatur Ecclesia, cuius nunc sacramento corporis & sanguinis vita æterna accipit pignus.* Sic ergo corpus Christi sumptum, pignus est vitæ æternæ: & pignus dimittitur, donec id pro quo impignoratum est, accipitur. Profecto per id ad vitam æternam perducimur.

De quarto fructu Ioan. 6. *Qui manducat meam carnem, & bibit meum sanguinem, habet vitam æternam: & ego resuscitabo eum in nouissimo die.* Verum omnem hominem, siue malum sit, siue bonus, Dominus suscitabit. 1. Cor. 15. *Sicut per unum hominem mors, scilicet, omnium: ita & per unum hominem, scilicet, Christum resurrectio mortuorum.* Sed hæc erit valde dissimilis, vnde sequitur: *Omnes quidem resurgent, sed non omnes immutabimur.* Omnes resurgent: quia, ut dicitur 2. Corinth. 5. *Omnes nos manifestari oportet ante tribunalum Christi, ut referat unusquisque propria corporis prout gessit, siue bonum sit, siue malum.* Sed non omnes immutabimur: quia soli electi propter corporis Christi participationem, scilicet, sacramentalē vel spiritualem, surgent sole pulchriores. Sed reprobi surgent miseris, infirmi, & deformes. Dan. 12. *Qui dormiunt in terra puluere, euigilabunt: alijs in vitam æternam, qui & fulgebunt sicut splendor firmamenti: & alijs in opprobrium sempiternum, quos scilicet, ut dicitur IIa. 13. Torsiones & dolores tenebunt, quasi parturiens dolebunt, facies combusta vultus eorum.* Quale semen quod cadit in terram, talis fructus de terra surgit. Similiter qualis vita tua est dum moreris, talis suo tempore resurrectio erit. Seminatur zizania, & surgit ex ea deformis & odibilis herba. Seminatur triticum, resurgit frumentum pulchrum & electum.

Hæc figurata sunt Genes. 41. in somno regis. *Septem spicæ pullulabant in culmo uno plena atque pulcherrima, & septem aliae de stipula oriebantur tenues & percussæ vredine, id est, vento vrente, qui scilicet eas infirmauit, & de enigravit, & denigravit.* Septem spicæ deformes significant omnes reprobos cum magna deformitate in iudicio apparentes: septem pulcherrimæ omnes electos cum gloriis corporibus resurgent. De primo Nahum 3. *Ecce ego ad te malefica, id est, vniuersitas damnandorum, dicit Dominus, & reuelabo pudenda tua in facie tua, & ostendam in Gentibus nuditatem tuam, & regnis ignominiam tuam.* De secundo Phil. 3. *Saluatorem expellamus Dominum Iesum Christum, qui reformabit corpus humiliatis*

militatis nostrae configuratum corpori claritatis sue. 1. Corinth. 15. Seminatur corpus in corruptione, surget in incorruptione: semi natur in infirmitate, surget in virtute: seminatur corpus animale, surget spirituale: seminatur in ignobilitate, surget in gloria. Amen.



D E

## TRIBVS EFFECTIBVS principalibus, & quod quili- bet valet ad tria.

S E R M O X X I V .

*Venite, comedite panem meum.*

Vt supra.



A C R O S A N C T V M Corpus  
Domini tres habet effectus principi-  
pales.

*Primus est peccatorum destrucio.*

*Secundus, bonorum spiritualium augmen-  
tatio.*

*Tertius, animarum confortatio, vel vita  
eternæ collatio.*

De primo Dan. 2. Videbas, donec abscessus est de monte lapis sine manibus: & percussit statuam, id est, figmenta peccatorum, & comminuit eam. 1. Ioa. 3. In hoc apparuit Filius, ut dissoluat opera diaboli. De secundo Prou. 12. Qui bonus est, hauriet sibi à Domino gratiam: quia scilicet ipse est fons totius gratiæ. Eccl. 24. In me omnis gratia vie, & virtutis. Transite ad me omnes qui concupiscitis me, & à generationibus meis adimplemini. De tertio Psal. 103. Panis cor hominis confirmat. Gen. 18. Ponam bu- sellam panis, & confortetur cor vestrum, &c.

Primus ergo effectus principalis corporis Christi, est peccatorum destrucio. Et hoc ad tria: 1. ad delendam maculam cordis, 2. ad mitigandum stimulum carnis, 3. ad resistendum cogitationibus prauis. De primo Psal. 67. Niue dealbabuntur in Selmon. Selmon mons Dei est, & interpretatur umbra, & (sicut dicit Glossa) corpus Christi significat: quia sicut umbra fit de lumine & corpore, ita in corpore Christi est lumen diuinitatis, & caro humanitatis. In hoc monte umbroso fideles super niuem dealbabuntur: quia virtute corporis Christi incomparabiliter à macula peccatorum exmundantur. Isa. 43. Ego sum ipse qui deleo iniquitates tuas. De secundo Exo. 16. Mane ros iacuit in similitudine pruina super terram. Panis cœlestis in similitudine roris & pruinae apparebat: quia corpus Christi à furore vitiorum refrigerat. Psal. 88. Tu dominaris potestati maris, &c. Mare significat multas miseras hominis, motus fluctuum, stimulum carnis. De tercio Cant. 1. Fasciculus Myrræ dilectus meus mihi. Myrra seruat corpora à verimbris incorrupta: sic corpus Christi corda fidelium à prauis cogitationibus illæsa: quia cum dilectum Dominum

fuscpimus, si fasciculum Myrræ, id est, amaritudinem Passionis eius mente cogitamus, vermes malorum cogitationum à nobis repellimus.

Secundus effectus principalis est bonorum spiritualium augmentatio: & hoc ad tria: 1. ad decorum castitatis, 2. ad ferorem charitatis, 3. ad saporem suavitatis. De primo Dan. 1. Apparuerunt vultus eorum meliores præ omnibus pueris, qui vescabantur cibo regio. Glossa. Vultus eorum quos panis satiabat qui de calo descendit, apparuerunt meliores, decore scilicet castitatis: unde & pueri illi casti erant. Cant. 7. Quam pulchra es & decora charissima in deliciis. Sic enim bonū nutrimentum, multum facit ad decorum corporis: sic deliciæ cibi spiritualis ad pulchritudinem castitatis. Ezech. 16. Similam, & mel, & oleum comedisti: & decora facta es vehementer.

De secundo Eccl. 32. Gemmula carbunculi in ornameento auri. Glossa. Ardenium gemmarum principiarum tenet carbunculus. Sic Deus. Quia ignitus, vt carbo, signat corpus Christi: quod cor accipientis & ornat castitate, & inflamat charitate. Psal. 17. Ignis à facie eius exarsit, carbones succensi sunt ab eo. Hinc 4. Reg. 4. Eliseus incumbens incurvauit se super puerum, & calefacta est caro pueri.

De tertio Gen. 49. Afer pinguis panis eius; prebebit delicias regibus. Sap. 16. Angelorum esca nutriti populum tuum, & panem de calo præstisisti eis, habentem omne delectamentum, & omnis saporis suavitatem. Substaniam enim tuam & dulcedinem quam in filios habes, ostendebas. Cant. 5. Comedifatum cum melle meo, id est, dulcedinem carnis Christi cum dulcedine diuinitatis: bibi vinum meum cum latte meo, id est, dulcedinem sanguinis Christi cum dulcedine spiritualis consolationis.

Tertius effectus principalis est animarum confortatio: & hoc ad tria: 1. ad debellandum dæmonia, 2. ad sustinendum aduersa, 3. ad operandum bona. De primo 1. Reg. 30. Inuenerunt viri David virum Ægyptum in agro, & adduxerunt eum ad David: dederuntq; ei panem ut comedaret, & refocillatus est: & adduxit David ad latrunculos, & percussit eos. Vir Ægyptius significat peccatorem quem Prædicatores adducunt ad Christum per conuersionem, qui pane Dominicæ corporis confortatus, fit dux Christi exercitus ad dæmones debellandos. Eph. 6. Confortamini in Domino, & in potentia virtutis eius, ut possitis stare aduersus insidias diaboli. 1. Reg. 7. Factum est cu offerret Samuel agnum in holocaustum, exterruit Dominus Philistheum, & cæsi sunt à filiis Israel.

De secundo 3. Reg. 22. Mittite virum istum in carcerem, & sustentate eum pane tribulationis. In carcerem mittitur, qui in hoc mundo aduersa patitur. Panis tribulationis quo sustentatur, est panis æternæ vitae: quo ad sustinenda aduersa confortatur. Act. 27. Dicit Apostolus, existentibus in magno periculo maris: Rogo vos accipere cibum pro salute vestra: & omnes sumpserunt cibum, & animæquiores facti sunt. Phil. 4. Omnia possum in eo qui me confortat.

De tertio Prou. 31. Mulier fortis de nocte surrexit, deditque prædam domesticis suis, & cibaria ancillis suis. Mulier fortis est Ecclesia de Gentibus. Hæc de nocte surrexit: quia per auditum verbi Dei de tenebris peccatorum ad Christum se conuertit. Prædam domesticis & cibaria ancil-

lis suis dedit : quia sacramenta Iudeæ missa quæ suscipere noluit, hæc cum omni desiderio rapuit, & de eis familiam suam, id est, fideles pauit : & hoc ut eos ad tria bona confortaret : 1. ad opera misericordiarum, 2. ad lucrum animarum, 3. ad emptionem cælestium diuinitarum. Vnde sequitur post prædictum cibum : *Considerauit agrum, & emit eum. De fructu manuum suarum plantauit vineam.*

Primo ergo confortamur cibo Domini ad opus bonum. Eccl. 33. *Cibaria, & virga, & onus asino: panis, disciplina, & opus seruo.* Sicut pabulum confortat asinum ad onera sua portanda : sic panis cælestis seruum Dei ad opera bona perficienda. 1. Tim. 1. *Gratias ago ei qui me confortauit in Christo Iesu.* Qui enim vere considerat in hoc sacramento immensam circa se Dei liberalitatem, valde confortat eum ad proximi pietatem.

Secundo confortamur ad lucrum animarum : vnde ibidem. *Vas electionis est mibi iste, ut portet nomen meum coram Gentibus,* nomen meum, scilicet, Iesum Christum, quasi cælestis oleum ad sanitatem animarum. Cant. 1. *Oleum effusum nomen tuum.* De pleno corde Christi fluit oleum gratiae ad salutem animæ.

Tertio confortamur ad emptionem bonorum cælestium. Hinc supra dictum est, quod mulier fortis post cibum *considerauit agrum, & emit eum,* virtutibus scilicet, & bonis operibus. Ier. 32. *Agri pecunia ementur, & scribentur in libro, & imprimetur signum, & testis adhibebitur.* Agri cælestis hereditatis ementur pecunia virtutum & bonorum operum : & scribentur tam agri quam homines emptores in libro vita : & imprimetur in corde emptoris signum, scilicet crucis Christi, & lumen Imaginis Dei, pro certo pignore: & adhibebitur testis : quia in die iudicij coram omnibus testis erit Dominus, quod vere emisti regnum cælorum pretio bonorum operum.

Vel tertius effectus principalis dici potest vita æternæ collatio. Ioan. 6. *Siquis manducauerit ex hoc pane, viuet in eternum.* Et hoc in tribus : 1. in omnium deliciarum præparatione, 2. in omnium desideriorum impletione, 3. in omnium bonorum secura & æterna fruitione. Require in serm. 10. in fine.

## D E E F F E C T I B V S corporis Christi sumptis ex tribus vocabulis.

### S E R M O   X X V .

*Venite, comedite panem meum,  
& bibite, &c. Vel alia ut supra.*



F F E C T V S Dominici corporis possunt sumi ex quibusdam nominibus, quæ solent eidem ascribi. Nominatur enim.

I. Quandoque verus panis.

II. Quandoque sacrificium altaris.

### I I I. Quandoque sacramentū charitatis.

De primo Ioan. 6. *Pater meus dar vobis de celo panem verum.* De secundo Mal. 3. *Placebit Domino sacrificium Iuda & Ierusalem.* De tertio 1. Tim. 3. *Manifeste magnum est pietatis sacramentum, quod manifestum est in carne per partum Virginis, prædicatum est Gentibus à sanctis Apostolis, creditum est mundo,* id est, concessum fidelibus in cibuni salutis : vnde recte dicitur sacramentum charitatis.

Primo corpus Domini nominatur panis verus. Et secundum hoc habet tres effectus : 1. confortat, 2. satiat, 3. & vitam conseruat. Sic panis iste confortat animum ad malum culpæ deuincendum : quia qui carent corroboracione huius panis, vincuntur à vitiis. 4. Reg. 25. Rex Babylonis & exercitus eius obsedit Ierusalem, & non erat panis populo terre, & omnes viri bellatores nocte fugerunt ad hortum regis, id est, ad delicias carnis : & ad campestria solitudinis, id est, ad viam latam, quæ dicit ad mortem. Psal. 103. *Panis cor hominis confirmat,* ad malum scilicet culpæ deuincendum, ut iam supra, I I. satiat spiritum ad fastidium mundi faciendum : vnde Psal. 131. *Pauperes eius saturabo panibus.* Complenda. *Satiasti Domine familiam tuam muneras sacris.* Et hoc ad fastidium mundi faciendum. Prou. 27. *Anima saturata calcabit fauum.* Gregorius. *Gustato spiritu, desipit omnis caro.* De tertio quod cōseruat vitam ad Deum semper laudandum, Eccl. 34. *Panis egentium vita pauperis est.* Ioan. 6. *Ego sum panis viuus, qui de celo descendit. Ego viuo propter Patrem: & qui manducat me, ipse viuet propter me:* & hæc vita est ad Deum semper laudandum. Psal. 145. *Lauda anima mea Dominum, laudabo Dominum in vita mea, psallam Deo meo quandiu fuerò.* De his supra sermone 9.

Secundo corpus Domini nominatur sacrificium altaris, & secundum hoc triplicem habet effectum, scilicet, in triplici statu fidelium : 1. in hoc in mundo, 2. in purgatorio, 3. in celo in primo statu peccata relaxat, in secundo pœnam alleuiat, in tertio gloriam augmentat.

De primo Leu. 5. *Anima que peccauerit per ignorantiam, offerat arietem immaculatum.* Glossa. 1. *Christum sine quo non fit remissio.* Nihil enim prodest capram, id est, asperitatem pœnitentiæ immolare, nisi studueris in Christi immolatione planam fiduciam habere. Ioan. 1. *Ecce agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi.* Paschasius. *Licet omnia peccata in baptismo sint donata: infirmitas tamen peccati, id est, fomes, in carne remanet.* Et quia adhuc quotidie labimur, saltem in venialibus: ideo pro nobis Christus quotidie immolatur : ut qui semel moriendo mortem deuicit, quotidie recidiua delictorum per hæc sacramenta relaxet. Ambrosius. *Sicut quod ubique offertur, unum est corpus: ita & unum est sacrificium.* Christus semel in cruce hostiam pro omnibus obtulit : ipsam offerimus & nunc. Sed quod nos agimus, recordatio est sacrificij illius : nec causa sue infirmitatis repetitur, sed nostræ : quia quotidie peccamus.

De secundo Leu. 17. *Dedi vobis sanguinem, ut super altare meum expietis pro animabus vestris.* In hoc figuratum est, quod sacrificium Carnis & Sanguinis Christi valet animabus in pœna purgatorij.

Hinc

Hinc sciendum est, quod tres sunt turmæ animarum hinc decedentium. Prima peccantium, secunda paenitentium, tertia innocentium. Primum sacrificium non adiuuat, secundam à pœna alleuiat, tertiam sine pœna per ignem ad cœlos subleuat.

De primo 1.Reg.3. *Iurauit Heli, quod non expietur iniquitas domus eius victimis & muneribus, usque in eternum.* Domus eius, id est, omnium in peccatis persistenter. Ier.7. *Quia locutus sum ad vos, & non audistis: & vocavi vos, & non respondistis: proficiam vos à facie mea.* Proficiam scilicet post hanc vitam vestram malam in pœnam infernalem: à facie mea, id est, ab omni bono quod est in cœlo & in terra. *Tu ergo noli orare pro populo hoc: nec assumas laudem pro eis,* id est, sacrificium laudis: & obſſtas mihi: quia non exaudiam te. Prou.6. *Qui adulter est, id est, amans & adhærens creature ultra mēnsuram iustitiae, perdet animam suam: quia zelus & furor viri non parcer in die vindictæ, nec acquiescat cuiusquam precibus, nec suscipiet pro redēptione dona plurima,* quasi pretiosissimum Christi sacrificium.

De secundo supra, *Dedi vobis sanguinem, ut super altare meum expietis pro animabus vestris.* Sanguinem, id est, sacrificium corporis & sanguinis Christi. Sanguinis ponitur pro corpore & sanguine simul, pars pro toto: & quia sanguis in altari non est sine corpore, nec corpus sine sanguine pro animabus, quæ scilicet sunt in purgatorio. Augustinus. *Orationibus & eleemosynis, &c.* Zach.3. *Partes dua in terram dispergentur, & deficiunt, id est, infideles & mali Christiani damnabuntur: & tertia pars relinquetur in ea, id est, paenitentes: & ducam tertiam partem per ignem,* id est, animas paenitentium per purgatorium: & *vrum eos sicut vritur argenteum: & probabo eos, sicut probatur aurum.* Ipse inuocabit nomen meum, & exaudiam eum. Ipse, id est, populus Christianus in terra derelictus: inuocabit me orationibus, eleemosynis, & sacrificio altaris, pro parte ducta per ignem, id est, pro animabus, quæ sunt in purgatorio: & exaudiam eum, alleuiando scilicet pœnam illorum & breuiando.

De tertio Prou.21. *Munus absconditum extinguit iras, iras scilicet Dei, id est, pœnas purgatorij, quantum ad animas innocentes, & in praesenti tribulationibus & flagellis satis purgatas.* Psal.6. *Domine ne in furore tuo arguas me, neque in ira tua corripias me.* Quoniam sagitta tua infixæ sunt mihi. Furor Dei ardet in inferno, ira in purgatorio, sagitta siue correptio amoris in hoc mundo. Qui ergo hic sagittas correptionis Domini patienter portat, furorem inferni & iram ignis purgatorij duce Domino illæsus euadet. Ila.43. *Noli timere serue mens. Cum pertransieris per aquas, tecum ero, & flumina non operient te: cum ambulaueris in igne, non combureris:* quia Salvator tuus. Dan.3. *Angelus Domini descendit cum Azaria & sociis eius in fornacem, & fecit medium fornacis quasi ventum roris stantem, & non tetigit eos omnino ignis, neque contristauit.* Tunc laudabant Deum dicentes: Benedicite Domino, qui eruit nos de inferno, & liberauit de medio ardoris flammæ. Ila.55. *In latitia egrediemini, & in pace deducemini: montes & colles cantabunt coram vobis laudem.*

De tertio supra nominato, scilicet quod sacrificium altaris gloriam beatorum in cœlo quo-

*D. Alberti Magni Serm.*

dammodo augmentat. Leu.10. *Pectusculum faciūt quod oblatum est, &c.* vt supra serm.4. Greg Eodem momento rapitur in celum ministerio Angelorum consociandum corpori Christi, & ante oculos sacerdotis in altari videtur. Rapitur scilicet corpori Christi consociandum, id est, ad beatos laetificandum. Com. *Sumpsimus Domine diuina mysteria, que sicut tuis sanctis ad gloriam, ita nobis ad vitam prodeſſe perficias.*

Tertio corpus Domini nominatur Sacramentum charitatis, & secundum hoc tres habet effectus: quia tria maxima bona operatur in nobis, scilicet, 1. Spiritus sancti veram participationem, 2. ipsius Christi certam inhabitacionem, 3. in similitudinem imaginis Dei transformationem. De primo Psalm.80. *De petra melle saturauit eos.* Quia scilicet fideles fugunt de corpore Christi dulcedinem Spiritus sancti. Sap.12. *O quam bonus & suavis est, Domine, Spiritus tuus in nobis,* qui scilicet, de corpore tuo in nos fluit. Augustinus. *Participatione corporis & sanguinis Christi homo viruit, non sumens tantum sacramentaliter, quod & mali faciunt: sed pertingens usque ad Spiritus participationem, ut in corpore Domini tanquam membrum maneat, & eius spiritu vegetetur.* De secundo Ioan.6. *Qui manducat meam carnem & bibit meum sanguinem, in me manet, & ego in eo.* Hilarius. *Accepta carne Domini, &c.* Est enim in nobis Christus per carnem, dum eius carnem accepimus: & sumus in eo, dum secum hoc quod nos sumus in Deo est. Ioan.1. *Verbum caro factum est, & habitavit in nobis.* Dum Verbum carnem assumpsit, in carne nostra habitat: & dum nos Verbum incarnatum in cibum accipimus, ipsum etiam habitat in nobis. De tertio Ioan.1. *Quotquot autem receperunt eum, dedit eis potestatem filios Dei fieri, his qui credunt in nomine eius,* id est, deiformes & Deo secundum imaginem similes: nec potest creatura ad maius promoueri, quam quod assimiletur suo Creatori.

Assimilatur autem homo Deo virtute corporis Christi in tribus: 1. in interiori cordis honestate, 2. in exteriori operis fertilitate, 3. in superiori cœlestis regni hereditate. De primo 2.Pet.1. *Christus propria gloria sua & virtute, maxima & preiosa nobis promissa donauit: ut per hoc efficiamur diuina confortes naturæ.* Maxima promissa, id est, seipsum. Vnde, *Iusserandum quod iurauit ad Abraham patrem nostrum, daturum se nobis.* Ut efficiamur diuina confortes naturæ, id est, vera honestatis, quia natura Dei honestas est. Ambrosius. *Quia Dominus Iesus consors est diuinitatis & corporis: & tu qui accipis carnem eius, diuina eius substantia in illo participas alimento,* id est, vere bonus efficeris ab eo.

De secundo Ezech.17. *Sumam de medulla cedri sublimis, & de vertice ramorum eius, & plantabo in montem excelsum, & faciet fructum.* Medulla sublimis cedri est æterna sapientia. Altii rami eius sunt patres sancti. Vertex ramorum est Beata Virgo. Pars de vertice est caro Christi sumpta de Virgine. Surculus ergo sumptus de medulla & de vertice eius, corpus Christi plenum diuinitate. Iste plantatus in montem excelsum, id est, in coti iusti ad Deum eleuatum, facit similem Christo boni operis fructum. De utroq; Gal.2. *Viuo ego, iam non ego: viuit autem in me Christus, me scilicet sibi assimilando interiori honestate, & exteriori bono opere.* Hinc dictu est Aug. *Cibus sū grandin, cresce,* B b & man

& manducabis me : nec me mutabis in te sicut cibum carnis tua, sed tu mutaberis in me. De tertio Ioan. 14. Quotquot autem receperunt eum, dedit eis potestatem filios Dei fieri. Ergo & hæredes. Rom. 8. Si filij, & hæredes : hæredes quidem Dei, cohæredes autem Christi. 1. Pet. 1. Benedictus Deus, qui regeneravit nos, id est, de filiis diaboli filios suos in hereditatem incorruptibilem, & incontaminatam, & immarcescibilem, conservatam in celis. Amen.

DE E F F E C T I B V S  
sumptis ex tribus aliis corporis Christi vocabulis.

S E R M O   XXVI.

*Venite, comedite panem meum,*  
&c. seu alia ut supra.

**E**FECTVS Dominici corporis possunt sumi ex tribus aliis nominibus suis, quam supra. Dicitur enim

- I. Quandoque medicina spiritualis.
- II. Quandoque manna, id est, panis cœlestis.
- III. Quandoque Eucharistia, id est, bona gratia anima fidelis.

De primo Eccl. 38. *Altissimus de terra creauit medicinam, & vir prudens non abhorrebit eam.* Augustinus. *Suscepit Christus de terra terram : quia caro de terra est, & de carne maxime carnem accipit, & ipsam nobis ad salutem manducandam dedit.* De secundo Apoc. 2. *V incenti dabo manna absconditum.* Quasi diceret : Qui se præparat per victoriā, illi dabo manna, id est, cœlestem panem, scilicet corpus meum, in quo secrete reconditum est multiplex bonum. Ioan. 6. *Hic est panis quis de celo descendit.* De tertio Eccl. 32. *Audi tacens, & pro reverentia accedet tibi bona gratia.* Quasi diceret : Præparate per auditum verbi Dei & obedientiæ, qua taceas, id est, cesses à malo & serues reuerentiam in beneficiendo. Tunc dabitur tibi bona gratia, quæ græcæ dicitur Eucharistia, id est, corpus Christi. Mag. 4. *lenten. Sacramentum altaris excellenter dicitur Eucharistia, id est, bona gratia, quia in eo non solum est augmentum virtutum & gratia : sed ille totus ibi sumitur, qui est fons & origo totius gratia.*

Primo corpus Domini dicitur medicina spiritualis, & secundum hoc tres habet effectus. Serpens quippe malignus, &c. Ut supra serm. 6. 1. Ignorantiae enim tenebras illuminat, 2. mortuum præse concupiscentiae sanat, 3. & mortem destruendo triumphat. De primo Psalm. 131. *Parati lucernam Christo meo.* Lucerna est lumen in diaphano, id est, perlucido corpore: sic corpus Christi est Verbum Dei, quod est lux vera in munda carne, qua scilicet pelluntur à nobis tenebrae ignorantiae. Luc. 1. *Viderunt oculi mei salutem tuum, quod parasti ante faciem omnium populo-*

rum. *Lumen ad revelationem Gentium.* Psalm. 26. *Dominus illuminatio mea, & salus mea.* Accedite ad eum & illuminamini. De secundo Isa. 38. Item 4. Reg. 20. Iussit Isaias vt tollerent massam de fis, & cataplasmarent super vulnus regis, vt sanaretur. Vulnus siue vlcus regis est concupiscentia carnis. Psal. 6. *Miserere mei Domine, quoniam infirmus sum : sana me Domine.* De tertio Luc. 1. *Benedictus fructus ventris tui, scilicet corpus Christi quod est fructus vitæ valens ad curationem mortis æternæ.* Prou. 3. *Lignum vitæ est his qui apprehenderint eam : scilicet sapientiam Dei incarnatam.* Osee 13. *Ero mors tua ò mors.* De hac træplici corruptione & medicina supra serm. 6. post principium.

Secundo corpus Domini dicitur manna, id est, panis cœlestis, quod manna habuit similitudinem saporis frumenti, mellei, & olei. De duobus primis Exod. 16. *Gustus eius quasi simile cum melle.* De tertio Num. 11. *Fecerunt ex eo tortulas saporis quasi panis oleati.* De tribus simul Ezech. 16. *Similam, & mel, & oleum comedisti.*

Et secundum hæc tria habet corpus Domini triplicem effectum : 1. operatur enim morum honestatem, 2. cordis suavitatem, 3. proximi pie-tatem. Primum signatur in frumento, secundum in melle, tertium in oleo. De primo Zach. 9. *Quid bonum & quid pulchrum eius, &c.* Panis de frumento bonus & pulcher est in se, & etiam in effectu : quia facit pulchrum. Sic corpus Christi bonum & pulchrum facit honestatem morum. Dan. 1. *Apparuerunt vultus eorum, &c.* Ut supra. Vultus eorum quos panis satiabat, qui de celo descendit. De secundo Prou. 24. *Comede fili, mel, quoniam bonum est.* Sap. 16. *Paratum de celo panem præstisti, &c.* De tertio Iob 29. *Quis mihi tribuat ut sim secundum dies quando secreto Deus erat in tabernaculo meo, & petra fundebat mihi riuos olei ? id est, gratiam pietatis ad bonum proximi.* Prou. 21. *Thesaurus desiderabilis, & oleum in tabernaculo iusti.* 4. Reg. 4. *Offerebam vasa, & mulier infundebat oleum.* Et ait Eliseus, *Vende oleum, & redde creditori tuo : tu autem & filii tui vivite de reliquo.* Ecce, oleum in opus pietatis proximum reficit, debita soluit, nos ipsos pascit. Primum intelligitur in eo quod fundebat oleum in vasa proximorum, secundum in eo quod reddidit per oleum debita creditori, tertium in eo quod ipsa & filii de oleo vixerunt.

Tertio corpus Domini dicitur Eucharistia, id est, bona gratia. Gratia est influentia diuinæ bonitatis in animam, per quam assimilata Deo, fit ei grata, & vitæ æternæ digna. Et secundum hoc corpus Domini habet tres effectus : 1. similem Deo animam efficit, 2. gratiam & charam Deo reddit, 3. vitam æternam tribuit. De primo 2. Pet. 1. *Christus propria gloria sua & virtute, maxima pretiosa nobis promissa donauit : ut per hoc efficiamur diuinae confortes nature, id est, similes Deo per veram bonitatem.* De secundo Cant. 7. *Quam pulchra es, & decora, charissima, in deliciis.* Quasi diceret : Quia delicato cibo & potu corporis & sanguinis Christi es enutrita : facta es multum decora, & idcirco grata Deo. De tertio Ioan. 6. *Qui manducat carnem meam, & bibit meum sanguinem, habet vitam aeternam.*

Item corpus Domini dicitur Eucharistia, id est, bona gratia, & secundum hoc valde bonum habet

habet effectum, scilicet, quod cum illud manducamus: non ipsum ut alius cibus mutatur in nos, sed nos in illud mutamur. Ut iam dictum est, gratia est influentia diuinæ bonitatis in animam, per quam assimilamur Deo. Hæc bona gratia, scilicet, corpus Christi, influit nobis bonitatem suam, per quam non ipsum nobis, sed nos illici assimilamur & in eius bonitatem mutamur.

Hæc nostra in Christum mutatio potest probari similitudine triplici. Prima sumitur de virtute nostri aëoris, secunda de virtute rei maioris, tertia de virtute surculi arboris, &c. ut supra serm. 20, ante finem.



## PARS VII. DE TRIPLO CONSIDERATIONE sanguinis Christi: & primo, ut in cruce funditur.

### S E R M O   X X V I I .

*Venite, comedite panem, &c.*

Vt supra. Prou. 9.

His verbis Dominus nos intuitat ad salutare conuiuum, in quo preparauit pretiosum cibum & potum, corpus & sanguinem suum. Dicto itaque supra de Christi corpore, dicendum est hic de sanguine. *Hic est qui venit per aquam & sanguinem Christus Iesus.* 1. Ioan. 5. Item, *Calicem quidem meum bibetis.* Matth. 20. Item, *Dignus es Domine, quoniam redemisti nos in sanguine tuo.* Apoc. 5.



EPITIMVM principaliter circa sacramentum corporis Domini notandum, est consideratio sacri sanguinis. Vnde sciendum, quod sanguis Domini tribus modis potest considerari.

I. *Vt in cruce pro omnium redemptione funditur.*

II. *Vt in Sacramento à fidelibus sumitur.*

III. *Vt à saluandis spiritualiter bibitur.*

Primum est pretiositatis magnæ probatio. Secundum, tanti pretij dandi ratio. Tertium, virtutis sanguinis magnitudo.

Primo modo consideratur ab inestimabili pretiositate, circa quam quatuor præcipue possunt notari.

Primum circa pretiositatem sanguinis Christi præcipue notandum, est pretiositatis magnæ probatio. Et hoc probatur à tribus: 1. à virginali ori-

*D. Alberti Magni Serm.*

gine, 2. à dignitate innocentiae, 3. à Dei unione. De primo Eccl. 24. *Ego quasi vitis fructificans suavitatem odoris, & flores mei fructus honoris & honestatis.* Fructus vitis, scilicet Beata Virginis, vua & vinum, id est, corpus Christi & sanguis: vinum ergo honoris, ortum de flore vitis, est sanguis Christi pretiosus, natus de virginitate Matris. Multum itaque commendat sanguis Christi nobilitatem & pretiositatem, quod à nulla, ut aliis sanguis, corruptione, sed à virginali flore sumpsit originem. De secundo Psal. 93. *Captabant in animam iusti, & sanguinem innocentem condemnabunt.* Quanto sanguis innocentior, tanto rarer & pretiosior. 1. Pet. 1. *Non corruptibilibus auro vel argento redempti estis, sed pretioso sanguine quasi agnus incontaminati & immaculati Iesu Christi.* De tertio Ierem. 13. *Agglutinavi mihi omnem domum Iuda, dicit Dominus, id est, inseparabiliter mihi vniui totam hominis naturam, scilicet, animam, corpus & sanguinem.* Hebr. 2. *Quia pueri communicaverunt carni & sanguini, & ipse Christus similiter participauit eisdem,* id est, Filius Dei pro salute hominis habentis carnem & sanguinem: & ita vniuit ea fibi, & honestauit, ut vere possint dici caro Dei, & sanguis. Act. 20. *Posuit nos Spiritus sanctus regere Ecclesiam Dei, quam acquisivit sanguine suo.* Ergo sanguis Christi vere est sanguis Dei: & ideo tam pretiosus, ut una gutta plus valeat, quam totus mundus.

Secundum circa pretiositatem sanguinis Christi precipue notandum, est tanti pretij pro homine dandi ratio, & hæc est triplex. Prima, magni debiti necessaria solutio. Secunda, magni amoris demonstratio. Tertia, magni boni perdit recupratio.

Prima ratio tanti pretij dandi pro homine, scilicet, pretiosi sanguinis Dei, est magni debiti necessaria solutio. Maximo enim debito obligatus erat primus homo: quia tenebatur Deo satisfacere pro se, & pro toto genere humano quod rapuerat & occiderat, pœnum vetitum comedendo: vnde iussus est cum omni progenie mitti in gehennæ carcерem, donec redderet omne debitum per sufficientem hostiam. Iustum est enim secundum peccati quantitatem, & læsa majestatis dignitatem, fieri satisfactionem.

Et hoc potest tribus gradibus distingui: pro minori enim culpa minor, pro maiorior, pro maxima satisfactio maxima est facienda. Hinc statutum erat in lege Dei, pro transgressione diversorum mandatorum pecus aliquod Deo offerri & occidi, & sanguinem eius fundi. Ex hoc sequitur, quod pro tot homicidiis primi parentis (qui omnes homines occidit: quia per eum omnes moriuntur) & pro læsa per hæc maxime Creatoris majestate, tam pretiosa hostia debeat offerri Deo & occidi, & sanguinem eius fundi: quæ ad minus tantum valeat, quantum omnes homines qui sunt occisi: sed quia talis in omni creatura non potuit inueniri, necesse fuit ad soluendum tantum debitum, & ad liberandum de inferni carcere genus humanum; Filium Dei hominem fieri, omni creatura meliorem: & ipsum pro debito hominis occidi, & sanguinem eius fundi.

De primo Leu. 4. *Anima qua peccauerit per ignorantiam in transgressione, scilicet, quorundam mandatorum Dei, offerat Domino vitulum, vel agnum, vel aliud huiusmodi ad occidendum, & san-*

B b 2      guinem

guinem eius fundendum. Heb. 9. Omnia pene in sanguine mundantur secundum legem, & sine sanguinis effusione non fit remissio. De secundo Gen. 9. Qui cunque fuderit sanguinem hominis, fundetur sanguis illius. Ad Imaginem quippe Dei factus est homo. Num. 35. Non aliter expiari potest nisi eius sanguine, qui alterius sanguinem fuderit. De tertio Dominus Oleæ 13. De manu mortis liberabo eos, pretio sanguinis (dicit Glossa) intellige de morte, id est, de plaga & debito æternæ mortis. Bern. Filius Dei iubetur occidi, ut vulneribus nostris pretioso sanguinis sui balsamo mederetur. Agnosce anima quam grauia sunt illa vulnera, pro quibus necesse est Christum Dominum vulnerari: nisi enim essent ad mortem aeternam, nunquam pro eis Dei Filius moretur.

Secunda ratio tanti pretij dandi, est magni amoris demonstratio. 1. Ioan. 5. Tres sunt qui testimonium dant in terra: spiritus, aqua & sanguis. Spiritus enim quem emisit de corpore pendens in cruce, aqua que fluit de latere, & sanguis quem effudit de corde, testes sunt dilectionis maximæ. Psal. 129. Apud Dominum misericordia, & copiosa apud eum redemptio, ut scilicet probaretur amoris eius ad nos magnitudo. Bern. Vere copiosa Christi redemptio: quia undam sanguinis per quinque partes corporis largiter effudit, cum pro redemptione generis humani una gutta pretiosi sanguinis eius sufficeret. Sed data est copia, ut magnitudine munieris virtus innotesceret diligentis, ut enim ostenderet quantum te diligenter, non aliter voluit quam moriendo te de morte liberare. Augustinus. O anima pretiosa, non auro redempta, vel opibus, sed agni immaculati sanguine: attende quantum valeas, quid pro te datum sit cogita, noli teipsum tradere in perditionem pro qua Christus suum pretiosum effudit sanguinem.


Tertia ratio tanti pretij dandi, est magni boni perditi recuperatio, & hæc est triplex, scilicet 1. libertas à feruitate diaboli, 2. introitus cœlestis regni, 3. hæreditas filiorum Dei.

De primo Ier. 31. Redemit Dominus Iacob, & liberavit eum de manu posterioris (ut dicit Petrus) pretioso sanguine Christi. Ioan. 8. Vos, si Filius liberaverit, vere liberi eritis. Psalm. 106. Redemit eos de manu inimici. Luc. 1. Benedictus Dominus Deus Israel: quia visitauit, & fecit redemtionem plebis sue.

De secundo Heb. 9. Christus per proprium sanguinem introiuit semel in sancta, æterna redemtione inuenta. Et infra cap. 10. Habentes itaque fratres fiduciam in introitu sanctorum in sanguine Christi. Hieron. Sanguis Christi clavis est paradisi: in passione enim Domini celum diu clausum, quasi soluto sanguine eius pretio, est apertum. Ioan. 19. Unus milium lancea latus eius aperuit, & continuo exiuit sanguis & aqua. August. Vigilanti verbo vsus est: non dixit, Vulnerauit, sed Aperuit: ut illic quodammodo via ostium panderetur, unde Sacraenta Ecclesie manauerunt, sine quibus ad vitam non intravit. Sanguis enim fusus est in remissionem peccatorum, aqua in lauacrum. Humanum genus, propter debita peccatorum & deformitatem, à paradiſo cœlesti exclusum, necesse habuit ad redditum, & pretio sanguinis Christi à debito absolui, & aqua baptismi à forde lauari.

De tertio Leuit. 25. Si attenuatus frater tuus vendiderit possessiunculam suam: si voluerit propinquus eius, potest redimere quod ille vendiderat. Hoc fecit Christus exil pretio sanguinis. Hinc

legitur Num. 35. quod homicidis expulsis de terra sua non dabatur libertas redeundi, nisi post mortem summi Pontificis. Ierem. 12. Reducam virum ad hereditatem suam, & ad terram suam. Eccl. 33. Servus fidelis sit tibi quasi anima tua: quasi fratrem, sic eum traxisti, quoniam in sanguine comparasti eum. Comparasti eum tibi, in eo quod hereditatem suam quam redimere non poterat, sanguine tuo redemisti sibi. Vnde, Traxisti eum quasi fratrem, diuidendo secum hereditatem. Hinc Luc. 32. clamat de cruce latro: Domine, memento mei, dum veneris in regnum tuum: & dixit illi Iesus: Amendo tibi, hodie tecum eris in paradiſo. Amen.



## DE DVOBVS ALIIS circa pretiositatem sanguinis Christi.

### SERMO XXVIII.

Venite, comedite panem meum,  
& bibite, &c. Vel alia vt supra.



ERTIVM circa pretiositatem sanguinis, ut consideratur in cruce fusus, præcipue notandum, est virtutis eius magnitudo, & hæc consistit in tribus: 1. in diaboli destructione, 2. in mundi redemptione, 3. in Dei reconciliatione. De primo Iob. 40. Secundum aliam literam: Nunquid capies Leuiathan hamo? supple, sicut ego. Leuiathan, sine cetero, est diabolus. Hamus, sine aculeo in esca, est Dei Filius in carne humana absconditus. Hamo isto deceptus & captus est diabolus: quia dum carnem innocentis Christi in cruce mordere, & fundere sanguinem iniuste præsumpsit, latens aculeus diuinitatis potestatem illius perforando destruxit. Amos 2. Ego exterminavi Amorrheum, id est, armatum inimicum: cuius altitudo, cedrorum altitudo eius, & fortis ipse quasi quercur. Hoc figuratum est Dan. 14. Erat draco magnus in Babylone, & tulit Daniel picem, & adipem, & pilos, & coxit pariter & fecit massas: & dedit in os draconis, & disruptus est. Pix & pili significant similitudinem carnis peccati, adeps sanguinem Christi, massæ ex his sacra membra Salvatoris data in potestatem hostis. Sed dum hæc iniuste mordere nititur, iuste potestas eius destruitur.

De secundo 1. Cor. 6. Empti estis pretio magno. Eph. 1. Habemus redemtionem per sanguinem Christi in redemtionem peccatorum. 1. Pet. 1. Non corruptibilibus redempti estis, sed pretioso sanguine Iesu Christi. Hinc canit Ecclesia: Te ergo quasumus, famulis tuis subueni, quos pretioso sanguine redemisti. De vtroque Heb. 1. Quia pueri communicaverunt carni & sanguini, & ipse Christus similiter participauit eisdem: ut per mortem destrueret eum qui habebat mortis imperium, id est, diabolum, & liberaret eos. Augustinus. Quid fecit redemptor captivato vestro? tetendit ei muscipulam, crucem suam: posuit ibi

# De sanguine Christi Serm. XXVIII. 293

ibi escam corpus & sanguinem suum. Ille autem sanguinem fudit non debitoris, per quod iussus est redimere debitores. Hinc canit Ecclesia: O crux gloriofa, per quam diabolus est vicius, & mundus Christi sanguine redemptus.

De tertio Eph. 2. Vos qui aliquando eratis longe, facti estis prope in sanguine Christi. Ipse est enim pax nostra, id est, faciens nobis pacem cum Deo. Col. 1. Christus est caput corporis Ecclesiae, pacificans per sanguinem crucis, sive que in terris, sive que in celis sunt. Hinc post Passionem & Resurrectionem ostendit Discipulis cruentas manus & latus, dicens: Pax vobis Ioan. 20.

Hæc pax cum Deo siue reconciliatio, fit per sanguinem Christi triplici ratione: scilicet, ratione pretij sufficientis, quod in eo pro nostris debitibus soluit, 2. ratione nostræ formositatis, quia nos Deo gratos fecit, 3. ratione gratissimæ Deo charitatis, quam in facto demonstravit. De primo Psal. 68. Persecuti sunt me inimici mei iniuste, scilicet, usque ad mortem crucis: que non rapui, tunc exoluerebam, scilicet, pretio sanguinis pro bono pacis. Matth. 26. Sanguis meus pro vobis effundetur in remissionem peccatorum. De secundo Eph. 5. Christus dilexit nos, & tradidit semetipsum pro nobis oblationem & hostiam Deo in odorem suavitatis. Quasi diceret: Hostia corporis Christi & sanguinis extitit Deo grata ad effectum nostræ reconciliacionis, causa nimia dilectionis. Nam si Noe iustus, ut dicitur Eccl. 44. In tempore iracundia factus est reconciliatio, propter iustitiam: multo magis Christus, propter nimiam charitatem, qua obtulit pro nobis Deo proprium sanguinem. De tertio Roman. 5. Iustificati in sanguine Christi salvi erimus ab ira per ipsum: & gloriamur in Deo per Dominum nostrum, per quem reconciliationem accepimus. Item, Rom. 1. Dilectis Dei, vocatis sanctis, id est, Christi sanguine tintatis. Gratia vobis & pax. Ioan. 13. Misit aquam in peluum (Glossa, sanguinem in terram fudit) & cepit lauare pedes Discipulorum. Quasi scilicet sanguine suo mundum mundans, nos fecit pulchros & Deo gratos. Apoc. 1. Christus dilexit nos, & lauit nos a peccatis nostris in sanguine suo, & fecit nos regnum Deo & sacerdotium. Ecce, peccatores Dominus sanguine suo lauit, & formolos, ac roseos, & Deo gratos fecit: & in eo sic reconciliauit, ut in curia Dei Principes & Reges efficeret.

Quartum circa pretiositatem sanguinis Christi præcipue notandum, est redemptorum multitudine. Tres enim exercitus magni sanguine eius sunt redempti: 1. scilicet manifesti inimici, 2. antiqui iusti, 3. dubij amici. Primi de vinculo peccati, secundi de limbo inferni, tertii de dubitatione fidei. Propter hæc tria effudit sanguinem de tribus locis: 1. de manibus, 2. de pedibus, 3. de vulnere lateris.

Primo de manibus: ut peccatores virtute sanguinis, 1. à vinculis peccatorum solueret, 2. & absolutos ad se reuocaret. De primo Eccl. 50. Porrexit sacerdos magnus manum suam in libatione, & libauit in sanguine sua: ut scilicet peccatorum vincula disrumperet. Ps. 115. Dirupisti vincula mea, tibi sacrificabo hostiam laudis. Augustinus. Christus sanguinem suum ad hoc fudit, ut peccata nostra deleret. Quo enim diabolus nos tenebat, deletum est sanguine Redemptoris: non autem tenebrat nos, nisi vinculis peccatorum. De

D. Alberti Magni Serm.

secundo scilicet, ut absolutos reuocaret. Isa. 44. Reuertere ad me quoniam redemi te. Glossa, sanguine. Quod si feceris, cælum & terra & omnia elementa in salute tua lætabuntur: è contra si non feceris, omnia contra te pugnabunt. Sap. 6. Armabit Deus creaturam ad ultionem inimicorum, & pugnabit cum illo orbis terrarum contra infensatos. Porrexit ergo Christus manum in cruce, & libauit sanguinem, soluens omnes à vinculis peccatorum: & adhuc quasi auctem fugientem, manu cruenta reuocat peccatorem. Isa. 46. Ego sum vocans ab Oriente autem quasi de longe, scilicet, de statu peccati reuocans instabilem & refugam animam.

Secundo de pedibus fudit sanguinem: 1. ut antiquos iustos de limbo inferni educendos demonstraret, 2. & ad patriam cælestem dederet. De primo Thren. 1. Torcular calcanit Dominus, virginis filie Iuda. Arbor & tortura torcularis significat Passionem Christi in ligno crucis: qui vere in torculari calcat, sanguinemque vua pedibus fundit, & multos ex eo lætos facit. Christus ergo virginis Iuda torcular calcauit: quia in Passione crucis de pedibus sanguinem fudit, & iustos in fide incorruptos de inferno liberans lætificauit. Zach. 9. Tu quoque in sanguine testamenti tui edixisti vinculos tuos de lacu, in quo non erat aqua, scilicet, cælestis refrigerij. De secundo scilicet ut educatos de inferno ad patriam reduceret. Hebr. 9. Christus assistens Pontifex futurorum bonorum, per proprium sanguinem introiuit semel in sancta. Et hoc non solus, sed cum magno exercitu iustorum, quos de inferno eruens secum duxit: unde Psalm. Ascendens in altum, capiuam duxit capiuitatem. Isa. 63, dicunt Angeli: Quis est iste qui venit de Edom, tinctis vestibus de Bostra? iste formosus in stola sua, gradiens in multitudo fortitudinis sue? id est, ascendens cum multis fidelibus, quos de infernis potenter eduxit, & ad cælos secum vexit.

Tertio fudit sanguinem de vulnere lateris sui & cordis: 1. ut discipulos in fide dubios, & alios multos in fide, & bona vita stabilitate tentatos, & ideo frigidos, & quasi mortuos calefaceret, 2. & reuiificaret, & sic reuiicatis suo sanguine iter cælestis signaret, ut post ipsum feruenter current. De primo Ioan. 19. Vnus militum lancea latus eius aperuit, & continuo exiuit sanguis: qui scilicet est calidus, & in quo est vita hominis: ut eo frigidos in fide calefaceret, & quasi mortuos in vita bona reuiificaret. Psal. 101. Similis factus sum pelicano solitudinis. Pelicanus auis est, pullos mox natos, & contra eam se erigentes occidens, & mortuos triduo deplorans: demum rostro latus proprium fodit, & sanguinem in eos fundit, & ex eo reuiiscunt. Sic Christus frigidis in fide & peccatis mortuis subuenit sanguine cordis. De secundo quod uiuicatis ad instar feræ vulneratae iter cælestis suo sanguine signat, & sequendum demonstrat. Cant. 4. Vulnerasti cor meum, soror mea sponsa. Quasi diceret: Attende me vulneratum propter te. Vide sanguinem meum, & sequere me. Ioan. 20. Venit Iesus, & ostendit Discipulis manus & latus suum cruentum, non solum, ut eos in fide confortaret: sed ut se per multas tribulationes sequendum demonstraret. 1. Pet. 2. Christus passus est pro nobis, vobis relinquens exemplum, ut sequamini vestigia eius. Hebr. 13. Christus ut sanctificaret per suum sanguinem.

B b 3 populum

*populum , extra castra passus est. Exeamus ergo ad eum extra castra, scilicet, delicias carnis fugientes, & Passionem eius imitantes. Cantic. in fine. Fuge, dilecte mi, & assimilare caprea binnuloque ceruorum. Quasi diceret. Curre coram nobis, vt fera corde vulnerata, & sanguine tuo cælestem semitam nobis demonstra, donec te comprehendamus, & in te delicias æternas capiamus. 1.Cor.9. Sic currite, ut comprehendatis. Amen.*



D E

## CONSIDERATIONE sanguinis Christi secundo mo- do, scilicet, vt in Sacra- mento sumitur.

S E R M O XXIX.

*Venite comedite, &c. vt supra.  
Matth. 26. Bibite ex hoc omnes :  
Hic est enim sanguis meus.*

Sanguis Domini tribus modis potest considerari.

- I. *Vt in cruce ab infidelibus funditur.*
- II. *Modo vt in Sacramento à fidelibus sumitur.*
- III. *Vt præter Sacramentum ad salvandum spiritualiter bibitur.*



R I M O modo consideratus commendatur ab inæstimabili pretiositate, secundo modo à multiplici utilitate, tertio modo à spirituali suavitate. Quatum ad primum modum semper est memorabilis, quantum ad secundum modum venerabilis, quantum ad tertium desiderabilis.

De primo Apoc. 5. *Dignus es Dominus accipere librum, & aperire signacula eius : quoniam occisus es, & redemisti nos in sanguine tuo.* De secundo. *Bibite : Hic est sanguis meus noui testamenti.* De tertio 1.Cor. 10. *Omnis patres nostri eundem potum spiritualis biberunt.* De primo modo considerationis iam supra dictum est duobus sermonibus.

Secundo itaque consideratur sanguinis Christi, vt in Sacramento à fidelibus sumitur, & circa hoc tria requiruntur. Primo quia sacramentum altaris datur sub specie duplice : sub specie cibi & potus, siue panis & vini. Huius triplices est ratio. Prima, ad regalis conuiuij perfectionem. Secunda, ad redemptionis corporum nostrorum & animarum simul significationem. Tertia, ad memoriam Passionis Domini maiorem representacionem. De primo Esther 1. *Rex Assuerus tertio anno imperij sui fecit grande conuiuum cunctis principibus & pueris suis. Cibi inferebantur, vinum quoque, ut magnificencia regia dignum erat.* Rex iste significat Christum qui non primo vel secundo anno, id est, ante legem vel sub lege : sed tertio, id est,

tempore gratiæ, facit conuiuum magnis & paruis fidelibus, cibi & potus : vt enim ornatum & perfectionem conuiuij sui & mensæ demonstraret, sub specie panis & vini simul sacramentum altaris administrat : nam ubi alterum deelset, multum laudabile conuiuum non esset.

De secundo Psalm. 109. *Tu es Sacerdos in eternum secundum ordinem Melchisedech, qui scilicet, obtulit in signum panem & vinum : in pane significans futuram nostrorum corporum redemptionem, in vino animarum.* Mag. 4. Senten. *Quare sub duplice sumitur sacramentum altaris, cum sub alterutra totus sit Christus ? ideo scilicet ut offendatur totam humanam naturam, id est, corpus & animam assumpsisse, & totam similiter redemisse.* Panis enim ad carnem refertur, quam scilicet nutrit : vinum ad animam, quia vinum operatur sanguinem, in quo sedes animæ à Physicis esse dicuntur. Vnde si sub alterius tantum specie sumeretur, ad alterius tantum, id est, corporis vel animæ, non ad utriusque pariter liberationem valere significaretur.

De tertio 1.Cor. 11. *Hic est calix noui testamenti in meo sanguine. Hoc facite, quotiescumque biberitis, in meam commemorationem, id est, sanguinem meum biberitis in memoriam meæ passionis : expressus enim Passio Christi ad memoriam reducitur per considerationem sui sanguinis, quam corporis.* Exod. 12. *Erit sanguis vobis in signum, in edibus in quibus eritis : in signum, scilicet, quod agnus sine macula occisus est in liberatione Israel de Ægypto. Sic sanguis Christi proprium & expressum memoriale est Passionis suæ.* 4. Reg. 3. *Viderunt Moabites aquas rubras quasi sanguinem : dixeruntque, Sanguis est gladij. Pugnauerunt reges contra se, & cœsi sunt mutuo.* Reges, scilicet, Christus & diabolus : ille humilium, hic superborum : pugnantes in Passionem Domini, quis eorum hominem ad suum seruitium obtineret, ambo sunt grauiter vulnerati. De primo Iob 16. *Hos meus irritus in me quasi gigas concidit me vulnere super vulnus.* De secundo Isa. 51. *Nunquid non tu Domine percussisti superbum, vulnerasti draconem ? Vulnerauit itaque vulnere graui : quia cum Christi carnem innocentem mordere præsumpsit, latens aculeus diuinitatis potentiam malitiæ eius perforando eneruauit, & quem captiuum tenebat hominem, de manu tyrannidis eius liberavit. Recte igitur datur Sacramentum altaris sub specie duplice : quia non solum sub specie panis corpus Christi, sed etiam sub specie vini eius sanguis ad expressus memoriale Dominicæ passionis.*

Secundo queritur, *Quare populus non accipit sanguinem sicut sacerdos sub specie vini ? Et hæc est triplex ratio.* Prima est ad habendum vas congruum tanti sanguinis contentuum. Secunda, ad vitandum effusionis periculum. Tertia, ad præcaendum erroris piaculum.

De prima ratione. Sicut enim vas speciale & diligentius præparatum in quo seruetur, exigit, quam panis : sic sanguis Christi sub specie vini sumendus, solis Sacerdotibus conceditur, tanquam vasis Domini ad hoc specialiter consecratis, & sacra religione constrictis, & virtutum pulchritudine præcellentius perornatis. Hinc comparantur in Scripturis triplici vasi electo : 1. scilicet altari conlectato, 2. crateræ ligataæ, 3. aureo scypho.

De pri-


De primo Deut. 12. Carnibus hostiarum tuarum vesceris, sanguinem fundens in altari, id est, committens Sacerdoti, qui debet esse vas specialiter consecratum & sanctum, & altare dignum ad sanguinem Domini suscipiendum. Glos. Exod. 30. Altare holocausti signat vitam iustorum, qui carnem suam quotidie crucifigunt cum vitiis & concupiscentiis, atque in hostiam viuentem Deo offerunt. supra serm. 18. in fine. 1. Mach. 4. Altare holocaustorum est fides pura, doctrina recta, & conuersatio bona Christi ministrorum, &c. Psal. 83. Altaria tua Domine virtutum. Quasi diceret. O quam sancta, quam ornata, quam dilecta debent esse sanguinis Christi vasa!

De secundo Exod. 24. Tulit Moyses dimidiā partem sanguinis viūlmarum, & misit in crateras. Cratera vas est vinarium, multis circulis circumligatum, significans religiosorum Sacerdotum vitam, virtutibus custoditam, ad Christi sanguinem suscipiendum aptam. Eccl. 6. In iuste pedem tuum in compedes sapientie, & collum tuum in torques illius: decor enim vite est in illa, & vincula illius alligatura salutaris. Item Idem: Timor Domini scientie religiositas. Religiositas custodiet, & iustificabit cor, gaudium & exultationem dabit.

De tertio Eccl. 50. Sacerdos magnus quasi vas auri solidum, ornatum omni lapide pretioso, id est, omni genere virtutum, dicit Glossa. Tale itaque vas exigitur speciale & electum ad suscipiendum sub specie vini sanguinem Domini pretiosum.

Secunda ratio est ad vitandum effusionis periculum. Cum enim populus Christianus in folennibus ad suscipiendum Sacramentum conuenit, propter multitudinem circa altare se expedit, ita quod vix corpus Domini sine metu defluxus capere possit: unde multo magis si de calice sanguinem sumeret, sine periculo effusionis non esset. Hinc est, quod Dominus Apostolis in cœna paucis, & ut suis Sacerdotibus, non solum corpus in specie panis, sed & sanguinem suum in specie vini dedit: multitudini vero hominum in deserto panem sine portu distribuit.

Tertia ratio est ad præcaudendum erroris pia culum. Si enim populus rufis susciperet sanguinem sub specie vini, vix crederet illum esse sub specie panis: cum tamen veraciter sit sub vtraque specie. Nam sicut sub specie vini consecrati sanguis Christi est per transubstantiam: ita corpus ibi est per annexionem. Et sicut sub specie panis corpus Christi est per transubstantiationem: ita ibi sanguis eius veraciter intelligitur per annexionem. Hæc enim duo, corpus Christi, & sanguis: imo hæc quatuor, corpus, sanguis, & anima, & deitas Christi iam ultra non possint separari: unde sicut Sacerdos suscipit sanguinem Christi sacramentaliter de calice, sic populus sumit eum intellectualiter sub specie panis de ipso Christi corpore, & est eis tam utilis, & tam dulcis, ut Sacerdotibus qui sumunt eum sub specie vini de calice. Cant. 1. Botrus Cypri dilectus meus mihi. Quasi scilicet in botro sumo duo: vuam, id est, corpus Domini in cibum: & ex sua succum dulcem, sanguinem in potum. Deut. 32. Constituit eum Dominus, ut sanguinem sua biberet meracissimum. Per hunc potum reficit Dominus animam, donec perducat ad vitam æternam. Ioan. 6. Qui bibit meum sanguinem, habet vitam æternam. Amen.



## DE E F F E C T V sanguinis Christi sacra- mentaliter.

### S E R M O   X X X .

*Venite, comedite panem meum.*

&c. Et alia ut supra.

*Quæ utilitas in sanguine meo?*

*Pſ. 29. Qui bibit meum sanguinem, habet vitam æternā* Io. 6.



ERTIO queritur de sanguine Christi, ut in Sacramento à fidelibus sumitur, quæ sit utilitas eius sive effectus? Ad hoc sciendum, quod sic sumptum possumus considerare tribus modis, scilicet,

I. Ut potum aquæ viuæ.

II. Ut vinum spirituale.

III. Ut sacro sanctum mysterium Ecclesiæ.

De primo Psal. 77. Percussit petram, & fluxerunt aquæ. Sicut petra significat corpus Christi: ita aquæ illæ sanguinem eius, quia est verus & viuus potus animæ. De secundo Prou. 9. Venite, bibite vinum quod miscui vobis, id est, sanguinem Christi multæ dulcedine plenum & conditum. De tertio Hebr. 13. Iesus extra portas passus est, ut per suum sanguinem sanctificaret populum. Ergo sanguinis Christi res sanctificans est & sacro sancta. Complenda orat. *Quas sumus Domine, ut sacro sancta mysteria praesens remedium nobis esse facias & futurum.*

Iuxta considerationem & similitudinem cuiuslibet istorum trium habet sanguis Christi triplicem effectum.

Primo potest considerari sanguis Christi potus, ut potus aquæ viuæ. Sed potus, ut dicunt Physici, est humectius aridorum, extinctius incensorum, & delatius ad membra ciborum: similius potus sanguinis, ut significatur per aquam, tres habet effectus in anima fidei. 1. Arida eius humectat & coniungit, 2. male incensa refrigerat & extinguit, 3. cibum verbi Dei ad membra vehit, ut bene operari possint.

De primo Isa. 44. Effundam aquam super sitiensem, & fluenter super aridam: ut scilicet anima quasi puluis arida, & facile defluxat, & ad malum prona, potu sanguinis Christi perfusa, coniungatur, conglutinetur, & roboretur ad bona. Psal. 11. Dispersus est populus per uniuersam terram Aegypti ad congregandas paleas, scilicet, mundi vanitates. E contra Ioan. 11. Iesus moriturus erat, supple, & sanguinem suum datus, non tantum pro Gente, sed ut filios Dei qui dispersi erant, congregaret in unum, scilicet, per cordis unionem, linguæ refectionem, sensuum & membrorum disciplinam, vitæ religionem, & supernam dilectionem. 1. Cor. 5. Sitis noua confersio, sicut estis azymi. Quia sicut estis azymi, id est, per baptismum à vitiis

synceti facti, ita sitis aspersione sanguinis Christi quasi pasta in noua & bona vita compacti.

De secundo effectu Psal. 77. *Percussit petram, & fluxerunt aquæ, ad refrigerandum scilicet prauæ sitis ardorem.* Eccl. 3. *Ignem ardentem extinguuit aqua.* Quia sanguis Christi figuratur per aquam, destruit ferorem iræ, auaritiae, & prauæ amoris, & concupiscentiae. Augustin. *Domine Iesu Christe, scribe in corde meo vulnera tua pretioso sanguine tuo, ut legam in eis tuum dolorem, & tuum amorem: tuum dolorum ad sustinendum pro te omnem dolorem, tuum amorem ad contemnendum pro te omnem prauum amorem.* Et sic apparet, quod sanguis Domini ad instar aquæ contra mala in nobis incensa valet.

De tertio effectu 3. Reg. 19. *Elias comedit, & bibit aquam, & ambulauit triginta diebus & noctibus in fortitudine illius, quoque peruenit ad montem Horeb.* Potus cibum ad membra detulit, & ad eundem siue operandum mouit: sic potus Christi cibum verbi Dei siue precepti ad corda defert, ut vires animæ, & membra corporis secundum illud vivant, regantur, & bene operentur, secundum illud Proverb. 9. *Comedite & bibite: relinquite infantiam, & viuete, & ambulate per vias prudentiae.* Comedite cibum verbi Dei, & bibite Sanguinem Christi, qui scilicet præceptum ad cor, ad sensus, & ad membra deferat: & praua relinquere, & bona perficere moneat.

Secundo potest considerari sanguis Christi, ut vinum spirituale. Et secundum hoc tres habet effectus: 1. quia lauat, 2. calefacit, 3. lætificat. Lauat sordes culpæ, calefacit corda charitate, lætificat spirituali dulcedine. De primo Gen. 49. *Expectatio Gentium lauabit in vino stolam suam, & in sanguine una pallium suum,* id est, fidelem animam. 1. Ioan. 1. *Si in luce ambulanus, societatem habemus ad inuicem, & sanguis Iesu Filii Dei emundabit nos ab omni peccato.* Heb. 9. *Si sanguis hircorum & taurorum aspersus inquinatos sanctificat, ad emundationem carnis:* quanto magis sanguis Christi emundabit conscientiam nostram ab operibus mortuis, ad seruendum Deo vinienti. Apoc. 22. *Beati qui lauant stolas suas in sanguine agni, ut sit potestas eorum ligno vite.*

De secundo Deut. 32. *Constituit eum, ut comedere medullam tritici,* id est, dulce corpus Christi, & sanguinem vna biberent maracissimum, id est, purum & calidum: purum à macula iniquitatis, calidum in effectu charitatis. Esther 1. *Affuerus,* id est, beatus, post nimiam potionem incaluit mero, id est, accensus est chatitate. Cant. 2. *introdixit me rex in cellam vinariam, ordinavit in me charitatem.* Cella vinaria est Ecclesia, ubi propinatur calidum vinum, sanguis Christi, ad accendendum corda dilectione Dei & proximi. Matth. 26. *Accipiens Iesu calicem, dixit: Bibite, Hic est sanguis meus.* Calix est calida potio, quasi calidum vinum: calidus sanguis Domini calefaciens cor ad amorem Dei & proximi.

De tertio Psal. 103. *Vinum letificat cor hominis.* Eccl. 31. *Exultatio animæ & cordis, vinum moderatae potatum,* id est, sanguis Christi sumptus cum mensura fidei. Cant. 1. *Botrus Cypræ dilectus meus mihi.* Quia scilicet sumo cum suo sanguine dulcedinem spiritualis lætitiae, ad obliuiscendum dolorem presentis. Proverb. 31. *Date siceram mærentibus, & vinum his qui amaro sunt animo: bibant, & obliniscantur egestatis sua.*

Tertio potest considerari sanguis Christi, ut sacrosanctum mysterium Ecclesie, id est, ut res sacra & secreta, in qua magna virtus Dei est abscondita. Et secundum hoc tres habet effectus supernaturales: 1. daemones enim triumphant, 2. gratiam Dei impetrat, 3. in vita bona conseruat, donec ad vitam æternam perducat. De primo Exod. 12. *Cum viderit Dominus sanguinem agni in superliminari,* id est, in mente fideli, non sine percussorem ingredi domos vestras, & ledere. Chrysost. *Hic sanguis abigit demones, & longe facit esse.* 1. Mach. 6. *Ostenderunt elephanibus sanguinem vnu & mori, ad acuendos eos in prælium.* Multo magis igitur per sumptum sanguinem Christi vincuntur spirituales inimici. Apoc. 12. *Factum est prælium magnum cum dracone, & ipsi vicerunt illum,* propter verba testimoni, & propter sanguinem agni. De secundo 1. Pet. 1. *In aspersione sanguinis Iesu Christi gratia vobis.* Heb. 12. *Accessistis ad montem Dei, & sanguinis aspersorium, melius loquentem quam Abel.* Quia scilicet sanguis Abel clamat ad Deum vindictam: sanguis Christi postulat & impetrat gratiam. Bern. *O sanguinem Christi, summe reuerendum in altari poculum, in calo pro nobis ad patrem aduocatum.* De tertio Ioan. 6. *Nisi manducaueritis carnem Filii hominis, & biberitis eius sanguinem, non habebitis vitam in vobis.* Quasi diceret: Si biberitis, bonam vitam habebitis. Leuit. 17. *Anima omnis carnis in sanguine est.* Anima, id est, vita. Philosophus: *Corruptio & senectus non est nisi paucitas sanguinis: & postquam caruerit sanguine, corruptitur corpus.* Hinc multa moriuntur animalia propter vacuitatem sanguinis. Sicut itaque in sanguine nostro vita est corporalis, sic in sanguine Christi est spiritualis, & conseruatio vitæ spiritualis, & perductio ad statum vitæ immortalis. Ioan. 6. *Qui biberit meum sanguinem, habet vitam eternam.* Amen.



## DE CONSIDERATIONE

sanguinis Christi tertio

modo.

## S E R M O XXXI.

*Venite, comedite panem meum, &c. & alia ut supra.*

1. Cor. 10. *Patres nostri omnes eundem potum spiritualem biberunt.* Augustinus. *Biberunt potum spiritualem eundem, quem & nos:* corporalem vero alterum, quia aquam quæ fluxit de petra, & fuit signum sanguinis Christi, quem nos etiam spiritualiter bibimus.



ERTIO modo consideratur sanguis Christi, ut præter sacramentum à saluandis spiritualiter biberetur. Et circa hot tria possunt inquiri.

I. *Locus ubi iste potus inuenitur?*

II. *Vsus ad quem queritur?*

III. *Suaui*

## III. Suauitas gratiae quae de sua eius exoritur?

Primo queritur, Quis sit locus, ubi potus spiritualis sanguinis Christi inuenitur? Ad hoc dicendum, quod tot sunt loca, quot Christi vulnera. Psal. 77. *Percussit petram, & fluxerunt aquæ.* Sicut ex foraminibus petrae Iudei aquam: ita fideles ex vulneribus Christi hauriunt spiritualem eius sanguinem. Zach. 13. *Quid sunt plaga iste in medio manuum tuarum?* Respondeo, ut scilicet sugamus ex eis sanguinem spiritualem per piam Passionem meditationem. Isa. 12. *Haurietis aquas de fontibus Salvatoris,* id est, de vulneribus spiritualem sanguinem ad fidem malorum desideriorum extinguendam. Sed ad quid est vulnus lateris? Isa. 60. *Fili tui de longe venient, & filia tua de latere fugent.* Glosa. *Quia perforato latere Christi in cruce, effluxit sanguis redemptiois.* Filii ergo de longe venient, quia electi de peccatis penitentiam agent: & filiae de latere fugent, quia deuotæ animæ de vulnera lateris Christi spiritualem deuotionis sanguinem bibent.

Hinc in locis quibusdam à dextris Crucifixi depingitur puella hilari & pulchra facie, & coronata, designans Ecclesiam quæ sanguinem Christi in calicem reuerenter suscepit: & à sinistris synagoga, oculis panno ligatis, tristi facie, inclinans caput, & cum corona decidente: quæ ipsum sanguinem fudit, atque adhuc contemnit: in quo figuratur, quod haec & omnis mortaliter peccans, tria bona perdit: lumen scilicet gratiae, gaudium conscientiæ, coronam gloriae. Hinc dicitur Thren. in oratione Ieremiæ: *Ven nobis, quia peccauimus.* Ideo obtenebrati sunt oculi nostri, mæstum factum est cor nostrum, cecidit corona capitis nostri. Puella in dextris sanguinem Christi in calicem suscepit: quia fidelis anima cor mundum vulneribus Christi applicans, sanguinem eius spiritualiter cum omni deuotione sumit: vnde lumen verum, cordis gaudium, & æternæ gloriae coronam acquirit.

Secundo queritur, Quis sit usus ad quem sanguis Christi queritur? Et dicendum, Ad animam totam cum tribus potentias suis, scilicet, intellectu, voluntate, & memoria perfundendum, atque potandum. Exod. 12. *Fasciculum hyssopi tingite in sanguine, qui est in limine, & aspergite ex eo superliminare, & utrumque postem.* Fasciculus hyssopi significat perfectionem & integratem fidei. Limen domus est humilis Christus, per quem conceditur ad celum introitus. Fasciculum autem hyssopi tingere in sanguine qui est in limine, est fidem rectam sanguine Passionis Christi decorare, & confirmare. Sed debemus eo utrumque postem & superliminare aspergere, id est, intellectum, affectum, & memoriam ita sanguine Christi perfundere, & spiritualiter inebriare: ut intellectus huius sanguinis circa genus humanum virtutem recognoscatur, affectus tam ingens erga se beneficium diligendo sapiat, & memoria tanti amoris & largitatis sacramentum nunquam obliuiscendo semper teneat.

Tertio queritur, Quæ sit suauitas gratiae quæ de tali usu, siue perfusione iam dicta sanguinis huius exoritur? Et potest ad hoc dici, quod facit animam quasi paradisum Dei. De suauitate huius gratiae 1. Pet. 1. *In aspersione sanguinis Iesu Christi*

*gratia vobis & pax multiplicetur.* Gratia, virtutum fertilitas: pax, dulcedo cordis atque serenitas. Huius suauitas gratiae per irrigationem sanguinis Christi comparatur paradiso Dei. Eccl. 40. *Gratia sicut paradisus in benedictionibus,* id est, sicut hortus Dei in variis deliciosis fructibus. Ierem. 31. *Erit anima eorum quasi hortus irrigans.*

Irrigata enim anima dulci Christi sanguine profert triplicem suavitatem: 1. gratiae scilicet, dulces flores virtutum, 2. frondes arborum, 3. fructus operum.

Primo, ex spirituali perfusione sanguinis Christi oriuntur in anima quasi in paradiſo Dei, dulces & varij flores virtutum. Nam sicut sanguis hominis triplicem habet colorem: sanus, rubrum, minime decoctus, ut lac in mamillis mulierum, habet colorem album: & maxime coctus, nigrum: sic spiritualis influentia sanguinis Domini operatur in anima, quasi in paradiſo Dei, flores virtutum varij coloris, scilicet 1. rosas charitatis, 2. lilia castitatis, 3. & violas humilitatis.

De primo Eccl. 50. *Instus quasi flos roſarum in diebus vernis:* quia scilicet rutilat roſeo sanguine Christi virtute charitatis. Cant. 7. *Come capit is tui, sicut purpura regis,* quæ scilicet tingitur sanguine cuiusdam animalis. Come capit is Ecclesiæ, id est, Christi, sunt fideles, bonis cum moribus decorantes. Hi sunt ut purpura regis: quia spirituali Christi sanguine perfusi, rubent ut rosa, virtute charitatis.

De secundo Eccl. 50. *Iustus quasi lilia, quæ sunt in transitu aquæ:* quia scilicet candet castitate, ex bene decocti in corde eius, Christi sanguinis irrigatione. Apoc. 6. *Lauerunt stolas suas, & dealbaverunt eas in sanguine Agni.* Cant. 5. *Oculi eius, id est, fideles in futurum sibi prouidentes, sicut columbae qua latte sunt lotæ,* id est, sicut simplicium, qui ex consideratione bene cocti in mamillis cordis eorum, Christi sanguinis dealbati sunt, & casti facti. Oœc. 14. *Ego quasi ros, & Israel germinabit quasi lilium.*

De tertio Cant. 2. *Iam hyems transit, flores apparuunt in terra nostra.* Flores primi post hysmem sunt violæ nigri coloris, pulchræ, boni odoris, & terre vicinae. Hi flores significant animas humiles ex consideratione sanguinis Christi in Passione multum torti, quasi denigratas, id est, sibi viles, & coram superbis despicias. Ezech. 32. *Nigrescere faciam stellas cali,* id est, ardentes spiritu charitatis, & lucentes verbo veritatis: nigrescere faciam sanguine Christi, ut nigras & pulchræ violas virtute humilitatis. Cant. 1. *Nigra sum, sed formosa, filia Ierusalem.* De his tribus generibus & coloribus florum paradiſi dicitur Threnor. 4. *Candidiores Nazarei eius,* id est, floridi, nine, nitidores latæ: quia similantur lilio in castitate: *rubicundiores ebore antiquo,* quia similiantur rosæ in charitate: *saphiro pulchriores,* quia similiantur violæ in humilitate.

Secundo, ex spirituali perfusione siue potu sanguinis oriuntur in anima quasi in paradiſo Dei frondes bonorum & dulcium eloquiorum. Iob 14. *Lignum habet spem: si præcisum fuerit, rursum virescit.* Si senuerit in terra radix eius, ad odorem aquæ germinabit, & faciet comam quasi cum primum plantatum est. Eccl. 39. *Florete flores, & frondete in gratiam:* quia scilicet electi non so-

Ium flores virtutum, sed etiam folia verborum bonorum proferunt ex potu sanguinis Christi ad triplicem gratiam: 1. ad peccatorum conuersiōnem, 2. ad inimicorum reconciliationem, 3. ad mēstorum consolationem. Hinc arbores irrigatæ triplicia proferre leguntur folia, scilicet, medicinalia, pulcherrima, & viridia.

De primo Apoc. 22. Ezech. 47. *Folia ligni*, scilicet paradisi Dei, ad medicinam & sanitatem Gentium, id est, peccatorum: quia aqua eius de sanctuario egrediuntur. Aqua sanctuarij spiritualis potus sanguinis Christi efficit folia sanctæ prædicationis, ad salutem peccatoris. Proverb. 25. *Lingua mollis frangit duritiam*. Mal. 2. *Lex veritatis fuit in ore eius, & multos auerrit ab iniquitate*.

De secundo Dan. 4. *Ecce arbor, & folia pulcherrima, & subter eam habitabunt animalia & bestie, & in ramis eius volucres celi*. Quasi diceret. Sub folio pulchro animalia sibi inimica, vt lupus & agnus, columba & nisus, pacificata erant: quia verba sapientum inimicos reconciliant. Eccl. 40. *Tobie & psalterium suauem faciunt melodiam*, id est, concordiam vocum, & super utraque lingua suavis faciens concordiam inimicorum. Item 6. *Verbum dulce multiplicat amicos, & mitigat inimicos: & lingua eucharis, id est, bonæ gratiæ, in bono homine abundat*.

De tertio Ierem. 17. *Benedictus vir, qui confidit in Domino: & erit tanquam lignum quod transplantatur super aquas, & erit folium eius viride*. Viridis color inspectus maxime in herbis & foliis oculos tarbatos reparat & confortat: vnde per huiusmodi folia, bonorum verba significantur, que tristes & miseros consolantur. Eccl. 40. *Gratiam & speciem desiderat oculus, & super haec virides sationes*. Proverb. 27. *Vnguento & variis odoribus delectatur cor, & bonis amici consiliis anima dulcoratur*. Eccles. 48. *Ezechias consolatus est lugentes Sion usque in sempiternum*. Iob 29. *Cum federem quasi rex, eram tamen marentium consolator*. Roman. 1. *Desidero videre vos, ut aliquid imperiari vobis gratia spiritualis ad consolandom vos*. Ioh 3. *In die illa stillabunt montes dulcedinem, & colles fluent latte, scilicet, sacræ consolationis*.

Tertio, ex spirituali potu sanguinis Christi oriuntur in anima, quasi in paradiſo Dei, bonorum operum fructus. Eccles. 24. *Rigabo hortum plantationum, & ineibriabo partus mei fructum*. Rigabo sanguine Christi hortum animæ, & ineibriabo fructum bonorum operum cœlesti dulcedine, id est, boni irrigati potu sanguinis Christi, facient dulcem fructum bonorum operum cœlesti dulcedine ad utilitatem Christi, quem etiam ipsi comedent in retributione cœlesti. Amos 9. *Facient hortos, & comedent fructus eorum, in præsenti scilicet, spirituali prægustatione, & in futuro plena fruitione*.

Amen.

## DE TRIPLO POTU sanguinis Christi.

### SERMO XXXII.

*Venite, comedite panem meum.*

&c. Et alia ut supra.

Ioan. 6. *Sanguis meus vere est potus*.



Opus sanguinis Christi tripliciter est, ut ex iam supradictis patet: sacramentalis, intellectualis, & spiritualis. Sacramentalis, qui à solis Sacerdotibus sumitur sub specie vini de calice. Intellectualis, qui à populis Christianis sumitur sub specie panis de ipso Christi corpore. Spiritualis, qui ab omnibus faluandis sumitur de passionibus Christi pia meditatione. Primo modo sumptus peccata quotidiana relaxat. Secundo modo fidelem mentem dulcedine sua delecat. Tertio modo totam animam irrigando fecundat.

Primus potus sanguinis Christi est sacramentalis, qui à solis Sacerdotibus sumitur de calice altaris. Matth. 26. *Accipiens Iesu calicem, benedixit, & dedit eis, dicens: Bibite ex hoc omnes. Hic est enim sanguis meus*. Omnes, scilicet, Apostoli, quasi soli Sacerdotes. Iste potus digne sumptus peccata quotidiana relaxat, & hoc triplici ratione: quia tria mala sunt in peccato veniali, scilicet, 1. quædam macula conscientiæ, 2. quædam pœna tristitia, 3. & quædam aduersitas diuinæ offendæ. Contra haec tria proprie valet potus sanguinis Christi, qui est purus, lenis, pretiosus. Ratione puritatis lauat, ratione lenitatis sanat, ratione pretiositatis placat. Lauat, dico, conscientiam animæ, maculam remouendo: sanat pœnam tristitia, corda fidelium consolando: placat offendam diuinæ iustitiae, pro nobis interpellando.

De primo Heb. 9. *Sanguis eius emundabit conscientiam nostram*. Gen. 49. *Expectatio Gentium laabit in sanguine tua pallium suum*, id est, animas nostras. De secundo Zach. 10. *Lætabitur cor eorum quasi à vino*. Vinum sanguis est vnde, & significat sanguinem Christi, quem bibimus in altari. Iste potus cor bonorum lætitiat: quia conferendo solatum spiritualis lætitiae, sanat à tristitia culpe. Psal. 22. *Calix meus inebrians quam præclarus est*. De tertio Heb. 12. *Accessisti ad sanguinis aspercionem, melius loquentem quam Abel*: quia scilicet sanguis Abel clamat ad Deum, contra peccatorum vindictam: sanguis Christi postulat pro nobis, & impetrat indulgentiam. Bern. *O sanguinem Christi, summe reverendum in altari poculum, in celo pro nobis ad Deum patrem aduocatum*.

Sciendum vero, quod tria genera hominum grauiter arguuntur in Scripturis, qui nimis peccant in sanguine Salvatoris. Primi sunt corpore iminundi. Secundi corde indurati. Tertiij peccatores præui. Primi sanguinem Christi in magnis peccatis indigne sumunt. Secundi ad virtutem

sanguini

# De sanguine Christi Serm.XXXII. 299

sanguinis Christi à peccatis suis conuerti nolunt. Tertij lucrum de sanguine Christi ad prauos v̄sus conuertunt.

De primo 1. Corinth. 10. *Non potestis bibere calicem Domini, & calicem demoniorum.* Calix diaboli est luxuria carnis & mundi. Deut. 22. *Fel draconum vinum eorum:* qui hoc potu turbido & immundo inebriantur, & super eum sanguinem Christi pretiosum fundunt, quantum in se est, eum polluant, & ideo graui poena digni sunt. Gen. 4. *Maledictus eris super terram: que aperuit os suum, & suscepit sanguinem fratris tui de manu tua.* Super terram, id est, plus quam caro tua. Hebr. 10. *Irritam quis faciens legem Moysi sine ulla miseratione duobus vel tribus testibus moritur: quanto putatis deteriora mereri supplicia, qui Filium Dei conculauerit, & sanguinem testamenti pollutum duxerit, in quo sanctificatus est, & spiritui gratiae conuertit fecerit.*

De secundo Ierem. 5. *Indurauerunt facies suas supra petram, & noluerunt reuerti.* Quasi diceret: Pertinaces in sua malitia duriores sunt corde, quam petra, sed quam durus adamas. Quia quamvis nulla re possit frangi, scinditur tamen sanguine hirci: sed illi duriores sunt, qui nec virtute sanguinis Christi emolliri, nec à sua prauitate conuerti possunt. Item duriores sunt quam petra, & quælibet saxa dura. Quia ad clamorem Christi in cruce, & in eius sanguinis effusione, terra tremuit, & petræ sunt scissæ: sed isti nec ad terribilem vocem prædicationis, nec ad virtutem sanguinis Christi possunt emolliri, & à sua prauitate conuerti.

De tertio Iere. 22. *Væ qui edificat domum suam in iniustitia, & aperit sibi fenestras, & facit laquearia cedrina, pingue sinopide, scilicet, rubeo colore, id est, sanguine Christi, dicit Glossa.* Qui dominum materialem edificat de male acquisitis, vel ornat superflue sanguine Christi, id est, de rebus Ecclesiæ acquisitis sanguine Christi, grauius peccat: sed multo grauius, qui dominum spiritualem, id est, familiam prauam, ut prauas mulieres, filios, & filias, quasi partes domus, ut fenestras per quas diabolus & fures intrant: & laquearia, quasi laqueos diaboli iniuste edificat: & pingit, id est, vestit, pascit, & ornat sanguine Christi. His dicitur, *Væ, id est, grauis increpatio, & æternæ pœnæ comminatio.*

Secundus potus sanguinis Christi est intellec-tualis, qui à populo Christiano sumitur sub specie panis de ipso corpore Salvatoris: nam sicut sub specie vini consecrati sanguis Christi est per transubstantiationem, & corpus per annexionem: vnde sicut Sacerdos suscipit sanguinem Christi sacramentaliter de calice, ita fidelis populus sumit eum intellectualiter de ipso Christi corpore Job 39. *Pulli aquile lambunt sanguinem.* Pulli sunt subditæ Ecclesiæ. Hi lambunt sanguinem Christi, non de calice, sed de ipso Christi corpore. Hic potus fidelem mentem dulcedine sua delectat. Cantic. 1. *Botrus Cypri dilectus mens mibi.* In botro duo sunt: vua in cibum, & in vua dulcis sanguis in potum. Psal. 80. *De petra melle saturauit eos.* Sicut petra corpus Christi incorruptibile: sic mel de petra significat dulcem sanguinem, quem sugunt fideles de Christi corpore.

Hæc dulcedo tria bona facit: 1. contemptum vitiorum, 2. gratiæ bonorum eloquiorum, 3. de-

fiderium æternorum. De primo Proverb. 27. *Anima saturata calcabit fauum.* Qui enim de petra corporis Christi melle sanguinis eius saturati sunt, omnis peccati suavitatem contemnunt. Iud. 9. dicit arbor ficus in persona fidelis animæ: *Nunquid possum deserere dulcedinem meam, ut inter cetera ligna promouear?* Quasi diceret. Contemno gloriam & delectamenta mundi præ dulcedine Dei.

De secundo Cant. 4. *Fanus distillans labia tua, mel & lac sub lingua tua.* Quasi diceret. Quia sub lingua, id est, in corde plena es spirituali dulcedine, idcirco abundas vtili & dulci locutione. Math. 12. *Ex abundantia cordis os loquitur.* Sicut de vase pleno, sic est de corde. Vas plenum felle effundit amaritudinem, plenum melle dulcedinem. Luc. 6. *Bonus homo de bono thesauro cordis sui profert bonum.*

De tertio Eccl. 24. *Qui babit me, adhuc sitiet.* Gregor. *In corporalibus appetitus placet, experientia diplicet: spiritualis vero dulcedo, quanto plus bibitur, tanto amplius sititur.* Quia scilicet dum ex pleno fonte cælestis dulcedo stillatim mundo cordi degustanda illabitur, eius plenitudo potanda magis desideratur. Psal. 63. *In stillicidis eius latabitur germinans.* Vnde: *Situit anima mea ad Deum fontem viuum.*

Tertius potus sanguinis Christi est spiritualis, qui ab omnibus saluandis sumitur de Passionis Christi pia meditatione. 1. Cor. 10. *Patres nostri omnes eundem potum spiritualem biberunt.* Sicut patres boni de foraminibus petræ aquam biberunt, & in illa sanguinem Christi figuratum crediderunt, & per fidem spiritualiter gustauerunt: sic boni Christiani de vulnerum Christi pia meditatione sanguinem eius solent spiritualiter bibere. Isa. 60. *Fili tui de longe venient, & filia tua de latere fugent.* Hic potus totam animam quasi hortum Dei irrigando fructu bono fecundat. Eccl. 24. *Rigabo hortum plantationum, & inebriabo partus mei fructum,* id est, fideles animæ irrigatæ sanguine Christi fructum operis boni. Col. 1. *In omni bono opere fructificantes.*

Fructus bonorum operum triplex est, scilicet honestæ conuersationis, 2. sacræ deuotionis, 3. & iucundæ pietatis. De primo pascit homo seipsum, de secundo Deum, de tertio proximum. De primo Eccl. 24. *Ego quasi vitis fructificans suauitatem odoris, & flores mei fructus honoris & honestatis,* quasi honestæ conuersationis. Eph. 5. *Fruitus lucis est in omni honestate, & iustitia, & veritate.* Que autem in occulto sunt à filiis tenebrarum, turpe est dicere. Matth. 7. *Omnis arbor bona fructus bonos facit.* Fruktu bona vita pascit quisque seipsum. Proverb. 27. *Qui seruat sicum, comedet fructus eius.* Isa. 3. *Dicite iusto, Quoniam bene, quoniam fructum adiuventionum suarum comedet.* Prou. 15. *Secura mens quasi iuge coniuinium.* Secura ex honesta vita. 2. Cor. 1. *Gloria nostra hec est testimonium conscientie nostræ, quod in simplicitate & sinceritate Dei, & non in sapientia carnali conuersati sumus in hoc mundo.*

De secundo Cant. 4. *Hortus conclusus soror mea: emissiones tuae paradisus malorum punicorum cum pomorum fructibus.* Emissiones istæ sunt fructus deuotionis. Vnde sequitur: *Nardus, crocus, & cinnamomum:* quæ sunt species aromaticæ, & propter odorem bonum, & virtutem suam significant

ficant fidelium deuotionem ( quibus fructibus pascitur Deus ) Deo gratam , quæ consistit in sacris desideriis, variis virtutibus, fletibus, gemitibus, & orationibus. His fructibus pascit fidelis anima Dominum. Vnde sequitur ibidem : *Veniat dilectus meus in hortum suum , ut comedat fructus pomorum suorum.* Exod. 30. *Querite aromata boni odoris, faciesque thymiana compositum.* Thymiana est confessio boni odoris ad incensum scilicet cultus Dei. Gregor. *Thymiana ex aromatibus facimus, cum in altari cordis virtutum multiplicitate redoleamus.* Propt. 8. *Delicia meæ esse cum filii hominum.* Quia scilicet delectatur in amore & deuotione nostra quiescere.

De tertio fructu, scilicet pietatis, quo reficitur proximus Psalm. 51. *Ego quasi oliua fructificavi in domo Dei.* Quia portat oleum, aliis ad lucendum, aliis ad sanandum, aliis ad reficiendum: & significat opus pietatis, quod impenditur proximis. Prou. 21. *thesaurus desiderabilis, & oleum in tabernaculo insti*, ad refectionem scilicet proximi. Luc. 10. *Samaritanus quidam videns spoliatum,* quasi pauperem, & vulneratum quasi subdio egentem: *misericordia motus est, & appropians alligauit vulnera eius:* subuenit necessitatibus eius, infundens oleum & vinum, quasi cibum & potum: & curam eius egit. 1. Tim. 4. *Exerce te ipsum ad pietatem: pietas enim ad omnia virilis est, promissio nem habens vita qua nunc est, & future.* Ad quam nos perducere dignetur Iesus Christus Dominus noster, beata & gloriola Virginis fructus, & Filius: qui viuit & regnat cum Deo Patre, in unitate Spiritus sancti Deus, per omnia secula seculorum. Amen.

FINIS SERMONVM DE SACRAMENTO  
CORPORIS ET SANGVINIS  
DOMINI.

NOTVLA AC DOCTRINA  
MVLTV M VTLIS.

**D**È sacramento Eucaristiæ nota, quod quinque sunt de esse, vel necessitate ipsius sacramenti, scilicet. Sacerdos, intentio Sacerdotis conscientis, forma verborum, videlicet, *Hoc est corpus meum*: panis de frumento, & vinum de vite. Cætera sunt ad bene esse, & ad solennitatem Sacramenti pertinentia: vt 26. cruces, quæ sunt septem vicibus, quando corpus Christi consecratur. Primo enim sunt tres cru-

ces, vt significetur, quod omnes consecrantes & accedentes ad corpus Domini, debent habere tria, videlicet, veram contritionem, puram confessionem, voluntariam satisfactionem. Secundo sunt quinque crucis, vt significetur, quod in venditione illius cuius corpus hic consecratur, fuerunt quinque personæ, scilicet persona vendens, scilicet Iudas: persona vendita, scilicet Christus: & tres personæ ementes, scilicet Scriptæ Pontifices, & Pharisei. Tertio sunt duæ crucis, vt significetur, quod hic duo mutantur, scilicet panis in corpus Christi, & viuum in sanguinem. Quarto sunt quinque crucis, vt significetur, quod ille cuius corpus hic consecratur, habuit quinque vulnera in suo corpore. Quinto sunt tres crucis, vt significetur, quod tria petimus, quando corpus Christi consecramus, scilicet, vt dies nostros viuamus in pace, vt liberemur ab æterna damnatione, vt in sanctos & electos Dei numeremur in Dominicō grege: hac tertia petitione canonis, *Dieisque nostros in tua pace disponas, &c.* Sexto sunt quinque crucis: tunc enim accipit Sacerdos corpus Domini, & facit tres crucis super calicem, vt significetur, quod suscipiens corpus Domini portare debet crucem vel calicem Passionis suæ, ita ut elonget se à triplici malo, quod est in mundo, quia *omne quod in mundo est*, sicut dicit Ioan. in 1. Can. 2. *aut est concupiscentia oculorum, aut carnis, aut superbia vita.* Septimo dicit Sacerdos: *Pax Domini sit semper vobiscum:* & sunt tres crucis, vt significetur, quod triplex pax est nobis necessaria, videlicet, pax in præsenti, liberans nos à culpa: pax à morte, liberans nos à gehenna: pax æterna post mortem, liberans nos ab omni miseria: de qua Isaías cap. 3. *Sedebit populus meus in pulchritudine pacis, & in requie opulenta.*

Item aliud nota de manducantibus corpus Christi: Comedebant Iudei agnum paschalem accinctis renibus, calceatis pedibus, baculos habentes in manibus, cum lactucis agrestibus, & festinanter. Per primum significatur puritas castitatis. Luc. 12. *Sint lumbi vestri præcincti.* Per secundum affectus deuotionis. Cant. 7. *Quam pulchra es in calceamentis tuis filia Principis.* Per tertium memoria Dominicæ Passionis. Gen. 32. *In baculo meo transiui Jordanem istum.* Per quartum amaritudo contritionis. Plal. 79. *Cibasti nos pane lacrymarum.* Per quintum promptitudo voluntatis. Prouerb. 22. *Vidisti hominem velocem in opere suo? coram regibus stabit, &c.*

Concludendo finaliter sciendum est, quod sanctosanctum corpus Domini nostri Iesu Christi sumi debet in memoriam Passionis, propitiationis, seu reconciliationis, dilectionis, & unionis, &c.

F I N I S.



D. ALBERTI MAGNI,  
EPISCOPI RATISPOENSIS,  
DOCTRINA TOTO  
ORBE CELEBERRIMI,  
Ordinis Prædicatorum.

LIBER DE MULIERE FORTI,

Concionatoribus maxime utilis.

C A P. I.

S. I.

N



A V D E S Ecclesia describit Salomon in figura mulieris fortis per 22. capitula secundum numerum literarum hebraicarum : in quibus tali vtitur metro , vt cuiuslibet capituli sententia litera sibi præscripta secundum interpretationem eiusdem literæ videatur alludere. Simile autem metrum fecit Ieremias in Threnis, plangendo incendium templi, & Ierusalem sub quadruplici connexione literarum. Quia vero in primo capitulo loquitur Salomon de inquisitione mulieris fortis & inquisitione : quæ inquisitio est in tentatione, ideo præscribitur huic capitulo hæc litera, *A L E P H*, quæ interpretatur doctrina tentationum, vel mille : & si coniungantur ambæ interpretationes, tunc idem est quod doctrina mille tentationum. Beatus autem Hieronymus in quadam Glossa super Genes. dicit, quod millenarius perfectus & quadratus est numerus : intelligens hoc de perfectione cubi quadrati, id est, corporis : cuius quadratura est in longum, latum, & profundum. Est enim milenarij longitudo 10. quæ à Philosophis radix appellatur. Latitudo autem huius numeri habetur ex ductu longitudinis in seipsum, id est, si decies 10. accipiuntur, hoc est, centum. Profunditas vero eiusdem numeri prouenit ex ductu longitudinis in latitudinem, hoc est, sicut 10. multiplicant centenarium; sic decies 10. decies. Et vult significare in hoc Salomon perfectam

*D. Alberti Magni Lib. de mul. forti.*

tentationem huius mulieris secundum quadraturam quatuor affectionum naturalium, quæ sunt seminrium omnis virtutis & omnis vitij.

Sunt autem	<i>{</i>	Spes,
istæ affectiones	<i>{</i>	Metus,
		Mœror,
		Gaudium.

Tentatio autem est per probationem militiae in qua pugnamus contra diabolum, mundum, & carnem.

In hac enim militia vix fortis inuenitur, & præcipue mulier : quia sicut dicit Salomon Eccli. 7. *Virum de mille vnum repperi, mulierem ex omnibus non inueni :* intelligens hoc non de sexu, sed potius de resolutis in mollitiem concupiscentiæ carnalis. De hac militia dicitur Job 7. *Militia est vita hominis super terram.* Per tale enim exercitium tentationum probat Deus sanctos suos, & inuenit eos dignos se : vt dicitur Sapient. 3.

Sententia versus sequentis hanc literam colligitur in duobus, quorum vnum est interrogatio notans huius mulieris, de qua loquitur, inquisitionem : vbi dicit.

Mulierem fortem quis inueniet ?

Secundum est laus alta mulieris inuentæ : & hæc habetur cum dicitur.

Procul & de ultimis finibus pretium eius.

In prima notantur quatuor. Primum est hoc quod queritur, quia mulier. Secundum est in qua disponitione queritur, quia fortis. Tertium est dignitas querentis, & hoc notatur per dictiōrem interrogatiūam, Quis. Quartum est inquisitionis diligentia, quæ signatur cum dicitur, Inueniet.

Sed reuertamur ad primum considerantes quare Ecclesia, vel fidelis anima mulier sit appellata. Et hoc duobus modis inuestigare possumus. Vno modo per

A defini

definitionem. Quia mulier est quæ generat in illa se ex semine alterius: vir autem est qui generat in alia ex semine proprio: & hoc competit Ecclesiæ, quæ est *wxor agni*: vt dicitur Apoc. 21. quæ Ecclesia conceptum omnē, quem castis visceribus Deo producit non ex seipso, sed ex semine gratiæ Christi viri sui concipit: sicut dicit Apostolus 1. Corinth. 3. *Non quod sufficientes sumus cogitare aliquid à nobis quasi ex nobis: sed sufficientia nostra ex Deo est.* Galat. 3. *Quis est qui tribuit vobis Spiritum, & operatur virtutes in vobis?* Quasi diceret. Nemo nisi Christus. In 1. Ioan. *De plenitudine eius, scilicet Christi omnes accepimus gratiam pro gratia.* Et Isa. 26. *A facie tua Domine concepimus, & quasi parturiuimus, & peperimus spiritum salutis.*

Secundo modo Ecclesia & fidelis anima cognoscuntur esse mulier per instrumenta membrorum quibus mulier à viro differt: quæ sunt quatuor. Primum instrumentum est ad semen recipiendum. Secundum ad semen conseruandum & formandum in partum. Tertium est ministratiuum materiæ formandæ in corpus embrionis. Quartum est instrumentum per quod educatur parvulus iam editus ad lucem. Primum dicitur semen, secundum matrix, tertium fons sanguinis, quartum vbera.

Et hæc spiritualiter in Ecclesia sunt. { Zelus animarum.  
Exhortatio,  
Pietas,  
Congratulatio.

Per zelum enim animarum primo Ecclesia concipit salutem conuersorum. Per exhortationem autem quasi quadam manu doctrinæ format conceptum. Sed pietas, quæ est benevolentia in omnes imagine Dei insignitos: vt dicit Augustinus, materiam administrat, ne deficiat in formando, dum non querit quæ illorum sunt quos generat, sed potius ipsos. Quartum vero, scilicet congratulatio, ex una parte sui tanquam ex uno vbere fundit lac in uitiationis ad meliora, & ex alia parte tanquam ex alio vbere ministrat lac confortationis ad permanendum in eo quod iam accipit à Domino: secundum quod etiam duo nutrimentum lactis operatur in parvulo, scilicet incrementum in maius, & vitæ perseverantiam. Cant. 7. *Inunctura femorum tuorum sicut monilia quæ fabricata sunt manu artificis.*

Et per femora intelligitur zelus animarum. *Monile* autem, vt dicit Isidorus in lib. etymolo. dicitur à monendo vel à muniendo. Dabatur enim sponsis à sposo vt esset monumentum recordationis sponsi abeuntis. Et sic zelus est in Ecclesia per quem per iugem sponsi recordationem & amorem semper desideramus fructificare semen sponsi, recordantes eius quod scribitur Gen. 38. de Her & Onan filiis Iuda, quorum unus nequam fuit, scilicet Her, non spargendo semen in vase proprio, & ideo imperfectus est. Alter autem scilicet Onan, videns non sibi nasci filios seinen fundebat in terram, & ideo etiam ipse imperfectus est. Her quippe interpretatur consurgens confusio, & significat eos qui secundum magna sibi data non intendunt lucrum secundum zelum animarum, sed turpem quæstum, adulterantes, sicut dicit Apostolus verbum Dei 2. Corinth. 2. Onan autem interpretatur dolor gratiæ, & significat vanos & in superbiâ elatos, qui sibi ad propriam laudem volunt nasci filios gratiæ, non recipientes semen in zelo animæ, sed potius in zelo vanitatis & laudis suæ: prædicantes, iuxta Apostolum, senectipos & non Deum. Iti ambo interficiuntur à Domino: quia suppicio mortis æternæ condeinuantur. *Monile* vero dictum à muniendo

dabatur sponsis ad conclusionem sinus, ne adulter in sereret manum in gremium pudoris. Et sic iterum zelus pudorem custodit animæ sive Ecclesiæ: secundum quod dicitur in Psal. 68. *Zelus domus tuae comedit me.* Domus enim Dei anima fidelis est.

De matrice, quam supra diximus exhortationem esse, dicit Apostolus ad Galat. 4. *Filioli mei, quos iterum parturio, donec Christus formetur in vobis.* Et nota quod duobus vitiis matricis præcipue impeditur partus: quorum unum est nimia lubricitas, ex qua fit quod semen non potest persistere. Alterum est nimia clausio impediens semen ingressum. Et sic est spiritualiter in exhortationibus in verbo Domini: quia nimia loquacitas nimium fluens in semine frustratur à fructu, & ideo dicitur Leuit. 15. *Qui patitur fluxum seminis, immundus erit. Et tunc indicabitur huic viatio subiacere, cum per singula momenta adhæserit carni eius, atque concreuerit fœdus humor.* Omne stratum in quo dormierit, immundum erit, & ubiunque federit.

Fœdus humor seminalis est sermo non competens tempori, nec his qui audiunt. Stratum autem in quo dormit, est hoc in quo per delectationem mentis quiescit, & hoc est peccatum & scurrilitas. Conclusio vero sive clausio matricis est quando verbum exhortationis, quod multis prodefesse poterat, damnabili tegitur silentio, sicut dicitur Ezech. 3. *Fili hominis speculatorum dedi te domui Israel: & audies ex ore meo verbum, & annuntiabis eis ex me. Si dicente me ad impium, Morte morieris; & non annuntiaueris ei, neque loquutus fueris ut auertatur à via sua impia, & viuat: ipse impius in iniuritate sua morietur, sanguinem autem eius de manu tua requiram. Si autem tu annuntiaueris impio, & ille non fuerit conuersus ab impietate sua, & à via sua impia: ipse quidem in impietate sua morietur, tu autem animam tuam liberasti. Sed & si conuersus iustus à sua iustitia fuerit, & fecerit iniuriam: ponam offendiculum coram eo, ipse morietur: quia non annuntiasti ei, in peccato suo morietur, & non erum in memoria iniuriae eius quas fecit: sanguinem vero eius de manu tua requiram. Si autem tu annuntiaueris iusto ut non peccet iustus, & ille non peccauerit: viuens viuet, quia annuntiasti ei, & tu animam tuam liberasti.*

Tertium quo differt mulier à viro est fons sanguinis, quem supra diximus esse pietatem, prout pietas dicitur benevolentia in omnes imagine Dei insignitos: quia sic est unum de donis Spiritus sancti, sicut dicit Augustinus. Et ex isto fonte egreditur verbum manans sanguinem dilectionis proximi, per quam fortis mulier abundat in omnibus quæ exiguntur ad formationem parvolorum in Christo: quod notatur in verbo Apostoli vbi dicit 2. Corinth. 5. *Sive mente excedimus Deo, sive sobri sumus vobis: charitas enim Christi vrget nos, hoc est, quicquid in contemplatione haurimus mente Deo excedendo, & quicquid in sobrietate actionis operari possumus, totum facimus vobis: & hoc ideo quia charitas Christi vrget. Sicut enim abundantia sanguinis vrget in appetitum generationis: sic abundantia charitatis vrget in desiderium generationis spiritualis.* Et ideo 2. Corinth. 6. *Os nostrum patet ad vos o Corinthij, cor nostrum dilatum est, non angustiamini in nobis.* Quasi diceret. Os pietatis amplum est ad vos, & cor charitatis ad vos latum est & abundans, nihil in nobis angustum & erctum potestis experiri: quo minus fecerim in formatione omnium vestrum in Christo. Et hoc est quod dicit in Actibus 20. *Contestor vos hodierna die, quia mundus ego sum à sanguine omnium vestrum.* Non enim subterfugi quo minus annuntiarem vobis omnem confitum

*consilium Dei.* Et nota quod dicitur in libro de animalibus quod sanguis menstruus iuuenum mulierum albus est semper. Antiquis autem mulieribus desinunt muliebria, sicut dicitur Gen. 18 quod Saræ desierant fieri muliebria. Et sic duo spiritualiter corrumpunt fontem sanguinis à proprio colore qui est rubor procedens à flamma ignis dilectionis Dei : quorum unum est dissolutione iuuenilis, & alterum cupiditas faciens refrigerescere charitatem. De primo dicitur Iere. 31. *Confusus sum & erubui: quoniam sustinui opprobrium adolescentie meæ.* De secundo dicitur Matt. 24. *Quoniam abundabit iniquitas, refrigerescet charitas multorum.*

Quartum vero, quod est ad nutriendum parvulos iam natos in Christo, diximus esse congratulationem habentem duas mammillas : ex quarum una, scilicet invitationis ad meliora fundit fortis mulier lac profectus spiritualis : ex altera autem, scilicet confortationis fundit lac perseverantiae in bono quod accepit. Et hoc est quod dicit Apostolus 1. Cor. 3. *Tanquam parvulus in Christo leo vobis potum dedi non escam.* Et in Cantic. 4. *Mel & lac sub lingua tua.* Quod glossat Psalmista dicens : *Diffusa est gratia in labiis tuis,* &c. Et sic habetur quare mulier dicatur Ecclesia, vel videlicus anima.

### §. II.

**S**ecundum est dispositio in qua queritur mulier, & haec est fortitudo quæ noratur cum dicitur, Fortem. Dicitur autem mulier haec fortis propter duo in quibus omnis attenditur fortitudo. Vnum est difficultas actus & operationis eius. Alterum est altitudo roboris eius in vincendo quæque fortissima. Primum horum est in tribus, scilicet, in hoc quod aggreditur difficultia. Secundum in hoc quod sustinet. Tertium in hoc quod non deficit in perferendo utrumque. Primum horum est quia aggreditur fortissime tentationes hostis. Et de hoc habetur in Iob 3. vbi dicit : *Maledicant ei qui maledicunt diei, qui parati sunt suscitare leviathan.* Leviathan interpretatur ad ditamentum eorum, & signat diabolum, qui suadet damnationem hominum. Hunc aggreditur suscitando contra se fortis mulier, quando per opera virtutum diabolum ad certamen inuitat temptationum. Et hoc est quod dicitur in Gen. 3. *Ipsa conteret caput tuum.* Quia terribilis est serpens in capite. Fortitudo huius pugnae significata est in Genes. 3. 2. in lucta Jacob cum Angelo, in qua tria occurunt Jacob, scilicet, quod benedictus est ab Angelo, & quod confortatus est contra fratrem. Dixit enim : *Si contra Deum fortis fuisti, quanto magis contra hominem præualebis?* Et quod confregit neruum femoris eius. Quæ signant tria, quæ conueniunt ei qui fortiter aggreditur pugnam spiritualem. Ille enim benedictionem gratiae accipit contra diabolum, & robur virtutum accipit contra mundum, insuper emarcescit concupiscentia femoris, quia femur locus delectationis est.

Secundum quod est in actu fortitudinis, est fortiter sustinere aduersari ; quia sicut dicit Apostolus 2. Timoth. 3. *Omnis qui pie volunt viuere in Christo, patientur persequitionem.* Sic fortis fuit illa mulier de qua legitur 2. Machab. 7. *Supramodum autem mater mirabilis & bonorum memoria digna, que pereuntes septem filios sub unius diei*

*D. Alberti Magni Lib. de mul. forti,*

*tempore conspiciens, bono animo ferebat, propter spem quam in Deum habebat, singulos illorum bortabatur voce patria fortiter, repleta sapientia : & famine & cogitationi masculinum animum inferens.* Sic etiam fortis fuit filius eius ibidem, qui tertio illuditur, de quo dicit Scriptura eiusdem capituli, quod *linguam postulatus cito protulit, & manus constanter extendit, & cum fiducia ait : E calo ista possideo sed propter Dei leges nunc hac ipsa despicio : quoniam ab ipso me ea recepturum spero : ita ut rex, & qui cum ipso erant, mirarentur adolescentis animum, quod tanquam nihil duceret cruciatu.*

Tertium est longanimitus perseverare in utrunque. De quo dicitur Isa. 40. *Qui dat lasso virtutem;* & his qui non sunt, fortitudinem & robur multiplicat. Deficient pueri, & laborabunt, & iuuenes, id est, pueriliter viuentes, hoc est, iuuenilia sequentes, in infirmitate cadent, id est, in concupiscentia. Qui autem sperant in Domino, mutabunt fortitudinem, assumunt pennas ut aquilæ, current & non laborabunt, volabunt & non deficiunt. Per mutationem autem huius fortitudinis intelligit, quod semper noui sunt in fortitudine : sicut dicit Psal. 76. *Dixi, Nunc coepi : haec mutatio dexteræ Excelsi.* Et hoc est quod sequitur : *Sument pennas ut aquilæ.* Aquila enim dicitur renouare pennas ad primum robur. Vnde dicitur in Psal. 102. *Renouabitur ut aquilæ iuuentus tua, hoc est, robur iuuentutis.* Vnde sequitur : *Current, & non laborabunt.* Current in strenuitate operis & passionis longanimitus sustinendo, & non laborabunt fortitudine labore superantes, & volunt velocitate desiderij non deficientes ; quia sciunt quod solus ille qui perseverauerit, saluus erit Matth. 10.

Altitudo autem roboris est in hoc quod vincit quinque fortissima.

Vincit scilicet	Deum, Regnum Dei, Diabolum, Regnum diaboli, Proprium animum.
-----------------	--

Deum vincit per charitatis affectum, regnum Dei per instantiam meriti, diabolum autem per abiectiōē humilitatis, regnum diaboli per professionem voluntariae paupertatis, & proprium animum per tranquillitatem patientiae & mansuetudinis. De primo horum dicitur Cant. 8. *Apprehendam te, & ducam in domum matris meæ, & in cubiculum genitricis meæ : ibi me docebis, & dabo tibi poculum ex vino condito, & mustum malorum granatorum meorum.* Apprehensio est retentio Dei per affectum charitatis. Et ideo quasi passus violentiam dicitur in domum matris, hoc est, in carnem, quam habemus ex prima matre Eua. Similiter dicitur in cubiculum genitricis, hoc est, in conscientia secretum, quæ cubile est genitricis gratiae : ut ibi ab anima astringatur amplexibus castis, & perfruatur osculis, non in coniunctione labiorum carnis, sed in coniunctione animorum, secundum quod dicit Apostolus 1. Corinth. 6. *Qui adharet Deo, unus spiritus est cum eo.* Et ideo sequitur : Ibi me docebit. Quia quando dilectus interius in mente dulci quadam amoris vinculo constringitur : mox etiam intellectus ad doctrinam veritatis aperitur, secundum quod dicitur in Evangelio Ioan. 16. *Cum venerit Spiritus veritatis, docebit vos omnem veritatem.*

A 2 tem.

tem. Et in canon. 1. Ioa. 1. *Vñlio docebit vos de omnibus.* Vinum vero conditum ibidein sponso propinarur in gaudio sancti Spiritus dulcorato, & odorifero facto condimento omnium virtutum, secundum quod dicitur in Psal. 75. *Cogitatio hominis confitebitur tibi.* Mustum autem malorum granatorum est conceptum qñmum desiderium bulliens ad beatitudinem Sanctorum: quia in malogranato grana cellis propriis distincta sunt, sicut Sancti in æterna beatitudine distinguntur per differentias præmiorum, secundū quod dicitur in Ps. 149. *Exultabūt Sancti in gloria, letabuntur in cubilibus suis, &c.* Et ipse Dominus in Euangeliō Ioa. 14. *In domo Patris mei mansiones multe sunt.*

De victoria super regnum Dei habetur Matthæi 11. *A diebus Ioannis Baptiste usque nunc regnum calorum vim patiuntur: & violenti rapuum illud.* Et Matth. 7. quod *angusta est porta, & arcta via quæ ducit ad vitam: & pauci sunt qui inueniunt eam.* Et ideo dicit alibi: *Contendite intrare per angustum portam.* Quia violentia & fortitudo necessaria est ad regnum cælorum.

De fortitudine diaboli qui vincitur etiam à forti muliere dicitur Matth. 12. *Quomodo potest quisquam intrare in domum fortis & vasa eius diripere, nisi prius alligauerit fortem: & tunc vasa eius diripiet.* Fortis diabolus est, dominus eius cor peccatoris est, & vasa eius peccata sunt. Sed fortis mulier alligat eum vinculis gratiæ sacramentorum; & vasa eius, hoc est, peccata diripiet per gratiam virtutum. De hac etiam fortitudine dicitur Iob 41. *Non est potestas super terram quæ comparetur ei, scilicet, leviathan, qui factus est ut neminem timeret.* Et vis est in hoc quod dicit *super terram:* quia potestas & fortitudo mulieris huius non est de terra, sed de cælo.

Regnum autem diaboli est in spectaculis & pompis & diuitiis huius mundi: quæ omnia mulier fortis vincit per voluntariam paupertatem, secundū quod dicitur in Euangeliō Ioa. 16. *Confidite, quia ego vici mundum.* Et alibi in Ioa. 14. *Princeps huius mundi in me non habet quicquam.* Et in Matth. 4. Cum diabolus assumeret Iesum in montem excelsum valde, & ostendit ei omnia regna mundi & gloriam eius, & diceret quod omnia sibi daret si cadens per auaritiam adoraret eum. Respōdit Iesus: *Vade satana; scriptū est enim: Dominum Deum tuum adorabis, & illi soli seruies.*

Quinto etiam per mansuetudinem & patientiam vincit proprium animum, secundum quod dicitur Matth. 5. *Beati mites: quoniam ipsi possidebunt terram.* Quia nulli terram suæ naturæ ad nutum possident nisi mansueti & patientes, secundū quod dicit Dominus Luc. 21. *In patientia vestra possidebitis animas vestras.* Et Salomō Pro. 16. *Qui dominatur animo suo, fortior est expugnatore urbium.* Istis igitur modis habetur quare dicatur fortis mulier.

### §. III.

**S**equitur considerare dignitatem quærentis, quæ importatur per hanc dictiōnem (Quis) Dicit enim Beatus Hierony. quod in sacra Scriptura hæc dictio (Quis) quandoque notat impossibilitatem, ut in Isa. 53. *Generationem eius quis enarrabit?* secundum quod de æterna generatione intelligitur: de qua dicit Ambrosius, quod *siles vox,*

*non hominis tantum, sed etiam Angelorum.* Quandoq; notat difficultatem, vt patet Eccles. 41. *Beatus vir qui inuenitus sine macula, & post aurum non abiit, nec sperauit in pecunia thesauris.* *Quis est hic & laudabimus eum?* Quasi dicat, Difficulter inuenitur. Et ita sumitur hic, *Quis: quia difficile fuit habere inuentorem huius mulieris.* Quia sicut dicit Anselmus in libro, *Cur Deus homo?* Duo exiguntur ad hoc quod homo perditus inueniatur ad salutem, scilicet, quod ille satisfaciat qui debet & tenetur satisfacere, & hic non est nisi homo: quia non peccauit nisi homo. Et quod ille satisfaciat qui potest satisfacere, & hic non est nisi Deus. Creatura enim quæ totum quod est & potest & operatur, pro se ipsa debet suo Creatori: pro homine satisfacere non potest. Sed Deus, qui nulli aliquid debet, pro se si satisfacit, pro alio satisfacit. Et ideo eum qui inuenit mulierem per satisfactionem oportuit esse Deum & hominem: vt deberet inquantum homo, & posset inquantum Deus. Ideo in Isa. 7. dicitur: *Vocabis nomen eius Emanuel,* hoc est, nobiscum Deus, hoc est, cum natura nostra Deus. Et Iob 33. *Si fuerit pro eo, id est, pro homine, Angelus loquens unus de millibus, ut annuntiet hominis equitatem, miserebitur eius, & dicet: Libera eum, ut non descendat in corruptionem: inueni in quo ei propitier.* Et debet litera sic punctuari. Si Angelus existens unus de millibus fuerit loquens pro eo verba redemptionis, miserebitur eius, hoc est, hominis Deus. Et vocat Angelum Christum missum in mundum, qui secundum Septuaginta interpres in Isa. 9. vocatur *magnis consilij Angelus.* Christus autem secundum æternam generationem est prima imago & similitudo Patris. Homo autem ultima creatura Dei, est etiam similitudo & imago Dei. Vnde Deus homo est quodammodo unum de duabus similibus & duabus imaginibus, scilicet, homine & Filio Dei. Et iste solus loqui poterat pro nobis redemptionem. Vnde etiam dicit in fine Apocal. *Ego sum alpha & O, principium & finis.* Principium per divinitatem, & finis per humanitatem: quia finis creaturarum est homo ultimo creatus. Et sic habetur dignitas quærentis.

### §. IV.

**S**equitur de diligentia inquisitionis, quæ notatur per hoc quod dicit, Inueniet. Quatuor autem modis aliquid quæritur, & inuenit. Primo quando non perditum per inquisitionem inuenit: sicut in Gen. 36. quod *Anan inuenit aquas calidas in solitudine, cù pasceret asinas Sebeon patris sui.* Qandoque inuenit quod perditum recuperatur: sicut habetur in 1. Reg. 9. quod *inuenta sunt asine Cis patris Saul.* Quandoq; inuenire, idein est quod per studiū in alicuius ignoti notitiam peruenire, secundum quod dicitur in Ierem. 15. *Inuenti sunt sermones tui, & comedи eos.* Quarto modo inuenit quasi per fortunā id quod non quæritur, secundū quod habetur Isa. 65. *Inuenerunt me qui non quæserunt me.* Omnibus his modis inuenta est fortis mulier per opus redemptionis. Inueniri autē mulieris est: quia facit eam Christus inuenire quādo inuenit in ea salutē. Et primo modo inuēta est ad resurrectionē: quia resurrectionē non perdidimus in Adam. Si enim ipse non peccasset, non resurge

resurgeremus, quia non moreremur : & de hoc habetur Deut. 3. *Inuenit eū in terra deserta, in loco horroris & vasta solitudinis.* Deserta terra est terrena caro necessitatibus mortis addicta adhuc viuens. Locus horroris est corpus mortuum horrore putredinis factorem de se generans. Sed vasta solitudo quando iam est in citeribus, & ibi inuenit nos ad resurrectionem.

Secundo modo inuenit nos ad redemptionem: sicut habetur in tribus parabolis Luc. 15. quarum prima est de habente centum oves, quarum una est perdita, & dimittuntur nonaginta novem in deserto, ut queratur & inueniatur una perdita, quae significat hominem. Secunda parola est de muliere habente dragmas decem, quarum unam perditam querit & inuenit accendendo lucernam, & euertendo domum. Tertia est de filio prodigo, qui mortuus fuerat, & reuixit: perierat, & inuentus est a patre.

Tertio modo inventionis inuenit nos Deus ad gratiam meriti, non ita quod ante nesciret nos scientia intelligentiae, sed ante nesciuit nos scientia approbationis: sicut ipse dicit Matth. 25. de quibusdam: Nescio vos: discedite a me operari iniquitatis. Et de hoc modo inventionis habetur in Psal. 88. vbi dicit: *Inueni David seruum meum, oleo sancto meo unxi eum,* hoc est, inueni David ad seruitum meum: & ut hoc adimplere posset, unxi eum oleo gratiae meae.

Quarto modo non inuenit nos Deus nisi reputatione sua: quia magnitudine reputat se felicem, quando inuenit nos. Hoc signatum est in Gen. 27. vbi Isaac benedictionem dedit filio suo Jacob propter venationem allatam sibi, talem faciens ei quaestione. *Quonodo, inquit, tam cito inuenire potuisti filii mi?* Et ille respondit: *Voluntas Dei fuit ut cito occurreret mihi quod volebam.* Isaac significat Deum Patrem, cuius oculi caligantes Prophetæ sunt, quia tenebrosa aqua est in nubibus aeris, hoc est, doctrina veritatis in Prophetis. Maior autem filius eius, primus Adam cui præcipit ut ferret sibi de venatione cibos captos in pharetra & arcu, hoc est, in ingenio & verbo. Sed ille iuit inseguiri sylvestria, id est, lucra mundana. Minor autem filius eius, secundus Adam est, hoc est, Christus homo, qui ad præceptum matris, quae misericordia est, quae etiam fecit eum incarnari: iuit ad vicinos greges pecorum, apportans inde duos haedos, hoc est, corpus & animam peccatorum: reputans se felicem quod cito inuenit quod quererat. Et per hoc subripuit benedictionem Adam: quia gratiam, quam in Adam hereditario quasi iure debebamus possidere, & sicut ipsum tanquam patrem gratiae benedicemus, per Adam amissimus: sed per Christum ad eandem inuenti sumus, & ideo ipsum benedictione gratiarum actionis benedicimus.

Sed notandum est, quod ad duo præcipue Deus querit, & inuenit mulierem fortem: & ad duo queritur & inuenitur ab ea. Querit enim Deus eam primo ad gratiam: & hoc signatum est in Gen. 37. vbi Ioseph quæsiuit fratres suos, & inuenit eos in Dothan, quod interpretatur sufficientia defectionis, & significat statum peccati, vbi verus Ioseph Christus quatuor patitur a fratribus suis, hoc est, ab hominibus: primo exprobationem, secundo denudationem tunicae

talaris & polimitæ, tertio projectionem in cisternam, quarto venditionem Ismaelitis euntibus in Aegyptum. Et sic quatuor peccator infert Christo spiritualiter. Per ingratitudinem enim facit contumeliam Spiritui sancto: sicut dicit Apostolus Hebr. 10. *Irritam quis faciens legem Moysi in villa miseratione duobus vel tribus testibus moritur: quanto magis putatis deteriora mereri supplicia, quia Filium Dei conculcauerit, & sanguinem testamenti pollutum duxerit, in quo sanctificatus est, & Spiritui gratia contumeliam fecerit?* Tunica polimita est vestis virtutum picta varietate diuersarum virtutum, & talaris quod ita longa sit ut etiam corpus totum vestiat decore honestatis. Et hæc tingitur a peccatore sanguine hædi, id est, inquinatione peccati. Per hædum enim peccator significatur, & per sanguinem peccatum: vt habetur Matth. 25. quod index statuet oves a dextris: haedos autem a sinistris. Tertio projectatur in cisternam quando delectatio spiritualis commutatur in carnalem. Spiritus enim fundit ut fons aquam refrigerij, secundum quod dicitur in Psal. 35. *Domine apud te est fons vite, &c.* Caro autem videtur quidem continere delectationis refrigerium: sed tanquam ex cisterna dissipata effluit statim per rimas miserias in doloribus & tristitia, secundum quod conqueritur Dominus in Ierem. 2. *Obstupescite caeli super hoc, & porta eius desolamini vehementer.* Duo enim mala fecit populus meus: *Me dereliquerunt fontem aquæ viue, & foderunt sibi cisternas dissipatas que continere non valent aquas.* Cæli sunt Angeli, & portæ cæli homines sancti, per quorum exempla intramus in cælos, quos vocat Deus in admirationem & abominationem facti huius. Quarto vindicatur negotiatoribus Aegypti: & hoc fit quando lucrum gratiae postponitur, & ad lucrum mundi huius mens anxiatur: sicut Iudas qui pretium universitatis vendidit pro pretio triginta denariorum. Ibi ergo Christus inuenit mulierem, querens eam ad gratiam.

Secundo querit & inuenit eam ad fidelitatem per tentationes: vt habetur Sapient. 3. *Deus tentauit suos, & inuenit eos dignos se.* Tanquam aurum in fornace probauit illos, & quasi holocausti hostiam accepit eos. Et hoc signatum est in Genes. 22. vbi Deus tentauit Abraham ut immolaret filium, ponens eum nobis in exemplum fidelitatis. Et in Euangilio Matth. 24. *Quis putas est fidelis seruus & prudens quem constituit Dominus super familiam suam, ut det illis cibum in tempore?* Beatus ille seruus quem cum venerit Dominus eius, inuenierit sic facientem. Amen dico vobis quoniam super omnia bona sua constituet eum.

Mulier etiam querit Deum ad duo, scilicet, ad adiutorium, & ad amplexum. Ad adiutorium in temptationibus: & de hoc loquitur Psal. 104. Querite Dominum & confirmamini: querite faciem eius semper. Et Isa. 55. Querite Dominum dum inueniri potest, inuocate eum dum prope est. Ad amplexum autem querit eum in deuotione. De hoc habetur Cant. 3. *In lectulo meo per noctes quesui quem diligit anima mea, quesui illum & non inueni. Surgam & circuibo ciuitatem, per vicos & plateas queram quem diligit anima mea, &c. & infra. Tenui eum nec dimittam, donec introducam illum in domum*

*in domum matris mee, & in cubiculum genitricis mee.* Lectulus est quies contemplationis: noctes vero obscuritates considerationum: quia sicut dicit Apostolus 2. Corinth. 5. *Per fidem enim ambulamus, & non per speciem.* Fidei autem visio per speculum & in enigmate est; quia ut dicitur in lib. Sapient. 9. *Corpus quod corruptitur, aggrauat animam, & terrena inhabitatio deprimit sensum multa cogitantem.* In his noctibus queritur sponsus ad amplexum, & non inuenitur; quia non exhibet se ut sponsum, sed potius ut peregrinum. Et hoc conqueritur Ieremias 14. dicens ad Dominum: *Quare quasi colonus futurus es in terra, & quasi viator declinans ad manendum?* Surgit ergo sponsa eleuando mentis intuitum ab omni sollicitudine corporis ad contemplationem eternorum, & circuit vicos, hoc est, dispositiones Sanctorum in praemis aeternis, & plateas, hoc est, latitudines Angelorum in hierarchiis caelestibus: platea enim dicitur à Platon Græce quod latine latum sonat: querens si dilectum animæ suæ viderint: quod nihil aliud est quam consideratione gloriæ Sanctorum: quasi quadam manuaditione instrumenti ad lucem inaccessibilem quam Deus inhabitat, obtutum mentis eleuare. Et ideo eos qui sic eam instruunt, vocat vigilis qui custodiunt ciuitatem: signans Angelos deputandos ad custodiam Ecclesie, quæ est ciuitas Ierusalem caelestis. Illi enim purgant animas quo liberius possint contemplari lumen circumscriptum. Et hoc est quod dicitur Isa. 6. *Volavit ad me unus de Seraphin: & in manu eius calculus quem forcipe tulerat de altari: & terigit os meum, & dixit: Ecce tetigi hac labia tua, & afferetur iniquitas tua, & peccatum tuum mundabitur.* Calculus est ignita veritas. Forceps à duobus brachiis stringens colligatis, est consideratio vnum brachium habens fidem, & alterum intellectum connexa sibi inuicem clavo reuelationis diuinæ. Altare est altitudo aeterna beatitudinis ut sic per ministerium & illuminationem angelicam tangatur os cordis animæ, & duo labia eius, scilicet, rationis & voluntatis; & mundetur cor ab iniuitate, quæ est curitas desiderij per appetitum terrenorum, & appetitum operationis præce: ut sit vna de his de quibus Dominus dicit Matth. 5. *Beati mundo corde: quoniam ipsi Deum videbunt.* Quod autem sequitur: *Panulum cum pertransisem, &c.* Hoc est, quod beatitudo Dei non videtur nisi super omne quod creatum est, eleuetur consideratio mentis: & ibi inuentus tenetur per orationis instantiam, & non dimittetur etiamsi fingat velle longius ire per feruorem deuotionis, donec introducatur in domum cordis, quæ est domus matris sapientiae, & in cubiculum conscientiae, ubi habitat genitrix omnis boni, scil. gratia.

## §. V.

**S** Equitur de laude alta mulieris inuentæ quæ continetur in his:

Procul & de ultimis finibus pretium eius, &c.

Est autem qua-	Tempore,
	Distantia naturæ,
	Elongatione à cognitione humana,
	Latitudine eorum in quibus est pretium.

Tempore dupliciter, scilicet, quantum ad finem mundi, quando dabitur pretium quoad corpus in resurrectione: & de hoc habetur in Ecclesiaste 11. *Mitte panem tuum super transentes aquas: quia & post multa tempora inuenies illum.* Similiter procul est quantum ad tempus quod prædestinavit Deus: quia pretium redemptionis misit Deus in nouissimis diebus. Et ideo etiam illud tempus dicitur plenitudo temporis Galat. 4. Vbi sic dicit Apostolus: *At ubi venit plenitudo temporis, misit Deus Filium suum natum ex feminâ sue muliere, factum sub lege: ut eos qui sub lege erant, redimeret.* Et de isto procul quantum ad utrumque horum dicitur in lib. Nume. 24. *Hec quis victurus est quando ista faciet Omnipotens?* Quasi diceret: Procul est à nobis tempus illud. Et Habac. 2. *Scribe visum, & explana eum super tabulas; ut percurrat qui legerit eum. Quia adhuc visus procul, & apparebit in finem, & non mentietur: si moram fecerit expecta illum: quia veniens veniet, & non tardabit.* Et vocat visum reuelationem sibi ostensam à Domino de pretio redemptionis, & pretio glorificationis.

Est etiam procul in natura, quod patet. Quia pretium mulieris Deus est, qui principium omnium est: mulier autem finis omnium creaturarum est; & finis & principium in natura maxime procul sunt. Et hoc est quod dicitur in Ecclesiastico 24. *Doctrinam quasi antelucanum effundam, & enarrabo eam usque ad longinquum.* Doctrina quæ est quasi antelucanum, est doctrina creationis quam ostendit Deus in creaturis. Sed enarrata est usque ad hominem: quia homo distat per gradus omnium entium, ut dicit Gregorius. Est enim cum lapidibus, & viuit cum arboribus, sentit cum animalibus & ratio cinatur cum Angelis. Similiter Isa. 55. *Quia sicut exaltatur celi a terra: sic exaltata sunt via mea à viis vestris, & cogitationes meæ à cognitionibus vestris.* Cælum primum est in loco, & terra ultimum: & sic Deus primum est in natura, & homo ultimum. Et hoc bene signatum est Genel. 24. vbi dicitur quod Isaac eleuatis oculis procul vidit venientes camelos in quibus adducebatur Rebecca. Isaac Filius Dei est. Rebecca autem Ecclesia: quia Rebecca interpretatur quæ multum accepit, & signat Ecclesiam quæ accipit omnia charismata gratiarum. Cameli autem in quibus venit, propter gibbositatem signant carnem quæ gibbosæ est, propter mortalitatem & infirmitatem in quam cecidimus. Et dicit procul eam videre Isaac propter distantiam dignitatis naturæ

sue à natura nostra. Et hoc est etiā quod dicitur Exod. 20. *Cunctus populus audiebat voces, & lampades videbat & sonum buccinæ montem, fuman- tem: & perterriti ac paurore concussi steterunt procul.* Mons eminentia diuina naturæ est. Fumus autem evaporatione creaturæ est ab ipsa, non de essentia quidem, sed de voluntate: quia dicit Damas. quod *creatura est opus voluntatis existens.* voces autem sunt præcepta & mandata legis. Et buccinæ sunt voces Prophetarum quibus cognoscimus elongationem & altitudinem diuinæ naturæ, & admiratione concussi cognoscimus nos procul stare ab ipso qui pretium nostrum est.

Tertio modo est procul elongatione à nostra cognitione: quia parum de ipso cognoscimus: sicut dicitur Iob 36. Omnes vident eum: vnuſ- quisque intuetur procul. Ecce Deus magnus vincens scientiam nostram: & numerus annorum eius inæstimabilis est. Et hoc signatū est Gen. 22. vbi dicitur, quod die tertio Abraham vidit procul locum qui dicebatur mons visionis. Tres enim dies sunt tres illuminationes diuinæ quibus cognoscimus Deum. Prima est per vestigium, quando scilicet cognoscimus eum per creaturas irrationales. Secunda est per imaginem, quando cognoscimus eum per rationales creature. Et tertia est quando cognoscimus eum in seipso, & tunc videmus procul & ideo obscure.

Quarto modo procul est quantum ad latitudinem pretij: quia Deus, qui pretium nostrum est, vbique est. Et de hoc dicitur Iosue primo. *Omnem locum quem calauerit vestigium pedis vestri, vobis tradam: sicut loquutus sum Moysi à deserto & Libano usque ad fluuium magnū Euphraten. Omnis terra Etheorum usque ad mare magnum circa solis occasum erit terminus uester.* Desertum dicitur mundus eo quod non habitatur, sed potius transit. Libanus dicitur congregatio Sanctorum in patria: quia Libanus interpretatur candidatio, & Sancti candidati erunt utraque stola corporis & animæ scilicet. Fluuius autem magnus Euphrates, qui interpretatur crescens vel frugifer, signat gloriam hominis Christi, qui creuit & fructificauit ad gloriam omnium Sanctorum. Terra vero Ethæorum infernus est damatorum: quia Ethæi formidantes interpretantur. Sed mare magnum est profunditas amaritudinis dæmonum. Locus autem occasus solis est habitatio eorum qui in originali peccato defuncti sunt: quia illis non oritur lumen visionis Dei. Et sic quocunque ponant vestigium considerationis sue, habent pretium dum gaudent de iustitia puniente reprobos, & remunerante pios.

De vltimis autem finibus Naturæ,  
est tribus modis, scilicet, Animæ,  
Beatitudinis.

Vltimi fines naturæ sunt diuinitas & humanitas, vt dictum est: quia ex parte principij ultra diuinitatem non est procedere: ex parte autem creature non est procedere ultra humanitatem. Et hoc est quod dicitur Sapient. 8. quod *attigit à fine usque ad finem fortiter, & disponit omnia suauiter.* Primum quoad incarnationem, secundum quoad glorificationem intelligitur. Et ideo dicitur Ioan. 10. *Ingredietur, & egredietur, & pascua innueniet:* secundum Augusti. Intus scilicet ingreditur, & inueniet pascua fruitionis in Saluatoris

diuinitate: & foras egredietur, & inueniet pascua fruitionis in humanitate. Fines animæ sunt duo, scilicet, summa veritas quæ est finis intellectus, & summa bonitas quæ est finis affectus. Et de hoc loquitur Isa. 58. *Implebit splendoribus animam tuam, & ossa tua liberabit.* Anima enim quoad intellectum splendore veritatis impletur: & robur ipsius affectus est summa bonitas, per cuius influxum ab omni miseria liberabitur. De hoc eodem habetur Ioan. 1. *Vidimus gloriam eius, gloriam quasi unigeniti à Patre plenum gratie & veritatis: gratia quoad bonitatem affectus, veritatis quoad illustrationem intellectus.*

In veritate boni quod est  
Finis beatitudinis { beatitudo,  
est in tribus, scilicet, } In vniuersalitate eiusdem,  
In indeficientia.

De primo dicitur in Euangelio Luc. 18. *Nemo bonus nisi solus Deus.* De vniuersalitate dicitur Sapient. 7. Venerunt mihi omnia bona pariter cum illa. Et Boe. lib. 3. de conso. phylo. Beatitudo est status omnium bonorum aggregatione perfectus.

De indeficientia habetur Apoc. vlt. *Iam non erit amplius neque luctus neque clamor, sed nec ullus dolor: quoniam priora transierunt.*

In his tribus finibus beatitudinis, scilicet, in vero bono, in vniuersali, & indeficienti, est gaudium plenum, de quo dicit Dominus Ioan. 16. *Petite & accipietis, ut gaudium vestrum plenum sit.*

Pretium etiam quod procul & de vltimis finibus est, triplex est, scilicet,  
Redemptionis,  
Pretium { Regni,  
Coronæ.

De pretio redemptionis habetur Matth. 27. *Accepterunt triginta argenteos, pretium appretiati, quem appretiauerunt à filiis Israel: & dederunt eos in agrum figuli, sicut constituit mihi Dominus,* Pretium appretiati est pretium Iudeæ, qui appretiatus est à filiis Israel ut traderet Dominum: & hoc pretium datum est in agrum figuli redendum. Ager figuli est humana natura de qua finxit nos Deus. Et de hoc habetur Zachariae 11. Appenderunt mercedem meam triginta argenteos, & dixit Dominus ad me: Proijce illud ad statuarium decorum pretium quo appretiatus sum ab eis. Et tuli triginta argenteos: & proieci illos in domum Domini, ad statuarium. Statuarius faciens imaginem decoris Deus est, triginta argentei pretium vniuersitatis, domus Domini Ecclesia. Proiecimus ergo triginta argenteos in domum Domini ad redēptionem nostram, quando pretium vniuersitatis in Ecclesia oblatum est Deo ad redēptionem fidelium: sicut dicitur in Psalmo 129. *Apud Dominum misericordia, & copiosa apud eum redēptio.* Et alibi in Psal. 101. Redēptionem misit Dominus populo suo, mandauit in æternum testamentum suum.

Pretium autem regni est denarius diurnus qui datur laborantibus in vinea: de quo habetur Matth. 20. quod *conuentione facta cum operariis ex denario diurno, misit illos in vineam suam.* Et post laborem diei, id est meritum vitæ, accepterunt singuli singulos denarios, id est, regnum cœlorum. De hoc eodem habetur in Psal. 126. *Cum dederit*

*dilectis suis somnum, scilicet post mortem: ecce hereditas Domini, Filii merces, hoc est merces quæ debetur Filio: & hæc merces est fructus ventris, scilicet Virginis, id est, Christus qui est merces & beatitudo nostra.*

De pretio corona habetur 1. Corinth. 9. vbi sic dicit Apostolus: *Hi qui in stadio currunt: omnes quidem currunt, sed unus accipit brauum.* Brauum autem est corona currentis vel agonizantis: & ideo sequitur: *Omnis qui in agone contendit, ab omnibus se abstinet: & illi quidem ut corruptibilem coronam accipient, nos autem incorruptam.* Item in Isaia 28. Erit Dominus exercitum corona gloriae, & sertum exultationis residuo populi sui. Et 2. Timoth. 4. Bonum certamen certavi, cursum consummavi, fidem seruavi. In reliquo reposita est mihi corona iustitie, quam reddet mihi Dominus in illa die iustus index: non solum autem autem mihi, sed & his qui diligunt aduentum eius.



## C A P. I I.

### S. I.



**B**E TH prescribitur secundo capitulo. Et est secunda litera Hebræorum. Describitur duobus modis Beth, scilicet, per d, &c per th in fine. Primo modo scriptum interpretatur filia vel mensura. Secundo modo interpretatur dominus vel habitaculum. Quantum ad primam interpretationem notantur ibi tria, scilicet, regimen quo regitur filia à patre suo ad diligendum sponsum, mensura amoris illius, & castitas. De primo habetur in Ps. 44. *Audi filia & vide & inclina aurem tuam, & obliuiscere populum tuum, & dominum patris tui: & concupiscet rex decorum tuum.* De secundo habetur Deut. 6. *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & ex tota anima tua, & ex totis viribus tuis.* Ex toto corde, in omnibus quæ potest appetere cor nihil ei æquipare tur vel comparetur. Quia ille qui incomparabiliter excedit omnia in amore cordis nostri nulli debet comparari. Ex tota autem anima diligitur, quando propter desiderium voluntatis continuo pendens ad ipsum in cogitatu animi nihil præter dilectum versatur. Sed ex omnibus viribus tunc diligitur, quando cogitatus & desiderium in strenuitate operis monstrantur. Et sic patet quod mensura dilectionis est non habere mensuram. Castitas autem amoris notatur in hoc quod sponsa dicitur filia patris sponsi: & ideo etiam ipsa sponsa sponsum vocat fratrem in affectu dilectionis, sic loquens ad ipsum. Cant. 8. *Quis mihi det te fratrem meum, fugentem vbera matris meæ, ut inueniam te solum foris & deosculer te, & iam me nemo despiciat?* Mater sponsæ sapientia ingenita est, cuius vbera, scilicet, intelligentiae & saporis spiritus suxit Christus per unionem ad sapientiam non ingenitam, sed increataæ ex in-

telligentiaæ vberæ stigens lac veritatis: sed ex altero vberæ, scilicet, saporis spiritus, fugit lac bonitatis, qua nos redemit. Sponsa etiam ex eisdem vberibus pro modulo suo idem lac fugit. Quia secundum iudicium illustratur candore lactis diuinitatis, & secundum affectum quasi quadam esca liquente reficitur dulcedine bonitatis.

Duo enim sunt in lacte, scilicet, candor, & esca liquens. Ideo etiam è conuerso sponsus sponsam vocat sororem Cant. 5. sic dicens: Aperi mihi soror mea, amica mea, columba mea, immaculata mea. Dicit, Aperi mihi, desiderans cor aperiri per desiderij dilatationem. Sed sororem vocat propter castitatem amplexuum. Amicam autem propter conformitatem bonitatis. Columbam vero propter simplicitatem & immunitatatem felleæ amaritudinis in appetitu: quia secundum Platoneum, appetitus in hepate est in quo columba felle caret. Sed immaculatam dicit propter innocentiam actionis.

Secundum aliam interpretationem interpretatur Beth domus vel habitaculum. Et dicitur ibi domus familia, secundum quod dicitur in Psal. 113. Domus Aaron benedicte Domino, domus Leui benedicte Domino. Et Exod. 1. Quia timuerunt Deum obstetrics, ædificauit illis domos. Et sic mulier fortis dicitur in qua est confidentia viri sui: tum propter castum amorem, quia non diligit alium: tum propter familiæ prouidam dispensationem, quia propter eam alio non indiget economo, quia fideliter dispensat: tum etiam propter hoc, quia mulier habitaculum cordis viri sui est: sicut dicitur Deuteronom. 33. *Amantissimus Domini Benjamin habitabit confidenter in eo, quasi in thalamo tota die morabitur, & inter humeros illius requiescat.* Benjamin filius dextræ interpretatur, & significat mulierem fortem, in qua confidenter cor viri sui habitat, propter prudentiam qua totam dominum viri regit utiliter; & in ea moratur sicut in thalamo propter delicias amoris eius. Sed inter humeros eius, longanimitatis scilicet, & patientiæ: quibus quasi duobus humeris portat pondus diei & æstus: desiderabiliter requiescat. Et hoc est quod sequitur.

Confidit in ea cor viri sui, & spoliis non indigebit.

In quo versu duo notantur siue considerantur. Primum est confidentia viri in muliere. Secundum est affluentia diuinarum propter prudentiam mulieris: & hoc tangitur ibi. Et spoliis non indigebit. In primo quatuor notanda sunt, scilicet, confidentia viri, & secundum quid est illa confidentia, quia secundum cor eius est: & cuius sit ista confidentia, quia viri sui; & in quo est, quia in ea, scilicet, muliere. Circa primum duo notanda sunt, scilicet, causa confidentia viri in muliere, & in quibus confidit ei. Est autem triplices causa quare vir confidit mulieri. Prima est: quia nulli præter eum mulier intendit. Secunda: quia nullum præter virum proprium querit. Tertia: quia nullius alterius amore delectatur. De primo habetur Cant. 7. *Ego dilecto meo, supple, intendo: & ad me conuersio eius.* Et in Ps. 39. *Expectans expectaui Dominum: & intendit mihi.* Et inde est etiam illa vox desiderij Isaiae 28.

Manda,

*Manda, remanda : manda, remanda.* Et responderet dilectus. Expecta, reexpecta : expecta, reexpecta : modicum ibi, modicum ibi. Modicum in actione, & modicum in contemplatione. De secundo habetur Iudith 15. *Tu gloria Ierusalem, tu letitia Israel, tu honorificentia populi nostri.* Quia fecisti viriliter : & confortatum est cor tuum, eo quod castitatem amaueris, & post virum tuum alterum nescieris. Ideo & manus Domini confortauit te, & ideo eris benedicta in eternum. De tertio habetur Cant. 5. *Dilectus meus candidus & rubicundus, electus ex millibus.* Candidus est propter fulgorem veritatis, & rubicundus propter feruorem charitatis, electus autem ex millibus: sicut dicitur in Psal. 27. *Quid enim mihi est in caelo, & a te quid volui super terram?*

Secundo notandum est in quibus confidit. Et sunt sex quae perfectam faciunt confidentiam viri in vxore. Primum est fides thori. Secundum redditio debiti. Tertium fecunditas proliis. Quartum utilis familie dispensatio. Quintum bonorum conseruatio. Sextum per lucrum quotidianum eorundem bonorum multiplicatio. De primo per contrarium dicitur Isa. 28. *Coangustatum est enim stratum ita ut alter decidat, & pallium breve utrumque operire non potest.* Stratum est quies cordis: pallium autem pallium charitatis: in quibus non potest esse Deus cum adultero. Et hoc est quod dicitur Osee 2. *Vocabit me Vir meus: & non vocabit me ultra Baalim.* Et auferam nomina Baalim de ore eius, & non recordabitur ultra nominis eorum. Baalim interpretantur viri quos aufert Deus ab ore animae fidelis, quando per fidelitatem quam habet ad virum proprium, seruat fidem Deo, ut non admittat adulterum, id est, diabolum vel mundum cum quibus fornicietur.

De secundo habetur Gen. 30. vbi dicit Lia ad Jacob. *Ad me intrabis: quia mercede conduxi te pro mandragoris filij mei.* Debitum enim quod sponsa recognoscit in sponso, iustum est, ut etiam in se exhibeat. Est autem mandragora genus pomi, & signat bona opera quibus quasi obligatur Deus ad amplexum amoris debiti. De hoc eodem intelligit hoc quod habetur Cant. 1. *Ecce tu pulcher es dilecte mi & decorus: lectulus noster floridus, tigna domorum nostrarum cedrina, laquearia nostra cipressina.* Lectulus conscientiae siue corporis quies est: quia floridus est per debiti & mutui amoris exhibitionem. Domus quidem mens est. Tigna quibus consummatur domus, sunt dona Spiritus sancti, & cedrina dicuntur propter imputribilitatem perseverantiae. Laquearia quibus operitur, sunt bonum exemplum & bona intentio. Dicit enim ibidem Glossa quod cipressus alta odoris optimi est, medendis corporibus apta. Et horum unum, scilicet, intentio bona multum est odorifera in naribus Dei, & a corpore nostrae conuersationis fugat morbum vanitatis. Iuxta illud Matth. 6. *Lucerna corporis est oculus tuus.* Ibi in Glossa. Lucerna conuersationis tuae est intentio tua. Si oculus tuus fuerit simplex, totum corpus tuum lucidum erit: si autem oculus tuus fuerit nequam, totum corpus tuum tenebrosum erit. Bonum vero exemplum odoriferum est in notitia hominum, & aufert a corpore, quod est Ecclesia, morbum scandali: sicut dicit Dominus Matth. 5. *Sic luceat lux vestra coram hominibus, ut*

*videant opera vestra bona, & glorificant Patrem vestrum qui in celis est.*

Tertium est fecunditas proliis, de quo habetur Genes. 29. *Copulabitur mihi maritus meus: eo quod genuerim ei tres filios, idcirco appellavit nomen eius Leni, id est, adauertus, scilicet, opera cordis, oris, & manus. Per contrarium dicitur Job 24. Pauci steriles & quae non parturit, & viduae non beneficit. Sterilis quae non parturit est caro, quam carnaliter viuentes insequuntur. Vidua autem est anima, quae posset producere multos filios si proprio viro coniungeretur.*

Quartum est utilis dispensatio familie, de qua habetur Tobiae 10. Quia Raguel & vxor eius Anna mouerunt filiam suam honorare sacerdos, diligere maritum, regere maritum, regere familiam, gubernare dominum, & seipsum irreprehensibilem exhibere. Et Ruth vltimo. *Faciat Dominus hanc mulierem, quae ingreditur domum tuam, sicut Rachel & Liam, quae edificauerunt domum Israel: ut sit exemplum virtutis in Ephrata, & habeat celebre nomen in Bethlehem.* Rachel edificauit & rexit domum contemplationis: Lia vero domum & familiam actionis. Et ideo est exemplum in Ephrata, hoc est, in fructificatione bonorum operum. Et in Bethlehem quae interpretatur domus panis, hoc est, in contemplatione, in qua familia cordis cibatur pane vite & intellectus, & aqua sapientiae salutaris potatur: ut habetur Eccli. 15.

Quintum est bonorum conseruatio. Et de hoc habetur infra in laudibus ciuidem mulieris. *Considerauit semitas domus sue, & panem otiosa non comedit.* Et Eccli. 26. *Mulieris bone beatus vir: numerus enim annorum illius duplex.* Annus est circularis congregatio dierum, & significat universitatem bonorum operum mulieris ipsius.

Sextum est eorundem bonorum operum multiplicatio. Et hoc signatum est in vxore Tobiae iunioris, per quam multiplicatus est in bonis, cum ante pauper esset: & similiter in vxore Tobiae senioris, de qua legitur Tobiae 2. quod *ibat ad opus textrinum quotidie: & de labore manuum suarum victum, quem consequi poterat, deferebat.* In textrino opere filum filo contexitur ut tela efficiatur. Et sic est in operibus quando opus operi per charitatem connectitur ut indumentum contexitur: & ideo in laudibus eiusdem mulieris infra dicitur, quod *facta est quasi nauis insitoris de longe portans panem suum.* Et iterum: *Multa filia congregauerunt diuitias: tu sola supergressa es universas.*

Sequitur, secundum quid confidit in ea: quia secundum cor. Dicit enim: *Confidit in ea cor viri sui.* Et notandum, quod quidam corde confidunt vxoribus suis, & quidam verbo solo, & non corde; quidam vero custodia exteriori, & non corde nec verbo. Primo modo confidit in muliere forti cor viri sui. Vnde habetur Eccli. 26. *Mulier fortis oblectat virum suum, & annos vite illius in pace implebit.* Item ibidem infra. *Gratia mulieris sedula delectabit virum suum, & ossa illius impinguabit.* Verbo autem solo confidit quando quidem in opere nullius habetur argumentum confidentiae, sed expectatur in futurum post conuersationem. Et ideo tunc vir insistit verbis conuersationis. Et hoc est quod dicitur Iere. 3. *Vulgo dicitur. Si dimiseris vir uxorem suam, & recedens ab eo, duxerit*

*duxerit virum alterum: nunquid reuertetur ad eum ultra? nunquid non polluta & contaminata erit mulier illa? Tu autem fornicata es cum amatoribus multis: tamen reuertere ad me, dicit Dominus: & ego suscipiam te.* De tertio habetur Oſcæ 2. *Ecce ego ſepiam viam tuam ſpinis, & ſepiam eam maceris, & ſemitas suas non inueniet.* Et ſequetur amatores ſuos, & non apprehendet eos: & queret eos, & non inueniet: & dicit, *V adam, & reuertar ad virum meum priorem: quia bene erat mibi tunc magis quam nunc.* Spinæ ſunt tribulationes, & maceria paupertas: quibus aliquis impeditur ne apprehendat ea quæ ſequitur in concupiſcentia mundi. Et tunc quando non potest habere ea quæ concupiſcit, redit ad cor, & incipit timere Dominum: ut quia non potest habere delectationem in præſentibus, ſaltem ſpem habeat futurorum.

Sequitur conſiderare cuius ſit iſta conſidentia: quia viri ſui. Et dicit Gregorius, quod vir eſt qui contra biforines iſultus fortunæ vniſormi conſtantia mentis militat præmunitus. Fortuna enim iſultus eſt per aduerſa & proſpera: ſed vniſormi conſtantia militat contra fortunam qui nec eleuatur in proſperis, nec deprimitur in aduersis. Et iſte vir präcipue Christus eſt, de quo dicitur in Psal. 1. Beatus vir qui non abiit in conſilio impiorum, & in via peccatorum non ſtetit, & in cathedra pestilentia non ſedit. Conſilium impiorum eſt transgredi präceptum, à quo aliquis abit per conſenſum. Via vero impiorum eſt opus peccati, in qua ſtat aliquis per conſuetudinem operis. Sed cathedra pestilentia eſt doctrina malii per exemplum & verbum: in qua ſedet aliquis quando adulatur malis, & exprobrat bonis.

Sequitur hoc quod dicit, In ea. In quo notatur id in quo eſt conſidentia viri, quaſi ſcilicet in muliere. Sicut autem tria ſunt quæ attenduntur in formatione primæ mulieris: ita tria ſunt quæ feruant conſidentiam viri in muliere. Primum eſt quod mulier non eſt accepta de capite, ſed de latere. In quo notatur reuerentialis ſubieſcio mulieris ad virum: & quamdiu exhibet ei reuerentialis debitam, tamdiu confidit in ea cor viri. Et de hoc dicit Apoſtolus 1. Corinth. 11. *Volo autem vos ſcire quod omnis viri caput eſt Christus: caput autem mulieris vir: caput vero Christi Deus.* Secundum eſt quod non eſt accepta de pedibus, ſed de latere. In quo notatur exhibito mutua ſocietatis: & quamdiu exhibet illam mulier viro, tamdiu confidit in ea vir. Et hoc eſt quod allegat primus homo in excuſatione ſui dicens illud Genef. 3. *Mulier quam dediſti mihi ſociam, dedit mihi, & comedit.* Quaſi diceret. In ſocia debui habere fiduciam. Tertium eſt, quod accepta eſt de costa, quæ pars eſt vicina cordi. Et in hoc notatur intimus amor exhibitus viro ab vxore. Vnde etiam Adam dixit vxori: Hoc nunc os ex oſſe meo, & caro ex carne mea. Quamobrem relinquet homo patrem & matrem, & adhæret uxori ſuæ: & erunt duo in carne vna. Spiritually autem ſunt duo in corde vno: quia qui adhæret Deo, vnuſ ſpiritus eſt cum eo: ſicut dicit Apoſtolus 1. Cor. 6.

## §. II.

**S**equitur de affluentia diuſtiarum huius mulieris, quæ tangitur cum dicitur: *Et ſpoliis non indigebit.* Et potest accipi ſpolium in bono ſecondum ſenſum vnum, & in malo ſecondum ſenſum aliū. Si accipiat in bono, tunc iſte eſt ſenſus: Spoliis non indigebit, quia fortis eſt, & ſufficientia ſpolia detrahet inimicis. Si autem accipiat in malo, tunc ideo non indigebit ſpoliis, quia abundat licet. Secundum primum ſenſum notandum eſt, quod mulier fortis tres inimicos ſpoliat, ſcilicet, diabolum, mundum, & carnem. Et à quolibet iſtorum duo ſpolia auferat: à diabolo auferat discretionem spirituum per experimentum multarum tentationum, & ſolertia obuiandi temptationibus diaboli per frequenteſi victoriam temptationum eius. De primo dicit Apoſtolus 1. Corinth. 2. *Nam & ego quod donaui, ſi quid donaui, propter vas, in persona Christi, ut non circumueniamur a ſatana: non enim ignoramus cogitationes eius.*

De ſecondo habetur Cant. 4. *Sicut turris Dauid collum tuum, quæ aedificata eſt cum propugnaculis. Mille clypei pendent ex ea, omnis armatura fortium.* Collum per quod caput coniungitur corpori, ſignificat mentem per quam anima coniungitur Deo: & illa eſt ſicut turris Dauid munita per fortitudinem, fundata in monte altitudinis ſpiritus, aedificata cum propugnaculis, hoc eſt, habens artes spiritualis cuiusdam ſolertia, quibus repellat temptationes dæmonum. Et ibi ſuſpenſi ſunt mille clypei: in quibus ſignificatur perfecta Angelorum custodia. Millenarius enim perfectus eſt numerus, ut ſupra dictum eſt. Armatura vero fortium ſunt in memoria retenta exempla Sanctorum, quibus tanquam armis viſi ſunt contra diabolum. Et hoc eſt quod dicitur in Psal. 17. *Benedictus Dominus Deus meus, qui docet manus meas ad prelium, & digitos meos ad bellum.* In manibus enim fortitudo bellandi, in digitis diligentia & ſubtilitas ſignificatur. Et hoc eſt quod dicitur Iſaiæ 11. de Sanctis: *Volabunt in humeros Philiſthim, per mare ſimil prædabuntur filios Orientis.* Philiſthium interpretantur potionē cadentes, & ſignificant dæmones: quia primitus calicem ire Dei bibentes in profundum inferni ceciderunt. Humeri eorum ſunt machinations iniquæ in quibus portant animas ad peccata: in quos humeros velocitate quadam spiritualis exercitiū volant Sancti prædantes filios Orientis, id eſt, dæmones, qui primo habitabant in ortu luminis æterni, ſed poſtea per culpam depreſſi ſunt ad occidua tenebrarum.

A carne etiam auferuntur duo ſpolia, ſcilicet, mortificatio carnis, & vigor caſtitatis: de quibus dicitur Job 40. *Nunquid implebis ſagenas pelle eius, & gurgiſtum pifciū capite illius?* Quaſi diceret: Non tu, ſed ego. Pelliſ diaboli concupiſcentia carnis eſt. Sagenta autem eſt fides Christi qua extrahitur pelliſ iſta. Gurgiſtum autem eſt temperantia caſtitatis, quæ impletur capite ſerpentis, dum primi motus eius excluduntur. Et hoc eſt quod dicitur Iſa. 9. Lætabuntur coram te ſicut qui latitantur in melle, ſicut exultant viernes capta præda quando diuidunt ſpolia.

A mundo

A mundo etiam aufert spolia duo, scilicet, scientiam huius mundi, & virtutem consuetudinalem. Hoc signatur in Exod. 12. Fecerunt filii Israël sicut præceperat Dominus Moysi, & petierunt ab Ægyptiis vasa argentea & aurea vestimentaque plurimam. Dedit autem Dominus gratiam populo coram Ægyptiis ut accommodarent eis: & spoliaverunt Ægyptios. Item Exod. 3. Cum egrediemini ab Ægypto non exhibitis vacui, sed postulabit mulier à vicina sua & ab hospita sua vasa argentea & aurea ac vestes: ponitisque super filios & filias vestras, & spoliabitis Ægyptum. Ægyptus mundus est: filij Ecclesie Prædicatores virilia opera facientes: filiae autem pœnitentes simplices: vasa autem argentea, scientia eloquentia: vasa aurea, scientia sapientia, quæ est de rebus huius mundi: vestes autem consuetudinales virtutes sunt, quas Sancti à mundanis sapientibus tanquam iniustis possessoribus vindicant. Idem dicitur Gen. 31. *A filiis Laban tulit Iacob omnia que fuerunt patris nostri, & de illius facultatibus ditatus factus est inclitus.* Laban candidatio interpretatur, & significat mundum candidum in scientiis Philosophorum, & ciuitate virtutum consuetudinalium. Filii autem Laban sunt filii huius mundi cum querimonia cognoscentes omnem scientiam & virtutem huius mundi in Ecclesia confidere.

Si autem spolium in malo accipiatur: tunc ideo non indigebit spoliis, quia abundat licitis dimittens vnicuique quod suum est, scilicet Deo, mundo, & diabolo. Deo dimittit gloriam & dominatum: mundo vanitatem & voluptatem: diabolo superbiam & inuidiam. Quod gloria Dei sit dimittere vnicuique quod suum est, habetur Isa. 42. *Gloriam meam alteri non dabo.* Item ibidem. *Ego Dominus, & non aliis preter me.* Et per hoc habetur quod dominatus sit eius. Item Luc. 2. Diuidunt Angeli inter nos & Deum, nobis dantes pacem, Deo gloriam: vbi dicunt: *Gloria in altissimis Deo, & in terra pax hominibus bona voluntatis.* Sic non est inter vos, sicut habetur Luc. 11. *Sed qui maior est in vobis, fiat sicut minor: & qui præcessor est, sicut ministrator.* Nam quis maior est, qui recumbit aut qui ministrat? Nonne qui recumbit? Ego autem in medio vestrum sum sicut qui ministrat.

De vanitate & voluptate mundi dicitur Isa. 5. *V& qui trahitis iniquitatem in funiculis vanitatis, & quasi vinculum plaustrum peccatum.* Hæc iniquitas voluptas: quia inæqualem facit hominem: carnem enim facit imperare & spiritum obedire, cum è conuerso deberet esse. Et propter hoc ante parum in eodem capitulo loquens de vtroque sic dicit. *V& qui consurgitis mane ad ebrietatem, festandam, & potandum usque ad vesperam ut vino astuetis.* Et hoc quantum ad voluptatem: quia in æstu vini intelligitur luxuria. Dicit enim Hieronymus, quod *venter mero astuans facile despumat in luxuriam.* Et postea subinfert etiam de vanitate: *Cithara, & lyra, & tympanum, & tibia, & vim in conniuis vestris: & opus Domini non respicit, nec opera manuum eius consideratis.*

De superbìa diaboli dicitur Ezech. 28. *Elenatum est cor tuum in decore tuo: perdidisti sapientiam tuam in decore tuo, in terram proieci te: ante faciem regum dedi te, ut cernerent te.* In multitudine iniquitatum tuarum, &c. Reges dicuntur hic superbi, volentes regnare cum mundo, qui-

bus in exemplum damnationis proponitur cernendus diabolus. Item Iob 41. dicitur de diabolo. *Omne sublime videt, & ipse est rex super omnes filios superbie.* De inuidia ipsius habetur Sapien. 2. *Deus creavit hominem inextirminabilem, & ad imaginem similiudinis sue fecit illum. Inuidia autem diaboli mors intravit in orbem terrarum: imitantur autem illum, qui sunt ex parte illius.*



## C A P. III.

### §. I.

Reddet ei bonum & malum, omnibus, &c.

3



*I M E L* interpretatur plenitudo vel retributio: quibus simul iunctis, plenam retributionem importat quam vir reddet mulieri, & mulier viro vice versa. Sicut dicitur in Psal. 115. *Quid retribuamus Domino pro omnibus que retribuit mihi? Calicem salutaris accipiam, & nomen Domini invocabo.* Et hæc interpretatio alludit sententiæ versus sequentis, in quo agitur de retributione. Distinguuntur autem versus ille per duo, scilicet, per reditio[n]em eius quod debetur, & per perseverantiam redditionis. Primum notatur ibi [Reddet ei bonum & non malum] Secundum ibi [Omnibus diebus vita suæ] Circa primum notantur duo quæ reddit vir mulieri, quorum unum est bonus, alterum est non malum: quæ duo sic distinguuntur, vt bonum dicat bonum simpliciter, prout est bonum naturæ, gratiæ, & gloriæ. Non malum autem dicit aliquid malum pœnæ, quod tamen patienti non est malum: quia vel est ad remissionem delicti, sicut fuerunt pœnae David quas passus est à Saul & Absalone & ab Angelo percutiente. Vel ad probationem virtutis, sicut fuit pœna Tobiæ. Vnde etiam Angelus dixit ei: *Placuisti Deo: necesse fuit ut tentatio probaret te.* Vel vt aliis detur exemplum patientiæ, sicut fuit pœna Beati Iob. Vel ad gloriam Dei manifestandam, sicut fuit pœna cæci nati, de quo legitur. Ioan. 9. Vnde etiam Dominus dicit de eo. Neque hic peccauit, neque parentes eius: sed vt manifestentur opera Domini in illo. Quinto etiam est ad manifestationem delicti paterni, sicut fuit infirmitas & mors filii David quæ genuit ex Berabe primo: sicut legitur 2. Regum 12. Sexto est signum maledictionis antiquæ, sicut sunt pœnae quas patimur, in signum maledictionis peccati Adam. Septimo ad humiliationem, sicut fuit stimulus Apostoli, de quo legitur 2. Corinth. 12. vbi dicitur: *Ne magnitudo revelationum extollat me, datus est mihi stimulus carnis pœna Angelus satana, qui me colaphizet.* Propter quod ter Dominum rogavi ut discederet à me: & dixit mihi: *Sufficit tibi gratia mea: nam virtus in infirmitate perficitur.* Octavo est ad redemptionem nostram, sicut fuit passio Iesu Christi Matth. 25. Nono ad probationem veritatis fidei, sicut fuit passio martyrum

tyrum, & septem fratrum, de quibus legitur 2. Machab. 7. Decimo ad inchoationem æternæ damnationis, sicut fuit poena Anthiochi, de quo legitur 2. Machab. 9. & postea Herodis, qui consumptus vermbus expirauit: sicut legitur Act. 12. Sic ergo vir reddit vxori bonum simpliciter & non malum, id est, pœnam quæ non est mala sibi.

Et sunt primo notandæ quinque rationes, ex quibus vir reddit vxori quod debet. Quædam enim reddit ex beneplacito disponente, quædam ex promissso, quædam ex merito vxoris, quædam ex affluentia libertatis suæ, quædam ex iure matrimonij. Ex beneplacito disponente reddit bona predestinationis: sicut est bonum creationis ut simus, & bonum gratiæ præuenientis ut bene simus. Et de hoc dicitur in Psal. 109. *In splendoribus Sanctorum ex vtero ante luciferum genui te.* Et dicitur ibi vterus potentia generativa Patris, & dicitur Filius sapientia Patris in qua splendent omnes Sancti qui sunt in ipso vita & lux Ioan. 1. Et ideo dicitur ad Rom. 1. quod Christus homo predestinatus est Filius Dei in virtute secundum Spiritum sanctificationis, hoc est, secundum Spiritum sanctificantem Sanctos. Dicitur enim ad Rom. 8. *Quoniam quos prescivit hos etiam predestinavit conformes fieri imaginis Filii Dei: ut sit ipse primogenitus in multis fratribus. Quos autem predestinavit, hos & vocauit: & quos vocauit, hos & inserviavit: quos autem inserviavit, illos & magnificavit.* Et cum hoc reddit non malum timoris futuri periculi: quia nemo securus est dum vivit quod non cadat à salute. Vnde Apoc. 3. *Tene quod habes: ut nemo accipiat coronam tuam.* Et Ecclæ. 9. *Nescit homo utrum amore an odio dignus sit.* Et in eodem lib. 8. *Vidi impios sepultos, hoc est, impietate mortuos: qui etiam dum adhuc viuerent, in loco sancto erant, & laudabantur in ciuitate, quasi essent institorum operum.* Et Ieremiæ 18. scribitur causa huius, ubi dicit Dominus: *Subito loquatur de gente & regno, ut adficiem & plantem illud. Si fecerit malum in oculis meis, ut etiam non audiat vocem meam: pœnitentiam agam super bonum quod loquutus sum ut facerem ei.*

Quæ autem reddit ex promissso, sunt bona redemptionis, sicut dicitur in Psal. 109. *Iuravit Dominus & non pœnitabit eum: Tu es Sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedech.* Sacerdos, inquam, eo quod secundum ritum Melchisedech sub similitudine panis & vini corpus obtulit in cibum, & sanguinem in potum, & in aræ crucis animam obtulit in premium redemptionis. Et secundum interpretationem, Melchisedech rex pacis est & rex iustitiae: quia sicut dicitur ad Ephef. 2. *Ipse est pax nostra, qui fecit viraque unum, & medium parietem maceria soluens, inimicitiias in carne sua.* Et ad Hebræ. 6. *Homines per maiorem sui iurant: & omnis controversia eorum finis, ad confirmationem, est iuramentum. In quo abundantius volens ostendere Deus pollicitationes hereditibus immobilitatem consilij sui, interposuit insurandum: ut per duas immobiles res, quibus impossibile est mentiri Deum, fortissimum habeamus solatium, qui configimus ad tenendam propositam spem, quam sicut anchoram habemus anima tutam ac firmam, & incidentem usque ad interiora velaminis, ubi præcursor pro nobis introiuit Iesus, pontifex factus secundum ordinem Melchisedech in æternum.* Et

cum hoc bono reddit non malum pœna, quod est exercitium somnis remanens etiam post redemptionem perceptam in baptismo. Et hoc significatur per populum maledictum quem reliquit Dominus inter filios Israel, ut eruditetur in eis. Et Genes. 3. *Cum operatus fueris terram non dabit fructus tuos: sed spinas & tribulos germinabit tibi.*

Quæ autem reddit ex merito mulieris, sunt bona glorificationis: & cum hoc non malum passionis per quam intratur in gloriam. De utroque horum habetur Lucæ ultimo. *Nonne sic oportuit Christum pati, & ita intrare in gloriam suam?* Et Rom. 8. *Si tamen compatimur ut simul & glorificemur. Existimo enim quod non sunt condigne passiones huius temporis ad futuram gloriam, que reuelabitur in nobis.* Et in Psal. 90. *Cum ipso sum in tribulatione: eripiam eum & glorificabo eum.* Et 2. Corinth. 4. *Id enim quod in presenti est momentaneum & leue tribulationis nostræ, supra modum in sublimitate æterna gloria pondus operabitur in nobis.*

Quæ vero reddit ex affluentia suæ liberalitatis, sunt bona prægustationis æternorum, & cum his non malis retractionis necessitatis vitæ huius. De primo dicitur in Psal. 33. *Gustate & videte quoniam suavis est Dominus.* Et in prima Can. Petri 2. *Si tamen gustatis quoniam dulcis est Dominus.* Et in laudem huius mulieris infra. *Gustauit & vidit quoniam bona est negotiatio eius.* De non malo autem quod cum hoc reddit, habetur 2. Corinth. 5. *Dum sumus in hoc corpore, peregrinamur à Domino. Per fidem enim ambulamus, & non per speciem.* Quasi diceret: Necessitas huius corporis retrahit à prægustatione æternitatis. Et Sapient. 9. *Cogitationes mortalium timida & incerta prouidentia nostræ.* Corpus enim quod corruptitur, aggranat animam, & terrena inhabitatio deprimit sensum multa cogitantem. Utrumque horum, scilicet, bonum & non malum, signatur Matt. 17. ubi Petrus vidit transfiguratum Dominum. Primo dixit? *Domine bonus es nos hic esse: si vis faciamus hic tria tabernacula: tibi unum, Moysi unum, & Eliae unum.* Et postea præualecente necessitate corporis, sequitur quod *Discipuli ceciderunt, in faciem suam, & timuerunt valde,*

Ex iure vero matrimonij reddit ei sex. Primum est regimen. Secundum amplexus amoris. Tertium fecunditas prolis. Quartum necessariorum administratio. Quintum benigna & familiaris alloquutio in amotionem tædij. Sextum est adhibitio ornatus. De primo habetur Genes. 3. ubi dicit Dominus ad Euam: *Sub viri potestate eris.* Et 1. Corinth. 11. *Caput mulieris vir.* Et 1. Petr. 3. *Mulieres subditæ sint viris suis.* Et infra capitulo eodem. *Mulieres sanctæ sperantes in Domino (non in ornatu vestium) ornabant se, subiectæ propriis viris.* Sicut Sara obediebat Abrahæ Dominum eum vocans: *cuius estis filiæ benefacientes, & non pertinentes ullam perturbationem.*

De secundo habetur Cant. 2. *Læua eius sub capite meo, & dextera illius amplexabitur me.* Et in primo. *Osculetur me osculo oris sui.* Et hoc significatum est Genes. 24. ubi dicitur, quod Isaac introduxit Rebeccam in tabernaculum Saræ matris sue, & accepit eam uxorem, & intantum dilexit eam, ut dolorem qui ex morte matris acciderat, temperaret. Isaac Christus est, Rebeccam Ecclesia

vel fidelis anima, quæ iuxta interpretationem nomitis Rebeccae multum accepit. Mater autem mortua, est Synagoga vel Eua. Tabernaculum matris est gratia in quam introduxit Christus fidem animam vel Ecclesiam, & ita inuenit eam amabilem ut omnis dolor antiquæ perditionis temperetur.

De tertio habetur ad Ephes. 5. *Viri diligite uxores vestras, sicut & Christus dilexit Ecclesiam, & semetipsum tradidit pro ea: ut illam sanctificaret mundans eam lauacro aquæ in verbo vita: ut exhiberet ipse sibi gloriosam Ecclesiam non habentem maculam neque rugam neque aliquid huicmodi.* Et 1.Timoth.2. *Mulier saluabitur per filiorum generationem.* Hi autem filij sunt opera masculina meritorum. Et ideo sequitur: *Si permanerit in fide & dilectione & sanctificatione cum omni sobrietate.* Et isti sunt filij pro quibus Rachel Genes.10. suppliciter implorat maritum dicens: *Da mihi liberum, alioquin moriar.*

De quarto habetur Matth.6. *Dico vobis ne soliti sitis anima vestra, id est, necessitatibus huius vitæ animalis, quid manducetis: & corpori vestro quid induamini. Nonne anima vestra plus est quam esca, & corpus vestrum plus quam vestimentum? Respicite volatilia celi quoniam non serunt neque metunt neque congregant in horrea: & Pater vester calefit pascit illa. Nonne vos magis pluris estis illis. Quis autem vestrum cogitans potest adipcere ad staturam suam cubitum unum? Et de vestimentis quid solliciti estis? Considerate lilia agri quonodo crescunt, non laborant neque nent. Dico autem vobis quoniam nec Salomon in omni gloria sua cooperatus est sicut unus ex ipsis. Si enim fænum agri quod hodie est, & cras in cibarium mittitur, Deus sic vestit: quanto magis vos modice fidei? Nolite ergo solliciti esse dicentes: Quid manducabimus, aut quid bibemus, aut quo operiemur? Hac enim omnia Gentes inquirunt. Scit enim Pater vester quia omnibus his indigetis.* Et in Psal.36. *Junior fui, etenim senui: & non vidi iustum derelictum, nec semen eius querens panem.* Et 2.Corinth.9. *Qui autem administrat semen seminanti: & panem ad manducandum præstabit, & multiplicabit semen vestrum, & augebit incrementa frugum iustitiae vestre: ut in omnibus locupletari abundetis in omnem simplicitatem que operatur per nos gratiarum actionem Deo.*

De quinto habetur Sapient. 8. *Intrans in domum meam, conquiscam cum illa, id est, cum sapientia quæ Christus Dominus est. Non enim habet amaritudinem conversatio illius, neque tedium conuictus eius, sed letitiam & gaudium.* Hinc est etiam quod sponsa flagrans in desiderio animæ in Cant.2. sic loquitur ad sponsum. *Ostende mihi faciem tuam sonet vox tua in auribus meis: vox enim tua dulcis, & facies tua decora.* Similiter in Psal.44. *Speciosus forma præ filiis hominum: diffusa est gratia, &c.* Et in 1.Reg.3. *Loquere Domine, quia audit seruus tuus.* Et ultimo Lucæ. *Nonne cor nostrum ardens erat in nobis dum loqueretur in via, & aperiret nobis Scripturas.*

De sexto habetur Apocal. 21. *Vidi ciuitatem sanctam Ierusalem nouam, descendenter de celo, à Deo, paratam, sicut sponsam ornatam, &c.* Ornatus autem ille est in duobus, scilicet, in fulgore vestimentorum, per quæ intelligitur decor virtutum: & in pretiositate ornamentorum, quæ sunt xenia quædam sibi à marito exhibita. De primo dicitur

*D. Alberti Magni Lib.de mul.forti.*

in Psal. 44. *Astitit regina à dextris tuis in vestitu &c. Et 1. ad Timoth.1. Mulieres inhabitu ornato cum verecundia & sobrietate sunt ornantes se, non in tortis erinibus, aut margaritis, vel ueste pretiosa: sed quod decet mulieres promittentes pietatem per opera bona.* Et 1.Petri.3. *Mulierum non sit extrinsecus capillatura, aut circundatio auri, aut indumenti vestimentorum cultus: sed qui absconditus est cordis homo in incorruptibilitate quieti & modesti spiritus, qui est in conspectu Domini locuples.* Xenia autem exhibita Ecclesiæ sunt pretiosa sacramenta Ecclesiæ corporis & sanguinis eius quæ dedit Christus Ecclesiæ: sicut habetur Matth.26. & Marc.14. & Luc.22. Et ibi additur, *Hoc facite in meam commemorationem.* Et in 1.Corinth.11. *Quotiescunque manducabis panem hunc, & calicem bibetis: mortem Domini annuntiabitis donec veniat.* Cum his sex bonis non reddit malum occultationis sua à sponsa quandoque. Hoc enim valet sponsæ ad tria, scilicet, ut feruentius bona eius desideret, & diligentius inquirat, & inuentum seruet studiosius. Et de hac occultatione dicitur Ioan.16. *Modicum & iam non videbitis me, quia vado ad Patrem.* Hoc etiam significatur in forma peregrina in qua Christus apparuit post Resurrectionem suam mulieribus & Discipulis suis. Luc.24. *Cant.5. Pessulum ostij mei aperiui dilecto meo: at ille declinauerat atque transierat.* Pessulum consensus voluntatis est: ostium ipsa voluntas, quod quando aperitur Domino à sponsa, ex industria quandoq; sub forma peregrini occultans se fingit longius ire, & declinat amplexum & transit cognitionem, quia oculi sponsæ tenentur ne agnoscat eum.

## §. II.

**S**equitur.  
**Omnibus diebus vitæ suæ.**

In quo notatur persecutio redditionis. Tres sunt dies sponsi. Primus est incarnationis, & ille habet vesperæ & mane: quia in ea sol oriatur & occidit: ut dicitur Ecclæ.1. Secundus dies est dies Resurrectionis, de quo cantatur illud Psal.117. *Hac est dies quam fecit Dominus: exultemus & letemur in ea.* Et hæc dies habet mane, sed non habet vesperam. Tertius dies est dies æternitatis, de quo dicitur in Psal.83. *Melior est dies una in atriis tuis super millia.* De his tribus diebus similiter dicitur Osee 6. *Viuiscabit nos post duos dies, in die tertia suscitabit nos: & viuemus in conspectu eius.* In prima enim die viuiscabit animas, in secunda die corpora, & in tertia die sursum ad se suscitabit nos: ut in conspectu eius habeamus vitam æternam.

*Vita gratiæ,  
Similiter vita triplex est  
Vita resurrectionis,  
Vita æternitatis.*

Et hæc vita & isti dies communes sunt mulieri & viro. De prima vita dicitur ad Galat.2. *Vino ego iam non ego: viuit vero in me Christus.* De secunda vita dicitur Ioan.5. *Venit hora in qua omnes qui in monumentis sunt audient vocem Filij Dei, & procedent qui bona fecerunt in resurrectionem vitæ.* De tertia dicit in Psal.35. *Domine apud te*

*est fons vita: & in lumine tuo videbimus lumen.*  
Prima vita in muliere est cum langore venialis peccati, secunda cum morte corporis de qua resurget ad vitam, tertia est plena sanitatem utriusque.

Quia vero modo vidimus istius capituli expositionem secundum quod exponitur de redditione viri qua bonum & non malum reddit uxori. Videamus etiam qualiter uxor vice versa reddit viro bonum & non malum: sic enim videntur exponere patres. Notandum ergo, quod uxor habet a viro, ut dictum est, bonum gratiae & non malum tribulationis. Pro primo reddit viro profectum & gratiarum actionem & laudem. Pro secundo autem humiliationem, & patientiam, & spei certitudinem. De profectu dicit Apostolus 1.ad Corinth. 15. *Gratia Dei sum id quod sum: & gratia eius in me vacua non fuit.* Et 2.ad Corint. 6. *Adiuantes autem exhortamur ne in vacuum gratiam Dei recipiatis.* Et 2.ad Timoth. 1. *Admoneo te ut resuscites gratiam Dei qua est in te.* Et ad Hebr. 12. *Contemplantes ne quis desit gratiae Dei.*

De gratiarum actione dicit Apostolus ad Ephesios quinto. *In omnibus gratias agite.* Et Eccl. 1. *Ad locum unde egrediuntur flumina, reuertuntur ut iterum fluant.* Flumina sunt gratiae fluentes a Deo, & reuertuntur in ipsum per gratiarum actionem.

De laude dicit Psal. 49. *Sacrificium laudis honorificabit me, & illic iter quo ostendam salutare Dei.* Osee 14. *Omnem aufer iniquitatem, & accipe bonum: & reddemus vitulos labiorum nostrorum.* Vituli labiorum sunt iubili alacriter laudantium Deum. De his omnibus tribus simul habetur Isa. 51. *Gaudium & letitia inuenientur in ea, gratiarum actio & vox laudis.* Gaudium & letitia sunt de profectu gratiae. Duo autem alia nominibus propriis habentur in auctoritate.

De humiliatione quam reddit mulier pro non malo tribulationis, habetur Iere. 31. *Castigasti me, & eruditus sum quasi iuuenulus indomitus. Conuerte me, & conuertar: quia tu Dominus Deus meus.* Postquam enim conuertisti me, egi penitentiam: & postquam ostendisti mihi, percussisti femur meum. Et Threnor. 3. *Ego vir videns paupertatem meam in virga indignationis eius.* Quasi diceret: Virga indignationis eius, scilicet castigantis, non occidentis, facit me propriam cognoscere paupertatem.

De patientia habetur ad Hebre. 10. *Patientia vobis necessaria est ut voluntatem Dei facientes, reportetis promissiones.* Et Thren. 3. Bonum est præstolari cum silentio salutare Dei, hoc est, cum patientia.

De certitudine spei habetur Matth. 5. *Beatis cum maledixerint vobis homines & persequenti vos fuerint, & dixerint omne malum aduersum vos meritentes propter me. Gaudete & exultate, quoniam merces vestra copiosa est in celis, hoc est, spes mercedis.* Et Ierem. 31. *Quiescat vox tua a ploratu, & oculi tui a lacrymis: quia est merces operi tuo, ait Dominus, & reuenerentur de terra inimici, hoc est, de tribulatione.* Et est spes in nouissimis tuis. Et hoc est quod dicit Gregorius: *Consideratio premij minuit vim flagelli.* Et alibi. *Tanto altiori spe in Deum quisque resurgit, quanto fortiora pro illo permittitur.* Cætera quæ sequuntur [Omnibus diebus vitae suæ] à præmissa expositione non mutantur.

Quesiuit lanam & linum, & operata est consilio manuum suarum.



**E L E T H** interpretatur ianua, vel pauper, vel tabula. Et notantur ibi tria quæ competunt sententia sequentis versus. Primum est instrumentum inquirendi. Et hoc notatur per tabulam: quia mulier hæc per utilitatem lucri sui facta est quasi tabula domus viri, in qua vir & familia euadunt naufragium mendicitatis. Vnde dicitur infra, quod non rimebit domus sua a frigoribus niuis. Omnes enim domestici eius uestiti sunt duplicitibus. Secundo notatur necessitas inquirendi, & hoc in quantum Deleth interpretatur pauper. Pauperum enim est inquirere lanam & linum. Tertium est adipiscendi possibilitas. Et hoc notatur per hoc quod Deleth interpretatur ianua: per ipsam enim est aditus in diuinitas domus. Et de hoc habetur Eccli. 26. *Sicut sol Oriens in mundo in altissimis Dei: sic mulieris bona species in ornamentum domus eius.*

In versu vero sequenti notantur duo, scilicet, materia operis huius mulieris, & ipsum opus. Primum ibi [Quesiuit lanam & linum] Secundum ibi [Et operata est consilio manuum suarum] In primo duo notantur, scilicet, modus querendi, & res quæsita. Modus querendi per hoc quod dicit (quæsuit) Res quæsita per hoc quod dicit (lanam & linum) Modus querendi duplex est, scilicet, negotiatione, & labore. Emit enim lanam & linum, & elaborauit linum agricultura, & lanam per educationem ouium. De primo sub alia metaphora dicitur in Euangeli Matthæi 13. quod simile est regnum celorum homini negotiatori querenti bonas margaritas. Inuenta autem una pretiosa margarita abiit, & vendidit omnia que habuit, & emit eam. Idem enim ibi signatur per margaritam quod hic per lanam & linum, scilicet, decor & honestas virtutis. De utroque horum simul dicitur 2. Reg. 12. *Pauper autem nihil habebat omnino preter ouem unam parvulam quam emerat & nutrit: & que creuerat apud eum cum filiis eius simul de pane illius comedens, & de calice bibens, & in sinu illius dormiens: eratque illi sicut filia.* Pauper est mulier querens lanam & linum, & emit ouem unam parvulam, h.e. humilem Christum dando pro ipso quicquid diligit in hac vita; & postea nutrit eum cum filiis suis, h.e. intellectu & voluntate, dando illi cibum actionis & contemplationis potum; & dormit in sinu illius, h.e. quiete in corde: & est illi sicut filia, hoc est, sicut anima sua.

De elaboratione autem lini per contrarium habetur in Isa. 19. *Confundentur qui operabantur linum, plectentes & texentes subtilia.* Linum significat candorem virtutis humanae. Et qui operantur illud in Ægypto, hoc est, in vanitate huius mundi, plectentes circumstantias operum suorum, & texentes opera in consuetudine ad humanam laudem, confundentur. Et huius ratio redditus

Exod.

Exod.9.vbi dicitur quod *linum Aegypti grandine percussum est cum iam folliculos germinaret.* Grandio iram Dei significat quæ percutit omnem virtutem hypocitarum, cum iam, hoc est, in hoc tempore germen querat humanæ retributionis. Sed non sic mulier quæ querit linum in Ierusalem, hoc est, ad cultum & honorem Dei.

Secundo notandum est quid sit lana, & quid linum. Lana est quæ tondetur ab ove: linum autem quod de terra oritur, & multo labore in vestimentum aptatur. Ovis Dominus noster Iesus Christus est, de quo dicitur Isa.53. *Sicut ovis ad occisionem ductus est, & non aperuit os suum.* Et in primo Ioannis: *Ecce agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi.* Ab ista ove mulier hæc accepit sex genera lanæ. A nativitate duplice sumit, scilicet recognitionem exilij, & contemptum mundi. Chtistus enim in exilio natus est: quia licet Bethlehem sua esset, tamen dicitur Ioan.1. *In propria venit, & sui eum non receperunt.* Similiter tunc mundum contempnit: quia non de regina, sed de paupercula: non in aula regia, sed in stabulo natus est. Natus autem non operitur purpura & bysso, sed panniculis: nec reclinatur in cunabulis, sed reclinatur in præsèpio: sicut dicitur Lucæ 2. quod peperit Maria filium suum primogenitum, & pannis eum inuoluit, & reclinavit eum in præsèpio, quia non erat ei locus in diuersorio. A profectu vita accepit duplice lanam, scilicet, humilitatis, & mansuetudinis: sicut dicitur Matth.11. *Discite à me quia misericordia sum & humilis corde: & inuenietis requiem animabus vestris.* Ab exitu etiam accepit duplice lanam, scilicet, obedientię, & patientię. De obedientia dicitur Matt.26. *Non mea voluntas, sed tua fiat.* De patientia dicit Petrus 1. Cano.2. *Cum malediceretur, non maledicebat: cum pateretur, non comminabatur.* De vtroque horum dicitur ad Philipp.2. quod *fatuus est obediens usque ad mortem, mortem autem crucis.* De isto vellere agni facta est tunica inconsutilis Christi, qua induitur Ecclesia ad retinendum calorem charitatis.

Linum autem quod de terra oritur, candorem signat virtutis humanæ, & signat exempla Sanctorum veteris testamenti & noui, in quorum terra linum crevit. Sancti autem veteris testamenti, in quorum terra linum crevit, sunt Legislator, Patriarchæ, & Prophetæ. A Legislatore mulier hæc duplex accipit linum, scilicet mansuetudinem in regimine, & zelum in vltione. De primo dicitur Numeri 12. *Erat enim Moyses mansuetissimus super omnes homines qui morabantur in terra.* De secundo dicitur Exod.2. quod *Moyses egressus ad fratres suos, vidi afflictionem eorum, & virum Aegyptum percutientem, quendam de Hebreis fratribus suis.* Cumque circumflexisset hoc atque illuc, & nullum adesse vidisse, percutsum Aegyptum abscondit fabulo. Hebrei transeuntes interpretantur, & significant Sanctos qui passibus meritorum continuo tendunt ad patriam. Aegyptius autem signat hominem mundi, non consentientem Sanctis, quem mulier fortis interficit in gladio spiritus, quod est verbum Dei Hebr.4. De vtroque horum simul habetur 2. Regum 23. quod *David erat quasi tenerimus vermiculus ligni.* Vermiculus ligni mollissimus est cum tangitur, & quoad hoc signat mansuetudinem in regimine: & durissimus est cum tangit, & quoad hoc signat zelum in vltione.

*D. Alberti Magni Lib. de mul. forti.*

A Patriarchis etiam accipit duplex linum, scilicet, fidem in dictis, & spem in promissis. De primo habetur ad Rom.4. *Creditit Abraham Deo, & reputatum est illi ad iustitiam.* Et ad Hebr.11. *In fide testimonium consequuti sunt patres.* De secundo ad Rom.4. quod *Abraham contra spem inspem credidit.* Et ibidem infra. *In reprobatione Dei non habuit diffidentia.* Sed confortatus est fide dans gloriam Deo, plenissimo sciens quia *quacunque promisit ei Deus, potens est & facere.* De vtroque horum est totum undecimum cap. ad Hebreos.

A Prophetis etiam accipit duplex linum, scilicet, secrerorum contemplationem, & exprobationem vitiorum. De primo habetur Isa.6. *Videt Dominum sedentem super solium excelsum & elevatum: & plena erat domus à maiestate eius.* Et cetera quæ ibi sequuntur. Altitudo eius solij est eximia maiestas iudicis mundi. Domus autem triumphans Ecclesia est, in qua præclarus fulget species maiestatis eius. Templum autem Ecclesia militans quæ repletur his quæ sub ipso sunt, hoc est, speculo creaturæ & ænigmate allegoriarum in Scripturis in quibus ipsa Deum cōtemplatur: sicut dicitur ad Rom.1. *Inuisibilia Dei per ea quæ facta sunt, intellecta conspicuntur.* Sempiterua quoque virtus eius ac diuinitas. Seraphin autem significat Sanctos assistentes Deo, plenos igne charitatis: sex habentia alas: duabus enim volant in Deum, scilicet, intelligentia luce, & desiderij feroore: & duabus velant obumbrando & protegendo faciem eius, hoc est, cōtemplationis: qui dicuntur facies Domini: quia ex frequenti intuitu ipsorum in Deum, & Dei in eos, signatur & sigillatur super eos lumen vultus Domini: & in lumine Dei ambulabunt, & in nomine eius exultabunt tota die, & in iustitia eius exaltabuntur. Et fit splendida facies eorum sicut resplenduit facies Moysei dum rediret de monte: sicut habetur Exod.34. Duæ autem alæ quibus protegunt eos, sunt feroer spiritus, & sapor faciei Dei: & duabus velant protegendo pedes eius, hoc est, actiūos qui ambulant per viam bonorum morum, scilicet, honestate exempli ad proximum, & pie-tate intentionis ad Deum. De secundo dicitur Eccli.48. *Surrexit Elias Propheta quasi ignis: & verbum illius quasi facula ardebat, scilicet, in consumptionem & exprobationem vitiorum.*

Sancti noui testamenti sunt Apostoli, Martyres, Doctores, Virgines, Vidae, & boni coniugati. Ab Apostolis sumit duplex linum, scilicet, opera supererogationis, & instantiam prædicationis. De primo dicitur 2.ad Corinth. penultimo. *Ecce hic tertio paratus sum venire ad vos: & non ero gravis vobis. Non enim quero qua vestra sunt, sed vos.* Non enim debent filii parentibus thesaurizare, sed parentes filii. Ego autem libenter impendam & superimpedar ego ipse pro animabus vestris. Act. 20. loquitur idem Apostolus dicens: *Argentum & aurum aut vestem nullius concupini sicut ipsi scitis: quoniam ad ea quæ mihi opus erant, & his qui mecum sunt, ministraverunt manus istæ.* Item 1. Regum 12. dicit Samuel: *Conuersatus sum coram vobis ab adolescentia mea usque ad hanc diem.* Ecce presto sum: loquimini de me coram Domino & coram populo eius, utrum bouem alicuius tulerim aut astnum: si quenquam calumniatus sum, si manus de manu cuiuscumque accepi, si oppressi aliquid: & contemna illud hodie, restituamque vobis. De secundo dicitur

2 ad Timoth. 14. *Testificor coram Deo & Christo Iesu qui iudicaturus est viuos & mortuos, & per aduentum ipsius, & regnum eius: predica verbum: in sua opportune, importune: argue, obsecra, increpa in omni patientia & doctrina.*

A Martyribus duplex sumit linum, scilicet, fidei constantiam, & fortitudinem in aduersis. De primo dicitur ad Rom. 10. *Corde creditur ad iustitiam: ore autem confessio fit ad salutem.* Et Ps. 115. *Credidi propter quod loquutus sum.* Et in Euangelio Matth. 10. *Qui me confessus fuerit coram hominibus, confitebor & ego eum coram Patre meo.* De secundo dicitur ad Hebr. 10. *Rememoramini pristinos dies in quibus illuminati, magnum certamen passionum sustinuistis: & in altero quidem opprobriis & tribulationibus spectaculum facti: in altero autem societaliter conuersantium effecti. Nam & vincitis compassi estis: & rapinam bonorum vestrorum cum gudio suscepistis, cognoscentes vos habere meliorem & manentem substantiam.* Et Actu. 27. *Ne timeas Paule, Cesari te oportet assistere.* Item 2. Machab. 6. *Eleazarus glorioſissimam mortem magis quam odibilem vitam complectens, voluntarie praebat ad supplicium. Intuens autem quemadmodum oporteret accedere, patienter sustinens, destinauit non admittere illicita propter vitæ anorem.* Et infrā. *Cum plagis perimeretur, ingenuit, & dixit: Domine, qui habes sanctam scientiam manifeste tu scis quia cum à morte possem liberari, duros corporis sustineo dolores: secundum animam vero propter timorem tuum libenter hac patior.*

A Doctoribus etiam sumit duplē lanam, scilicet, Scripturarum meditationem, & solitudinem curæ pastoralis. De primo dicitur in primo Psal. *In lege Domini voluntas eius: & in lege eius meditabitur die ac nocte.* Et propter hoc præcepit Dominus in lege Deut. 6. quod scriberent legem & affigerent in ostiis, & ferrent etiam in manu propter iugem legis meditationem. Item Malach. 2. *Labia Sacerdotis custodiunt scientiam: & legem requirent ex ore eius: quia Angelus Domini exercituum est.* De secundo dicitur ad Rom. 12. *Qui præest, solicitude, supple, præst. Et idem infra. Solicitude non pigri, supple, pigri non sitis.* Et hoc significatum est in ultimo Ioannis, vbi Dominus tribus vicibus quæsuit a Petro, an diligenter eum plus ceteris: & toties responso accepto quod diligeret eum tribus vicibus: commisit ei pascendas oves. Quia videlicet Prælatus plus debet diligere Deum quam facultates & amicos & seipsum, & pascere debet verbo & exemplo & auctoritate clauium suos subiectos. Item Act. 20. *Attendite vobis & vniuerso gregi in quo vos posuit Spiritus sanctus Episcopos regere Ecclesiam Dei, quam acquisiuit sanguine suo.* De vtroque horum simul habetur Eccli. 44. *Laudemus viros narrantes carmina scripturarum, homines diuites in virtute, pulchritudinis studium habentes & pacificantes in domibus suis.*

A Confessoribus etiam duplex sumit linum, scilicet, pœnitentiæ lamentum, & longanimitatem expectationis promissorum. De primo dicitur Matth. 5. *Beati qui lugent, quoniam ipsi consolabuntur.* Et in Canticis 2. *Vox turturis audita est in terra nostra.* Et hoc signatum est in Iosue 15. vbi Axa filia Caleph pro benedictione duplex accepit irriguum, scil. superius, & inferius: quod signat duplex lamentum, scil. pro incolatus huius miseria, & pro dilatione patriæ. De secundo dicitur

iu Gen. 49. *Salutare tuum expectabo Domine.* Item Threnor. 3. *Bonum est prestatoli cum silentio salvare Dei.* Et ad Hebr. 11. *Iuxta fidem defuncti sunt omnes sancti non susceptis reprobationibus: sed à longe eas asperientes & salutantes & confitentes quoniam peregrini & hospites sum super terram.*

A Virginibus etiam duplex sumit linum, scilicet, munditiam castitatis, & carnis mortificationem. De primo dicitur 1. ad Corinth. 7. *Mulier innupta & virgo cogitat qua Dei sunt, vi sit sancta & corpore & spiritu.* Item ibidem. *Qui sine uxore est, cogitat que Dei sum & quomodo placeat Deo.* De secundo 1. Cor. 9. *Castigo corpus meum & inseruitum redigo, ne forte cum aliis predicauerim, ipse reprobus efficiar.* Item vlt. ad Galat. *Mihi autem ab sit gloriari nisi in cruce Domini nostri Iesu Christi, per quem mihi mundus crucifixus est & ego mando.* Item ad Galat. vlt. *De cetero nemo mihi molestus sit: ego enim stigmata Domini nostri Iesu Christi in corpore meo porto.*

A Viduis etiam sumit duplex linum, scilicet, fidelitatem ad maritum, & humilitatis indumentum. De primo dicitur Lucæ 2. *De Anna quod erat prophetissa filia Phanuel de tribu Aser: & hæc processerat in diebus multis, & vixerat cum viro suo annis septem à virginitate sua.* Et hæc erat vidua usque ad annos 84. qua non discedebat de templo ieunii & obsecrationibus seruies die ac nocte. Et de his dicit Apostolus 1. Tim. 5. *Quia autem vere vidua est & desolata, speret in Deum, & infest obsecrationibus die ac nocte.* De secundo dicitur Judith 9. *Judith ingressa est oratorium suum, & induens se cilicio posuit cinerem super caput suum, & prosternens se Domino clamauit ad Dominum.* De vtroque horum simul dicitur Cantic. 1. *Pulchra sunt gens tua ut turturis.* Turtur huius naturæ dicitur esse, quod non iungitur secundis nuptiis. Vnde fidelitas illa signatur per unam genam: per alteram autem signatur habitus humilitatis & maturitatis.

A bonis coniugatis etiam duplex linum sumit, scilicet, misericordiam in pauperes, & regimen familiae. De primo dicitur Matth. 5. *Beati misericordes: quoniam ipsi misericordiam consequentur.* Et Matth. 25. *Venite benedicti Patris mei, possidete paratum vobis regnum, &c.* De secundo 1. Timoth. 5. *Si quis suorum & maxime domesticorum curam non habet, fidem negavit, & est infidelis deterior.* Item Eccli. 5. *Simon Onias filius sacerdos magnus qui in vita sua suffulsi domum.* Et Gen. 39. *Ioseph gubernabat creditam sibi domum, & vniuersa quæ ei tradita fuerant.*

## §. I I.

**S**equitur.  
Et operata est consilio manuum suarū.

In quo notantur duo, scilicet, modus operis, & organa quibus exercetur opus. Circa primum notantur duo, scilicet, instantia operis per hoc quod dicit (*Operata est*) & discretio per hoc quod dicit (*consilio*)

De primo dicitur Ecclæ. 9. *Quodcumque facere potest manus tua, instanter operare: quia nec opus, nec sapientia, nec scientia erunt apud inferos quo tu properas.* Et in hoc arguuntur duo genera

genera hominum, scilicet, pigri, & otiosi. De primis dicitur Proverb. 20. *Propter frigus piger arare noluit: mendicabit ergo astate, & non dabitur illi.* Per frigus intelligitur desidia huius vitæ: per æstatem autem intelligitur dies iudicij, quando Deus plena luce manifestabit consilia cordium, & calore zeli sui reddet vnicuique iuxta opera sua. De secundo dicitur in Euangilio Matth. 20. *Quid hic statis tota die otiosi?* Et Proverb. 12. *Qui seculatur otium stultissimus est.* De vtroque horum habetur simul Ecclæ. 10. *In pigris humiliabitur contignatio, & in infirmitate manuum perstallabit dominus.* Per contignationem intelligitur compaginatio virtutum, quæ dissoluitur in pigritia, & acquiritur per assuetudinem operis. Per infirmitatem manuum intelligitur otium, per distillationem tentatio libidinis, per teuctum charitas, & per domum conuersatio.

De consilio, per quod intelligitur discretio, dicitur ad Rom. 12. *Rationabile sit obsequium vestrum.* Et nota quod duo exiguntur ad hoc quod consilium sit de aliquo, scilicet, quod difficile sit & possibile aliter fieri. Et inde sciuīt mulier fortis, quod reprehenduntur qui sine consilio ordinuntur telam, & non à Domino: vt habetur Isa. 30. *V& filij desertores, dicit Dominus, ut faceretis consilium, & non ex me: & ordiremini telam, & non per Spiritum meum.* Dicitur etiam Isa. 19. *Confundentur qui operabantur linum plecentes & texentes subtilia.* Et ideo sine consilio non est operata lanam & linum præcipue, cum dicat sapiens. Eccli. 32. *Fili sine consilio nihil facias: & post factum non pœnitebis.*

Organum autem operandi intelligitur per hoc quod dicitur (*Manum suarum*) in quo notantur duo, scilicet, duæ manus, & proprietates illarum, quando dicitur (*suarum*). Duæ manus mulieris sunt: vna operans circa se, & altera circa proximum: custodia sui, & dilectio proximi. Item ad formositatem manus duo exiguntur, scil. debita quantitas, vt sit longa manus secundum proportionem corporis: & debitus color, vt scilicet, sit alba manus rubore suffusa. Ad substantiam autem manus exiguntur quinque, scilicet, numerus digitorum, & pellis, & ossa, & caro, & debita colligatio per neruos & venas. Ad fortitudinem autem manus duo exiguntur, scilicet, abundatia roboris in membris manus, & abundantia spirituum difcurrentium per venas. Et hæc omnia est inuenire in vtraque manu. In manu enim dilectionis proximi longitudine est per dilectionem omnis boni, quod est in proximo. Alba vero est manus per innocentiam ad omnem hominem. Suffusa autem est rubore compassionis ad omne malum proximi: habens pelle molle mansuetudinis: ossa vero, fortitudinem portandi imbecillitates infirmorum: & carnem, affectum naturæ defientis proximi: & colligationem per neruos pietatis: & venas misericordiae, in quibus est rubor charitatis Dei, & spiritualitas, scil. spiritus per omnes articulos vitam simul & vigorem diffundentis.

Habet autem hæc manus quinque digitos, & quilibet digitus vnguem in custodiā sui: & tres articulos, vt sit flexibilis ad opus. Primus digitus est honor parentum, habens primum articulum ad exhibitionem reuerentia, secundum ad susceptionem disciplinæ, tertium ad ministracionem necessariorum si necesse est: vnguem autem pro-

*D. Alberti Magni Lib. de mul. forti.*

tegentem, habet memoriam laborum quos in nobis parentes sustinuerunt. Secundus digitus est obedientia superiorū, habens tres articulos, quorum primus est nihil habere de propria voluntate ad ea quæ videntur sublimia in hoc mundo: secundus, multum habere de propria voluntate ad humilia: tertium, celeritas non expectans preceptum, sed obediens ad nutum: vnguis protegens & armans totum digitū est carentia proprij sensus. Tertius digitus est humilitas ad omnes, habens & ipse tres articulos inflexionis suæ, quorum primus est reputare se inferiorem maiori: secundus, subdere se pari: tertius, subdere se etiam inferiori: vnguis autem cōseruans est sensus propriæ vacuitatis. Quartus digitus est societas amabilis, habens tres articulos. Primum, idem velle & idem nolle cum amico: secundum, nihil turpe velle pro amico: tertium, bonum pro amico indesinenter operari: vnguis autem digitū hunc custodiens est amor virtutis. Quintus digitus est dilectio inimicorum, habens tres articulos. Primum, dimissionem iniurie: secundum, salutationis exhibitionem: tertium, redditionem boni pro malo: vnguis autem hunc digitum custodiens est memoria iniuriarum quas nos peccando inferimus Deo. Primus horum digitorum magnus est affectu, sed breuissimus: eo quod non extenditur nisi in coniunctos nobis. Secundus autem longior, sed minor. Tertius longissimus: quia ultra omnes se extendit humiliando. Quartus iterum breuior tertio, habens tamen venam corporis in consensu amicorum. Quintus vero minimus affectu, sed tamen longior primo, quia plures sunt inimici quā parentes. De primo dicitur Exo 20. *Honora patrem tuum & matrem tuam, ut sis longanus super terram.* De secundo ad Hebr. 13. *Obedite prepositis vestris & subiacete illis: ipsi enim perniciant quasi rationem reddituri pro animabus vestris.* De tertio ad Philipp. 2. *Nihil per contentionem neque per inanem gloriam, supple, agentes sitis, sed in humilitate superiores vobis inuicem arbitrantur.* Et 1. Petr. 2. *Subiecti esote omni humana creatura propter Deum.* De quarto dicitur in Prou. 27. *Bonis amici consiliis anima dulcoratur: amicum tuum & amicum patris tui ne dimiseris.* De quinto in Euangelio Matth. 5. *Ego dico vobis, diligite inimicos vestros.* Et ad Rom. 12. *Si esurierit inimicus tunc, ciba illum: & si sit, potum da illi.*

Altera manus est custodia sui, & illa operatur mulier circa seipsum, habens ossa vigoris & carnes, refocillationem infirmitatis. Nerui autem ligantes, sunt nerui discretionis: venæ vero, in quibus pulsat spiritus, est continuum dominium rationis super sensualitatem, super quam extenditur pellis modestiæ, vndique modum statuens: quæ coloratur albedine mundæ conscientiæ, cui suffunditur rubor desiderij æternorum, habens quinque digitos cum vnguis & articulis suis.

Primus est custodia sensuum, habens tres articulos, scilicet, ablationem vanitatis ab auribus & oculis, ablationem leccacitatis ab odoratu & gustu, & ablationem resolutæ mollitiei à tactu. Et hunc digitum munit ante vnguis, qui est odium sui. Secundus digitus est exercitium laboris. Tres eius articuli sunt abstinentiæ, vigilie, & orationes. Vnguis autem est ipes remunerationis. Tertijs digitus est contemplatio

futuorum. Tres articuli quibus inflectitur sunt consideratio iustitiae in pœnis, meditatio misericordia præmiantis, & visio deitatis. Habens vnguem totum digitum protegentem, scilicet intellectum Scripturarum. Quartus digitus est agendorum sollicita præmeditatio, habens tres articulos, scilicet, ut videamus in quo & quantum defecimus, & in quo & quantum profecimus, & quid acturi simus. Habens vnguem protegentem, scilicet, prudentiam sagaciter eligentem melius à minus bono. Quintus digitus est illicitorum confessio. Tres eius articuli sunt confessio transgressionis, omissionis, & oriosi. Vnguis autem protegens, confessionis ipsius veritas. Primus digitus magnus est, propter continuam pugnam sensuum: sed brevis, quia circa ea quæ in nobis tantum sunt. Secundus longior est extensus per totam vitam. Tertius longissimus contemplatione diuinitatis. Quartus brevior illo: sed tamen longior illo primo. Et quintus minimus quidem: eo quod custodientibus se solcite pauca inueniantur confessione purganda. De primo dicitur in Psal. 118. *Anerte oculos meos ne videant vanitatem.* Et Iob 31. *Pepigi fædus cum oculis meis, &c.* De secundo dicitur Daniel. 9. *Posui faciem meam ad Dominum Deum meum rogare & deprecari in ieuniis, faccio, & cinere.* Et Psal. 62. *Deus Deus meus, ad te de luce vigilo.* De tertio dicitur Isaïæ 21. *Pone mensam, contemplare in specula comedentes & bibentes.* Mensa ponitur quando mens in æterna veritate reficitur. Specula vero est altitudo intelligentiae contemplationis. Comedentes & bibentes sunt Sancti in pascua fruitionis exultantes. De quarto dicit Apostolus 2. Corinth. 8. *Providemus enim bona non solum coram Deo; sed etiam coram omnibus hominibus.* De quinto Iosue 7. *Fili mi da gloriam Domino Deo Israel, & confitere atque indica mihi quid feceris, & ne abscondas illud.*

Et nota quod neutra istarum manuum sinistra est. Vnde mulier hæc significatur per Aioth, de quo legitur Iudic. 3. quod utraque manu utebatur pro dextera. Et ideo dicitur Cant. 5. *Manus illius tornatiles, aureæ, plena hyacinctis.* Et dicuntur tornatiles propter flexibilitatem ad opera: aureæ vero propter intentionis pietatem: sed plenæ hyacinctis propter radiantiam virtutis secundum distinctionem articulorum.

Sequitur (suarum) In quo notatur quod propriis manibus operata est & non alienis. Et est contra quosdam qui manibus alienis mirabilia operantur: digito autem proprio nolunt mouere sarcinam. Committunt se quidem orationibus Sanctorum, sed indignos se faciunt praus moribus orationibus eorum: sicut Pharaon in Exo. 8. rogauit filios Israel ut orarent pro eo saepius. Et Antiochus 2. Machabæo. 9. de quo dicitur: *Orabat hic scelestus ad Dominum, à quo non esset misericordiam consequenturus.* Illi sunt qui capiunt extrema Sanctorum, sed non principium: sicut Balaam Nume. 23. qui dixit: *Moriatur anima mea morte infororum: & fiant nouissima mea horum similia.*

\*\*



## C A P. V.

## §. I.

Facta est quasi nauis institoris delonge, &c.

¶



E interpretatur vita vel suscep-tio: & debent simul iungi interpretationes istæ ut dicatur suscep-tio vitæ. Et tunc alludit sententia sequenti: quia panis quem de longe portat, vita mulieris est: sicut dicitur

Ioan. 6. Panis verus est qui de cælo descendit, & dat vitam mundo. Item ibidem: *Si quis manducaverit ex hoc pane, vivet in eternum.* Sequitur (Facta est quasi nauis institoris delonge portans panem suum.) Hic notantur tria. Primum, quid nauis. Secundum, cuius nauis. Tertium, ad quem vsum, quia de longe portans panem.

Circa primum est notandum, quod mulier hic assimilatur naui: quia omnia inueniuntur in ipsa moraliter quæ in magna naui esse dicuntur. In naui autem primo sunt ligna quædam fortia quibus tabulæ clavis exterius affiguntur: & habet ante proram, & posterius puppim, & in latere ratem, & in ventre carinam, secundum quod dicitur in versibus:

*Prora prior pars est, nauis altera, tercia puppis,  
Dic latus esse ratem, ventrem dic esse carinam.*

Habet etiam super puppim castrum, cui coniunguntur retro duo gubernacula: unum à dextris, & aliud à sinistris. Et habet sentinam, & apothecam, & deambulatoria, & cameram & mansio-nem nobilium, & castrum: habet etiam malum ante, & malum retro, & artemones duos quibus annexuntur duo vela: & habet similiter rudentes quibus trahuntur artemones cum velis super malum: habet etiam anchoras quibus fistitur & immobilatur quandoque nauis. Et hæc omnia mystice sunt in muliere. Ligna enim quæ quasi fundamentum nauis sunt, sunt vires operandi quas Deus homini dedit in corpore & in anima; sicut quinque sensus exteriores, & potentia loquendi, & ratio, & memoria, & voluntas: quibus lignis affiguntur tabulæ ordinatae conuersationis, per clavos doctrinæ moralis: quia sicut dicitur Ecclæ. vlt. *Verba sapientum sicut stimuli sunt, & quasi clavi in altum defixi, quæ per magistrorum consilium data sunt à pastore uno.* Postea bituminatur intus & exterius bitumine charitatis, intus diligendo Deum, exterius diligendo proximum: sicut dicitur Genes. 6. *Bitumine lineis intrinsecus & ex-trinsecus.* Est etiam vñcta exterius vnguento sua-uisimæ mansuetudinis: ut facilius labatur super vndas huius mundi.

Prora vero est humiliatio quæ oritur ex con sideratione nativitatis in mundum: quia sicut dicit Apostolus 1. ad Timoth. 6. *Nihil intulimus in hunc mundum: hand dubium, quod nec anferre quid possumus.* Et Iob 14. *Homo natus de muliere,*

liere, brevis viuens tempore, repletur multis miseriis: qui quasi flos egreditur, & conteritur, & fugit velut umbra, & nunquam in eodem statu permanet. Vnde etiam pars ista in nauis stricta est: quia multæ sunt confusiones & humiliationes originis nostræ quibus constringitur vita nostra: quod optimæ exprimitur Sapient. 7. vbi sic dicitur: *Sum quidem & ego mortalis homo, similis hominibus, & ex genere terreno illius qui prior factus est* (secundum Adam per quem habemus originale peccatum) & *in ventre matris figuratus sum caro, decem mensum tempore* (per quod intelligitur defectibilitas, quia caro defectibilis pars in nobis est) *coagulatus sum in sanguine, ex semine hominis, & delectamento somni conueniente* (per quod intelligitur feraur libidinis & somnis incendium) *Et ego natus accepi communem aërem* (per quod intelligitur mortalitas & breuitas vitæ: quia scilicet fine respiratione aëris vitam habere non possumus) & *in similiter factam decidi terram* (per quod intelligitur impotentia adiuuandi seipsum) & *primam vocem similem omnibus emisi plorans* (per quod intelligitur luctus miseriae huius mundi) & *in involumentis nutritus sum, & in curis magnis* (per quod intelligitur fomentum infirmitatis nostræ) Et sequitur: *Nemo enim ex regibus habuit aliud nativitatis initium.*

Puppis autem pars ultima est vitæ, scilicet, consideratio mortis etiam stricta ex timore: sicut habetur Eccli. 41. *O mors quam est amara memoria tua homini iniusto, & pacem habenti in substatiis suis: viro quieto, & cuius via directa sunt in omnibus, & adhuc valenti accipere cibum!* Et hoc significatur in Actibus 27. vbi dicitur: *Prora quidem fixa manebat & immobilis: puppis vero soluebatur à vi maris.* Quia cum homo credit habere quasi vitæ principium, tunc finis eius à sexto infirmitatis dissoluitur per mortem. Latus autem quod ratis dicitur, est compago virtutum cardinalium quæ sunt prudentia, temperantia, iustitia, & fortitudo: de quibus habetur Sapient. 8. *Sobrietatem, id est, temperantiam, docet & prudentiam, & instititam, & virtutem, hoc est, fortitudinem: quibus virilius nihil est in vita hominibus.*

Venter autem qui carina dicitur, sunt quatuor affectiones naturales, scilicet, spes, mœror, & gaudium. Sentina vero est purgatio confessionis: apotheca, promptuarium meditationis: camera, secretum conscientiae: castrum desuper, confidentia securitatis: de ambulatorium latus, transitus contemplationis: malum ante habet fidei altitudinem: malum retro intellectum, quia in diuinis intellectus sequitur fidem: artemonem autem habet in fide admirationem veritatis primæ, cui appenditur velut quibusdam ansulis vestigij & imaginis, velum speculi & enigmatis. Per rudentes, auctoritates & reuelationes intelliguntur dicente Augustino, quia quod credimus debemus auctoritati. In malo vero intellectus habet artemonem rationis, cui connectitur velum latæ inquisitionis per ansulas & fibulas studij & lectionis, & attrahitur per rudentes disputationis & doctrinæ. Habet etiam retro duo gubernacula, scilicet, consilij & scientiæ: quorum unum gubernat in profundis, scilicet, consilium: alterum autem in fluctibus communibus, scilicet, scientia quæ secundum Augustinum docet bene conuersari in medio prauæ & peruersæ nationis.

De quibus gubernaculis habetur Proverb. 1. *Audiens sapiens, sapientior erit, & intelligens gubernacula possidebit.* Ista gubernacula vertuntur & reuertuntur clavo discretionis. Vnde Salomon, malum nautam reprehendens Proverb. 23. dicit: *Eris sicut dormiens in medio mari, & quasi sopitus gubernator amissio clavo.* Anchora autem huius nauis est spes, de qua dicitur ad Hebræ. 6. *Fortissimum habeamus solatum, qui confugimus ad tenendam propositam spem, quam sicut anchoram habemus animæ tutam ac firmam, & incedentem usque ad interiora velaminis, hoc est, usque ad secretum velatæ beatitudinis.* Et nota quod in Actibus 27. legitur, quod quatuor anchoras miserunt illi qui nauigabant cum Paulo: per quas intelliguntur quatuor certitudines spei, scilicet, ex gratia, & liberalitate Dei, & ex conscientia proprietorum meritorum, & ex patrocinio passionis Christi, & ex suffragiis Sanctorum: quia his quatuor spes certificatur.

Sequitur (institoris) per quod intelligitur secundum, scilicet, cuius est nauis. Dicit autem Gloss. quod institor dicitur mercator: eo quod vehementer instat siue insistat negotiationi. Et est notandum quod quadruplex est nauis, scilicet, nauis nauigantium, & nauis pugnantium, & nauis pescantium, & nauis institorum. Nauis nauigantium est pœnitentia, in qua transitus fit per mare huius seculi, & de hac habetur Sapient. 14. *Vi non effent vacua sapientia tua opera: propter hoc etiam exiguo ligno credunt homines animas suas, & transeuntes mare per ratem liberati sunt.* Exiguum lignum pœnitentia est humilis crux Christi, cui pœnitentes configurantur. Mare autem est inundatio huius seculi nequam, in qua soli pœnitentes liberantur. De hac naui etiam dicitur Matth. 9. *Ascendens Iesus in nauiculam, transfretauit, & venit in ciuitatem suam.* Hoc autem Domino convenit, non in se, sed in membris attribuitur ei: quia non peccauit, non pœnituit: sed Dominus transfretauit, hoc est, in suis, & venit in cœlestem Ierusalem quæ est ciuitas sua. Et hæc nauis significatur per arcum, in qua Noe qui iustus inuentus est, custoditur ab ira Dei & sui. Sicut dicitur 2. Petri 2. *Deus originali mundo non pepercit, sed octauum Noe iustitiae, id est, pœnitentiae preconem custodiuimus, diluuium mundo impiorum inducens.* Et Sapient. 14. *Ab initio cum perirent superbi gigantes, spes orbis terrarum ad ratem confugiens, remisit seculo semen nativitatis, quæ manu tua erat gubernata.* Benedictum est enim lignum per quod fit iustitia. Superbi gigantes sunt magni peccatores, multum habentes de terreno affectu. Gigas enim dicitur à geon græce quod est terra latine: quia multum habet de terrena substantia. Spes autem orbis terrarum pœnitentes sunt qui relinquunt seculo semen nativitatis spiritualis, quod manu Dei gubernatur in fluctibus tentationum huius mundi: quia sicut dicitur Isa. 1. *Nisi Dominus sabaoth reliquisset nobis semen, quasi Sodoma fuissimus, & quasi Gomorrha similes essemus.*

Nauis pugnantium est patientia in tentationibus & tribulationibus, quas omnes patientur qui volunt pie viuere in Christo: sicut dicit Apostolus 1. Timoth. 3. Et nota quod sunt novem pericula maris, cum quibus oportet pugnare. Primum est piratarum, qui dicunt à pir quod

est ignis, & rate: quia ignem proiectiunt in ratem, & ferunt in rate, & significant dæmones qui in se ferunt ignem inferni & ignem concupiscentiae incendunt in nobis: & de hoc dicitur ad Ephesios ultimo. *Non est nobis collectatio aduersus carnem & sanguinem, supple, tantum: sed aduersus spiritualia nequitia in celestibus*, id est, pro cælestibus aduersus spirituales nequitias diaboli.

Secundum periculum est acroceraminorum incursum. Et dicitur ab acros quod est mons, & ceros quod est cornu, & annis aqua: quia sunt montes cornuti aquarum, in quos quandoque impingit nauis, & frangitur: & significant ambitionem huius seculi quæ demergit nauigantes, sicut dicitur in Psalm. 116. de nauigantibus. *Ascendent usque ad celos, & descendunt usque ad abyssos: anima eorum in malis tabescet.* Usque ad celos ascendunt per ambitionem, & ibi impingunt in montes cornutus, hoc est, in dignitates habentes cornua: & descendunt in profundum inferni, vbi perpetuo tabescet malis anima eorum.

Tertium periculum est caribdis. Est autem caribdis absorptio & hyatus maris naues absorbens: vnde dicitur etiam quasi carinas abdens: & significant avaritiam, per quam absorbetur nauis vita. De ipsis enim intelligitur quod dicitur Exod. 15. quod *descenderunt in profundum quasi lapis.* Et ibidem: *Submersi sunt quasi plumbum in aquis vehementibus.*

Quartum periculum est syrtes. Sunt autem syrtes eleuationes quædam arenarum quibus illa nauis confringitur, & significant iram: quia sicut dicit Salomon Proverb. 27. *Graue est saxum, & onerosa est arena: sed ira stulti utroque grauior.* Et de hoc periculo habetur Actuum 27. vbi dicitur quod nauigantes cum Paulo accingebant nauim, timentes ne in syrtim incident. Accinctio nauis nihil aliud est quam armatio patientiae contra illatas iniurias. Armatur autem per æquanimitatem & sufferentiam mali, & orationem pro inimicis factam: his enim quasi quibusdam cingulis alligatur nauis ne à compage propria dissoluatur per illatas iniurias.

Quintum periculum est symlogadum concursus. Sunt autem symlogades lapides mobiles in mari dicti quasi symplodades, à syn quod est con, & plodo is, quod est plico cas, vel inuoluo. Et significant irrisiones & exprobationes verborum: & contra quas etiam oportet pugnare ne frangant nauim: quia talia patienter debemus sustinere, sicut dicitur in Ps. 68. Improperia improprietum tibi ceciderunt super me. Et 1. ad Chorin. 4. *Visque in hanc horam blasphemamus & obsecramus, tanquam purgamenta huius mundi facti sumus, omnium peripsema usque adhuc.*

Sextum periculum est naturalis æstus maris, ex quo cauatur quidam impetus maris retardans naues à via proposita: & significant carnalem affectum qui retardat spiritum, sicut dicitur ad Galat. 5. *Caro concupiscit aduersus spiritum, & spiritus aduersus carnem.* Hæc enim sibi inuicem aduersantur.

Septimum periculum est scyllæ rapacitas, & dicitur scyllæ scopuli quidam prominentes sub aqua subitus cauerosi, per quorum cauernas fluit & refluxit aqua. Vnde etiam à poëtis dicun-

tur capita canina: vnde etiam dicitur à cilleo cilles quod est moueōr moueris, non quod ipsi scopuli moueantur, sed quia ibi aqua mouetur fluxu & refluxu: & significat inanem gloriam quæ sequitur laudem populi qui mouetur sicut aqua. Et de hoc dicitur Ioan. 5. *Quomodo vos potestis credere qui gloriam ab inuicem recipitis, & gloriam quæ à solo Deo est non queritis?*

Octauum periculum est syrenarum cantus. Sunt autem syrenæ ora virginea habentes cantu suo nautas retrahentes, & retractos periclitari facientes. Et significant voluptates huius seculi, contra quas oportet pugnare nauigantes per mare huius seculi. Et de hoc dicitur Isa. 13. *Syrene in delubris voluptatum.*

Nonum periculum est conflictus beluarum in profundo, & significant pressuram quam patiuntur Sancti in hoc seculo à malis hominibus, sicut dicitur in Psal. 103. *Hoc mare magnum & spatiōsum manibus: illic reptilia quorum non est numerus: animalia pusilla cum magnis: illic naues pertransibunt.*

Et nota, quod hæc omnia pericula sunt in aqua. Tria alia pericula sunt quæ non sunt in aqua, sed duo in aëre, & tertium in portu. In aëre est ventus typhonius, id est, inflatiuus maris, & significant impetum superbiae, qui inflat mare, hoc est inquietudinem cordis impij: quia sicut dicitur Isa. 57. *Impij quasi mare feniens, quod quiescere non potest, & redundant fluctus eius in conculationem & lutum.* Non est pax impiis, dicit Dominus. Et de hoc periculo dicitur Actu. 27. *Misit se contra nauim ventus typhonius qui vocatur euroaquilo. Cumque arrepta esset nauis & non posset conari in ventum, dara naue, id est, dimissa, flatibus ferebamur.* Euroaquilo ventus mixtus est. Aquilo enim est ventus frigidus & siccus impetuosis valde, veniens de iuxta Septentrionem. Vnde dicitur Eccli. 43. *Frigidus ventus fluit, & gelavit crystallus ab aqua.* Euro autem est ventus calidus & siccus qui nascitur iuxta subsolanum proxime declinans aliquantulum ad Meridiem. Vnde euroaquilo ventus mixtus est, & significant superbiam, ut dictum est, quæ frigida est per impietatem, & sicca per crudelitatem, & typhonica siue inflatiua per fastum dominandi, & calida per ambitionem: & inde fertur flatibus quasi contrariis & impedit nauem bonæ vitæ, ut dictum est.

Aliud periculum aëris est, nullum penitus habere ventum, & significant pigritiam, quæ semper est immobilis: de qua dicit Salomon Prover. 24. *Visquequo piger dormies? usquequo de somno confuges? parum inquam dormies, modicum dormitabis pauxillum manus conseres, ut quiescas: & veniet tibi quasi tempestas inopia, & mendicitas quasi vir armatus.*

Periculum autem in portu est locus dithalassii portus bissidus, vbi scilicet scissura quædam maris est per linguam terræ in mare pertensa. Et hoc est periculum fraudis & doli, in quod impingit homo quando creditur esse securus. Et hoc est quod dicitur Act. 27. Cum incidissemus in locum dithalassum, impegerunt nauem, & prora quidem fixa manebat immobilis: puppis vero soluebatur à vi maris. Quia scilicet frons blanditur ad faciem, sed amaritudine doli puppim, id est, incircumspecta nostra, quæ retro sunt, dissoluta

dissoluit & confringit. Contra omnia hæc pericula fortissima nauem patientia oportet esse armatam & munitam: quia sicut dicitur in Ps. 106. *Qui descendunt mare in nauibus, facientes operationem in aquis multis: ipsi viderunt opera Domini & mirabilia eius in profundo.* Et Eccli. 43. *Qui nauigant mare, enarrant pericula eius: & audientes auribus nostris admirabimur.* Euadendi autem omnia pericula hæc non est possibilitas nisi per instantiam orationis ad Dominum: ut scilicet excitetur Dominus à somno dissimulationis adiutorij. Et hoc signatur Matth. 8. vbi dicitur quod ascende Iesu in nauiculum cum Discipulis suis factus est motus magnus in mari: ita ut nauicula operaretur fluctibus, ipse vero dormiebat: & accesserunt ad eum Discipuli eius, dicentes: Domine salua nos perimus. Tunc surgens imperauit ventis & mari: & facta est tranquillitas magna.

Sequitur de naui pescantium: & hæc est huius seculi nauis. Rete autem cum quo pescatur, est verbum Dei, quod quandoque mittitur à sinistris nauis, scilicet quando in cura pastorali & verbo Dei intenditur lucrum huius mundi. Et hoc significatur ultimo Ioan. vbi dicitur de Petro & aliis discipulis quod ascenderunt in nauim pescari, & illa nocte nihil prendiderunt. Nihil, id est, temporale lucrum, quod nihil est, & minus quam nihil: quia peccatum est. Et de hoc dicit Apostolus 1. ad Corinth. 9. *Quæ est ergo merces mea ut Euangeliū predicans sine sumptu ponam.* Euangeliū, id est, gratis prædicem, ut non abutar potestate mea in Euangeliō: quia ita præceperat Christus dicens Matth. 10. *Gratis accepisti, gratis date.* Quidam etiam mittunt in dextera, sicut Christus præcepit Ioan. ultimo. *Mittite in dexteram nauigij rete: & inuenietis.* Et sunt illi qui querunt animas & non lucra. Et tales pescatores fecit Dominus Discipulos suos: sicut legitur Matth. 4. *Venite post me, & faciam vos fieri pescatores hominum.*

Sequitur de naui institoris: & hac est nauis negotiationis. Est autem duplex negotiatio, scilicet, temporalium, & spiritualium: & secundum hoc est duplex nauis, una transitorum, altera æternorum. De primo dicitur Sapient. 5. *Quid nobis profuit superbia? aut quid iactantia dinitiarum contulit nobis?* Transferunt omnia hæc tanquam umbras, & tanquam nuntius præcurrrens, & tanquam nauis que pertransit fluctuantem aquam, cuius cum præterierit non est vestigium inuenire, nec semitam carinæ illius in fluctibus. De naue negotiationis spiritualium habetur Genef. 49. *Zabulon in littore maris habitabit, & in statione narium perringens usque ad Sidonem.* Zabulon interpretatur habitaculum fortitudinis, & significat fortem mulierem, de qua iam dictum est. Mare autem est fluens instabilitas & amaritudo huius seculi. Litus autem huius maris est stabilimentum gratiæ Dei, in quo littore habitant Sancti in statione nauium, hoc est, in negotiacione spiritualium. Perringens usque ad Sidonem, quod interpretatur venatio: quia in amaritudinibus huius seculi per patientiam aternas diuitias mercantur: sicut dicitur Deut. 33. *Inundationem maris quasi lac fugent, thezauros absconditos arenarum.* Qui autem sint hi thezauri describitur 3. Regum 10. vbi dicitur quod classis Salomonis per mare cum classe Hiram, semel per tres annos ibat in Thar-

sis, deferens inde aurum & argentum, & dentes elephantorum & simias & pauos. Salomon pacificus mulierem istam significat. Hiram autem interpretatur oliua Domini, & significat Christum cum cuius nauis videntur nauis mulieris huius: quia negotiatio eius est similis negotiacioni Christi. Tharsis vero interpretatur exploratio gaudij: quia tales iam primitias Spiritus accipientes experiuntur gaudia æterna. Videntur nauis ista semel per tres annos: annus enim unus una perfecta reuelatio solis est: quia sol iustitiae Christus Deus noster tripliciter mulierem istam illuminat, scilicet, ad agendorum prouidentiam, & ad veritatis Scripturæ intelligentiam, & ad contemplationem æternitatis, secundum quod dicitur Eccli. 43. *Tripliciter sol exurit montes,* id est, excelsos in vita, radios in eos exufflans igneos. Aurum autem quod deportatur significat charitatem. Argentum vero scientiam de Scriptura. Dentes elephantorum, castitatem mentis & corporis quibus mordetur concupiscentia carnis. Simia autem imitationem sanctorum exemplorum, eo quod simia, non omne animal, sed hominem imitetur, qui discretius & rationabilius agit inter animalia. Pauis autem signant specula sanctorum virtutum. Sed notabile est, ut habetur 3. Reg. 22. quod etiam rex Iosaphat fecit classes quæ nauigarent in Ophir & Tharsis propter aurum: & non poterant ire, quia contractæ sunt in Aſiongaber. Iosaphat enim, qui interpretatur iudicium Domini, significat eos qui volunt hic gloriari in mundo, & in futuro regnare cum Christo. Vnde etiam Aſiongaber interpretatur vinculum: quia tales vinculo amoris huius mundi ad hoc constricti sunt. Vnde etiam legitur Paralip. 20. de Iosaphat quod participationem habuit in factura huius classis cum Ochosia rege Samariae, cuius opera impiaissima erant. Samaria enim mundum hunc significat pro cuius nimio amore etiam confringuntur opera quæ æternam remunerationem videbantur negotiari. Et hoc est quod Eliezer propheta dixit ad Iosaphat 2. Paralip. 20. *Quia habuisti fidus cum Ochozia, percussit Dominus opera tua, contritaque sunt naues, nec potuerunt ire in Tharsis.*

## §. II.

**S** Equitur.  
De longe portans panem suum.

Notandum autem primo est, quod quadruplex est longe, scilicet, secundum profundum, secundum altum, secundum latum, & secundum longum. Longe secundum profundum est infernum, in quod longe negotiatur mulier per timorem. Longe secundum altum est æternum regnum, in quod negotiatur per charitatem. Longe secundum latum est inquisitio intellectus, qui etiam latitudinis terminos huius mundi excedit: ad quod negotiatur per studium Scripturarum. Longe vero secundum longum est distantia à Deo, qui est principium omnium creaturarum usque ad hominem, qui finis est omnis creaturæ: ad hoc negotiatur mulier ista per fidem & spem redemptionis, quæ facta est per mediatorem Dei & hominum, hominem Christum Iesum, ut dicit

Apostolus

Apostolus 1. Timoth. 2. De hoc quadruplici longe dicitur ad Ephes. 3. *Det vobis Deus secundum diuitias gloria sua, virtutem corroborari per Spiritum eius, in interiori homine: Christum habitare per fidem in cordibus vestris, in charitate radicati & fundati, ut possitis comprehendere cum omnibus Sanctis, qua sit latitudo, & longitudo, & sublimitas, & profundum.* Istud etiam quadruplex longe significatur per quatuor brachia crucis.


Similiter est quadruplex panis quem mulier ista reportat de quadruplici longe. De primo enim reportat panem compunctionis, de quo legitur in Psal. 79. *Cibabis nos pane lacrymarum, & potum dabis nobis in lacrymis in mensura.* Et 3. Reg. 22. *Mitrite virum istum in carcerem, & sustentate eum pane tribulationis & aqua angustie.* Carcer est custodia Ecclesiæ firmata super pœnitentem. Panis tribulationis est panis compunctionis. Aqua angustiæ, aqua lacrymarum. Et hoc significatum est 3. Reg. 19. vbi legitur, quod Elias fugiens Iezabel obdormiuit subter vnam iuniperum, & Angelus Domini excitans eum dixit: *Surge, comedere: & inuenit ad caput suum subcineritum panem, & vas aquæ: de quo comedit & biberit, & rursum obdormiuit.* Et iterum Angelus Domini excitauit eum ut comedaret & biberet: quia grandis ei via restaret: quod cum fecisset, ambulauit in fortitudine cibi illius quatuor diebus, & quatuor noctibus usque ad montem Dei Horeb. Elias robustus dominator interpretatur, & significat pœnitentem qui dominatur sibi. Iezabel interpretatur sterquilinium, & significat peccatum & infernum: quæ fugit pœnitens. Vmbra iuniperi protectionem & refrigerium clauium Ecclesiæ significat, sub quo dormit pœnitens quando quiescit ab opere malo. Angelus excitans est gratia præueniens remittens peccatum, & stimulans ad esum panis compunctionis, & ad potum lacrymarum: eo quod grandis restet via usq; ad mortem. Dicitur autem subcineritum propter arma pœnitentium quæ secundum Augustinum, sunt cinis & cilicum. Rursus autem obdormiuit: quia post compunctionem à strepitu terreni amoris quiescit. Sed Angelus eum rursus excitat, quando gratia subsequens pœnitentem ad sustinendas tentationes pulsat. Iterum autem comedere, est prius compunctum pro peccato, rursus pro temptatione compungi: eo quod grandis restet via ab inquietudine huius vitæ temptationum ad securitatem tranquillitatis æternæ vitæ. Ambulat autem in fortitudine cibi illius per profectum boni operis quadraginta diebus, hoc est, per tempus totum vitæ huius, quod pœnitentia deputatur: quia quadragenarius numerus pœnitentiam significat, eo quod in partibus suis surgat usque ad quinquagesimum iubileum. Nume. 36. per quem significatur gaudium æternum. Mons autem Dei Horeb, qui incendium interpretatur, significat altitudinem spiritus in incendio charitatis.

De secundo longe reportat panem consolationis æternorum: de quo dicitur Genes. 49. *Aser pinguis panis eius, & præbebit delicias regibus.* Aser beatus interpretatur, & significat eos qui iam spe & gustu æternorum beati sunt, quorum panis consolationis apud reges, qui regunt scipios, delicatus est. De hoc etiam dicitur Isa. 21. *Qui habitat terram Austriae, cum panibus occurrit fū-*

*gienti. A facie enim gladiorum fugerunt, à facie gladij imminentis, à facie arcus extenti, à facie grauis prælij.* Terra Austria regio venientis luminis & caloris est, & significat cælestem patriam. Habitantes eam sunt beati qui occurunt nobis suffragiis & illuminatione, ferentes panem consolationis fugientibus à facie gladiorum, hoc est, tentatione dæmonum: à facie gladij imminentis, hoc est, tentatione carnis, quæ semper imminet nobis: & à facie arcus extenti, hoc est, à tentatione diaboli, qui de occulto iaculans vulnerat nos. Graue autem prælium est prælium mundi in vanitatibus & spectaculis suis.

De tertio longe negotiatur panem vitæ & intellectus: de quo dicitur Eccl. 15. *Cibabit eum panis vita & intellectus, & aqua sapientiae salutaris potabit illum.* Et Amos 8. *Ecce dies venient, dicit Dominus: & mittam famem in terram: non famem panis neque siti aquæ, sed audiendi verbum Dei.*

De quarto longe portat panem sacramenti, scilicet, corpus Domini: de quo dicitur Ioan. 6. *Ego sum panis viuus qui de celo descendit.* Et Sapient. 16. *Angelorum esca nutriviisti populum tuum, & paratum panem de celo præstisti illis sine labore, omne delectamentum in se habentem, & omnis saporis suavitatem. Substantiam enim tuam & dulcedinem tuam, quam in filios habes, ostendebas: & voluntati uniuscuiusque eorum deseruens, ad quod quisq; volebat conuertebatur.* Per quod intelligitur Eucharistia, quæ continendo Christum continet authoritatem omnis gratiæ & saporem: quem panem nobis Deus ex substantiali bonitate dulcedinis suæ dedit omnibus nobis deseruiens: cum omnes inueniamus in ipso quod querimus.



## C A P. VI.

### §. I.

1

De nocte surrexit deditque prædam domesticis suis, &c.



*A V* interpretatur hæc, vel ista, quorum utrumque demonstratiuum est. Et notatur per hoc in muliere aliquid eidens quod est ad laudem eius. Et hoc exprimitur in versu sequenti, in quo notantur tria, scilicet, mulieris surrectio, & præda, & distinctio prædæ. In primo tria notanda sunt, scilicet, à quo, quando, & in quid surgendum sit. Primum notatur in hoc quod dicitur: *de nocte,* secundum quod nox metaphorice accipitur. Secundum notatur in eodem secundum quod accipitur literaliter. Tertium notatur in verbo, *surrexit.* Est autem triple nox metaphorice de qua surgendum est, scilicet, nox peccati, nox temptationum, & nox ignorantiae vel obscuræ cognitio- nis. De prima nocte dicitur Sapient. 17. *Dum putant se latere in obscuris peccatis: tenebroso obliuio- ni velamento dispersi sunt pauentes horrende,*

¶ cua

¶ cum admiratione nimia perturbati. Omne peccatum obscurum est, sed præcipue peccatum libidinis agitur in obscuris: propter quod etiam obliuiscitur hominum Deus, & perturbat eos penitus admirabilibus. De eodem habetur ibidem infra. *Ignis nulla vis poterat eis lumen præbere, nec siderum limpida flammæ illuminare poterant noctem illam horrendam.* Per ignem significatur gratia Dei: quia sicut dicitur ad Hebræ. 13. *Deus noster ignis consumens est.* Per limpidissimas flammæ siderum significantur exempla Sanctorum qui non illuminant noctem, præcipue in illis qui semper appetunt in nocte remanere. Item Job 3. *Sit nox illa solitaria, nec laude digna, id est, peccatum peccato non addatur, nec laus in peccato queratur.* De nocte temptationis dicitur Job 30. *Nocte os menum perforatur doloribus: & qui me comedunt, non dormiunt.* Per os robur virtutis significatur, quod perforatur in temptatione. Per comedentes autem dæmones incendentes temptationes. Item in Psal. 118. Memor fui nocte nominis tui Domine. De tertia nocte habetur Ioan. 6. *Qui ambulat in nocte, offendit: quia lux non est in eo, hoc est, in ignorantiae tenebris.* Item Tobia 5. *Quale gaudium mihi erit qui in tenebris sedeo & lumen celi non video?* hoc est, lumen scientiae veritatis Dei, de quo dicitur in Psal. 118. *Lucerna pedibus meis verbum tuum, & lumen semitis meis.*

Sequitur quando surgendum est, quia de nocte, ad literam, ad laudem Dei: sicut dicitur in Psal. 133. *In noctibus extollite manus vestras in sancta, & benedicite Domino.* Item alibi. *Media nocte surgebam ad confitendum tibi.* Et hoc significatur in Resurrectione Domini qui secundum Gregorium nocte surrexit: sicut habetur Iudicium 16. quod Samson fortissimus media nocte consurgens apprehendit ambas portæ fores cum postibus suis & sera: impositisque humeris portauit ad verticem montis qui respicit Hebron. Samson sol fortis interpretatur, & significat Christum qui dormiuit in morte in Gala, quæ interpretatur robusta, & significat limbum inferni, in quo fuit anima Christi. Vtrumque autem ostium significat duas munitiones inferni, scilicet, fraudulentiam dæmonis, & impotentiam hominis. Postes autem horum ostiorum in yna parte fuit inuidia diaboli, per quam introiuit mors in orbem terrarum: vt dicitur Sapientia 2. Et in altera parte superbia hominis, per quam voluit esse sicut Deus sciens bonum & malum. Secunda autem concludens totum erat reatus originalis peccati. Quæ omnia portauit Christus in eminentiam beatæ Resurrectionis ad visionem sempiternam: quia Hebron visio sempiterna interpretatur. De hac etiam nocte dicitur in Psal. 138. *Nox sicut dies illuminabitur, & nox illuminatio mea in deliciis meis.*

Sequitur, In quid surgendum sit. Et sunt duo, scilicet, opera excella, & sapor cœlestium: quorum vtrumque notatur ad Coloss. 3. *Si confurrexi st̄sum Christo, que sursum sunt querite,* scilicet in operibus virtutum, vt dicit Gloss. ibidem *que sursum sunt sapite,* scilicet, in sapore cœlestium, non quæ super terram. Sed nota, quod quidam resurgent cum Christo, & quidam resurgent cum Lazaro. Cum Lazaro resurgent qui iterum moriuntur per peccatum. Cum Christo resurgent qui perseverant in bono: sicut dicitur ad Rom. 6.

*Christus resurgens ex mortuis iam non moritur: mors illi ultra non dominabitur: quod enim mortuus est, peccato mortuus est semel: quod autem vivit, vivit Deo. Ita & vos existimate, vos quidem mortuos esse peccato: viuentes autem Deo in Christo Iesu,*

## §. II.

**S**equitur de præda huius mulieris, quæ notatur per hoc quod dicit (*Dedit predam domesticis suis*) Triplex est enim præda quam mulier tribus domesticis suis dat, scilicet, præda inferni quam dat Angelis, præda mundi quam dat proximis, & præda carnis quam dat Sanctis. Prædam inferni dat per Christum, qui fregit infernum: sicut dicitur Isa. 8. *Voca nomen eius, hoc est, Christi. Acceler a spolia detrahe, festina prædari: quia antequam sciat puer vocare patrem suum & matrem suam, auferetur fortitudo Damasci, & spolia Samaria coram rege Assyriorum.* Hoc est dicere: Antequam Christus ostendat se scire vocare nomen Patris & matris quantum ad causam Incarnationis, detrahuntur spolia inferni quæ custodita fuerunt à diabolo: quia Samaria custodia interpretatur: Damascus autem potus sanguinis interpretatur, & significat dæmones qui bibunt peccatum. Vnde coram rege Assyriorum, hoc est, coram diabolo detracta sunt spolia Samariæ, quando confracta sunt inferna: sicut promiserat Dominus Sanctis Isa. 49. *Nunquid tolletur à fortis præda? aut quod captum fuerit à robusto, saluum esse poterit? quia hec dicit Dominus. Evidem & captiuitas à fortis tolletur, & quod ablatum fuerit à robusto saluabitur.* Ista præda data est domesticis qui sunt Angeli: quia illi habitant nobiscum in eadem domo cœli: sicut dicitur in Euangilio Ioan. 14. *In domo Patris mei mansiones multæ sunt.* Et ad Ephes. 2. *Iam non estis hospites & aduena, sed estis ciues Sanctorum & domestici Dei,* hoc est, in domo Dei cum Angelis habitantes.

Præda quam aufert à mundo, animæ sunt quæ cōuertit. Et hoc significatur Genes. 14. vbi Abraham percussit quinque reges, & reduxit captiuos & Lot. Per quinque reges significantur quinque sensus qui occiduntur in vita concupiscentiæ, Lot etiam interpretatur declinans, & significat eos qui declinauerunt in peccatum: & isti reducuntur per conuersationem. Hoc idem significatur 1. Reg. 30. per eos quos reduxit David à captiuitate Amalec. Et similiter 1. Reg. 18. Per centum scilicet præputia Philistinorum quæ numeravit David regi vt esset gener regis. Præputium enim superfluitates significat, quæ amputantur gladio spiritus (quod est verbum Dei) Hebr. 4. Filia autem regis cœlestis Ecclesia est, quæ de sponsatur Doctoribus & Prædicatoribus per conuersationem animarum. Ista præda datur proximis qui domestici nostri sunt, hoc est, in æde conuersationis nobiscum habitantes, vt dicitur 1. Timoth. 5. *Siquis autem suorum & maxime domesticorum curam non habet, fidem negavit, & est infideli deterior.* Hæc domus, in qua habitamus cum proximo, significatur per stabulum in quod Samaritanus introduxit semiuium vt habetur Luc. 10.


Tertia

Tertia præda aufertur à carne, de qua dicitur Isa. 9. *Omnis violenta prædatio cum tumultu.* Quia scilicet cum tumultu remurmurationis carnis opertet à corpore auferri prædam castitatis. Et ideo sequitur etiam *Vestimentum mixtum sanguine*, hoc est, corpus mixtum peccato, erit in combustionem & cibis ignis. Item Job 19. *Conterebam molas iniqui, & de dentibus illius amferebam prædam.* Iniquus est concupiscentia habens duas molas, scilicet, gulam & luxuriam: quæ conteruntur per carnis mortificationem: & aufertur ab eis præda castitatis. Hæc præda assignatur Sanctis quasi domesticis, ut habetur Eccli. 32. *Ne ponas animæ tuae scandalum, & a filiis tuis caue, & a domesticis tuis attende.* Scandalum suæ anime quis facit per luxuriam, sed à filiis suis cauet his quorum curam suscepit; & attendit à domesticis, quando Sanctis in eadem domo sanctitatis secum manentibus bonum exemplum dat, præcipue in castitate: quia sicut dicit Gregor. *Peccata carnalia maioris sunt infamie quam spiritualia.* De hoc habetur etiam ad Galat. 6. *Dum tempus habemus, operemur bonum ad omnes, maxime autem ad domesticos fidei.*

Sequitur (*Et cibaria ancillis suis*) Sunt cibaria virtutum, cibaria doctrinæ, cibaria sacramenti, cibaria contemplationis, & cibaria æternæ beatitudinis. De cibariis virtutum habetur Isa. 4. *Apprehendent septem mulieres virum unum in die illa, dicentes: Panem nostrum comedemus, & vestimentis nostris operiemur: tantummodo inuocetur nomen tuum super nos: aufer opprobrium nostrum.* Ibi dicit Glosa, quod septem mulieres sunt septem virtutes, & panis earum refectio gratiae est, de quo dicitur in Psal. 103. *Panis cor hominis confirmat.* Vestimenta autem sunt opera, vir ratio, opprobrium sterilitas meritorum, ablatio opprobrij eorundem fœcunditas. De secundo dicitur 1. Corinth. 5. *Tanquam parvulus lac vobis potum dedi, non escam*, hoc est, doctrinam de rudimentis fidei, & humanitate Salvatoris: ut habetur Deut. 8. *Non in solo pane vivit homo, sed in omni verbo quod egreditur de ore Domini.* Et ad Hebr. 5. *Facti estis quibus lacte opus sit, & non solido cibo.* Omnis enim qui laetis est particeps, expers est sermonis iustitiae: parvulus enim est: perfectorum autem est solidus cibus, eorum qui pro ipsa consuetudine exercitatos habent sensus ad discretionem boni ac mali. De tertio habetur 1. Cor. 10. *Panis quem frangimus, nonne participatio corporis Domini est? & calix benedictionis cui benedicimus, nonne communicatio sanguinis Christi est?* Et 1. Corinth. 5. *Pascha nostrum immolatus est Christus.* Itaque epulemur non in fermento veteri neque in fermento malitia & nequitia, sed in azymis sinceritatis & veritatis. De quarto habetur Prover. 9. *Venite, comedite panem meum, & bibite vinum quod miscui vobis.* Panis est efficacia substancialis bonitatis Dei. Vinum autem est liquor liquidus & æternæ veritatis, mixtum aqua sapientiae salutaris. Item Cantic. 5. *Comedite amici, & bibite, & inebriamini charissimi.* Amici comedunt & bibunt in contemplatione, sed inebriantur in excessu mentis. De quinto habet Luc. 22. *Ego dispono vobis sicut disposuit mihi Pater meus regnum: ut edatis & bibatis super mensam meam in regno meo.*

Primum conuiuum est conuiuum filiorum, ut dicitur Job 1. Et dies illius conuiuij transeun-

in orbem: quia quælibet virtus in altera reficitur & iucundatur. Secundum est conuiuum filiorum Iacob, qui cum Ioseph fratre comedent in meridie Genes. 43. hoc est, in plena luce doctrinæ Christi: & inebriatur coram eis Christus, quia quod illi percipiunt in prouerbii de doctrina veritatis, hoc Christus æterna generatione abunde recepit à Patre. Ebrietas enim ibi non vitium, sed abundantiam sonat. Tertium conuiuum est cena Apostolorum cum Iesu ante passionem Matth. 26. Quartum autem est conuiuum festiuantium & epulantium coram Domino per tria tempora anni, scilicet, Pascha, Pentecosten, & scenopégiam, hoc est, per tres considerations contemplantium. Considerant enim gloriam Resurrectionis, & opus redemptionis in Pascha. In Pentecoste vero virtutem sancti Spiritus quo sancti induuntur ex alto, & ebrietatem amoris quod qui omnibus linguis loquuntur, scilicet, linguis hominum, & Angelorum, memoriam abundantiae suavitatis Dei eructantes & in iustitia eius exultantes. Quintum est conuiuum regis Assueri cum principibus suis, qui interpretatur beatus, & significat Deum quando principes, id est, sancti populorum congregati erunt cum Deo Abraham in sinu suo, hoc est, in requie ubi non erit qui nolentes cogat ad bibendum, sicut modo pigritia & fastidium generatum in nobis facit, quod non sapit nobis vim beatitudinis æternæ: & ideo ipsi sunt nos nunc inuitantes & cogentes nos exemplis & verbis, & prouocantes ne inedia consumamur. Tunc autem complebitur desiderium nostrum, quando de torrente voluptatis Dei bibemus: ita ut nemo ibi cogat fratrem qui auditus erit haurire quantumcumque fons vitae & beatitudinis dignabitur.



## C A P. VII.

### §. I.

Considerauit agrum & emit illum, & de fructu manuum suarum plantauit vineam.



Vo hic considerantur, scilicet, interpretatio literæ prescriptæ, & sententia versiculi. *ZAI* autem interpretatur oliua, & competit versiculo epigramma huius literæ, quia versus est de fructu manuum pingui & uberrimo: sicut oliua fructus affert. Vnde Psal. 51. *Ego autem sicut oliua fructifera in domo Dei mei semper, in misericordia Dei in aeternum & in seculum seculi.* Dicitur autem mulier hæc oliua propter tria. Vnum est natura oliuae. Secundum est utilitas eiusdem. Tertium autem signumoliuae. In primo, hoc est, in natura oliuae nota tria. Primum est, quod hac arbor discretionem sexus in se habet, quando est fructifera. Secundum autem est, quod stat virentibus foliis hyeme & æstate. Tertium autem, quod fructum fert cum ossibus.

Primum

Primum est à calido in partibus quibusdam quod est faciens fructificationem, & humido in quibusdam quod est ministrans materiam. Calor est charitatis feroe: humor autem est pietas: sine quibus homo non est oliua, sed oleaster, frigore auaritiae, & humore voluptatis infecundus. De hoc dicitur Rom.ii. *Tu autem cum oleaster es, insertus es in bonam oliuam, & socius radicis oliue & pinguedinis factus es.* Homo enim est oleaster per peccatum originale & actuale: sed inseritur in bonam oliuam per gratiam, & fit socius radicis charitatis, quia charitas radix est omnium bonorum, & pinguedinis pietatis bonorum operum.

Secundum autem, scilicet, quod stat virentibus foliis, significat hoc quod dicitur ad Ephe.4. quod *omnis sermo malus ex ore huius mulieris non procedit, sed si quis bonus est ad adificationem fidei ut det gratiam audientibus.* Stat autem in hyeme & aestate: quia nec in prosperis, nec in aduersis stultum aliquid contra Denm loquitur mulier ista fortis. Et de hoc habetur Gen.8.vbi columba attulit ramum oliue virentibus foliis in arcum. Columba est columbina, hoc est, innocens vita. Ramus oliue in ore, verbum pacis in loquitione. Arca autem est Ecclesia. Et nota quod arbores lati & tenuis folij fluunt folio, ut dicit Philosop.2. posterior. quæ significant linguam magniloquam, & labia dolosa quæ in detractione, & mendacio & otio aduersis iustum loquuntur iniquitatem in superbia, & in abusione. Vnde & tenui est folium: quia non est meditatione sapientie inspissatum, ut pondus habeat. Item nota, quod ut dicit Philosophus, quod inspissat succum in contactu folij facit fluere folia. Inspissatur autem succus à frigore. Succus vero significat resolutionem voluptatis in gula, & luxuria. Frigus autem est desiderium torpens ad diuina: & illud est frigus quod inspissat voluptratem, & abundare facit in concupiscentia carnis. Et in illis etiam duobus vitiis maxime consueverunt abundare inutilia & fluentia verba. Et ideo diues epulo secundum Luc.16. acerbius punitur in lingua. Quia ut dicit Gregor. Inutilis loquacitas abundare consuevit in mensis, & similiter luxuria. Et ideo Proverb.7. dicitur, quod mulier vaga & garrula est, & quod iuuem recordem irretiuit multis sermonibus. Econtra autem dicitur de iusto in Psal. 1. quod *folium eius non defluet, & omnia quecumque faciet semper proferabuntur.*

Tertium autem quod scilicet fructum fert cum offibus, significat quod in opere mulieris huius est robur meriti, quod valet ad aeternum regnum: liquorem enim pietatis vndique circumfusum, supple, exterius, exhibet proximo: interius autem conscientia secura roboratur in merito aeternorum, de quo habetur Osee 14. *Erit quasi oliua gloria eius.* Econtra est de his qui omnia faciunt ut videantur ab hominibus, & amittunt robur meriti & gloriam pro fauore temporali: de quo in epistola Icre. *Mulieres circumdata funibus inviis sedent, succidentes ossa oliuarum.* Cum autem aliqua ex ipsis abstracta cum aliquo transeunte dormierit, proxima sua exprobrat quod ea non sit digna habita sicut ipsa, neque funis eius diruptus sit. Mulier resoluta inani gloria est anima. Funibus autem obseruationum & praceptorum Dei est

*D. Alberti Magni Lib.de mul. forti.*

exterius, & non interius circumdata: quia amant in plateis stantes orare, & cum faciunt elemosynas, tuba canunt ante se: sicut habetur Matth.6. Et sedet in via in prospectu populi succedens ossa oliuarum: qui aquicquid in operibus talium laboris & meriti esse deberet, totum flamma adulatioonis incenditur & concrematur. Vnde cum transeuntibus luxuriari dicitur: quia quando audit laudem propriam, amplius extollendo se despicit alium quod non dignus præmio laudis videatur ut ipse: sicut dicit Phariseus Lucæ 28. *Gratias tibi ago Domine, quia non sum sicut ceteri hominum, raptore, iniusti, adulteri, velut etiam hic publicanus.* Rumpitur autem funis, quando opus & institutio specialis præcepti ab aeternis ad quæ ligare deberet, distrahitur ad fauorem laudis.

Sequitur de secundo quid sit oliue utilitas: & hic est usus olei quo dij vtuntur & homines, ut dicitur Iudicum 9. Dij autem secundum hebraici idiomatis proprietatem sunt diuinæ personaæ quæ usæ sunt oleo misericordiæ ad nos. Et similiter homines vtuntur: quia sunt misericordes sicut & Pater eorum cælestis misericors est, ut dicitur Luc.6. Usus autem huius olei exhibuit nobis Dominus præcipue in quatuor, scilicet, in misericordia redēptionis, & in concessionē veniæ delictorum, & in castigationē correctionis, & ultimo in acceptatione nostri seruitij. De primo intelligitur illud in Canti. 1. *Oleum effusum nomen tuum.* Quia scilicet misericordia redēptionis eorum in omnes est demonstrata. Vnde in Psal.129. *Apud Dominum misericordia, & copiosa apud eum redēptio.*

De secundo intelligitur hoc quod habetur Luc.10. quod Samaritanus, custos animæ nostræ, appropinquauit vulnerato, alligans vinculis præceptorum vulnera, infundens oleum misericordiæ in concessionē veniæ, & vinum compunctionis, & duxit in stabulum religionis & bonæ vitæ, proferens duos denarios charitatis Dei & proximi, vel doctrinæ duorum testamentorum, & dans stabulario, id est, plebano, vel prælato, ut curam eius ageret in admonitione continua.

De tertio dicitur in Psal. 88. *Si iusticias meas prophanauerint, & mandata mea non custodierint: visitabo in virga iniquitates eorum & in verberibus peccata eorum: misericordiam autem meam non auferam ab eis.* 2. Mach.6. *Non multo tempore sinere peccatores ex sententia agere, sed statim ultionem exhibere, extremi beneficij est indicium.* Psal. 117. *Castigans castigauit me Dominus, & morti non tradidit me.* Quasi diceret: Per castigationem euasi mortem. Job 5. *Ipse vulnerat, & medetur: percutit, & manus eius sanabunt.* Vnde de Dauid dicitur: *Inueni Danid serum meum, oleo sancto meo,* id est, virga misericordiæ unxi eum.

De quarto dicitur ad Titum 3. *Non ex operibus iustitia que fecimus nos, sed secundum suam misericordiam saluos nos fecit.* Omnes enim iustitia nostræ sunt sicut pannæ menstruæ Isa. 64. Et ideo misericordia Domini magna est, si quid est acceptum, supple, in nostro opere.

Similiter autem & homines vtuntur oleo misericordiæ in quatuordecim effectibus, vel partibus istius virtutis: quorum

C Septem

Septem sunt corporales, scilicet.	Cibare esurientem, Potare sitientem, Vestire nudos, Colligere peregrinos & hospites, Visitare infirmos, Venire ad captiuos redimendo eos vel alleuiando eis captiuitatem.
-----------------------------------	--

Et de istis sex simul habetur Matth. 25. quod requirit ea Dominus ab his qui erunt in iudicio iudicadis sue ad mortem siue ad vitam. Septimum autem est sepelire mortuos, quod laudatur in Tobia ab Angelo Tobiae 12. Et de his habetur versus:

*Visito, poto, cibo, redimo, rego, colligo, condio.*

Alij sunt

Septem effectus misericordia spirituales, scilicet,	Consulere ei qui non habet consilium, Castigare delinquentem, Remittere in nos peccanti, Consolari pusillanimem, Portare & ferre infirmum, Orare pro omnibus indigentibus, Docere ignorantem.
---	---

De his habetur talis versus:

*Consule, castiga, remitte, solare, fer, ora.*

Et additur, doce, extra versum. Tunc est homo misericors sicut & pater cœlestis misericors est, & sic habet viuum olei & oliuæ tanquam ostium regni cœlestis : quia per illud exiuit Dominus ad nos, & per illud intrabimus ad ipsum. & hoc bene significatum est 3. Reg. 6. vbi legitur quod ostia sancti sanctorum fecit Salomon duo de lignis oliuarum : unum scilicet misericordia quo vtitur Deus exundo ad nos, alterum autem per quod intrat homo ad Deum in viuoliuæ.

Sequitur de tertio, scilicet, de significatione oliuæ. Figurat autem tria oliua. Primum est pax. Secundum est effectus miserendi. Tertium est viror perpetuus in æterna beatitudine. De primo habetur Iere. 11. *Oliuam vberem pulchram, fructiferam, speciosam, vocauit Dominus nomen tuum.* Vberem in operibus, pulchram in pulchritudine pacis, fructiferam in requie opulenta conscientiæ, speciosam autem in tabernaculis fiducia in contemplatione. In huius signum pueri Hebræorum, sicut habetur Matth. 21. tulerunt ramos oliuarum obuiantes Domino, nuntiantes pacem factam per Christum. De secundo habetur Zach. 14. *Stabant pedes Domini super montem oliuarum, qui est contra Ierusalem ad Orientem, hoc est, super altitudinem misericordia, quæ respicit per meritum cœlestis patriam :* vnde etiam misericordia, quæ apparuit beato Ioanni eleemosynario in specie pueræ virginis coronata ferto de ramo oliuæ, astare videbatur sibi. De tertio dicitur Zach. 4. *Ecce candelabrum aureum totum, & super caput eius lampas :* Et postea dicit: *dua oline super illud: una à dextris, lampadis, & una à sinistris eius.* Candelabrum aureum est Christus lucens in cœlo. Oliua autem una est corpus virens in sinistra. Et anima virens in dextra est oliua secunda: quia homo in utroque illorum recipit illuminationem a Christo, sed in anima principaliter, & ideo a dextris, & in corpore secundario, & ideo a sinistris.

Sequitur sententia versiculi, & illa est in duo-

bus, scilicet, in emptione agri, & plantatione viuæ. Circa emptionem agri tria occurruunt nota da. Primo quis sit ager. Secundo qualiter considerandus est emendus ager. Tertio ipsa agri emptio. Circa primum notandum est quod sextuplex est ager circa quem emendum occupatur mulier. Primus est ager actionis. Secundus ager contemplationis. Tertius ager Scripturæ. Quartus nostræ naturæ. Quintus ager redemptionis. Sextus ager cordis desiderij cœlestis patriæ. Primus ager scinditur vomere obedientiæ mandatorum & consiliorum: & est de ipso scriptum Ierem. 32. *Eme tibi agrum meum qui est in Anathoth: quia tibi competit iure propinquatis hereditas.* Omnis enim Christiano, qui in habitu promittit obedi re mandatis, competit iure huius congregationis ager in Anathoth, quæ interpretatur obedientia. De isto agro etiam intelligitur illud Genes. 27. *Ecce odor filii mei sicut odor agri pleni, cui benedixit Dominus.* Odor est notitia bonoru operum obedientiæ. Plenus ager est vita actua plena operibus bonis. Benedictio Domini est conseruatio corundem operum in perseverâcia usq; in finem.

De secundo agro, scilicet contemplationis habetur Gen. 24. quod Isaac egreditus ad meditandum in agro. Egreditur autem quis passibus intellectus in agrum contemplationis ad meditanda æterna: & tunc occurrit ei Rebecca quæ interpretatur quæ multum accepit: & haec est sapientia quam querit sponsam accipere contemplans, & amator factus est formæ illius, vt habetur Sapient. 8. Iste est ager super quem apparuit fluens mel, hoc est, dulcedo sapientiæ, vt habetur 1. Regum 14. de quo comedit Ionathas, & illuminatus fuit oculi eius.

De tertio agro, hoc est, Scripturæ habetur Ruth 2. *Vadam in agrum & colligam spicas que gerint manus metentium, ubique clementis in me patris familias reperero gratiam.* Spicas sunt Scripturæ intellectus historicus, allegoricus, moralis, & anagogicus in agro Scripturæ. Paterfamilias est Spiritus sanctus. Gratia sua est gratia revelationis, & gratia studij.

De quarto agro, hoc est, huius mundi siue nostræ naturæ dicitur in Euangeli. Matth. 13. Ager hic mundus est, id est, cor humanum siue nostra natura, in qua superseminavit diabolus zizania. De hoc agro habetur 2. Regum 23. vbi legitur de agro qui erat plenus lente, in quo percussit Semma Philistæos, & fecit salutem magnam in populo Israel. Lens significat concupiscentiam in membris nostris: quia lenticula est rufa, in qua amisit vorator Esau benedictionem primogeniture, vt habetur Gen. 25. & hoc est concupiscentia carnis. Sed Semma interpretatur famosa exauditio eius: quia ille qui carnem vincit, exauditur famose a Deo, & ille intuitus est per castigationem, agrum cum lente, & percussit mortificatione carnis Philistæos, id est, potionem cadentes, id est, demones qui calicem iræ biberunt & ceciderunt. De hoc etiam Prover. 24. *Per agrum hominis pigri transiui, & per vineam viri stulti: & ecce totum repleuerant vrtice, & operuerant superficiem eius spine.* Vrtice sunt pruritus carnis. Spines puncturæ conscientiæ malæ.

De quinto, scilicet, agro redemptionis habetur in omnibus Euangeliis in passione, & originaliter

ginaliter Ierem. 32. quod cum pretio emerunt agrum Haceldama , hoc est, agrum sanguinis in sepulturam peregrinorum. Peregrini sunt Sancti qui peregrinos & hospites se esse confitentur super terram. Sepultura eorum est quies à vexatione dæmonum, & hoc consequati sunt Sancti per pretium sanguinis Christi. Hic ager significatur in Genes. 23. in agro quem Abraham emit ab Ephron cum spelunca duplice in sepulturam Saræ. Abraham pater multarum gentium Christus est. Ephron interpretatur visio iniquitatum, & significat Iudaicum populum & dæmonum turbam, qui quietem Sanctorum impeditabant. Sara autem princeps interpretatur & Sanctos figurat. Spelunca duplex, duplum redempcionem in qua quiescunt Sancti per sanguinem redemptionis, scilicet, speciei, & spei siue expectationis & comprehensionis figurat.

De sexto, scilicet, agro desiderij cælestis patriæ dicitur in Euangel. Matth. 13. quod *simile est regnum cœlorum thezauro abscondito in agro, quem cum inuenit homo abscondit, & præ gaudio illius vadit & vendit uniuersa que habet, & emit agrum illum.* Ibi dicit Gloss. Gregor. quod thesaurus est desiderium cælestis patriæ, quod in agro cordis absconditur, quod cum inuenit homo omnia tanquam nihil dicit dummodo agrum acquirat. De hoc etiam Cantic. 7. *Egrediamur in agrum,* supple, ad querendum thesautum, *commoremur in villis,* hoc est, in habitationibus Angelorum, quo peruenire desideramus.

Sequitur qualiter ager iste considerandus est ut ematur. Est igitur tripliciter considerandus, scilicet, aestimatione, discretione, & prouisione. Aestimatione, ut quanti valeat solerter estimetur & pondaretur. Discretione, ne nimis pro agro exhibeat. Proutiose, ne forte in proximo ad sterilitatem possit redigi. Quidam enim emptores male estimant agrum regni cælestis, minus exhibentes quam valeat. Vnde dicitur ad Cain. *Nonne si recte offeras, male autem diuidas peccasti?* Secundum aliam translationem est hæc litera Gen. 53. Rechte enim obtulit qui creaturam Creatori obtulit. Sed male diuisit qui meliora concupiscentia, peiora autem Deo diuisit. Hinc est quod dicitur Malach. 1. *Maledictus dolosus qui habet in suo grege masculum, & votum faciens immolat Deo debile.* Hic tanguntur illi qui operibus de genere bonorum mercari volunt beatitudinem æternorum: cum in peccatis remaneant, constat quod non bene estimant. Propterea male estimauit Simon & Giezi & Iason: quorum primus impreiabile gratia posuit sub pretio, secundus autem impreiabile virtutis, tertius impreiabile potestatis & dignitatis spiritualis. Simon enim gratiam accipiendo & dandi Spiritum sanctum emere conatus est, sed non emit, sed pecunia sua secum erat in perditionem Actuum 8. Giezi autem virtutem sanantem lepram peccati vendere conatus est, & pecuniam quidem adeptus est, sed lepra Naaman adhaesit ei 4. Reg. 5. Hæc etiam est putredo peccati, & significat eos qui iustificant impium pro muneribus & iustitiam iusti auferunt ab eo, scilicet, in iudiciis animalium Isa. 5. Et illi quidem heu pecuniam consequuntur, sed peccatum etiam erit super eos. Iason autem emit summum sacerdotium 2. Mach. 4. in quo est potestas & dignitas spiritualis. Vnde

*D. Alberti Magni Lib.de mul. forti.*

etiam merito iniurias eius dicit August. quod extinctus est igne sacrificiorum qui vñq; ad eum viuus permanerat, & significat eos qui potestate & ordinem spiritualium prece & pretio consequuntur, per quos euidens ignis deuotionis in sacrificium laudis Domini in Ecclesia extictus dignoscitur.

Secundo considerandus est ager discretione: sicut enim quidam male estimant, ita etiam quidam de agro nimis cupidi indiscretum exhibent pretium: non attendentes iustum esse eum qui vendit, & non exigentem à nobis pretium ultra valorem: quinimo etiam si citra valorem quantitas pretiūq; inuenitur, infirmitati nostræ cōdescendit. Sunt ergo qui discrete, & sunt qui indiscrete considerant agrum. Discrete considerant qui suadant nihil eorū ad voluptatem, sed ad necessitatem sibi aliquid relinquentes: sua scilicet dant, nullum eorum secundum carnem, sed omnes in Christo & propter Christum diligentes; seipso dant totos se ad interitum peccati & cōcupiscentiæ, sed non naturæ offerentes. Huius rei gratia vlt. Ioan. tribus vicibus querit à Petro Dominus: *Simon Ioannis diligis me plus his?* Et iterum tertio repetit eundem sermonem. Hinc est quod dicitur Deut. 6. *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo,* plusquam amicos qui tecū habent cor vnum: & ex tota anima tua, id est, animalitate, hoc est, plusquam ea quæ propter animalitatē data sunt, hoc est, possessio tua: & ex omnibus viribus tuis, hoc est, plusquam te, vt in viribus propriis nihil contra Deum agas. Aliqui autem sunt qui retinent de pretio agri sibi aliquid in se, & in amicis, & bonis: & illi significantur per Ananiam & Saphiram qui propter futurum pretij agri mortui ad pedes Petri ceciderunt, sicut habetur Actu. 5.

Alij autem sunt indiscrete etiam hoc in pretiū projicientes, quod sibi licite in se & suis cunctis bonis huius mudi Dominus relinquit: indiscrete occidentes seipso, sicut fecit Iephe Iudic. 9. qui debuit immolare animal, hoc est, vitâ animali & occidit propriam filiam, id est, naturam suam. De hoc habetur Cantic. 1. *Adolescentula dilexerunt te nimis.* Adolescentulæ sunt animæ feruore nouitio nimis æstuantes agrum, & suam naturam etiam pro emptione ipsius occidentes.

Tertio debet considerari prouide, ne forte redigatur in solitudinem: sicut etiā dicit Apostolus ad Hebr. 6. Terra enim saepe venientem super se bibens imbre & germinans herbā opportunam illis à quibus colitur recipit benedictionē à Deo: proferens autem spinas ac tribulos reproba est & maledicto proxima, cuius finis in cōbustionem. Prouidentia autem hæc sic prudenter mensurans & considerans agrum, est præcipue præmeditatio operis exercendi circa agrum virtutis qua possit agriculta agrum illum ad germen bonoru operum exercere: opus enim debet esse cōtinuum & multum, sicut dicitur Prover. 14. *Vbi apparent plurimæ segetes, ibi manifesta est fortitudo bonis.* Et Isaiae 32. *Beati qui seminatis super omnes aquas, immittentes pedem bouis & asini.* Omnes aquæ sunt lacrymæ pro peccatis nostris, pro alienis, pro incolatu miseriæ, pro compassione passionis Christi, pro ignorantia faciendorum, pro tarditate proficiendi, pro velocitate deficiendi; & super

C 2 omnes

omnes istas seminat, qui bona opera in singulis ad frugem iustitiae multiplicat. Pedem autem bouis ad iugum immittit, qui maturitatem vitæ generat in opere. Similiter autem immittit pedem asini, qui stultus fit huic mundo ut sapiens sit coram Iesu Christo, qui simplex est in malo, & sapiens in bono, secundum Apostolum 1. ad Corinth. 3. Sicut fuit Job simplex & rectus ac timens Deum & recedens ab omni malo Job primo, qui recessit ad modum asini, qui declinat loca periculorum in quibus quandoque fuit. Similiter virtutem suam debet præmeditari, ne ultra vires opus assumat. Cogitare enim debet, quod nemo mittens manus suas ad aratum, & respiciens retro, aptus est regno Dei Luc. 11.

Sequitur tertio qualiter ager iste sit emendus, & vnicuique agro speciale pretium assignemus. Emitur igitur ager actionis pretio simplicis obedientiae: ager autem contemplationis pretio puritatis & munditiae cordis: ager vero Scripturarum pretio studij & meditationis: ager vero mundi siue nostræ naturæ pretio disciplinae: ager autem redemptionis pretio gratiarum actionis: ager autem cordis desiderij cœlestis emitur pretio deuotionis.

Obedientiae pretium in tribus consistit, scilicet, ut obediamus simpliciter, velociter, & discrete. Simpliciter, ut Abraham in offerendo filium Genes. 22. & ad Hebr. 11. *Fide, qui vocatur Abraham obediuit in locum exire quem accepturus erat in hereditatem: & exiit, nesciens quo iret: non sicut Adam qui duplex fuit in obediendo, & ideo eiatus est de paradiſo.* Duplex inquam fuit volens scire omnem obedientiae rationem antequam obediatur, nec se totum relinquens voluntati eius cui obediere debuerat. Velociter autem ut sine mora impleamus. Vnde Prouer. 22. *Vidisti virum velocem in opere suo: coram regibus stabit.* Et Eccl. 9. *Quodcumque facere potest manus tua, instanter operare: quia nec opus, nec ratio, nec sapientia, nec scientia erunt apud inferos, quo tu properas.* Discrete quia si iniungitur aliquid honorificum & commodum secundum hanc vitam, præter nostram debet esse secundum obedientiae voluntatem: si aliquid humile & abiectum, tunc debet esse secundum nostram voluntatem. Et hæc est sententia Gregorij.

Premium etiam puritatis, quo emitur ager contemplationis, tres habet partes, scilicet, ut purgemos mentem à peccati luto, & voluntatem à fumo concupiscentiae, & rationem ab omnium temporalium sollicitudine. Hæc enim tria cœcant oculos, lutum, fumus, tenebra. Peccatum autem lutum est, & concupiscentia fumus, & corporea phantasia est spiritualis tenebra. Et hæc etiam est sententia Gregorij. Primum petit cœcus secus viam sedens à Domino, dicente ei Domino: *Quid vis ut faciam tibi?* dixit cœcus, Rabbi ut lumen videam. Luke 18. & habetur Matth. 5. *Beati mundo corde: quoniam ipsi Deum videbunt.* De secundo dicit Dominus quod populi Canaan relicti in populo Dei, futuri erunt eis sicut lancea in latere, & spinæ in oculis. Populi Canaan sunt fumi concupiscentiae egredientes de igne fomitis, & pungentes latus cordis per primos motus in cogitatione. Et spinæ in oculis sunt obcæcationes quas ingerunt nobis ad spiritualia contemplanda. Tertiū conqueritur Job 3.

*Viro cuius abscondita est via: & circumdedicte eum Deus tenebris.* Via enim veritatis & luminis æterni nobis absconditur: quia oculus nostri intellectus phantasias corporalium rerum huius mundi obnubilatur. Et Tobias: *Quale gaudium est mihi qui in tenebris sedeo, & lumenc æli non video?* Tobias 5.

Premium studij & meditationis quo ager Scripturarum comparatur, tres habet partes. Debemus enim studere & meditari in tribus, scilicet, in scibilibus ad iucunditatem, in operabilibus ad utilitatem, in cœlestibus ad affectum dulcorandum. De primo Daniel. 12. *Qui docti fuerint, fulgebunt sicut sol: & qui ad iustitiam erudiunt multos, quasi stelle in perpetuas æternitates.* De secundo dicitur in Psalm. In lege Domini meditabitur die ac nocte. De tertio Sapient. 13. *Vani sunt omnes homines, in quibus non subest scientia de Deo.* Quia illa delectabilis est, & sine illa homo evanescit: quia sicut dicit ibidem, *nosse Deum est consummata iustitia, & scire iustitiam & virtutem Dei radix est immortalitatis.* Et Ierem. 9. In hoc glorietur qui gloriatur, scire & nosse me. Primum ædificat & corroborat fidem. Secundum instruit vitam in opere. Tertium accedit desiderium & eleuat spem per adeptionem beatitudinis hic in spe, & in re in futuro. Vel triplex secundum Augusti, est premium agri sanctæ Scripturarum: quia meditamus in credibiliibus, intelligibiliibus, & opinabiliibus. Fides innititur reuelationi & auctoritati articulorum & Scripturarum. Intellectus autem circa rationis veritatem. Opinio autem iuuatur sola veri similitudine.

Premium etiam disciplinæ, quo ager nostræ naturæ qui à Domino mundus appellatur comparatur, triplex est. Est enim disciplina eruditio per difficultia, ut dicit Basilius. Et sunt tria quæ difficultia sunt nobis, scilicet, vigiliae, ieunia, & sustinentia temptationum, & tribulationum quæ extra nos suscitant nobis. De primo Eccles. 3. 1. *Vigilia honestatis tabefaciet carnes, & cogitatus illius auferet somnum.* Psal. 62. *Deus Deus meus, ad te de luce vigilo.* Et sequitur edomatio carnis: *Situuit in te anima mea, quam multipliciter tibi caro mea.* Caro enim nunquam multipliciter Deum sitaret nec honestatem, nisi prius vigilijs eslet edomita. De secundo 1. Corinth. 9. *Castigo corpus meum & inseruitum redigo, ne forte cum aliis predicauerim, ipse reprobus efficiar.* Psal. 34. *Ego autem dum mihi molesti essent, induabar cilicio, & operui in ieunio animam meam: & oratio mea in sinu meo conuertitur.* De tertio Thren. 1. *De excelso misit ignem in ossibus meis, & eruditini me.* Psal. 59. *Da nobis auxilium de tribulatione: quia vana salus hominis.* Quod sic exponit Basilius, quod auxilium nostrum faciat tribulatio: quia cum habemus salutem corporis, sumus vani. Hebr. 1. 2. *Omnis quidem disciplina in presenti non videtur esse gaudy, sed mororis: postea autem fructum pacatissimum exercitatis per eam reddet iustitiae.*

Premium etiam gratiarum actionis quo emitur ager redemptionis, habet tres partes. Debemus enim tanti beneficij semper esse memores, & in magnificencia laudis & benedictionis extollere, & magna sollicitudine quomodo possimus similia rependere. De primo habetur Threno. 3. *Recordare paupertatis & transgressionis mee, absynthy, & fellus: paupertatis, quia quidus pependit in cruce:*

in cruce : transgressionis , quia plus fecit quam debuit ad nostram redemptionem : absinthij autem, in acerbitate martyrij : fellis vero, in fellea malitia exprobrantium Iudæorum. Vel ad literam, quia dederunt ei vinum aceto, felle, absynthio, & myrrha conditum. Et respondet Ieremias: *Memoria memor ero, & tabescet in me anima mea.* De secundo habetur in Psal. 105. *Lauda anima mea Dominum, laudabo Dominum in vita mea, psallam Deo meo quandiu fuero.* Et iterum 102. *Benedic anima mea Domino, & omnia que intra me sunt nomini sancto eius.* Et iterum primitus & secundum simul tangit dicens: *Benedic anima mea Domino, & noli obliuisci omnes retributiones eius, qui propitiatur omnibus iniquitatibus tuis, qui sanat omnes infirmitates tuas, qui redimit de interitu vitam tuam, qui coronat te in misericordia & miserationibus.* Omnia hæc exhibita sunt nobis in beneficio redemptionis. De tertio dicit Psal. 105. *Quid retribuam Domino pro omnibus que retribuit mihi? Calicem salutaris accipiam, & nomen Domini inuocabo.* Eccli. 31. *Super mensam magnam sedisti, scito quia talia oportet te preparare.*

Premium etiam deuotionis , quo mercainur agrum cordis desiderij cælestis, tres habet partes, scilicet , pium affectum desiderantis animi , instantissimam orationem , & cordis exaltationem ad æterna. De primo dicit Apostolus ad Philip. 3. *Præteriorum oblitus, ad anteriora me extendo.* Thren. 3. *Anima mea desiderauit te in nocte, nomen tuum in desiderio anime mee.* De secundo dicitur in Euang. Luc. 18. *Quia semper oportet orare, & non deficere.* Et hoc docet idem per duas parabolæ, quarum una est improbitas viduæ orantis iudicium à iudice , qui non Deum timuit nec hominem verebatur : & tamen fecit iudicium propter improbitatem mulieris. Alia est improbitas petentis tres panes, propter amicum qui venit de via Luc. 11. De tertio dicitur continuo in Missa, *Sursum corda, habemus ad Dominum, & in Psal. 36. Accedat homo ad cor altum, & exaltabitur Deus.*

## §. II.

**S**equitur de secunda parte huius versiculi , quæ est de plantatione vineæ : vbi duo consideranda sunt, scilicet , de quo plantatur vinea. & qualiter plantatur. Primum notatur quando dicit, de fructu manuum suarum. Et quia supra multa de manibus diximus, libet ut hic de fructu aliquid dicamus. Duæ autem manus fuerunt, custodia sui, & dilectio proximi : unde duplex est fructus secundum duas manus. Custodia enim sui fructum habet in vinea quæ est anima propria, & dilectio proximi in vinea etiam Ecclesiæ pro anima alterius. In custodia sui fructificat primo vinum compunctionis in agro malo, deinde vinum deuotionis in monte beneficiorum Dei, tertio vinum iucunditatis in cornu filio olei , quarto vinum ebrietatis amoris in vineis & botris cypri, quinto vinum perfecti gaudij in vineis Engaddi. De primo habetur in Psal. 59. *Potasti nos vino compunctionis.* Et est vinum illud in malo agro peccatorum , quod exprimitur prælo contritionis , & capitur in vase

*D. Alberti Magni Lib.de mul.forti.*

memoriæ delictorum , & eliquatur per confessionem, & bibitur per satisfactionem.

De secundo, scilicet, vino redemptionis habetur Canti. 5. *Comedi fauum cum melle meo, & bibi vinum meum cum lacte meo.* Et commemorantur diuersa beneficia quæ excitant ad deuotionem. Fauus enim est dulcedo puræ diuinitatis quæ se nobis exhibuit quando largitus est nobis suam Deitatem. Mel autem in cera est honestas humanitatis, in qua facta est redemptio. Vinum autem est deuotio inde concepta. Lac autem est pura & dulcis, & naturæ competens doctrina Christi. Idem est in Psal. 4. *A fructu frumenti, vini, & olei sui multiplicari sunt.* Fructus frumenti est stabilitum solidantis & corroborantis gratiæ. Fructus vini fructus deuotionis. Fructus autem olei fructus pietatis. Hic vero crescit in monte altissimo beneficiorum Dei, & exprimitur prælo gratiarum actionis, & colligitur in vase cordis, & eliquatur à fraudulentia ingratitudinis , & bibitur cum non in vacuum gratia Dei recipitur, sed expletur opere ad quod data est.

De tertio vino dicit Ps. 103. quod *vinum letificat cor hominis.* Et Genet. 49. *Lauit in vino gloriam suam, id est, faciem animæ ad letificandum : & in sanguine vue pallium suum, hoc est, habitum cordis, pulsa tristitia per vinum de sua crucis, quæ Christus est, expressum.* Crescit autem hoc vinum in cornu filio olei, id est, in angulo soli opposito purissimæ conscientiæ. Filio olei, id est, filio pinguedinis æternæ & internæ, per dulcedinem & securitatem à Deo conceptam. Exprimitur autem prælo meditationis æternorum gaudiorum, & capitur in vase affectus, & eliquatur à face tristitiae, & bibitur cum cogitatio hominis confitetur confessione laudis Domino , & reliquæ cogitationis diem festum agent sibi.

De quarto vino dicitur Cant. 5. *Comedite amici & bibiue, & inebriamini charissimi.* Crescit autem in montibus & vineis cypri, in terra scilicet calidissima, vbi ignis est in Sion & caminus in Ierusalem. Et hic est secundum Ps. 67. *Mons Dei, mons pinguis, mons in quo beneplacitum est Deo habitare in eo, in monte scilicet altissimæ charitatis.* Et exprimitur prælo desiderij cœstantis, & recipitur in vase amplissimæ pietatis, & eliquatur à face vani amoris sui & seculi , & bibitur in dulcedine amplexus sui dilecti usque ad satietatem & ebrietatem obliuionis omnium terrenorum.

De quinto vino, scilicet , perfecti gaudij dicitur Pro. 7. *Bibite vinum quod miscui vobis.* Crescit autem in vineis Engaddi Cant. 1. vbi est balsamus incorruptionis æternæ, in arce scilicet sapientiæ diuinæ. Et exprimitur prælo contemplationis. Recipitur autem in vase admirationis gloriæ regni cælestis, in quo cum Christo gaudent omnes Sancti. Eliquatur autem à face malæ comparationis, ne aliquid scilicet terrenum comparetur illi: quia nec oculus vidit , nec auris audiebat, nec in cor hominis ascendit quæ præparauit Deus diligenteribus se. Bibitur vero in excessu mentis in raptu animæ cum dicit Ps. 88. *Domini fit assumptio nostra & sancti Israël regis nostri.* Et hi sunt fructus manus vnius.

Manus autem quæ est dilectio proximi etiam habet fructum vini quod est in proximo. Et est primum vinum reprehensionis asperæ, secundum doctrinæ, tertium congratulationis bonoru, quartum

coinpassionis, quantum subleuationis. Et sumuntur secundum quinque effectus vini. Vinum enim mordicar, & instruit per hoc quod subtiliat spiritus & ingenium modice sumptum, & exhilarat animum, & conturbat quandoque, & confortat quandoque. De primo vino dicitur: *Meliora sunt ubera tua vino* Cantic. 1. dicit Glossa ibi quod mordax reprehensio debetur peccantibus, sicut dicitur 1. Timoth. 5. *Peccantem coram omnibus argue ut & ceteri timorem habeant.*

De secundo dicitur Cantic. 8. *Dabo tibi poculum ex vino condito, & mustum malorum granatum meorum.* Vinum conditum est doctrina refrigerans ab æstu vitiorum.

De tertio dicitur Iob 32. *En venter mens quasi mustum absque spiraculo, quod lagunculas nonas dirumpit.* Animus enim congratulationis ebullit in laetitia sicut mustum in lagena: ita ut vix gaudium exprimere, vel tenere possit: vnde in Euang. Luc. 15. dicit: *Congratulamini mihi, quia ouem inueni quæ perierat.*

De vino compassionis habetur Isa. 16. *Inebriabo te lacryma mea Ezebon & Eleale: quia super vendemiam tuam & super messem tuam vox calcantium irruit.* Ezebon interpretatur cingulum tristitiae, & significat eum qui in afflictione est. Eleale interpretatur consensio, & significat altitudinem mali quod concedit super tristem. Et dicit causam: quia super vinum gaudij æterni & super refectione gratiae quādo reficit ebrietas, irruit vox insultationis calcantium dæmonum.

De ultimo vino, scilicet, subleuationis in adiuuando proximum, habetur in Esdra 2. Esdræ 3. quod vinum est vnum de his quæ confortant; & homo qui contra diabolum non potest solus, alterius adiutorio quasi vino potatus surgit, & arripit gladium, & pugnare incipit. Vnde Eccl. 4. *Væ soli: quia si ceciderit, non habet subleuantem se: duo autem fœbuntur mutuo.*

Sequitur qualiter plantatur vinea. Et quia loquitur in singulari, dicamus unam vineam animam sive nostram sive proximi. Plantatur autem ad Meridiem, ubi est solis feruor & ventus Austri, & in loco excelsò pingui, & scinditur rastro, & stercoratur, & compluitur, & putatur, & vindemiatur, & extrinsecus munitur maceria, & torcular extruitur in ea, & turris in medio eius, & plantatur de vitibus Soreth. Meridies autem est suspensio cordis ad lumen gratiae, sicut dicitur Iob 40. *Per quam viam spargitur lux,* id est, diuiditur æstus super terram. In loco autem eminenti & pingui, hoc est, in monte spiritus & pinguedine devotionis: sicut dicitur Genes. 25. *In ore cali desuper & pinguedine terra erit benedictio tua.* Scinditur autem rastro timoris & contritionis, & putatur sarculo confessionis. Stercorata autem abiectione humilitatis, & compluta pœnitentium lacrymis, roscida etiam ore pietatis diuinæ, sicut dicitur Isa. 26. *Ros lucis, ros tuus.* Maceria autem circumdata extrinsecus est custodia Angelorum. Turris in medio spes alta adiutorij Dei, sicut dicitur Isa. 26. *Vrbs fortitudinis nostra Sion Saluator, ponetur in ea murus & antemurale.* Vrbs turris Saluator: quia dicit Psal. 90. *Qui habitat in adiutorio Altissimi, in protectione Dei cœli commorabitur.* Murus autem custodia Angelorum. Antemurale vero mutua custodia hominum, sicut dicit Augustinus. Inuicem vestram

pudicitiam custodite: Deus enim qui habitat in vobis etiam isto modo, custodiet vos ex vobis. Torcular autem in medio eius in quo exprimitur vinum, est memoria passionis Christi: quia illa suo pondere omne quod est in nobis boni liquoris, debet extrahere. Plantatur autem de vitibus Soreth, id est, de genere vitis optimæ, omne semen verum: quia de animabus factis ad Dei imaginem & similitudinem.



## C A P. VIII.

### S. I.

n

Accinxit fortitudine lumbos suos & roborauit brachium suum.



*E T H* interpretatur paucor, & alludit sententiæ versu: quia paucor est causa accinctioñis, sicut dicitur Cant. 3. *En lectulum Salomonis sexaginta fortis ambiunt, omnes tenentes gladios, & ad bella doctissimi, propter timores nocturnos.* Lectulus Salomonis est anima huius mulieris, in qua quasi in thalamo tota die quiescit. Hunc lectulum ambiunt sexaginta fortis, hoc est, obseruantia perfecta decalogi. Senatorius enim perfectus est numerus, & denarius ad decalogum pertinet. Et isti sunt fortissimi Israel & rectissimorum: quia Israel interpretatur rectissimus: quia perfectione mandatorum perfectum robur virtutis acquiritur. Omnes autem tenent gladios: quia valent ad propulsanda vitia tentationum. Et hoc est quod dicit: Propter timores nocturnos, hoc est, propter paucorem sagittæ volantis in tenebris, id est, persuasionem dæmonum in occultis & obscuris peccatis. Vnde paucor dicit causam sententiæ versiculi cui præscribitur.

Accinxit, &c. Duo notantur in versu, scilicet, accinctio lumborum, & roborio brachij. Circa primum notantur tria, scilicet, modus accinctioñis, in hoc quod dicit: Accinxit. Et quo accingitur: quia fortitudine. Et in quo loco vel membro corporis: quia lumbos suos accinxit. Circa primum etiam nota, quod aliud est accingi, aliud succingi, & aliud præcingi. Accingimur enim ad bellum, succingimur autem ad currendum, sed præcingimur ad ministrandum. De primo 1. Machab. 3. *Accingimini & estote filii potentes, quoniam melius est nos mori in bello quam videre mala gentis nostra & Sanctorum.* Vnde Psal. 44. *Accingere, gladio tuo super femur tuum potentissime,* Et Gen. 49. *Gad accinctus preliabitur coram eo, & ipse accingetur retrorsum.* De secundo habetur Ioan. 21. quod cum Petrus festino per mare cursu festinat ad Dominum, tunica succiaxit se, & misit se in mare. Tunica enim est conuersatio vitæ: & haec debet succingi cingulo iustitiae, ne defluentia in humum vestimenta celerem motum pedum, hoc est, affectionum impediant. Hinc etiam est quod de prædicatore in Proverb. 30. dicitur: *Gallus succinctus*

# Lib.de muliere forti. Cap.VIII. §.I. 31

*succinctus lumbos.* Gallus enim qui cantu suo dormientem excitat & horas significat, praedicator est, qui dormientes in peccatis ad vigiliam poenitentiae excitat, & horam iudicij Domini significat venturam super peccatores. Et dicitur succinctus lumbos: quia rectitudine iustitia luxum conuersationis eleuat. De tertio, scilicet, præcinctione ad ministrandum dicitur in Euangeliō **Luc. 12.** *Præcinge te, & faciet illos discubere, & transiens ministrabit illis.* Et in signum illius ministerij quod exhibebit in patria, in cena præcinxit le linteo, & exhibuit humilitatis ministerium in lotione pedum, ut habetur **Ioan. 13.**

Sequitur, quo accinxit, scilicet, fortitudine. Accipienda autem est à Philosopho 1. 3. ethicor. quintuplex fortitudo. Prima est vera quæ sustinet terribilia, & aggreditur ardua tantum propter honestum gratiæ & virtutis. Secunda autem est quæ sustinet ardua & aggreditur terribilia propter verecundiam improprietatis si succumbat. Tertia autem est quæ sustinet terribilia & aggreditur ardua propter imperium dominorum vel maiorum cogentium; & hæc habet aliam speciem, quando scilicet aliquis ingreditur ardua ut eviter maius periculum. Quarta est quando aliquis aggreditur terribilia ex furore, sicut ex ira per zelum. Quinta est quando aliquis aggreditur àe boni, sicut dicit Philosophus, & vocat speciem boni confidentiam de victoria: Et hæc habet etiam aliam speciem, quando scilicet aliquis aggreditur ardua, eo quod ignorat periculum, sicut inexperti in periculis. Prima fortitudo est fortitudo huius mulieris. Vnde habetur infra. *Fortitudo & decor indumentum eius: & ridebit in die nouissimo.* Decor enim est secundum assignationem honesti: quia honestum est, ut dicit Tullius, quod sua vi nos trahit & sua dignitate nos allicit. Honestum autem est gratia Dei & virtus.

Secunda fortitudo quæ est propter improprium conuicij in succubendo, fuit fortitudo Machabæorum. 1. Machab. 3. Vnde dixerunt: *Estote filii potentes, id est, fortes: quia melius est nos mori in bello quam videre mala gentis nostræ & Sanctorum.*

Tertia fortitudo est fortitudo Iosue, de quo dicitur Ecclesiastici 46. *Fortis in bello Iosue, vel Iesu naue successor Moysi in Prophetis, qui fuit magnus secundum nomen suum, maximus in salutem electorum Dei, expugnare insurgentes hostes, ut conquereretur hereditatem Israel.* Iosue enim ex imperio Domini fecit bella post Moysen: & quia interpretatur Saluator, secundum nomen suum fuit fortis & maximus ad saluandum Israel. Et secundum hoc præcipue gerit figuram illius qui postea Iesu dictus est, eo quod saluum facit populum suum à peccatis eorum, ut legitur Matth. 1.

Quarta fortitudo fuit fortitudo Mathatiae, de quo legitur 1. Machab. 2, quod cum videret sacrificantem idolis ex iussu militis quem miserat rex Antiochus, ut cogeret homines idolatrare, quod doluit & contremuerunt renes eius, & accusus est furor eius secundum iudicium legis, & insiliens trucidauit illum super aram. Sed & virum quem miserat rex Antiochus qui cogebat immolari, occidit in ipso tempore & aram destruxit. Similiter hæc fuit fortitudo Phinees qui trucidauit principem ingredientem ad scortum

Beelphegor cum Madianita, sicut legitur Nume-  
25. Hæc etiam fuit fortitudo Simeon & Leui qui trucidauerunt in zelo castitatis sororis suæ Sichimitas, sicut legitur Gen. 34.

Quarta fuit fortitudo Judith viduæ, quæ aggrediens Holofernem spe fruendi victoria, vicit & interfecit eum, sicut habetur Judith 13.

Sequitur de membro quod accingitur: & hoc notatur cum dicit, *Lumbos.* Notandum est, quod tres sunt proprietates lumborum. Prima est quod secundum Gregorium ibi est locus delectationis. Secunda est quia est locus unde fluit & congregatur semen generationis. Tertia est quia est quasi quoddam fundamentum totius corporis. Cum enim, ut dicit Augustinus super Genes. ad literam in libro 8. omne membrum mobile mouetur ab immobili, in lumbis est fundata omnis mobilitas membrorum & inferiorum & superiorum: quia ab ipsis moueri videntur. Lumbi autem delectationum sunt duo, scilicet, delectationis gulae, & voluptatis carnis. Vnde Iob 40. de diabolo dicitur: *Virtus eius in lumbis eius, & fortitudo illius in umbilico ventris ipsius.* Quod sic exponit Gregorius, quod viris concupiscentia in lumbis, scemini vero in umbilico: quod testatur Dominus qui de diabolo ad beatum Iob loquitur, dicens: *Virtus eius, &c. Luc. 12.* *Sint lumbi vestri præcincti, & lucerne ardentes in manibus vestris:* ubi Gregor. Lumbos præcinximus, cum carnis concupiscentiam per continentiam coercescimus. Lucernas in manibus tenemus ardentes, cum per bona opera bonum exemplum proximis ostendimus.

Similiter lumbi à quibus fluit semen sunt duo, scilicet, authoritas qua missus fit ille qui verbum seminat: quia dicit Apostolus ad Rom. 10. *Quomodo prædicabunt nisi mittantur.* Et aliis lumbis est gratia prædicationis quæ causatur ex scientia & eloquentia & zelo animarum & bona vita. De his duobus lumbis dicitur Iob 40. *Accinge sicut vir lumbos tuos: interrogabo te, indica mihi.* Viri enim opus est generare & semen effundere. Vnde sicut vir lumbos suos accingit qui ex gratia prædicationis & autoritate quam habet accinctus, vbique semen verbi ad generationem spargit: sed Domino interroganti respondere dicitur: quia Dominus interrogat, cum simplex & imperitus à prædicatore veritatis interrogat. Sicut enim Dominus paicit & potatur, sic Domino respondeatur cum exiguo & attenuato in Spiritu sancto & consilio responderetur.

Lumbi etiam fundamenti & firmitatis sunt duo, scilicet, austritatis, & compassionis. Ex lumbo enim austritatis confirmatur vita in nobis. Ex lumbo compassionis stabilitur vita bona ad proximum. De his lumbis habetur Isa. 21. *Repleti sunt lumbi mei dolore, angustia possedit me, sicut angustia parturientis.* Vnus enim lumbus, scilicet, austritatis repletur dolore poenitentiae: alter, scilicet, compassionis angustia parturientis repletur: quia parturiens eorum quos in Christo parturit, dolores facit suos, & angustias

illorum patitur ut proprias.

## §. II.


**S**equitur.

Et roborauit brachium suum.

Vbi considerandum est quid sit brachium, & qualiter roborandum. Brachium autem huius mulieris est magnanimitas eius, eo quod ut leo fortissimus bestiarum ad nullius dæmonis paucabit occursum, ut habetur Proverb. 30. Et quia de manu diximus superius, dicemus hic de brachii huius dispositione. Habet enim humerum à quo dependet, & cubitum in quo curuatur ad motum & operationem, & uno ossè coniungitur ad humerum, & duobus diuiditur ossibus post cubitum. Insuper habet nervos quibus colligatur, & spiritus quibus vitam accipit à corde, in quo est sedes animæ: & deinde musculos in quibus nutrimenti sui digestio celebratur. Humerus autem huius mulieris est, in quo portat onera, charitas: quia omne præceptum & onus legis Dei per charitatem portatur & impletur Roman. 12. Ipsi sunt humeri in quibus reportauit pius pastor Christus ouem debilem Luc. 15. Vnde Isa. 22. *Dabo clavem domus David super humerum eius: & aperiet, & non erit qui claudat: & claudet, & non erit qui aperiat.* Domus David sunt animæ fideles in quibus habitat Deus qui significatur per David qui interpretatur aspectu desiderabilis. Clavis autem qua aperuit, est redemptio super humerum charitatis: ad hoc enim ut aperiret vincit non coegit nisi charitas. Claudit autem quibusdam per iustitiam meritorum suorum, eo quod contemnunt redemptionem. Cubitus vero in quo reflectitur & mouetur brachium, est consideratio operis quod procedit à brachio magnitudinis. Vnde dicitur Genes. 6. de fabricatione arcæ quod in cubito consummari deberet: quia opus nostrum, præcipue quod à magnanimitate fit, semper indiget diligent consideratione qualiter deducatur ad finem. Os autem illud quo coniungitur cubito, confidentia est quam habet in Deo ut omnia possit in eo qui ipsam confortat, sicut Paulus dicit de seipso Philipp. 4. Sed duo ossa quibus iterum dependet à cubito considerationis, sunt fiducia perficiendi quod facit, & patientia sustinendi quod patitur: quia sic inimicus nihil proficit in ea dum in omni opere implendo fiduciam habet, ut ad finem perducat in omni tribulatione patientiam. Et hoc est quod dicit Psal. 88. *Manus mea auxiliabitur ei, & brachium meum confirmabit eum. Nihil proficiet inimicus in eo, & filius iniquitatis non apponet nocere ei.* Manus mea, id est, à me data, & brachium meum, id est, à me concessum. Inimicus autem impedit hominem duobus modis, scilicet, à bono ne perficiatur: & contra hoc valet fiducia ceptum opus perficiendi. Et impedit immittendo tribulaciones: & contra hoc valet patientia. Et ideo sequitur: *Nihil proficiet, &c.* Nervi colligantes brachium sunt perseverantia ligans usque in finem, & humilitas ligans in profundum. Spiritus autem est fervor spiritus, sicut dicit Apostolus ad Rom. 12. *Spiritus ferentes Domino seruientes.* Musculi in quibus digeritur cibus, sunt partes prudentiæ, scilicet, memoria de præteritis, & intelli-

gentia de præsentibus, & prouidentia de futuris. In his enim partibus prudentia decoquit tanquam in quibusdam musculis, omne quod facere debet antequam per opus sibi incorporat. Dicit enim Augustinus, quod sagaciter eligit prudentia ea quibus adiuuatur in opere, ab his in quibus impeditur.

Sequitur qualiter hoc brachium ad pugnam roboratur. Roboratur autem scuto, & armilla, & gladio, & lancea. Scutum inexpugnabile est equitas, ut dicitur Sapientia 5. vel fides, ut dicit Apostolus ad Ephes. 4. vel bona voluntas Domini, ut dicit Psal. 5. Scuto bona voluntatis tuae coronasti eos, hoc est, Sanctos. Armilla autem est ornamentum boni operis. Iob 41. Nunquid perforabit armilla maxillas eius? hoc est leviathan in boni operis efficacia dirumpens maxillas diaboli, cuius maxillæ quibus continet animas ad devorandū sunt duas, scilicet, culpæ & peccata. Gladius autem spiritus est verbum Dei, ut dicit Apostolus ad Hebræ. 4. *Vineus est sermo Dei & efficax, & penetrabilior omni gladio anticipit.* Lancea vero est ira per zelum. Vnde Sapient. 5. *Acuet diram iram in lanceam.* Et dicitur dira: quia dire trucidat omne vitium & omnem tentationem diaboli. Sequitur Thet.



## C A P. IX.

## §. I.

v

Gustauit & vidit quia bona est negotiatio eius, non extinguetur in nocte lucerna eius.



*H*E T interpretatur inter, vel bonum: quibus simul iunctis idem est quod internum bonum, & ita alludit sententiae sequentis versus, quæ est de gustu interni & æterni boni. De interno autem bono prænotanda est distinctio. Est enim internum bonum gaudium conscientiæ, & est internum bonum experimentum cœlestis regni. De primo habetur 2. ad Corinth. 1. *Gloria nostra haec est testimonium conscientia nostræ.* Item in Proverb. 15. *Secura mens quasi iuge coniuvium* Per contrarium dicitur de mala conscientia Sapient. 17. Cum sit timida nequitia, dat testimonium condemnacionis: semper enim præsumit sœua perturbata conscientia. De secundo habetur in definitione spei: quia spes est, ut dicit Augustinus certa expectatio futura beatitudinis, ex conscientia meriti & largitate Dei proueniens. Hinc est quod dicit infra: *Multa filia congregauerunt diuinas: tu sola supergressa es uniuersas.* Et in Psal. 44. *Omnis gloria eius filie regis ab intus, &c.* De tertio dicitur in Euangeli. Luc. 17. *Regnum Dei intra vos est.* Quid autem sit regnum illud dicit Apostolus ad Rom. ultimo. *Non est enim regnum Dei esca & potus, sed iustitia & pax & gaudium in Spiritu sancto.* Augustinus in lib. 10. confessionum. Aliquando intromittit

mittis me in affectum multum insinuatum introrsus; ad nescio quam dulcedinem, quæ si perficiatur in me, nescio quid erit quod vita ista non erit. Sed recido in hæc ærumnosis ponderibus, & resorbeor solitis & teneor, & multum fleo, sed multum teneor. Tantum consuetudinis sarcina degrauat. Hic esse valeo, nec volo, illic volo, nec valeo, miser utrobique.

Sequitur sententia versus, quæ in duobus consistit, scilicet, in gustu & visu negotiationis, & in eo quod non extinguetur lucerna eius in tenebris. Circa primum notanda sunt tria, scilicet, experimentum gustus per se, & experimentum vilus per se, & experimentum gustus coniuncti cum visu. Est autem experimentum gustus per se duplex, scilicet, experimentum mali ut fugiatur: & hoc experimur in gustu per dispcionem ut ejiciamus, non ut incorporemus nobis: & sic gustatur à Sanctis peccatum, secundum quod dicit Iob 6. *Nunquid poterit comedi insulsum quod non est sale conditum? aut aliquis poterit gustare, quod gustatum affert mortem?* Insulsum est indiscretus actus qui sale sapientiae diuinæ non est conditus: & hoc gustatum, quando incorporatur, affert mortem æternam: sed gustatum ut ejiciatur, affert vitam: & hoc significatur in gustu Domini in cruce, de quo dicitur: *Dum gustasset acetum, noluit bibere Matth. 27.* Sed reiecit illud signans in hoc quod ejienda à nobis erat omnis putredo peccati.

Est etiam per gustum experimentum boni dulcedinis æternorum: & hoc dupliciter, scilicet, ad suavitatem affectus, & ad illuminationem intellectus. De gustu ad suavitatem affectus 1. Petri 1. *Si tamen gustatis quia suavis est Dominus.* Et Iob 34. *Auris verba probat, & gustus comedentis saporem,* scilicet, cœlestis & diuinæ bonitatis. De gustu quantum ad illuminationem intellectus habetur 1. Reg. 14. *Dicit Ionahas: Videlis ipsi quia illuminati sunt oculi mei, eo quod gustauerim parum de melle isto.* Mel est dulcedo cœlestium quæ gustata illuminat oculos ad æterna debite cognoscenda, & eliminanda terrestria. Vnde Gregor. Gustato spiritu desipit omnis caro, id est, carnalis delectatio.

Circa experimentum visus notanda est quadruplex visio qua experimur æternam veritatem.

Rationis secundum fidem, Fidei secundum donum intellectus, Visio Intellectus secundum beatitudinem munditiæ cordis, Secundum fructum qui dicitur fides.
---

Quod ut apertius intelligatur, ratio ad hoc homini data est ut æternam veritatem completur & videatur: sed quia per seipsum non potest, ideo datur ei lumen fidei quo possit illud. Et de hac visione dicitur 2. ad Corin. 5. *Per fidem ambulamus, non per speciem, id est, per apertam visionem.* Et 1. ad Corinth. 13. *Videmus nunc per speculum in enigmate: tunc autem facie ad faciem.* Speculum dicitur imago & vestigium creaturæ: Enigma autem obscura allegoria in Scriptura: quæ duo nos illuminant ad fidem.

Cum autem fides conualuerit in corde hominis ut de omnibus credibilibus cogitat admirando cum consensu firmissimo veritatis internæ, tunc incipit ei coruscare lumen intellectus: ita

vt etiam certitudinem quandam in lumine infuso concipiatur, quo sibi videtur nihil rationabilis fide & visione fidei secundum intellectum. Et de hac visione dicitur Iob vltimo. *Auditu auris audiri te: nunc autem oculus meus videt te. Idcirco ipse me reprehendo, & ago pœnitentiam in fauilla & cinere.* Dum enim sola fide credimus, quasi per solum auditum Scripturæ & prædicationis veritati Dei assentimus: quia sicut dicitur ad Rom. 10. *Fides ex auditu: auditus autem per verbum Christi.* Cum autem lumen nobis infunditur ut nobis fides rationabilis & certa videatur, tunc donum intellectus nobis infusum est, sicut dicit Gregor. quod intellectum Deus dat, dum de auditis mentem illustrat. Et tunc quasi oculis Domini videmus & nosipso reprehendimus, eo quod ante tardi & pigri ad credendum fuimus, agentes de hoc pœnitentiam in humilitate, quæ per fauillam & cinerem significatur.

Cum vero in lumine internæ veritatis sic illuminamur, studium nobis est ut cor ab omni terrena occupatione & phantasia mundemus, ut in ipso lumine beatificemur: quod fit quando iam secundum modum beatorum videre incipimus, & tantum de lumine nobis infunditur ut radij à facie animæ nostræ emittantur. Et de hoc dicitur Matth. 5. *Beati mundo corde: quoniam ipsi Deum videbunt.* Et 1. Ioan. 4. *Cum apparuerit similes ei erimus, & videbimus eum sicuti es.*

De visione autem beatitudinis secundum fructum, hoc est, munditia cordis secundum fidem, quæ dicitur fructus: generatur in nobis quando mundatum habemus cor, & sumus beati & illuminati in lumine diuino: ita quod nihil nobis videatur visione Dei certius & beatius: & incipit in ipso lumine refici & impleri quadam dulcedine: ita ut merito dicimus fieri lumine illo: & ille fructus dicitur fructus Spiritus ad Galat. 5. Et vocatur fides quam exponit Ambros. esse certitudinem inuisibilium, id est, æternorum. Et debet addi refectio fruitionis in lumine illo: & tunc perfectus est homo. De his visionibus simul intelligitur illud Psal. 83. *Ibunt de virtute in virtutem quousque videatur Deus deorum in Sion.* Similiter & illud 2. ad Corinth. 3. *Nos omnes ruelata facie gloriam Domini speculantes, in eandem imaginem transformamur à claritate in claritatem tanquam à Domini Spiritu.* Prima visio est populi fidelis, & communiter omnium. Secunda autem est Doctorum & specialiter. Tertia contemplantium, sicut Moysi in monte Exod. 33. Quarta autem est raptorum, sicut Pauli 2. ad Corinth. 12.

Sequitur de experimento gustus & visus simul. Habet autem visus experimentum cum tactu. Cum gustu experitur duo, scilicet, negotiationem boni, & suavitatem Domini cui negotiatur. De primo habetur hic: *Gustauit & vidit quia bona, &c.* Et intelligitur de negotiatione agri & vineæ. Et in agro negotiatur panem gratiæ, ut diximus supra: & in vinea vinum gaudij. De secundo habetur in Psal. 53. *Gustate & videte quoniam suavis est Dominus.* Gustus autem cum tactu veritatem resurrectionis & gloriam experitur. Vnde Lucæ vltimo: *Palpate & videte quoniam spiritus carnem & ossa non habet.*

Sed libet adhuc aliter considerare negotiationem huius mulieris quam videt & gustat, quia bona

bona est. Negotiatur igitur in terra sua de pecunia viri sui, & negotiatur in terra viuentium de pecunia communis quæ sua est & viri sui. Pecunia propria est facultas & substantia sua, quæ est bona fortunæ huius mundi. De his negotiatur pro pauperibus terræ suæ: quia pauperes semper secum in terra sua habet Matthæ. 23. Mercando ab eis sicut dixit Dominus: *Facite vobis amicos de mammona iniquitatis, ut cum deficeritis recipient vos in aeterna tabernacula Luce 16.* Et de hac negotiatione habetur Isa. 23. *Erunt mercedes eius & negotiationes eius sanctificate Domino: non condentur neque reponentur: quia his qui habitauerint coram Domino, Glossa, veris pauperibus, erit negotiatio eius ut manducent usque ad saturitatem, & vestiantur usque ad vetustatem.*

Secunda negotiatio est quam facit de pecunia viri sui, & haec est pecunia verbi, sicut Dominus in Euangel. Matth. 13, quod simile est regnum celorum homini qui vocavit seruos & tradidit illis bonâ sua, dicens: *Negotiamini dum venio.* Bona autem illa nihil sunt quam pecunia verbi. Negotiatur de illis extra terram suam: quia circa peccatores qui sunt in longinqua regione dissimilitudinis.

Tertia negotiatio explet de pecunia cōmuni quæ est deuotio cordis, & orationis instantia: quia querit mercari gustum eternitatis qui abundat in terra viuentium. Et de hac habetur in Euangel. Matth. 13, quod simile est regnum celorum homini negotiatori querenti bonas margaritas: *inuenta autem una pretiosa margarita dedit omnia sua, & comparauit eam.* Vere una pretiosa: quia nulla huic valet comparari: & haec est gustus diuinæ bonitatis in donis suis quæ largitur in deuotione animæ querenti & desideranti illum.

### §. II.

**S**equitur de secunda parte versiculi, quæ est de securitate lucernæ suæ, quia dicit: *Non extinguetur in tenebris lucerna eius.* Circa quod tria notanda occurunt, scilicet, quid sit lucerna, & quæ tenebræ, in quibus non extinguitur, & ratio quare non extinguitur. Est autem huius mulieris lucerna quintuplex, scilicet, lucerna redemptionis, lucerna verbi, lucerna exempli, lucerna intentionis rectæ, & lucerna discussionis in iudicio. De prima habetur in Euangel. Luc. 15, quod mulier habens dragmas decem, & si perdiderit unam ex illis, nonne accendit lucernam & euerit dominum & querit donec inueniat illam? Et cum inuenierit conuocat amicas & vicinas suas, dicens: *Congratulamini mihi quia inueni dragmam quam perdidera*m. Mulier est Dominus Iesus Christus propter virtutem fœcundatiuam. Domus est machina mundi. Lucerna autem lux in testa est lux diuinitatis in testa nostræ mortalitatis. Quæstio autem est omne opus quod fecit ad nostram redemptionem, sicut prædicatio sua & passio. Inuentio autem est recuperatio hominis. Amici, sancti Patriarchæ. Vicini, sancti Angeli qui congratulantur nostræ redempti.

De lucerna verbi habetur in Psal. 118. Lucerna pedibus meis verbum tuum, & lumen semitis meis. Pedes sunt affectus qui reguntur secundum

lucernam verbi. Semitæ autem sunt modi conuersationis huius vitæ & modi operis, in quibus etiam homo dirigitur per verbum Dei.

De lucerna autem exempli in Euange. Luc. 11. *Nemo accendit lucernam & in abscondito ponit, sed super candelabrum, ut qui ingrediuntur lumen videant.* Lucerna est lux bonorum operum in fama & notitia proximorum. Candelabrum autem est auctoritas & oratio in prælato, vel fulgor charitatis in quolibet subdito. Domus autem est Ecclesia. Qui ingrediuntur sunt qui per sacramenta & formam vitæ Catholicam ad Ecclesiam recipiuntur, & hi vident lucernam ut secundum exempla bonorum mores corrigan & vitam emendent.

De lucerna intentionis etiam in Euangel. habetur Luc. 11. *Lucerna corporis tui est oculus tuus: quod si oculus tuus fuerit simplex, totum corpus tuum lucidum erit, & sicut lucerna fulgoris illuminabit te.* Oculus, ut dicit Gloss. est intentio quæ dirigit opus ad Dominum: & hic oculus simplex est, quando est sine plica mali. Corpus autem dicitur hic vniuersitas nostrorum operum quæ illuminatur ab hac lucerna, scilicet, fulgore magno.

De lucerna autem discussionis iudicij dicitur Sophonias primo: *Scrutabor Ierusalem in lucernis, hoc est, in discussione iudicij: quia per hanc lucernam discutiet nos Dominus in iudicio.* Et per hanc lucernam nos hic scrutari deberemus, ut in futuro non scrutaretur nos Dominus: sicut dicitur 1. Corinth. 12. *Si nos ipsos dijudicaremus, non videtur iudicaremur.*


Sequitur quæ sunt tenebræ in quibus lucerna non extinguitur. Sunt autem quinque tenebræ in quibus lucent quinque lucernæ. Lucerna enim redēptionis lucet in tenebris peccati & reatus originalis: lucerna autem verbi Dei lucet in tenebris huius ignorantiæ: lucerna vero boni exempli in tenebris conuersationis: & lucerna discussionis in occulto tenebrarum cordis, vel conscientiæ. De primis tenebris, hoc est, peccati & reatus originalis habetur Ioan. 1. *Lux in tenebris lucet, & tenebra eam non comprehendunt.* Super illud dicit Chrysost. in originali. quod lux est beneficium & gratia redēptionis quæ lucet in tenebris peccati & mortis, sed tenebrae eam non comprehendunt, id est, non extingunt: sed ipsa dissipat tenebras mortis & peccati. De tenebris autem ignorantiae in quibus lucet lucerna verbi Dei dicitur Iob 3. *Viro cuius abscondita est via: & circumdedidit eum Deus tenebris.* Ibi Gloss. Gregor. Tenebris ignorantiae. Et Act. 17. *Tempora huius ignorantiae despiciens Deus, nunc annuntiat hominibus ut omnes ubiq[ue] p[ro]nentientia agant.* De tenebris huius mundi, in quibus lucet lucerna boni exempli, dicitur ad Ephes. 5. *Fuisti aliquando tenebra: nunc autem lux in Domino ut filii lucis ambulate.* De tenebris conscientiæ, in quibus lucet lucerna intentionis, habetur Matth. 6. *Si lumen quod in te est, tenebra sunt: ipsæ tenebrae quæ erunt?* hoc est, si lumen intentionis tenebra sit: ipsæ tenebræ cordis quæ erunt? Quia quando intentio mala coniungitur malo operi, tunc tenebræ efficiuntur sine mensura. *Quandiu enim est intentio bona, tandi est peccatum saltem cum timore: sed quando intentio est corrupta, tunc efficitur peccans sine spe reuersionis.*

De

De tenebris autem iudicij dicitur Ioe. 2. Sol & luna obtenebrati sunt, stellæ retraxerunt lumen suum, Dominus dedit vocem suam ante faciem exercitus sui, quoniam multa sunt castra eius nimis & fortia & facientia verbum eius. Sol est lumen prosperitatis huius mundi : luna autem mutabilitas temporaliū harum delectationum quæ obtenebrescent in die iudicij. Stelle autem sunt vigores sensuum in quibus hic viuunt peccatores : sed tunc non possunt amplius voluntates sensuum suorum habere. Et Dominus dabit vocem terribilem. Matth. 25. *Ite maledicti in ignem aeternum.* Ante faciem exercitus sui, id est, ante Angelos & Santos qui iudicabunt cum ipso. Et haec dicuntur castra eius, & orbis qui pugnabit pro ipso contra insensatos, quando exacuet creaturam in ultionem peccantium. Et facientia verbum eius in detruendo peccatores in infernum.

Sequitur de tertio & ultimo, de causa scilicet, quare ista lucernæ non extinguntur. Et sunt quinque lucernam conseruantia, scilicet, firma custodia vitri extrinsecus, abundantia olei in fomento ignis, & rutilans feruor flammæ, & munditia lichini, & cautela in modo ferendi lucernam. Firma vitri custodia est firma custodia puritatis secundum castitatem corporis, de qua habetur Iob 27. *Non adæquabitur ei aurum vel vitrum,* hoc est, sapientiae diuinæ. Et exponitur hic vitrum à Gregor. de puritate nostrorum corporum. Et hoc ostendit ipsa vitri natura : quia fit de cinere, & fit perspicuum : ita corpus nostrum fit de terra humili, sed perspicuum est quando concupiscentia in puritate non sordidatur. Oleum autem ad lucem conseruandum est oleum pietatis quod secum acceperunt sapientes virgines in vasis suis cum lampadibus quando media nocte sponsi occurserunt Matth. 25. & defecerunt in hoc fatuë virgines quæ castitatem sine pietate exhibuerunt : habentes quidem exterius speciem pietatis, virtutem autem eius penitus interius abnegantes. Et ideo lampades earum extinctæ sunt ante ingressum ostij cum sposo: & in tenebris permanerunt, sicut legitur Matthæi 25. Rutilans autem flamma est feruentissimæ & inextinguibilis charitatis ardor, de quo dicitur Canticor. 8. *Aqua multa non poterant extinguere eam, & flumina non obruerent illam.* Aquæ multæ sunt luxuriæ concupiscentiæ carnalis, quæ multæ sunt. Quia multis motibus se erumpere ostendunt. Flumina autem sunt concupiscentiæ huius mundi in pompis satanæ & spectaculis vanitatum. Sed quantumcunque humidæ sunt istæ aquæ per humorem voluptatis, & quantumcunque lubricæ & frigidae per inconstantiam vanitatum : tamen de corde ardenti non extingunt charitatem. Lichmen autem purissimum ardens isto igne est desiderium animæ. Sicut enim quando fit lichmen de materia terrestri non est aptum flammat lucidam emittere, sed fumat incensum & facter : sic etiam desiderium terrestre si quandoq; inuitatur ab alio ad charitatem, non ardet lucide, sed fumum factum concupiscentiæ carnalis emittit : sed econtra factum lichmen de materia pura, ardet lucide & sine factore. Ita est de desiderio à terrenis depurato: ardet enim in igne charitatis in lucem Ecclesiæ : unde dicit Dominus de Ioanne Baptista Ioan. 5. *Ille erat lucerna ardens & lucens: & vos voluistis ad horam exultare in lu-*

*ce eius.* Cautela vero summa in portando est, in portando humiliter ne ventus vanæ gloriæ extinguat, vel etiam ne turbo superbie lucerham infringat. Iob 18. Nonne lucerna impij extinguetur, nec splendebit flamma ignis eius? Lux obtenebrescit in tabernaculo illius : & lucerna quæ super eum est, extinguetur.



## C A P. X.

### S. I.

Manum eius misit ad fortia, & digitus eius apprehenderunt fusum.



O T H interpretatur domina, & alludit sententiæ versus sequentis quia in hoc ostendit se dominam, quia fortia vincendo dominatur contra se bellanti : digitos autem ponendo ad fusum ditat operibus suis familiam quæ protegitur dominio suo. De dominio suo dicit Isa. 26. *Domini posse derunt nos absque te, tantum in te recordemur tui nominis.* Quasi di. Dominum aliorum graue, & iugum ferreum iugum eorum : tuum o mater & pater libenter sustinemus dominium : quia seruire tibi regnare est, & iugum tuum suave est, & onus tuum leue, vt dicitur Matth. 11. Et si quid forte videtur graue in iugo tuo, hoc ipsum computret totum à facie olei, nominis tui certe debemus recordari. Non autem est huius mulieris dominium in virum suum : quia hoc non permittit Apostolus 1. Corinth, 11. sed ipsa est domina inimicorum mittendo manum in cervices eorum, & est domina familiæ preparans fusum ipsa vnde omnes vestiantur duplicitibus, vt non timeat domui suæ à frigoribus niuis.

Duo autem sunt quæ notantur in versu, scilicet, quid sit manum mittere ad fortia, & quid sit digitos eius apprehendere fusum. In primo autem notanda occurserunt tria, scilicet, quæ manus mulieris, secundo quæ fortia quibus immittit manum, tertio quis modus manus immittendi. Est autem manus haec manus luctantis & certantis, quæ quadruplex est, scilicet, manus luctantis cum Deo, manus luctantis cum mundo, & manus luctantis cum carne, & manus luctantis in diabolo. Prima est manus Iacob luctantis cum Angelo Gen. 32. Secunda manus eiusdem luctantis cum Laban auunculo suo Gen. 30. Tertia manus eiusdem luctantis cum fratre in utero materno Gen. 25. Quarta autem manus iterum Iacob luctantis inuisibiliter cum eo qui omnes istos contra se concitanuit. Prima lucta fit duabus brachiis, scilicet, fletu & oratione : sicut habetur Osee 12. *Iacob in fortitudine sua directus est cum Angelo.* Et inualuit ad Angelum & confortatus est : fleuit, & roganuit eum. Istas etiam manus presentat patri pellibus hædinis protectæ, & carnem coctam hædi patri in cibo offerens vt benedicat sibi anima eius. Manus enim, vt dictum est, sunt manus

manus luctantis in oratione, fletu, & orationis virtute. Manus autem pellibus hædinis sunt protectæ, quando peccatum exoriatum est, & dulcedo peccati & voluntas in olla contritionis est decocta. Pellis autem peccati, hoc est, memoria ipsius manus in satisfactione vbique protexit, vt non sit peccatum in memoria quod non protexit ut opus in pœnitentia iniuncta. Hos enim cibos pater cœlestis libenter comedit: quia habetur *Luc. 15.* Gaudium est sibi super filio prodigo revertente, & Angelis Dei super uno peccatore pœnitentiam agente. Benedictionem autem in gratia venie consequitur. Postea autem luctans cum Angelo accepit benedictionem securitatis contra tentationes: ita ut benedictio patris referatur ad gratiam præuenientem, ut velit bonum completa & sufficienti voluntate. Benedictio autem secunda referatur ad gratiam subsequentem contra tentationes, ne frustra velit bonum: quod frustra velle diceretur si per tentationes facile auferretur.

Habet etiam manum Iacob luctantem cum mundo: & hoc significatur in lucta cum Laban. Et haec lucta est triplex. Prima enim lucta fuit in seruitute pro filiabus Laban, & tunc decepit eum primo supponendo sibi aliam quam promisit. Secunda lucta fuit pro gregibus, & tunc mutauit sibi mercedem decem vicibus. Tertia lucta fuit in persecuzione, quando comprehendit eum in monte Galaad. Prima lucta significat varietatem in mundana voluptate: secunda autem varietatem mundi in rebus fortunæ de mammona iniquitatis: tertia autem in sequutione ipsius in vanitate in superbia vitæ: quia sicut dicit *Ioan. 2. can. 1.* Quicquid est in mundo, vel concupiscentia carnis est, aut concupiscentia oculorum, aut superbia vitæ. Est autem voluptas duplex: una est ad mundi voracitatem, & alia est ad ipsius mollitiem in vestitu, & haec reprehenditur in diuite, scilicet, quod epulabatur quotidie splendide, & inducatur purpura & byssus *Luc. 16.* Iacob autem vxorem voluptatis ad necessitatem ducere voluit: sed ille mutauit in luxuriam, quia supposuit non suam: voluptas ad luxuriam non est propria coniux hominis. Sed mutabilitas avaritiae decem vicibus mutata est eidem: quia mundus decem modis iustos tentat de avaritia, primo rapina, secundo furto, tertio usura, quarto obligationibus reddituum pro quantitate pecuniae quæ tempore solutionis sine usura tota recipitur, quinto fraude emptionis, sexto venditionis, septimo circumuentione astutiae, qua nescientes sibi cauere decipiuntur à patrōnis & pädagogis: octauo conferuatione rerum necessiarum emptarum in nouo & conferatarum usque in anni tempora in quibus cariora sunt illa, nono creditione rerum in futurum ut carius reddantur, decimo & ultimo conseruatione crudeli siue retentione in fame pauperum quibus nihil dat ut magis crescat in bonis. *Job 19.* dicit in persona deceptorum à mundo isto: *En deicies confudisti me, & non erubescitis opprimentes me.* Similiter mutabilitas superbiae in vanitate certat cum Iacob, hoc est, cum luctante viro spirituali: quia dicit *Augustinus*, quod superbia post omnes virtutes sicut, & nec fugientem relinquit, sed etiam in monte Galaad comprehendit. Fugiens enim est quilibet religiosus

recedens à mundo in montem Galaad, qui interpretatur acerius testimonij, hoc est, in eminentem religionem quæ testimonium habet ex multis patribus sanctificatis in ipsa: ibi tamen comprehendit eum superbiae vanitas: quia de quo deberet humiliari, vanius quandoque superbiae motus sentit, & hoc est quod apud eum idola quæsivit. Hoc est peccatum primum dæmonis quod ab omnibus fere colitur & adoratur. Sed subter stramenta camelii absconditur ne inueniatur Rachele dicente, quod non possit surgere: quia sibi acciderit secundum morem mulierum. Et sic sollicitudo querentis deluditur. Stramenta autem quibus insidemus corpori, sunt necessitates variæ corporis ex quibus humiliari habemus. Cogitantes enim de miseria mortalitatis abscondunt per humilitatem superbiae idolum ne inueniatur, allegante Rachele per confessionem quod acciderit sibi iuxta morem mulierum, hoc est, confitente peccata infirmitatis sue, ne surgat, id est, ne eleuetur per superbiam. Sed tunc quando vider mundus quod de suo nihil inuenit, saltem fœdus inire secum querit ne noceat de suo auferendo aliquid: & hoc significatur in fœdere quod percussit Iacob cum Laban *Gen. 29. & 30.* ut sibi de cætero mundus crucifixus esset in ipso mundo, sicut dicit *Apostolus ad Galat. 5.* Et amplius non gloriatur in mundo, sed dicit ad *Galat. 6. Mibi absit gloriari nisi in cruce Domini nostri Iesu Christi.*

Habet iterum manum Iacob mulier ista ad luctandum, & certandum cum carne: luctatur autem tribus modis, scilicet, cum carnis concupiscentia, & cum carnis deficientia, & tertio cum carnis moderatione & contemperatione ad naturam. Cum concupiscentia certat, ut vincat: cum deficientia ut sustineat: cum moderatione naturæ & cōcupiscentiæ, ne carnem perimat pro hoste. Item cum concupiscentia pugnat verberando, cum deficientia vero portando & sustinendo, cum moderatione autem naturæ & concupiscentiæ discernendo quid excludendum, & quid sit concedendum. Prima pugna plurimum habet aduersitatis, secunda multum laboris & sudoris, tertia cumulum habet solertia & subtilitatis, de qua dicit ad *Galat. 5.* *Caro concupiscit aduersus spiritum: spiritus autem aduersus carnem.* Hæc enim sibi inuicem aduersantur ut non quecunq; vultis illa faciat. De secunda loquitur *1. Tim. 5.* Noli adhuc aquam bibere, sed modico vino utere propter stomachum tuum & frequentes infirmitates tuas. De ultima in eadem epistola ultimo capitulo loquitur dicens: *Habentes alimenta & quibus tegamur, his contenti simus.* *Prouerb. 30.* *Duo rogauit te, ne deneges mihi antequam moriar: dinitias & paupertatem ne dederis mihi, tribue tantum viuis meo necessaria.*

Habet autem iterum manum ad luctam contra diabolum: & haec est duplex, scilicet, manus humiliatis quæ constringit superbam eius voluntatem, & manus constantiæ in temptationibus, quæ constringit malitiam machinationis ipsius. Prima manus est Domini manus. Quia haec humilitate crucis & carnis superbiam ipsius vincit: unde *1. Petri 5.* *Humiliamini sub potenti manu Dei, ut vos exaltet in tempore visitationis.* *Isa. 51.* loquitur de brachio in quo fuit manus ista, sic dicens: *Consurge, consurge, induere fortitudinem brachium*

brachium Domini: consurge sicut in diebus antiquis, in generationibus seculorum: nunquid non tu percussisti superbum, vulnerasti draconem? Hic petit *Isaia* humilitatem Domini ad pugnandum contra dæmonem, & petit ut resurget in ipso: sicut antiquitus in Christo, ita etiam percutiat in *Isaia* & in quolibet fideli. Hanc manum petit etiam David, dicens: Emitte manum tuam de alto, eripe me & libera me de aquis multis, & de manu filiorum alienorum. Manus humilitatis petitur contra manum superborum dæmonum qui dicuntur filij alieni, qui alienati sunt à prima filiatione Dei per amissionem hereditatis, qui inducunt aquas multas tribulatum in persuasione mala. De manu autem constantiae in pugnando habetur Genes. 49. *Manus tue in cervicibus inimicorum tuorum.* Psalm. 17. *Qui docet manus meas ad pralium, & digitos meos ad bellum.* Et hæc sunt dicta de manu belli sive luctandi quam mittit ad fortia.

Deinde considerandum est ad quæ fortia mittit manum. Sunt autem septem duces & capita omnium vitiorum, quæ fortia dicuntur eo quod fortissimum ingerunt bellum, scilicet, superbia, inuidia, ira, acedia, auaritia, luxuria, & gula. Inanis vero gloria mouet octauum bellum, sed est simile superbie. Nonum autem mouet schisma. Decimum mouet infidelitas. De his duabus & bellis eorum loquitur Dominus ad Iob 39. de equo loquens qui de sella regis est, hoc est, de aniina portante & ferente Christum. *Vbi audierit buccinam, dicit Vah, procul odoratur bellum, exhortationem ducum, & v lulatum exercitus.* Bellum est forte ad quod mulier mittit manus: & cum audierit buccinam, hoc est, sentit primum motum per quem diabolus & vitia inuitant ad pugnam, emittit vocem contemptus, dicens, *Vah:* quia gaudendo iam de sperata victoria per quam sibi coronam acquirere debeat. Procul autem odorari bellum, est subtiliter quamlibet tentationem vitij etiam initio tentationis percipere: sicut dixit Dominus serpenti de muliere Genes. 3. *Ipsa conteret caput tuum, & tu insidiaberis calcaneo eius.* Glossa. id est, fini operis. Audit autem & percipit adhortationes ducum, hoc est, qualiter & quibus actibus se inuitant ad bellum decem vitia enumerata, septem scilicet capitalia quæ pugnant contra omnes non eiiendo ab Ecclesia; & tria alia quorum unum impedit fidem, scilicet, inanis gloria, sicut dicit Dominus Ioan. 5. *Quomodo vos potestis credere, qui gloriam ab iniuicem accipitis, & gloriam que à solo Deo est non queritis?* Alterum autem scindit charitatem & unitatem. Tertium vero interimit fidem. Vlulatus autem exercitus est strepitus satellitum horum vitiorum: sicut sub vexillo superbie est ambitio, tumor hypocrisis, & huiusmodi. Sub vexillo autem inuidia murmuratio, detractione, exultatio in aduersis proximi, tristitia in prosperis proximi, & huiusmodi. Sub ira vero odium, rancor, clamor, blasphemia, maledictio, inimicitiae, & huiusmodi. Sub acedia ignauia, torpor, pigritia, langor, ad mundum suspirium in onere paenitentiae, affectus vanitatis mundanae, & huiusmodi. Sub auaritia autem fraus, rapina,

*D. Alberti Magni Lib. de mul. forti.*

exactiones, furtu, duritia cordis in pauperes, & huiusmodi. Sub luxuria autem petulantia cordis & corporis amplexus alliens & oscula, & turpiloquium, tactus immundi immunditia cordis & corporis, sodomia, coitus cum pecore, mollieties, adulterium, raptus, defloratio virginum, incestus ad consanguineas. Sub gula vero ebrietates, collatio symbolorum in conuiuis, leccacitates ad delicata, commissiones, ingurgitationes, & huiusmodi. Sub inani vero gloria iactantia, ostentatio histrionum, gaudium in multitudine clientum, amor adulatorum, & huiusmodi. Sub schismate autem contemptus authoritatis, inobedientia, excommunicationis annihilationis, & clauis vilipendium, & huiusmodi. Sub heresi vero nouitatum presumptio, corruptio Scripturarum, sacramentorum incredulitas, obstinatio sensus proprij, dissimulatio veritatis, confidentia victoriae in confidentia clamoris cum disputat, & huiusmodi. Hæc omnia vitia quando sub dominibus suis sunt seiuicem adhortari incipiunt, magnum v lulatum belli in corde fuscitant, ita ut fiat certamen forte ad quod mulier manum mittit: quia certamen forte dedit illi Deus ut vinceret, & sciret quoniam omnium potentior est sapientia Christus Deus noster, qui est vir mulieris huius: sicut habetur Sapientiae 10. & 2. ad Timoth. 4. *Bonum certamen certani, cursum consummari, fidem servare.*

Primum certamen, scilicet, superbie est certamen draconis in cælo cum Deo: sicut legitur Apocal. 12. Diabolus enim contendit de æqualitate, sicut habetur Isa. 14. *Supra astra cali exaltabo solium meum, sedebo in monte testamenti, ero similis Altissimo.* Astra cæli dicuntur hic chori Angelorum. Mons testamenti dicitur hic exaltatio testatoris, id est, filii cui parificari voluit lucifer. Hoc prælio præliauntur cum Deo omnes superbi: sicut dicitur in Psal. 73. *Superbia eorum qui te oderūt ascendit semper.* Et Ezech. 28. *Eieci te de monte sancto Dei, & perdidisti te o Cherub protegens, de medio lapidum ignitorum.* Et eleuatum est cor tuum in decore tuo: *perdidisti sapientiam tuam in decore tuo, in terram projeci te: ante faciem regum dedi te, ut cernerent te in multititudinem iniquitatum tuarum.* Cherub dicitur hic diabolus plenus sapientia, fulgens inter lapides ignitos charitate in cælo, hoc est, inter Angelos. Protegens autem dicitur, eo quod fuit super alios & protegere eos debuit quos acceperat in regimine: sed propter superbiam fulgor sapientiae suæ deperiit, & projectus est extra consortium lapidum ignitorum in ignem æternam, & de monte beatitudinis Dei in terram tanquam in carcerem, ubi tentat hominem usque in diem iudicij: ut tunc in infernum detrudatur. Et hoc est quod dicit, quod dedit eum ante faciem regum, id est, appetitum regnum & gloriam huius mundi, ut cernant si ambitio superbie in dæmons sic est damnata qui angelus fuit: quantum damnabitur in homine misero de luto & stercore facto: quia superbia tanto est detestabilior quanto superbus fuerit humilior, & non habens tumoris occasionem.

Secundum certamen forte est inuidiae cum suis satellitibus, & hoc significatur per certamen

D Cain

Cain, qui propter inuidiam fratrem suum occidit Genes. 4. Et notabile est quod inuidit fratri non alia de causa nisi quia melior eo , & Deo acceptior fuit frater quam ipse : & ita faciunt inuidi, semper quantum in se est occidunt fratrem : non non enim persequuntur inimicum , sed fraternum bonum extingue quærunt : & nihil aliud persequuntur nisi bonum quod dedit Deus homini , per quod videtur Deus diligere illum cui dedit. Hæc occidit Deum. Dicit enim Matth. 17. *Quia sciebat Pilatus quod per inuidiam tradidissent eum.* Huius vitij propria condemnatio est tremor capitum : quia inuidus tremula mente omne bonum intuetur. Hoc virtus etiam mouit fortissimum certamen primo homini in paradyso : vnde etiam eiecit eum :quia dicitur Sapient. 2. *Inuidia diaboli mors introiuit in orbem terrarum. Imitantur autem illum qui sunt ex parte illius.*

Tertium certamen est forte multum , & est certamen iræ : quia ut dicitur Iacobi primo. *Ira viri iustitiam Dei non operatur.* Et hoc certamen significatum est per certamen quod omni tempore fuit inter Saul & David : quia legitur 1. Regum 18. & 19. *Spiritus Domini recessit a Saul : & exagitauit eum spiritus nequam à Domino : & nitebatur lancea confondere David.* Spiritus Domini est spiritus mansuetudinis , sicut ipse dicit Matth. 11. *Discite à me quia mitis sum & humilis corde.* Spiritus autem malus & nequam , est spiritus iræ qui exagitauit Saul , & exagitat iracundos : quia ad literam ex fervore sanguinis circa cor , & ex aspiratione felis ad superiora , & ex protensione & multiplicatione spirituum in superiori parte corporis incipit corpus tremere , labia habere motum inordinatum , & oculi volvuntur & rubescunt , nares ampliantur : quemadmodum in Proverbiis dicitur , quod *iracundus spiritum habet in naribus , lingua balbutit impropria.* Et hoc dicitur exagatio spiritus mali quo exagitatur iracundus à Domino. Vnde etiam dicitur de Saul quod stetit in medio domus suæ & prophetauit : quod nihil aliud est quam promissio qua promittit & machinatur sibi iratus vindictas assidue : sicut fecit Saul , qui modo per lanceam , modo per Philisthaeos , modo per illos de Ceila , modo per Ziphæos sibi promisit vindictam. Lancea autem quanititur confondere David , est dira ira : sicut dicitur Sapient. 5. *Acuet diram iram in lanceam.*

Quartum certamen est forte valde , & ipsum est certamen acedia , & hoc est significatum in certamine Mardochæi & Haman. Vedit enim Mardochæus somnium quod certarent duo maximi dracones: vnu pro gente Sanctorum , & aliis contra eos Esther 10. Draco maximus est amor mundi , qui facit homines acediosos. Draco aliis sine veneno , est alacritas & libertas spiritus in seruendo Deo. Vnde etiam Mardochæus propter hoc patiebatur , quia honorem Dei sui ad creaturam voluit transferre : ita spirituales viri propter hoc patiuntur à mundo , quia honorem & amorem quem Deo debent , mundo volunt attribuere. Et ideo etiam

dicitur Esther 11. *Sol ortus est , & humiles exaltati sunt , & deuorauerunt inlytos.* Quando enim oritur in corde lumen cognitionis æternorum : tunc qui ante habebat spiritum directum & humilem , exaltatur & deuorat alacritate quadam & vehementia spiritus festinantis in laudem Dei inlytos , id est , eos quos ante reputauit inlytos , hoc est , omnem ornatum mundi & amorem quem habuit in suspicis cordis. Hic est etiam dæmon qui certauit cum Domino in deserto mouendo questiones de austerritate ieunij , & sanctitate vitæ , & appetitu gloriae Matth. 4. De austerritate ieunij , quando dixit : *Si Filius Dei es , dic ut lapides isti panes fiant.* De sanctitate vitæ , cum dixit: *Si Filius Dei es , mitte te deorsum.* De appetitu gloriae , cum dixit : *Hæc omnia tibi dabo si cadens adoraueris me.* Tales enim quæstiones acedia adhuc mouet in deserto pœnitentia Domino in corde spiritualium virorum : volunt enim quædoque experiri vtrum Deus sit in eis per expætationem signi : & hoc fit quando languent circa longam expætationem promissorum Dei , volentes experiri certitudinem eius per signum vtrum sint filii Dei : quando etiam incipiunt tædio affici circa rigorem religionis cupientes vt lapides , id est , duritiae pœnitentia in panes temporalis consolationis conuertantur : quando etiam paupertatem & mundi abiectionem abhorrende incipiunt , cupientes aliquam exaltationem in pompis satanæ. Hoc etiam desiderium pessimum expertus est populus Israel Numer. 11. quando flagravit populus desiderio carnium sedens , & flens , & dicens : *Quis dabit nobis ad vescendum , carnes ? Recordamur piscium quos comedebamus in Ægypto gratis : imminentem nobis veniunt cucumeres , & pepones , porrique , & cepe , & allia.* Anima nostra arida est , nihil aliud respiciunt oculi nostri nisi Manna. Ploratus ad carnes est desiderium ad carnales delectationes in corde acediosi. Cucumeres autem & pepones sunt concupita refrigeria mundi. Porri autem & cepe & allia , est desiderium ad labores amaros huius seculi , quod etiam excitat acedia. Anima etiam nostra , hoc est , animalitas arida est tædio & tristitia circa diuina. Oculi autem cupientes laudem in mundi vanitatibus , etiam afficiuntur mœstitia , eo quod non vident in religione nisi Manna , id est , signa gratiæ & maturitatis.

Quintum certamen forte est certamen auaritiae , & hoc est certamen Absalom , quod habuit contra patrem suum David , sicut legitur 2. Regum 16. Vnum est , quod interfecit fratrem suum. Secundum , quod eiecit patrem suum de hereditate. Tertium , quod dolose attraxit sibi populum osculans eos in porta , & laudans causas eorum , & detrahens regi , eo quod non iudicaret eis. Quartum est , quod fœdauit vxores patris sui dormiens cum ipsis in solario domus patris sui. Quintum est , quod suspensus est per capillos. Sextum & ultimum est , quod fecit sibi fornicem triumphalem & memorialem , eo quod non haberet filium in hereditatem sibi succeden-

succedentem. Primum significat crudelitatem auari in fratres qui sunt proximi : quia illos interficit extrahendo vitam eorum , sicut dicitur Isaiae 3. *Rapina pauperis est in domo vestra.* Secundum autem : quia etiam auarus nititur cibcere patrem de hæreditate , vult solus habitate in terra , contra hoc quod dicitur Isaiae 3. *V&e vobis qui coniungitis domum ad domum & agrum agro copulatis: nunquid habitabitis vos soli in medio terre?* Tertium est , quod etiam fraudulenta quædam oscula exhibent ut decipiant & opprimant sibi attractos : quia etiam si ad tempus dent libertatem , tamen tandem nihil querunt nisi pecuniam & deceptionem apud alleatos. Quartum iterum competit : quia vxores patris sui decem scilicet fœdant. Pater enim noster Deus est : & vxor ex qua genuit filios meritorum , fuit obedientia mandatorum. Et sunt vxores decem mandata decalogi , quæ continuo transgreditur auarus , sicut dicitur Sapient. 15. quod auari etiam idola inuenierunt : quia estimauerunt lusum esse vitam nostram , & conuersationem vita compositam ad lucrum , & oportere undeunque etiam ex malo acquirere. Hinc est quod dicit Apostolus ad Coloss. 3. quod auaritia est simulachrorum seruitus : & de quibusdam quod estimabant quæstum esse pietatem. Quintum etiam est, quod capillis suspensus est : & capilli in capite sunt affluentiae diuinarum circumdantium auarum quibus suspenditur ne viuat : quia impediunt eum diuinitatne ad vitam æternam perueniat : sicut dicit Dominus in Evangelio Luc. 18. *quam difficile quæ pecunias habent, in regnum calorum intrabunt!* Vnde dicit Apostolus 1.ad Timoth. ultimo. *Qui volunt diuites fieri incident in tentationem & in laqueum diaboli.* Verum etiam in laqueum in quo suspensus est Iudas traditor & proditor Domini pro pecunia. Et in laqueum in quo suspensus est Absalom : quia multitudo pilosæ superfluitatis , hoc est, diuinarum strangulat eos laqueo mortis æternae. Sextum etiam competit auaris : quia cum vident quod secum nihil afferunt , toto corde desiderant ut magnum aceruum quasi titulum præconiale pecunia & hæreditatis post se relinquant : contra hoc quod dicitur in Psalmo : *Cum multiplicata fuerit gloria domus diutis: quoniam cum interierit, non sumet omnia,* id est, nihil de omnibus : *neque etiam descendet cum eo gloria eius.* Et Iob 27. *Dives cum dormierit, nihil secum afferet.*

Sextum certamen fortissimum mouet carnale virtutum gulæ , & illud est inimicum crucis Christi , sicut dicit Apostolus ad Philippen. 3. *Nunc flens dico inimicos crucis Christi, quorum finis interitus, quorum Deus venter est.* Et hoc est certamen David & Goliath Philisthæi 1. Reg. 17. Et hoc haberi potest ex tribus, scilicet, ex interpretatione nominum : quia Goliath interpretatur transmigrans : quia omne quod in os vadit, in ventrem vadit & in secessum emittitur : & corpus etiam continuo transmigrat , & nunquam in eodem statu permanet. Philisthaeus autem interpretatur potionem cadens : & ita gulosus quanto plus cibo & potu se ingurgitat , tanto magis cadit & corruptitur in malis humeribus in corpore. Secundum in quo percipi-

*D. Alberti Magni Lib. de mul. fort.*

tur, est in magnitudine Golæ : quia fuit gigas. Gigas autem dicitur à gen græce quod latine sonat terra : quia multum habet de terrestri corpore : & ita gulosi pingui ceruice & aruina de lateribus pendente corpus terrestre multiplicant. Tertium in quo percipitur, est modus imperfectionis ipsius : vnde 1. Regum 17. Elegit Dauid pastoralem baculum , qui significat vitæ regimen in pascuis : & peram , quæ significat refectionem ad viam , non ad quietem concupiscentiæ : & quinque limpidissimos lapides de torrente. Torrens autem est tribulatio & angustia huius vitæ. Lapides limpidi sunt quinque virtutes parsimoniarum , quibus gastrimargia interficitur. Prima est diu ieiunare usque ad horam debitam & usque ad ventris rugitum , & non præuenire famem. Secunda est sufficere sibi in cibis pauperum , ut in legumine , & olusculo , & pane filagineo , vel certe hordeaceo. Tertia est parum comedere , & de hoc ipso etiam non usque ad satietatem se replere. Quarta est etiam in magna fame statuere cultrum in gutture , ut non effundat se anima super omnem cibum , sed cum maturitate & decentia tractim comedat. Quinta est ut nullum studium ponat in præparatione cibi , non curans utrum elixa meliora sint , an frixa sint , aut cocta simpliciter comedenda : his enim interficitur gula. Et sunt istæ virtutes contra quinque vitia gulæ , quæ ponit Gregor. & continentur in hoc versu :

*Præpropere, laute, nimis, ardenter, studiose.*

Præpropere enim filij Israel carnes concupiscent antequam carnes comedendi tempus venisset : & ideo mortui sunt in sepulchris concupiscentiæ Numeri 11. Studiose autem filij Heli carnes sacrificiorum voluerunt sibi parari aliter quam consuetum esset : & ideo mortui sunt in bello Philistinorum : sicut habetur 1. Regum 4. Nimis etiam comedere vituperatur in deo Babyloniorum , qui aliter diuinitatem dei sui non percipere sciuerunt , nisi quia multa comedit & bibit quotidie : sicut habetur Daniel. 14. Ita quidam sunt qui quando singulis diebus non multa comedunt & bibunt , statim conqueruntur tanquam diuinitatem & omnipotentiam stomachi sui & ventris illa die non perceperunt. Ardenter etiam Esau lenticulam petiit & voravit , & ideo tanquam prophanus propter unam escam primogenita vendens amisit : sicut legitur Genes. 25. Laute autem epulari reprehenditur à Domino in diuite purpurato: & ideo in inferno sepultus petit specialiter lingua refrigerium : quia in illa plus ardebat. Hæc etiam est certatio quam mouit Nabuchodonosor contra Ierusalem : & ideo etiam principi coquorum , ut dicit Gregorius , mandauit ut incenderet eam. Princeps coquorum est gula.

Septimum bellum est quod facit luxuria: forte quidem est ipsum valde , sed fortior mulier fortis. In tantum enim forte est illud ut Zorobabel sapientior inter tres iuuenes custodientes caput Assueri regis sive Artaxerxis , pronuntiet ipsam mulierem omnibus fortiorum , excepta veritate , quæ quippe palmis cædebat regem de sinistra manu , & non irasciebatur , & coronam depositum de capite regis ,

D 2 & sibi

& sibi imposuit : sicut legitur in 2. Esdræ 4. Similiter ibidem dicitur quod hominem magis allicit mulier quam aurum : & furta facit & homicidia , & mare nauigat, & multa alia quæ ibi enumerantur propter mulieres. Similiter Samson fortissimus benedictus ex matris utero, corruit & excæcatus est propter mulieres : vt legitur Judith 16. Salomon etiam sapientissimus & fortissimus regum per mulieres corruit : vt legitur Eccli. 47. *Inclinasti femora tua mulieribus. Potestatem habuisti in corpore tuo : vt scilicet corpore expleres libidinem quam posses : & ideo dedisti maculam in gloria tua.* Hoc est bellum quod pugnauit fortissima mulier , & exemplum castitatis & speculum, Judith cum Holoferne , amputans caput suum & confusionem inducens in domum Nabuchodonosor regis : vt legitur Judith 14. Amputauit caput autem gladio ipsius Holofernisi, hoc est, amore, sed conuersa : quia quæ prius amorem habuit turpem, postea habuit pulchrum & decorum ad modum Mariæ Magdalæ, quæ amauit turpiter, & postea conuerterit amoris gladium , & amputauit caput libidinis ; & ideo meruit audire à Domino , quia dimissa sunt ei peccata multa , quoniam dilexit multum. Luca 7. Hoc certamine beatissima Virgo & Mater Dei caput draconis contriuit penitus. Hoc etiam bello Debora prophetando , & Iahel vxor Cinæ occidendo peremerunt Sisaram , propinando ei frigidum potum lactis vt obdormiret, id est, subtrahendo fomenta libidinis , & malleo castitatis clavum munditiae cordis & corporis per tempus eius, id est, vigorem libidinis perculserunt : ita vt ante pedes eius volueretur mortuus Iudicum 4.

Octauum autem bellum fortissimum extra modum , quod mouet inanis gloria : nec est idem inanis gloria : nec est idem inanis gloria quod superbia ; superbia enim querit excellentiam dignitatis , sed inanis gloria vanitatem laudis in quibuscumque spiritualibus vel corporalibus studiis. Et hoc est bellum quod quotidie mouet mulier mœcha contra Ioseph in Ægypto : vt legitur Genes. 39. quæ quotidie dixit ei , Dormi mecum : & sic molesta erat adolescenti : & ille recusabat stuprum , dicens : *Ecce Dominus meus omnibus mihi traditis ignorat quid habeat in domo sua : nec quicquam est quod non sit in mea potestate vel non tradiderit mihi, præter te quæ vxor eius es : quomodo ergo possum hoc malum facere , & peccare in Dominum meum?* Ioseph accrescens interpretatur , & significat eos qui sunt in profectu laudabilium operum. Vxor autem domini Ioseph est gloria , quæ soli Deo reponenda est & custodienda , vt dicunt Angeli : Gloria in altissimis Deo, & in terra pax hominibus bonæ voluntatis. Lucæ 2. Sicut enim dicitur 1. Corinth. 11. *Vxor gloria viri est.* Et Ilaiae 42. *Gloriam meam alteri non dabo.* Hæc impedit crescentem in laudabilibus operibus, præcipue quandiu iuuenis est, & viget adhuc in eo impetus lasciuia : quia immatueros homines saepe certamen huius vitij attentat & quotidie : quia in singulis profectibus gratia & bonorum operum volens quod in secreto cordis & intentionis sua secum dormiat, hoc est, in appetitu laudis requiescat, vt hoc vi-

delicet pro vana gloria faciat, quod pro Domino solo fieri debet. Sed ille recusat stuprum quando continuo puluerem vanæ laudis abijcit , & excutit à pedibus , secundum quod Dominus dicit Apostolus Lucæ 9. Sed notanda sunt verba quæ allegat Ioseph, quando abijcit gloriam. Et inquit : Dominus meus , hoc est , Christus Deus & Dominus meus, omnibus mihi traditis, quæ ad salutem , & bonam operationem , & naturæ sustentationem , & ad redemptionem meam sufficiunt. Ignorat enim, id est, ad modum ignorantis se habet , quid habeat in domo sua , id est, in corde meo ; mihi plene dispensationem & possessionem omnis gratia committit , præter te scilicet gloriam quæ proprie sibi generata & reposita est. Solus enim habet gloriam , in cuius gloria nihil est vnum : quia omnia fecit , & omnia in omnibus operatur. Ego autem qui puluis sum : & siquid habeo, hoc ipsum mutuo accepi. Etiam securis qua succido ligna ædificij mutuo accepta est, id est , acumen ingenij quo percipio qualiter spiritualia ædificia aptem, superflua mihi à Deo credita est. Quomodo ergo gloriabor quasi non acceperim , & peccabo in Dominum omnis boni auctorem. *Omne quippe , vt dicitur Iacob. 1. datum optimum , & omne donum perfectum : deforsum est descendens à Patre luminum, apud quem non est transmutatio , nec vicissitudinis obumbratio.* Flumina ergo gratiarum reueruntur per gloriam in mare, hoc est, in Deum fontem omnis boni , vt iterum fluant. Non attribuo mihi gloriam de hoc quod aliunde accepi. Sufficit mihi hoc quod ad viam mihi largitus est. Non rapinam arbitror me esse æqualem Deo vt sim gloriosus , vt ipse dicit Apostolus 1. ad Timothe. 1. *Regi seculorum soli Deo honor & gloria in secula seculorum. amen.*

Nonum certamen forte admodum mouet schisma : initur autem scindere tunicam inconsutilem charitatis , excedens in hoc peccatum crucifixorum Christi : sic enim dixerunt : *Non scindamus eam , sed fortiandum de ea cuius sit* Ioan. 19. *vt impleretur quod scriptum est in Psalmo 21. Diuiserunt sibi vestimenta mea , & super vestem meam miserunt fortem.* Tunica inconsutilis est auctoritas clavium , & unitas charitatis Christi. Crucifixores autem spirituales Christi sunt aperti peccatores : qui tamen manent in obedientia clavium , & fide informi numerantur in Ecclesia : de quibus dicit Apostolus Hebræ. 6. *Rursus sibimetipsis crucifigentes Filium Dei & ostentui habentes.* Istorum peccatum non adeo crescit vt scindant potestatem clavium, & unitatem charitatis : qua nequitur totum corpus Christi mysticum , quod est Ecclesia : sed bene conuertunt in quæstum , & fortiuntur diuidendo inter se quæstum cuius sit. Sed peccatum schismaticorum scindit eam : quia illi obedientiam clavium contemnunt , & lacerant charitatis unitatem dentibus detractionis. Hoc certamen est quod certauit Michael Archangelus cum satana in aëre , cum alterarentur simul dæmones de corpore Moysi : sicut legitur in epistola Iudæ. Moyses enim significat Christum. Corpus eius

eius est corpus mysticum, quod est Ecclesia. Hoc satan vult lacerare. Vnde etiam sub Zorobabel & Iesu sacerdote magno, cum liberari deberet corpus Moyssi, hoc est, Iudæorum populus: apparuit satan ut aduersaretur illis, sicut legitur Zacha.3. Dicit enim sic: *Ostendit mihi Dominus sacerdotem magnum Iesum stantem coram Angelo Domini: & satan stabat a dextris eius ut aduersaretur ei.* Et dixit Dominus ad satan: *Increpet Dominus in te satan: & increpet Dominus in te, qui elegit Ierusalem.* Iesus est noster magnus Sacerdos secundum ordinem Melchisedech, qui commisit potestatem clavium Prælatis in ædificationem, & non in destructionem. Satan autem à dextris est schismaticus in prosperitate temporali, qui non cessat aduersari nisi increpet Dominus in eum confundendo eum: quia Dominus elegit Ierusalem, hoc est, visionem pacis, cum ille odiat pacem. Et hoc est quod diximus de schismatis in tota Ecclesia. Tenet etiam de schismatis in conuentibus clericorum vel laicorum; de quibus etiam est vox querulosa conturbatorum. *Fili matris meæ pugnauerunt contra me* Cantic.1. Et illud Psal.119. *Cum his qui oderunt pacem, eram pacificus: cum loquebar illis, impugnabant me gratis.* Item. *Pro eo ut me diligenter detrahebant mihi.* Item. *Si inimicus meus maledixisset mihi, abscondisse me forsan ab eo.* Tu vero homo unanimes, dux meus, & notus meus: qui simul mecum dulces capiebas cibos, scilicet verbi Dei, ambulauimus, hoc est, ambulare debuimus, cum consensu.

Decimum certamen est quod mouet infidelitas & hæresis, durum præ omnibus supra dictis: quia hæc est iniquitas maxima, & negotiatio contra Deum altissimum. Et hoc significatur per certamen Moyssi contra Iannes & Mambres, coram Pharaone rege Ægypti, in duritiam cordis Ægyptiorum, & in liberationem filiorum Israel Exod. 7. Virga enim Moyssi autoritatem fidei significat, ex qua fit draco secundum veritatem consumens alios dracones, hoc est, sententia excommunicationis in veritate ligans & tradens satanas. Sed etiam magi volunt facere similitudinem Moyssi, sed deficiunt in tertio signo: quia hæretici sunt similia Ecclesiæ, sed deficiunt in gratia Spiritus sancti: eo quod in sacramentis eorum gratia Spiritus sancti non confertur: quamvis character imprimitur, dummodo forma Ecclesiæ seruetur: quia, sicut dicitur Sapie.1. *Spiritus sanctus discipline effugiet fictum.* Hæc est bestia in Apocal. 16. *de cuius ore exiuerunt tres spiritus immundi in modum ranarum.* Et primus spiritus est blasphemia æternæ veritatis in fide. Secundus est blasphemia Dei, eo quod falsa sibi attribuunt. Tertius spiritus est blasphemia potestatis Dei operantis in sacramentis quam etiam hæretici abiiciunt. In hoc bello etiam sunt omnes simoniaci & Giezitæ, qui Spiritum sanctum in donis suis ad hanc vilitatem protrahere nuntiunt, ut temporali pretio vendi possit aut emi. Hoc etiam bellum mouebit Antichristus contra Christum: quia iam hæretici sunt nuntiij Antichristi, sicut dicitur 1.Ioan.4. *Omnis spiritus qui soluit Iesum, ex Deo non est, & hic est Antichristus de quo audistis quoniam venit, & nunc iam in mundo est.* Spiritus est hic inspiratio dæmonis inspirans hæreticos ad loquendum falsa. Soluit

D. Alberti Magni Lib. de mul. fort.

autem Iesum in sacramentis & fide, hoc est, disfoulit & corruptit quoad officium: quia officium gerit Antichristi qui veniet personaliter in futuro, sed venit iam etiam in membris & nuntiis suis. Hic est spiritus mendax in ore omnium prophetarum Achab ad decipiendum eum: sicut habetur 3. Reg. vltimo. Quia enim populus non credit veritati, iustum est ut mitatur eis spiritus erroris & hæresis, ut credant mendacio.

Sequitur de tertio, scilicet, qualiter manum mittit ad fortia. Enumerati sunt autem quatuor modi quibus mittit manum ad fortia. Primo scilicet, orando Deum ut iuuet ad victoriam. Secundo solerter percutiendo & subtiliter hostem. Tertio caute euitando plagas illatas ab hoste. Quarto assidue confortando & roborando manum ne deficiat in prælio. De primo, scilicet, oratione dicitur in Psalm. 140. *Elevatio manuum mearum sacrificium vespertinum.* Et in 1.Timot. 2. *Volo viros orare in omni loco, levantes puras manus sine ira & disceptione.* Et Exod. 17. quando Moyse eleuabat manus in monte, vincebat Israel: quando autem declinabat, superabat Amalec. Et significat quod quando aliquis in monte sanctitatis eleuat manus in oratione ad Deum, tunc vincit: quando autem declinat per desidiam, tunc incipit vincere diabolus.

De secundo, scilicet, modo missionis manus ad fortia per solertia percutiendi hostem, considerandum est quæ sit virtus quæ dicitur solertia pugnandi spiritualiter & vulnerandi hostem. Est autem virtus illa sollicita considerationis tentationum hostis in quibus magis tentare consuevit, ut illi maxime obuietur quod maxime nobis & continuo ingerit. Vnde Job 29. *Gloria mea semper innouabitur, & arcus meus in manu mea instaurabitur.* Gloria est de victoria crebra, quando debilis redditur hostis. Arcus autem in manu est solertia sagittandi hostem qui semper instauratur, quando confundit continuo & debilitat tentatorem. Ista manus dicitur manus obstetricans: quia quasi per modum obstetricis solcite curat excludere serpentis mortuum & serpentem à corde: sicut dicitur Job 26. *Spiritus Domini ornauit celos, hoc est, Sanctos virtutibus fecit micare, & obstetricante manu eius eductus est coluber tortuosus.*

Tertia immissio est manus, quando caute scit temptationis occasiones euadere, & vulnera suscepta sapienter sanare quod non putrefiant. Occasiones autem temptationis euadit qui euitat malas societas, & mala spectacula, & ludos, & colloquia turpia, & otium: sicut dicitur 1.ad Corinth. 15. *Corrumptunt bonos mores colloquia prava.* Et 1.ad Timoth. 4. *Ineptas & aniles fabulas deuita.* Et ad Lot Genes. 19. dictum est, quod exiret à Sodomis, & non staret in omni circa regione, sed in monte se saluum faceret. Sodoma sunt peccata mortalia. Circa regio est multitudo venialium, per quæ etiam necesse est transire hanc vitam: non tamen in eis debemus stare, sed per orationem quotidiam & eleemosynam exire & confessionem generalem, & saluare nos debemus in monte altitudinis virtutum. Spectare etiam non debemus peccatores ardentes in sulfure, hoc est, in favore luxuriae: quia multi ex

D 3 hoc

hoc ceciderunt, quod luxuriam & luxuriosos contemplati sunt: vnde dicitur Genes. 19. quod vxor Lot respiciens retro per remembrancem delectationis, conuersa est in statuam salis, id est, in duritiam cordis ut remaneret in peccatis: ita namen quod esset exemplum aliis ne similia faciant, alioquin similia patientur: & ita sale sapientiae condit aliquos, quia

*Felix quem faciunt aliena pericula cautum.*

De quarto modo qui est assidue confortare manum, ut non amittat vigorem pugnandi. De hoc habetur ad Hebre. 12. *Remissas manus & genua soluta erigite, & gressus rectos facite pedibus vestris: ut non claudicans quis erret, magis autem sanetur.* Et ibidem in principio capituli. *Deponentes omne pondus & circumstans nos peccatum, curramus ad propositum nobis certamen, aspicientes in authorem fidei & consummatorem Iesum, qui proposito sibi gaudio sustinuit crucem confusione contempta, atque in dextera sedis Dei sedet. Recogitate enim eum qui tales sustinuit a peccatoribus aduersus se metipsum contradictionem, ut ne fatigemini animis vestris deficientes.*


### §. III.

**S**equitur de secunda parte versiculi, scilicet, quod digitii eius apprehenderunt fusum: in quo notatur assiduitas & utilitas operis, quibus prouidet suis contra frigora niuis, de quibus infra loquetur. Sunt autem tria hic notanda, scilicet, qui & quot digitii fusum capiant, & quid sit fusum, & qualiter apprehendatur. Circa primum notabile est, quod mulieres tribus digitis cunctis fusum apprehendunt, hoc est, pollice, index, & medio: ita mulier ista habet pollicem tanquam fortiorum digitum manus, dona scilicet Spiritus sancti quibus adiuvatur. De hoc enim digito habetur Exod. 8. *Digitus Dei est hic.* Ibi Glossa, hoc est, ostensio Spiritus sancti. Et ideo cantatur in hymno. *Veni creator Spiritus, Dei tu digitus.* Et in Euangel. Luc. 11. *Si in digito Dei eycio demonia, profecto peruenit in vos regnum Dei,* hoc est, in virtute Spiritus sancti. Secundus digitus est obedientia mandatorum: & de hoc habetur Deuter. 9. *Dedit mihi Dominus duas tabulas lapideas scriptas digito Dei.* Quia obedientia Dei scribimus nobis mandata in corde. Tertius digitus est meditatio passionis Christi. De hoc habetur Leuit. 4. quod præcepit Dominus, quod Aaron intingeret digitum in sanguine & aspergeret septies contra velum. Sanguis autem est passio Christi, digitus compassio. Velum est cælum quod velat nobis æternam. Aspergere vero septies, est septem horis diurnis passionis laudem decantare.

Sequitur de fuso. Et quia in Biblia non legitur de fuso nisi hic accipiatur auctoritas Glossa. Dicit enim Glossa quod fusum est sapientia diuina. Hæc autem dicitur fusum: quia ab ipsa procedit filum in telam vnde vestiantur omnes Sancti. Dicitur autem fusum sapientia Dei: quia circuitu fusi & rotatione stupra torquetur & comatur in filis. Similiter circuitu rationis sapientiae essentia creatæ & leues in se ut stupra, con-

solidantur & tornantur in filis ad vestem sanctitatis Dei: quia omnes Sancti sunt vestes ad ordinatum Dei pertinentes. De hac autem sapientia exclamat Apostolus ad Roman. 11. *O altitudo diuinarum sapientie & scientie Dei quam incomprehensibilia sunt iudicia eius & ineffectibiles via eius!*

Dicto qui digitii, & quid fusum: consequenter videndum est qualiter apprehendatur. Apprehenditur autem tripliciter, scilicet legendo, contemplando, meditando. Lectio fusum capit, contemplatio voluit, meditatio filum perfectum fuso circumvoluit. De lectione habetur 1. ad Timoth. 4. *Dum venio attende lectioni.* De contemplatione in Habac. 2. *Contemplabor ut videam quid dicatur mihi, & quid respondeam ad arguentem me.* De meditatione in Psal. 118. *Meditabor in mandatis tuis quae dilexi valde.* Sed notandum valde est quod mulier hæc: quæ apprehendit fusum & abundat in lana & lino: etiam non caret colo & vitta qua ligetur linum & lana ad colum. Sed quia de lana & lino iam supra multa diximus. Dicamus nunc quid colus. Est autem rectitudo liberi arbitrij. Vitta vero qua alligatur lana & linum, est gratia charitatis Dei. Vnde Augustinus dicit, quod nihil aliud est charitas quam vitta qua ligatur amans ad amatum.



### C A P. X I.

#### §. I.

Manum suam aperuit inopi, & palmas suas extendit ad pauperem.



**A P H** quæ est epigramma huius versiculi, inclinatio interpretatur. Est aurem duplex inclinatio: una qua inclinatur superbia fastus, altera qua inclinatur cordis duritia. Primam facit humilitas, alteram compassio. De prima habetur in Psal. 143. *Domine, inclina celos tuos, & descend: tange montes, & fumigabunt;* hoc est, altos & superbos cælestes, quia superbia natione cælestis est, inclina per humilitatem, & descend in eis: quia in humilibus habitas & descendis. Tange montes altissimi fastus eorum per compunctionem, & fumigabunt in igne contritionis fumo pœnitentie. De altera inclinatione habetur Ioan. 20. *Dum fleret Maria, inclinavit se, & prospexit in monumentum, & vidit duos Angelos in albis sedentes: unum ad caput, & unum ad pedes: ubi positum erat corpus Iesu.* Monumentum Iesu sunt pauperes & afflicti in quibus sepultus iacet Dominus, quem habent ad consolationem huius vitæ: quia diues recipit bona in vita sua, & Lazarus pauper similiter mala Luc. 16. Et ideo vita pauperis comparata est monumentis mortis, non habens consolationem nisi quia iacuit Christus in monumento paupertatis, & defactum omnis consolationis habet pro sudario in quo inuolutus fuit

tus fuit Christus : sed etiam habet Angelorum frequentiam , vnum ad caput confortantem in mente , & vnum ad pedes sustinentem in necessitate huius vita. Sed quid ? venit mulier fortis, Maria in amaro mari compassionis, inclinat duritiam cordis, & visitat monumentum pauperum Christi , quando subletat miserias pauperum egenorum, flendo super ipsos in affectu pietatis & misericordiae. Et sic patet qualiter concordat epigramma cum versu : quia vtraque pars versus est de compassione in pauperes, & misericordia: ita scilicet ut inclinatio humilitatis faciat non despicer pauperes : sicut dixit Tobiæ 4. *Nec auertas faciem tuam ab ullo paupere.* Et altera inclinatio , scilicet, compassionis faciat impartiri consolationem.

Sequitur consideratio versus , que in duobus consistit, scilicet , quid sit manus aperiare inopis , & quid sit palmas extendere ad pauperem. Circa primum notanda sunt tria , scilicet , quæ manus , quis inops , qualiter manus ad inopem aperiatur ? Manus hic est manus largitatis , cuius perfectio est in digitis quinque, scilicet, quod de suo det, quod hilariter det, quod det quantum decet , quod sciat cui det , & quod sumnum in his est, quod sciat propter quem det. De primo habetur Luc. 11. *Quod superest date eleemosynam , & omnia munda sunt vobis.* In Proverb. 3. Honora Dominum Deum tuum de tua substantia , & de primitiis omnium frugum tuarum da pauperibus. De secundo dicit Apostolus 2.ad Corinth. 9. Nemo ex tristitia aut ex necessitate : hilarem enim datorem diligit Deus. Et ad Hebræ. 10. Rapinam, id est, direptionem in pauperes , honorū vestrorum cum gaudio suscepisti , cognoscentes vos habere meliorem & permanentem substantiam. De tertio Tob. 4. Si multum tibi fuerit, abundanter tribue : si exiguum tibi fuerit, etiam exignum libenter impetriri stude. Non enim decet reditus multarum marcarum à Deo habere , & obolum dare: sicut de Cain Genes. 4. dicitur, qui dimidiam partem mundi in hereditate habuit ex qua vix manipulum obtulit : & ideo reprobatus fuit. Malach. 2. Maledictus qui habet in grege suo masculum, & offert Domino debile. De quarto : quia non debet dare histrioni, vel mihi, vel catillatori , vel peccatori, nisi ut sustentetur natura: sed indigeni debet dare : sicut dicitur in Psal. 111. Dispersit, dedit pauperibus: iustitia eius manet in seculum seculi. Diuitiae autem non mansisset in seculum seculi. Job 31. Si comedи bucellam meam solus , & non comedit pupillus ex ea, supple, male mihi accidat. Ab infanthia enim crevit tecum miseria, & de veteri matris meae egressa est tecum. De quinto, scilicet , quod propter Deum solum sit dandum. Matth. 6. Cum facis eleemosynam noli tuba canere ante te : sicut hypocrita faciunt in synagogis & vicis, ut honoriscentur ab hominibus. Amen dico vobis, receperunt mercedem suam. Te autem faciente eleemosynam nesciat sinistra tua quid faciat dextera tua, ut sit eleemosyna tua in abscondito : & Pater tuus qui videt in abscondito reddet tibi.

Sequitur, quis inops. Inops est sine ope, vel sine opibus : in quo notantur duo genera misericordiae, scilicet , adiutorium eorum qui carent ope: ut pupilli sunt, & viduæ, & orphani, & peregrini , & aduenæ : & solatum sustentationis eorum qui carent opibus : sicut famelici , & na-

di, & huiusmodi. De primo horum habetur in Psalm. 9. *Pupillo tu eris adiutor. Et Threno, ultima. Pupilli facti sumus absque patre, matres nostra quasi vidua.* Sed quidam conterunt inopes in porta: contra quos dicit Iob 31. *Si leuani super pupillum manum meam, etiam cum viderem me in porta superiore: humerus meus à iunctura sua cadat, & brachium meum cum suis ossibus conteratur.* Hoc enim erit propria pena opprimentium pauperes , quod videlicet brachium potestatis eorum cum ossibus roboris conteretur pena aeterna: quia sicut dicitur Sapient. 6. *Exiguo conceditur misericordia, hoc est, pupillo & inopi. Sed potentes potenter tormenta patientur.* Humerus autem , in quo sustinetur onus, est nobilitas & diuitia: quia in illis quasi in humeris portant fastum potentia secularis , & sceptrum regni huius mundi : & tunc cadet à iunctura , quia non valebunt diuitiae, neque honores, neque nobilitas, neque dignitates.

De secundo genere misericordiae habetur in multis locis. Dicit enim Dominus in Euangeliō Luc. 11. *Vade & vende omnia quæ habes, & da pauperibus, & veni.* Ibi patet, quod perfectionis vita in eleemosynis, & paupertate constituitur. Et in Deuter. saepe dicitur , quod Dominus amat pauperem & peregrinum , & dat ei victum & vestitum, hoc est, facit dare. Et in 1. cano. Ioan. 3. *Qui habuerit substantiam huius mundi, & viderit fratrem suum necesse habere, & clauserit viscera sua ab eo: quomodo charitas Dei manet in eo?* Supra plura dicta sunt de hoc.

Consequenter videndum est qualiter manus ista inopis aperiatur. Aperitur autem per tres virtutes , & clauditur per tria via.

Charitatem,  
Aperitur per { Largitatem,  
                          Milericordiam.

Charitas aperit proximo, largitas homini virtutis, & misericordia inopis. Charitas aperit propter Deum, largitas propter virtutem, misericordia autem propter compassionem misericordiae alienæ: sicut dicit sapiens Eccli. 4. *Non sit manus tua ad accipiendam porrecta, & ad dandum contracta.* De apertione charitatis dicitur ad Hebre. vltimo. *Charitas fraternitatis maneat in vobis, & hospitalitatem nolite obliuisci: per hanc enim quidam placuerunt, angelis hospitio receptis.* De apertione autem largitatis habetur 1. Paralip. 29. *Domine in simplicitate cordis mei letus obtuli uniuersa haec, & populum tuum qui hic repertus est, vidi cum ingenti gaudio. Domine conserua in aeternum hanc voluntatem.* De apertione misericordiae habetur in Psal. 36. *Tota die miseretur & commodat, & semen illius in benedictione erit.* Charitas enim dat propter quem debet : quia propter Deum quem diligit. Largitas autem prout debet : quia non ex tristitia, aut ex necessitate, cum hilarem datorem diligit Deus 2.ad Corinth. 9. Sed misericordia dat cui debet : quia necessitatem patienti.

Ex opposito autem sunt tria via quæ claudunt manum, scilicet, cordis duritia, avaritia, & odium. Odium enim prohibet charitatis communionem. Avaritia munificentiam largitatis excludit. Duritia vero cordis omnem extinguit compassionis & miserationis affectum. Odium nihil nisi malum cupit proximi. Avaritia putat

persuasum esse vnicuique etiam ex malo acquirere, & nihil omnino impartiri. Sed duritia cordis crudelitatis virus euomit in pauperes. De odio isto habetur Sapient. 2. Dicitur ibi ad Christum etiam in persona proximi. *Gravis est nobis etiam ad videndum: quoniam dissimilis est alii vita illius: & in veritate sunt via illius.* De avaritia dicitur Eccli. 10. *Auaro nihil est scelerius, &c.* De avaritia cordis Eccli. 5. *Cor durum male habebit in nouissimo: & qui amat periculum, in illo peribit.* quia scilicet, corde duro se habuit ad Deum in suis pauperibus. Hoc est suum periculum quod opere amat: quia corde duro iudicabitur a Domino.

### §. II.

**S**equitur secunda pars versus, scilicet, & *palmas extendit ad pauperes.* Vbi duo notanda sunt, scilicet, quæ palmæ, & qualiter ad pauperes extendantur. Palma, sicut Philosophus dicit, est mensura distantia totius manus, siue quantitatis integræ manus dimensio ab extremo pollicis per volam usque ad finem auricularis digiti. Sunt igitur palmæ istius mulieris duæ, scilicet, spiritus abundantissimæ pietatis eius, & effectus gratissimæ consolationis ipsius: ita ut tota mensemetur in pietate, & tota in consolatione: hoc enim sonat nomen palmæ, scilicet, mensuram totius manus. Si ergo manus est manus largitatis, & palma est mensura manus: duæ palmæ mensurantes totam manum sunt spiritus pietatis abundantis, & effectus gratissimæ consolationis qua consolantur omnes desolatos. Spiritus pietatis se totum in affluentia bonitatis effundit: grata autem ipsius consolatio paupertatem defolatoris dulci quodam affatu & adiutorio munit. De primo dicit Apostolus 1. ad Timoth. 4. *Pietas ad omnia utilis est, promissionem habens vite que nunc est, & futuræ.* Et hoc spiritu affluabant antiqui qui hospitibus gratia pietatis & bonitatis obuij venerunt, & nolentes traxerunt, & blandiciis verborum allegerunt, vt Abraham Genef. 18. Cum vidisset enim tres viros sedens in ostio tabernaculi sui, sed ut videret transeuntes pauperes & peregrinos quos attraheret, & hoc in ipso ferore diei quando solet magna umbra & refrigerium queri. Vnde notatur quod nec æstus retraxit eum quin exponeret se soli, sciens quod illo in tempore viatores magis consueverunt declinare ad manendum quando æstus solis retrahit amando: & cucurrit ne forte alius attrahens citius veniret, & adorauit super terram ut humilitate vincerentur etiam nolentes manere. Vocat autem Dominum ut ex reuerentia alloquutionis alliciat eos, se autem seruum mensæ debitorem ostendat: ne forte cogitent quod indebitum sit illis sibi ministrare. Deinde offert necessaria, & primo refrigerium pedis in aqua: quia illi plus laborauerant & ut sudor & puluis simul & lassitudo extrahatur. Deinde quietem sub arbore ad recentiam aëris & umbram ab æstu solis. Deinde cibos in quibus secundum consuetudinem bonorum hospitum exhibuit parum, & dedit multum, & delicata: & ostendens in toto pietatis affectum, ipse currens vitulum terri-

mum & saginatum attulit cum esset senex. Vxor autem eius alimenta delicata coxit. Similiter Genef. 19. legitur de Lot quod sedet in foribus ciuitatis vespere ut adduceret sibi peregrinos: ut ait Hieron. Et cum vidisset accedentes Angelos in specie peregrinorum, adorauit eos cadens in terram, ut vinceret eos reuerentia, & dixit ad eos. *Domini mei, obsecro, declinate in domum pueri vestri, & manete ibi, luate pedes vestros, & mane profiscimini in viam vestram.* Et cum negarent compulit illos oppido. Et Genef. 24. Dixit Laban ad seruum Abrahæ. *Ingridere benedictæ Domini, cur foris fratras?* Et in ultimo Luc. Cum Iesus fingeret se longius ire coegerunt illum Lucas & Cleophas dicentes: *Mane nobiscum: quia aduerserat & inclinata est iam dies.*

De effectu autem gratissimæ consolationis habetur 2. Corinth. 1. *Benedictus Deus & Pater Domini nostri Iesu Christi, Pater misericordiarum.* & Deus totius consolationis, qui consolatur nos in omni tribulatione nostra: ut possimus & ipsi consolari eos qui in omni pressura sunt per exhortationem, qua exhortamur & ipsi a Deo. Quoniam sicut abundant passiones Christi in nobis: ita & per Christum abundat consolatio nostra. Grata autem consolatio est illa quæ pauperi primo compassionis verba ostendit, & non improperat, nec conuiciatur: & postea subleuamen paupertatis imparitur. Econtra est autem consolatio onerosa, quando cum conuicio subleuat afflictionem, & est consolatio impia non cum spiritu pietatis & misericordiae: sicut habetur Iob 16. *Consolatores onerosi omnes vos estis: nunquid habebunt finem verba ventosa?* hoc est, verba improperij ex fastu superbia procedentia. Extendere autem has palmas in pauperes est pietatis & consolationis opera totis viribus in pauperes multiplicare. Et quia nos supra de speciebus eleemosynæ loquitorum, volumus hic loqui de causis, propter quas haec mulier palmas tam ample extendit.

Est autem sextuplex bonus quod facit eleemosyna omnibus faciebus eam. Vnum est & præcipuum, quod peccatorem liberat a morte. Secundum est, quod non sinit hominem deprimi sub his super quæ creatus est ut Dominus. Tertium est, quod præcipue conformat nos Patri nostro cælesti. Quartum est, quia socium vitæ deficientem nobis restituit & sustentat. Quintum est, quod pereuntia æterna facit. Sextum est, quod centuplum nobis semper recrescit ad meritum simpliciter erogatum in eleemosynam. Redeamus igitur ad probandum unumquodque ex auctoritate & ratione. Primum est, quod purgando peccatorem liberat a morte, & hoc satis iuste: quia propter Deum suscitat ad vitam morientem inedia: vnde Tobia 4. *Eleemosyna ab omni peccato & a morte liberat, & non patietur animam ire in tenebras.* Isa. 58. *Frang eſurienti panem tuum, & egenos vagosque induc in domum tuam: cum videris nudum, operi eum, &c.* Et ibidem infra. *Cum effuderis eſurienti animam tuam, & animam afflictam repleueris: orietur in tenebris lux tua, & tenebra tua erunt sicut meridies: & requiem dabit tibi Dominus Deus tuus semper, & implebit splendoribus animam tuam & offa tua liberabit.*

Secundum est, quod non sinit hominem deprimi sub his super quæ, ut dominetur eis, creatus est. Avarus enim seruus est pecunia, & tamen creatus

creatus fuit vt dominaretur omnibus irrationabilibus : de quo Psalm.8. *Omnia subiecisti sub pedibus eius, &c.* Cum igitur eleemosyna extensis palmis omnia temporalia projicit , reuocat hominem à curuo avaritiae in rectitudinem primæ libertatis quando omnia fuerunt sub ipso. De hoc habetur Zachariæ 5. *Egressus est Angelus qui loquebatur in me, & dixit ad me: Leua oculos tuos, & vide quod est hoc quod egreditur. Et dixit: Quidnam est? Et ait, Hæc est amphora egrediens. Et dixit: Hic est oculus eorum in vniuersa terra. Et ecce talentum plumbi portabatur, & ecce mulier una sedens in medio amphora. Et dixit: Hæc est impietas. Et proiecit eam in medio amphora, & misit massam plumbeam in os eius. Et lenauit oculos meos, & vidi: & ecce duæ mulieres egredientes, & spiritus in alis earum, & habebant alas quasi alas milui: & leuauerunt amphoram inter terram & celum. Et dixi ad Angelum qui loquebatur in me: Quo ista deferunt amphoram? Et dixit ad me: Ut adficietur ei domus in terra Sennaar & stabiliatur, & ponatur ibi super basem suam. Hæc visio sic intelligitur & moralizatur. Angelus qui loquitur ad Zachariam, verbum Dei est, quod est nuntius Dei, & dicitur Angelus intelligentiae. Zacharias autem memorans Dominum, vel auxilium Domini interpretatur, & significat vacarem operibus pietatis, & palmas extendentem ad pauperes, qui memoratur qualiter Dominus misericorditer annuit, & omnia dedit sibi in manus. Illi ostendit Dominus verbo suo qualiter impietas avaritiae dominatur avaris: cum tamen ipsi pecuniae deberent dominari. Amphora enim significat terrenam nostram naturam: quia amphora est vas luteum. Mulier autem in amphora, quæ impietas nominatur, est avaritia, & est impietas in pauperes, & hæc sedet in amphora: quia in corde terreno quiescit. Massa autem plumbea ponitur in ore amphoræ super mulierem: quia cor avarum grauissima sollicitudine æris comprimitur, & suppeditatur ab ære, quod erat conculandum. Et ideo legitur in gestis Philosophorum, quod cum Plato ad philosophandum iret Athenas, & pondus auri cederet, & quasi fugeret ad aurum: tandem dolens cor in auro nimis occupari, pondus auri proiecit in mare, dicens: Tolerabilius perditur aurum quam animus, & grauiora sunt damna cordis philosophantis quam pecuniæ perditio. Et subiunxit Angelus verbi Dei, quod avaritia est oculus avarorum in vniuersa terra: pecunia enim obediunt omnia. Ecclæ. 10. & omnes qua sua sunt querunt, & non qua Iesu Christi Philippen. 2. Mulieres autem duæ quæ habent alas quasi alas milui, sunt duæ pedissequæ avaritiae, quarum una est vnde cuncte etiam ex malo acquirere, quæ habet duas alas milui, hoc est, rapacitatis, scilicet, apertam rapinam & violentam, & subdolam fraudem in circumueniendo. Alia pedissequa est cupide tenere & conseruare acquisitum: & habet duas alas rapacis aus, scilicet, duritiam cordis in pauperes, & dulcedinem oculorum in contemplatione pecuniæ. Hæc duæ mulieres tollunt dominam suam avaritiam sive impietatem, & portant eam in terram Sennaar, quod interpretatur excusio dentium, hoc est, in infernum: ubi excludentur sibi dentes, quibus comedunt & consumunt victimum pauperum per poenas æternas:*

& ibi ædificatur ei domus habitationis æternæ, & stabilitur per confirmationem poenæ & malitia, & ponitur super basem suam, id est, poena ignis æterni fundatur super culpam, sicut super fundamentum basis stabilis: vnde patet qualiter comprimitur avarus talento æris. Sed extendens palmas & deponens sarcinam deprimentem, erigitur in libertatem primæ dignitatis. Isaæ 58. *Dissolue colligationes impietatis, solue fasciculos deprimentes.* Fasciculi impietatum sunt thesauri pecuniae. Et sunt etiam faciculi deprimentes in infernum. Et Ecclæ. 31. hæc sunt verba: *Post aurum non abiit, nec sperauit in thesauris pecuniae: quis est hic, & laudabimus eum? fecit enim mirabilia in vita sua.* Optime dixit: Abiit. Quia à prima dignitate sub ea quæ sub ipso creata sunt, & quibus dominari deberet, recessit. Nihilominus tamen laudabilis est, qui etiam si per peccatum avaritiae abiit: tamen per penitentiam & extensionem palmarum in pauperes ad pristinam dignitatem rediuit.


Tertium est, quod Patri nostro cælesti nos conformat: hic enim misericordia sua creauit, & pauit, & redemit nos, & glorificauit nos: vnde Luc. 6. *Estote misericordes: quia & Pater uester cælestis misericors est.* Et in Euangel. dicitur de misericordia Dei Matth. 9. *Misericordiam volo, & non sacrificium.* Thren. 3. *Misericordie Domini quod non sumus consumpi.* Luc. 1. *Per viscera misericordia Dei nostri in quibus visitauit nos oriens ex alto.*

Quartum est, quia socium vitæ nobis restituit & sustentat, hoc est, fame pauperem morientem: vnde sapiens: *Pasce fame morientem: quod si non paueris, occidisti.* Hoc considerans Zachæus cum salus facta esset domui sua Luc. 19. eo quod & ipse filius esset Abraham eos quos impietate premerat, suscitauit, & alios etiam pauit, dicens: *Domine ecce dimidium bonorum meorum do pauperibus.* Et siquid aliquem defraudauit, reddo quadruplum, supple, de residuo. Et verificatum fuit in ipso quod dixit Iob 20. *Dinitias quas denorauit, euomet: & de ventre eius extrahet eas Deus.*

Quintum est, quod per eum in se facit æternæ temporalia enim quæ corruptibilia sunt faciunt manere in æterna beatitudine: vnde in Euangel. Luc. 16. *Facite vobis amicos de mammona iniquitatis: ut cum defeceritis, recipiant vos in aeterna tabernacula.* Et Matth. 6. *Thesaurizate vobis thesaurum in celo: ubi nec ærugo nec tinea demolitur, & ubi fures non effodiunt nec furantur: ubi est thesaurus tuus, ibi est & cor tuum.*

Sextum & ultimum est, quod convertitur in centuplum, sicut bonum seueni proiectum in terra bona: sicut legitur Genes. 26. quod Isaac seminauit in Gerara ciuitate Palæstinorum, & inuenit in ipso anno centuplum. Gerara interpretatur incolatus iustorum, hoc est, habitatio pauperum spiritualis. Palæstina vero interpretatur ore contusa, & sunt pauperes qui habent os contusum & conclusum paupertate, & in ipso anno, hoc est, reuoluto tempore æternitatis: vnde Ecclæ. 11. *Mitte panem tuum super transientes aquas: quia post multa tempora innuenies illum.* Et Dominus in Euam Marci 10. *Omnis qui reliquerit dominum aut agrum propter nomen meum, centuplum accipiet in hoc seculo, & in futura vitam æternam.* Et etiam eleemosyna in hac præsenti vita

vita habet mercedem retributionis in affectu dulcedinis internæ, in qua centuplicato bono reddet Dominus in merito: & hoc iuste, quia qui solatium in exterioribus propter Deum alij dar, iustum est vt à Deo interna bona pro recompensatione recipiat.



## C A P. XII.

## S. I.

5

Non timebit domui suæ à frigoribus niuis. Omnes enim domestici eius vestiti sunt duplicibus.

**P**RIMO in hoc versu consideranda est vis superscriptionis. **LAMECH** enim interpretatur doctrina disciplinæ, & alludit sententiæ versus: quia disciplina præteriorum docuit mulierem hanc cauere de futuris. Docet autem disciplina notabiliter sex. Primum autem accipienda est disciplinæ definitio quam dat Basilius in originali super principium Proverbiorum dicens, quod disciplina est eruditio per difficultia: sicut dicit Propheta. Per omnem tribulationem erudieris Ierusalem. Primum ergo quod docet est experientia infirmitatis propriae. Credit enim aliquis se quandoque fortem: & cum tangit eum tribulatio & disciplina, tunc experitur quid sit humana fragilitas: unde Iob 4. *Ecce docuisti multos, & manus lassas roboraisti. Vacillantes confirmauerunt sermones tui & genua trementia confortasti. Nunc autem venit super te plaga, & defecisti: tetigit te, & conturbatus es. Vbi timor tuus, fortitudo tua, & patientia tua, & perfectio viarum tuarum?* Hoc spiritu etiam illud in Ps. 29. dictum est. *Ego autem dixi in abundantia mea: Non mouebor in aeternum.* Et sequitur cum sentiret infirmitatem. *Domine in voluntate tua prestatisti decori meo virtutem. Auertisti faciem tuam a me, & factus sum conturbatus.* Cum enim non esset infirmus, tunc dixit se esse in abundantia, & oblitus conditionis humanæ, quæ secundum Iob 14. *nunquam in eodem statu permanet:* dixit se non moueri in aeternum. Sed per tribulationem mox ad cor rediit, recognoscens, quia decor fortitudinis eius in voluntate Domini situs fuit: & cum auertit ille faciem disciplinæ exponendo, tunc remanet conturbatus.

Sic ad suum infortunium & condemnationem eruditus per disciplinam est Antiochus, de quo legitur quod cum res sibi prospere succederet, quod superbe loquutus se venturum Ierosolymam & congeriem sepulchri Iudæorum se eam facturum: sed qui vniuersa conspicit Dominus Deus Israel percussit eum insanibili & inuisibili plaga. Ut enim finiuit hunc ipsum sermonem, apprehendit eum dolor dirus viscera, & amara interiorum tormenta. Haec leguntur 2. Mach. 9. Et sequitur infra, quod cum agitaret currum, ignem spirans animo in Iudeos: contigit eum

de curru cadere, & graui collisione membra torqueri: ita quod postea in gestatorio portabatur, & vetmes de corpore impij exirent, quod cum nullus nec ipse etiam suum fætorem sustinere posset, ex graui superbia deductus ad agnitionem sui venit diuina admonitus' plaga, per momenta singula doloribus suis augmenta capientibus: & cum nec ipse iam fætorem suum ferre posset, ita ait: *Iustum est subditum esse Deo, & mortalem non paria Deo sentire.* Sic etiam ad infelicitatem extremam eruditus Herodes, de quo legitur Act. 12. quod statuto die Herodes vestitus ueste regali sedet pro tribunal, & concionabatur ad populurn. Populus autem acclamabat Dei voces & non hominis. Confestim autem percussit eum Angelus Domini, eo quod non dedisset honorem Deo: & consumptus à vermbus expirauit.

Secundum quod docet disciplina orationis, claimor est: qui enim nihil scit orare dum fauste & ad nutum omnia suppetunt, tempore disciplinæ & tribulationis decoratissimas profert orationes: vnde Psalm. 119. *Ad Dominum cum tribularer clamani, & exaudiuit me.* Sic eruditus est rex Iosaphat 2. Paralip. 20. quod conueniente aduersus eum graui multitudine Idumæorum, & Moabitum, & Ammonitarum: contulit se totum ad rogandum Dominum, & dixit: *Domine tu scis quod in nobis non est tanta fortitudo, quod possimus resistere huic multitudini. Sed ignoramus quid agere debeamus, hoc solum habemus residui ut oculos nostros dirigamus ad te.* Sic etiam eruditus est Iudas Machabæus & exercitus qui cū ipso erat 1. Machab. 3. quando congregati in Mapha orauerunt Dominum dicentes: *Tu scis Domine que cogitant in nos. Quomodo poterimus subsistere ante faciem eorum, nisi tu Deus adiunes nos?* Et tubis, hoc est, planctu & oratione, exclamauerunt voce magna. Nec mirum quod homo infirmus in disciplina deuotius orat & prolixius: quia ipse mediator Dei & hominum, homo Christus Iesus, factus in agonia prolixius orabat, vt habetur Luc. 22.

Tertium quod docet, est confessio peccatorum: vnde in Cantic. Ezechiæ, Isa. 38. *Recognabo tibi omnes annos meos in amaritudine animæ meæ.* Et hoc modo emendatus est Manasses peccatorum maximus, & maximus penitens: quando dixit cum disciplinaretur, in oratione in 2. Paralipp. vltimo. *Peccavi & super numerum arenæ maris multiplicata sunt iniquitates meæ. Incurvatus sum multo vinculo ferri, & non est respiratio mibi: quia excitauit iracundiam tuam, & malum coram te feci, statuens abominationes & multiplicans offenses: & nunc flecto genua cordis mei, precans a te bonitatem. Peccavi Domine, peccavi, & iniquitates meas agnosco. Quare peto rogans te, remitte mihi Domine, remitte mihi: & ne simul perdas me cum iniquitatibus meis: neque in aeternum reserves mala mihi: quia indignum saluabis me secundum magnam misericordiam tuam, & laudabo te semper omnibus diebus vita meæ: quoniam te laudat omnis virtus celorum, & tibi est gloria in secula seculorum. Amen.* Istam orationem quilibet homo peccator scire deberet, & dicere in doctrina disciplinæ.

Quarto docet odium huius vitæ & mundi: quia, vt dicit Gregor. si hac vita deliciis afflueret, fugienda adhuc erat. Cum vero tot nobis calamitates ingerat, quid aliud quam ne diligatur clamat?

clamat? Et sic Dominus ejcens Adam de paradiſo docuit non amare vitam istam, quando dixit: *Maledicta terra in opere tuo: in laboribus comedes ex ea cunctis diebus vita tua: spinas & tribulos germinabit tibi. In sudore vultus tui vesceris pane tuo, donec renertaris in terram de qua sumptus es: quia puluis es, & in puluerem reneteris.* Gen.4. Maledictio nihil nisi pœnalitatem dicit huius vita: spinæ & tribuli angustias maiores & minores: sudor autem angustias interiores. Et per hæc voluit Dominus quod vita ista non amabitur.

Quinto docet desiderare cælestia: vnde Baruch 3. loquitur his qui disciplinam captiuitatis acceperant, dicens: *Disce ubi sit prudentia, ubi sit virtus, ubi sit intellectus: ut scias simul ubi sit longitudo vita & vietus, ubi sit lumen oculorum, & pax.* Prudentiam vt scias, virtutem quæ recte viuas, intellectum quo diuina æterna cognoscas, longitudo dicunt dierum propter æternitatem, viatum propter iucunditatem, lumen oculorum in visione Dei, pacem in concordia fruendi Deo & iuicem in Deo. Dicit enim Augustinus in lib. de ciuitate Dei, quod pax cælestis ciuitatis est concordia suauissima fruendi Deo, & iuicem in Deo: vnius enim homo alio sancto in Deo fruetur.

Sexto & vltimo docet cessationem à delicto: & hoc modo docti sunt filij Israel cum murmurarent contra Dominum, vt quando mortui sunt in sepulchris concupiscentiæ Num.14. & quando perierunt moribus ignitorum serpentum Num 31. & quando extremitas castrorum incensa est etiam igne diuino. Et de hoc dicitur 1. ad Corinth. 10. Et loquitur ibi Apostolus de his quæ acciderunt Iudæis in deserto, & subiungit: *Hac in figura facta sunt nostri, ut non simus concupiscentes malorum, sicut & illi concupierunt. Neque idololatre efficiamini, sicut quidam ex ipsis: sicut scriptum est. Sedit populus manducare & bibere, & surrexerunt ludere.* Exod.32. *Neque fornicemur: sicut quidam ex ipsis fornicati sunt, & ceciderunt una die vigintitria milia, ut patet Num.25. Neque tentemus Christum: sicut quidam eorum tentauerunt, & à serpentibus perierunt. Neque murmuraueritis sicut quidam ex eis murmurauerunt, & perierunt ab exterminatore.* Hac autem omnia in figura contingebant illis: scripta sunt autem ad correptionem nostram, in quos, fines seculorum deuenerunt. Et de hoc eodem loquitur Psalm. 94. ubi dicit: *Hodie si vocem eius audieritis, nolite obdurare corda vestra, sicut in exacerbatione secundum diem temptationis in deserto, ubi tentauerunt me patres vestri, probauerunt & viderunt opera mea.* Opera, inquam, disciplinæ quam dedi eis, vt recederent à peccato. Sic disciplinam accepit Maria soror Moysi, quæ pro murinure percussa est lepra: & cum emendaret delictum, curata est ad preces Moysi fratris sui Num.12.

Sequitur sententia versus. Dicit ergo: *Non timebit domui sue, &c.* In quo duo notanda occurunt. Primum, quid sit non timere domui suæ à frigoribus niuis. Secundum redditur pro causa huius: quia scilicet omnes domestici eius vestiti sunt duplicitibus. Circa primum consideranda sunt duo, scilicet, cui non timeat, quia domui suæ: & aquo non timeat, quia à frigoribus niuis. Circa

primum notandum est, quod quatuor domos habet hæc mulier quibus non timeret, scilicet, interior, exteriorem, inferiorem, & superiorem. Interior est domus cordis, exterior est sancta Ecclesia, inferior est caro sua, superior autem cælestis patria, in qua habitat vir eius Dominus Iesus Christus. Non enim habet domum infernum: quia ibi non habitat, sed est locus carceris æmulatorum eius. De domo cordis scribitur Sapient. 8, *Intrans in domum meam, conquiescam cum illa, scilicet, sapientia: non enim habet amaritudinem, conuersatio illius, nec tedium conuictus eius.* De domo autem exteriori, hoc est, Ecclesia habetur in Psalm.83. *Elegi abiectus esse in domo Dei mei magis quam habitare in tabernaculis peccatorum.* In domo enim Dei nihil est iniquum: & sic omnes intus existentes sunt ibi numero & merito: & in signum eius in primitiva Ecclesia excludebantur ab Ecclesia peccatores, & qui non communicebant, hoc est, excommunicati: ut scilicet significaretur sic eos excludi à consilio fidelium, nisi per penitentiam & deuotionem redirent. De domo inferiori scribitur Iob 4. *Ecce qui seruunt ei, non sunt stabiles, & in Angelis suis reperit prauitatem.* Quanto magis hi qui habitant domos luteas, qui terrenum habent fundamentum, consumuntur velut à tinea. Demane usque ad vesperam succidentur, & quia nullus intelligit, in æternum peribunt. Seruientes Deo sancti sunt Angeli & homines, in quibus inuenta est instabilitas: quia Angeli prauitas fuit eius casus, & hominis peccatum eiecit eum de paradiſo: cum tamen vterque istorum fundatus esset in gratia gratum faciente secundum dicta Sanctorum, licet quidam Magistri dicant Angelum creatum fuisse in gratia gratis data tantum. Qui autem habitant domos luteas, sunt homines nihil in conditione mortalitatis super lutum habentes, qui confringuntur per necessitatem mortis ut vasa figuli. Sicut enim dicit Ieremias Threnoruim 4. *Filij Sion incliti, scilicet, Adam & Eua: amicti auro primo,* hoc est, gratia innocentiae in primo statu, & gratia immortalitatis si vellent: *quomodo reputari sunt, per peccatum, in vasa teste, opus manuum figuli.* Et isti consumuntur à tinea formitis & originalis peccati: quia sicut tinea nascitur in vestimento, & consumit ipsum: ita originale nascitur in nobis, & consumit corpus nostrum per diuersos motus illicitos. Et succiduntur à mane, hoc est, ab ortu natuitatis & iuuentutis, usque ad vesperum, hoc est, ad senectutem: quia continuo mutatur & deperditur: calor enim naturalis continuo consumit aliquid de substantia, & ingerit aliquid de alieno. Et hæc quæ dicta sunt, sunt in omnibus. Quod autem sequitur, hoc non conuenit mulieri, scilicet, quia nullus intelligit, in æternum peribunt. Mulier enim intelligit ruinam huius domus: & ideo cauet ne ruens super eam opprimat eam: sed peccatores, quia decepti credunt in carne habere palatum securitatis & iucunditatis, opprimuntur à carne, sicut dicit Apostolus ad Galathas 6. *Qui seminant in carne, de carne & metent corruptionem.* De domo superiori habetur Ioh. 14. *In domo Patris mei mansiones multæ sunt.*

Item domus interior est domus sanctitatis & munditiae. Vnde Psal. 92. *Domum tuam Domine decet sanctitudo in longitudinem dierum.* In illa enim

enim familiarius Dominus requiescit, & ideo sanctius debet præbere Domino habitaculum in illa.

Domus autem exterior, id est, Ecclesia est domus decoris & orationis. Vnde Psal. 25. *Dilexi decorum domus tue, & locum habitationis gloriae tue.* Et Matth. 21. *Domus mea domus orationis vocabatur.* Decor enim celestis est in Ecclesia in potestatis ordine qui descendit de celis: vbi Angeli super Angelos ordinati in decorum principiantur potestate: vt dicit Beatus Dionysius. Et est ibi locus habitationis gloriae Dei, eo quod ibi gloria causam diuersis gratiis ostendit. 1. ad Corinth. 12. *Alij quippe datur sermo sapientie, alijs sermo scientie, alijs fides, alijs genera linguarum, alijs operatio virtutum, &c. huiusmodi.* Ibi etiam orationes & suffragia sunt Sanctorum omnium in phyalis deuotionis presentatae per sanctos Angelos Domino. Vnde etiam ædificatur domus Domino lapidea in consecratione decorum Ecclesiae representans.

Domus autem inferior est domus viduitatis eius & luctus: sicut legitur de Iudith 8. eiusdem, quod induita vestibus viduitatis habitabat in domo sua, in superioribus domus sue cubiculum secretum sibi fecerat, in quo cum puellis suis clausa morabatur, & habens super lumbos suos cilicium, ieunabat omnibus diebus vita sue præter sabbata & neomenias & festa domus Israel. Hæc est mulier fortis quæ non inferior in domo carnis habitat in sentina luxuriæ: sed trahit se ad superiora honoris & castitatis, habens cilicium super lumbos, hoc est, castigationem carnis in loco delectationis & in abstinentia continua à deliciis carnalibus; exceptis festis Dei, in quibus non carnaliter sed spiritualibus dapibus repletur, cum Dominus festum in carnis domo quandoque sed raro suscitare dignabitur, quando scilicet dicere potest cum Psal. 83. *Cor meum & caro mea exultauerunt in Deum viuum.*

Domus autem superior est domus gaudij, & iubilationis, & securitatis, & omnis boni. Vnde dicit Psal. 83. *Melior est dies una in atris tuis super millia.* Et ideo alibi exclamat: *Quam dilecta tabernacula tua Domine virtutum! concupiscit & deficit anima mea in atria Domini.* Concupiscit, inquam, hic, sed hic deficit: sed erit quando non deficit, sed habitabit, & ascendet in montem Domini, & habitabit in loco sancto eius.

Itæ quatuor domus significatae sunt per quatuor domus quas ædificauit Salomon 3. Reg. 6. & 7. vbi legitur, quod ædificauit domum Dominum, & hæc est domus superior: & ædificauit dominum sibi, & hæc est domus cordis in qua, vt legitur ibidem, sedebat ad iudicandum. Ædificauit etiam domum saltus Libani. Hæc est domus inferior: quia corpus de saltu materia mundanæ acceptum est, quam Plato syluam vel saltum appellat. De Libano autem dicitur propter candorem castitatis: quia Libanus candor interpretatur. Ædificauit etiam domum reginæ. Hæc est exterior domus: quia regina est Ecclesia: sicut dicit pater Salomonis Dauid: *Astitit regina à dextris tuis in vestitu deaurato circumambulat varietate.* Aurum quod est in vestitu, est fulgor diuinæ

gratiae. Varietas autem quæ circundat eam, est diuersitas omnium virtutum.

Sequitur, à quo non timet domui sue. Et hoc notatur, cum dicitur: *A frigoribus nivis:* Vbi duo occurunt notanda, scilicet, quæ sit nix, & quid frigus eius. Primo autem notanda est natura & generatio niuis: sicut probatur per philosophos naturales in libro secundo Metheororum. Nix igitur quantum ad materiam generatur ex vapore calido in media regione aëris vehementer eleuato: cuius significatio est, quia cadit lata ad modum lanæ carminata: hoc enim contingit ei, quia calor nubis tantus est, quod frigus non vincit nisi partem & partem, & non totum per partes magnas, ita vt totum indurare possit. Similiter quantum ad qualitatem est frigida vehementer: quia regula est, quod quanto aliquid calidius fuerit, tanto efficitur frigidius cum calor expellitur. Calor enim qui ante infuit, aperit poros, ita vt abundantur & ubique frigus ingrediatur, & ita multum capit frigoris. Huius signum est, quod calida aqua profundius constringitur & congelatur frigore quam in toto frigida. Quantum vero ad colorem est alba: eo quod sit ex humido puro disgregato primo per calorem nubis, & postea congelato per frigus. Albedo enim causatur à frigore ipsius, & humili perspicuitate & luciditate. Quantum autem ad locum generatur in alto, & descendit ad ima. Quantum ad tempus generatur in hyeme. Similiter quantum ad modum descendendi penetrat subtilia valde: vnde etiam recta satis efficacia contra pluuias, sunt minus efficacia contra niues.

Hæc sunt quæ secundum naturam communem niuis inueniuntur in nive, & quoad hoc significat impugnationem hostis. Excitat enim primo calore quodam innaturalis concupiscentia vaporem carnalis delectationis ascendentem in homine, & immittit desuper frigus indeuotionis sue: non permittens vaporem resoluti in guttas lacrymosæ pluviæ, sed in rara vanitate quadam hilaritatis cordis retinet ipsum, & sic efficitur homo frigidus: sicut dicitur Eccli. 42. *Frigidus ventus aquilo fluit, & gelavit crystallus ab aqua.* Ventus aquilo, à quo panditur omne malum, tentatio est dæmonis. Crystallus autem est duritia cordis ex frigore indeuotionis causata: & hoc est periculum, quod quanto est vapor concupiscentia calidior, tanto succedit maius frigus indeuotionis. Similiter albedinem habet, vt magis decipiatur: dealbat autem quandoque transfigurando se in Angelum lucis, quandoque etiam promittendo futuram pœnitentiam, quandoque etiam præsumptionem misericordie & impunitatis. Tempus etiam concordat: quia in hyeme refrigerante charitate generatur nix, non quando est vernalis amœnitas, quando flores apparent in terra fortis mulieris, quando vocatur à Iponso ad amœna contemplationis æternæ: vt habetur Cantic. 3. Tecta etiam, hoc est, munera coniuncta meritorum & orationum contra impetum niuis, minus quandoque inueniuntur efficacia. Et hoc est ideo: quia sine bitumine & camento pietatis magis sunt congesta quam vnta vel glutinata pietate.

Distinguamus ergo quadruplicem niuem quadruplici frigore quadruplicem domum impugnantem.

gnantem. Est igitur nix acediae, frigore in deuotionis domum cordis impugnans. Et est nix mali exempli, frigore scandali conturbans domum exteriorem, hoc est, Ecclesiam. Et est nix illecebrosae concupiscentiae, immunditiae frigore bellans contra domum inferiorem, hoc est, carnem. Et quarto & ultimo est nix superbiae, ab alto tumoris veniens, & frigore contemptus infestans domum superiorem, hoc est, cælum. De niue prima habes in Psal. 147. *Qui dat niuem sicut lanam, nebulam, sicut cinerem spargit: mittit crystallum suum sicut bucellas; ante faciem frigoris eius quis sustinebit?* Nix missa est pigritia à tentatione causata, quæ dicitur mitti à Domino, quia iuste ab ipso permittitur. Nebula autem & caligo quæ statim in corde oritur, est cum torpescit ad deuota. Crystallus autem est frigida consolatio, quam accipit pro buccella: quia homo piger interius unde consolari habeat non inueniens, exterius ad frigida gaudia mundi diffunditur: sed quis sustinebit à facie frigoris indeuotionis, à niue venientis? Tunc enim constringitur cor & rigescit affectus, & omnia membra, ut ita dicam, interiora animæ, stolidæ & quasi paralyssi dissoluta efficiuntur. Sed tamen sequitur consolatio adiutorij contra niuem istam, quando dicit: *Mittit verbum suum, & liquefaciet ea: flabit spiritus eius, & fluent aquæ.* Verbum missum est verbum Christi per gratiam deuotionis in cor veniens: statim enim tunc liqueficit nix, & fluit affectus calore castitatis & desiderij, & flat Spiritus sanctus in bonitate & gratia consolationis internæ intantum ut extet in niuibus abundantia aquarum, & in lacrymis fluat per oculos.

De niue autem mali exempli impugnante domum exteriorem per frigus scandali, habetur Job 38. Nunquid ingressus es thesauros niuis aut thesauros grandinis aspexisti, quæ præparaui in tempus hostis, in diem pugnae & belli? Thesaurus niuis est abundantia mali exempli, quæ heu abundat in mundo, per quem thesaurum progressus præscientiae & prouidentiae suæ solus ingreditur Dominus permittens exempla mala ad maiorem laudem virtutis bonorum, & ad maiorem condemnationem impiorum. Grandinis autem thesauri sunt abundantiae persequeutionis Ecclesiæ, quæ etiam abundant nostris temporibus. Vnde etiam præparata sunt in tempus hostis, id est, hostiliter agentis contra Deum, & in diem pugnae, hoc est, impugnationis Ecclesiæ, & belli persequeutionis eius in scandalo: sicut conqueritur Dauid: *Iuxta iter scandalum posuerunt mihi.* Sed etiam in Job sequitur medicina frigoris huius in sequenti verbo: *Indica mihi per quam viam spargitur lux, diuiditur æstus super terram?* Via hæc est indicium misericordiæ diuinæ quod nemō scit nisi Deus. Et per illam viam spargitur lux boni exempli, & diuiditur æstus dissipans scandalum in omnes exempla bonorum intuentes.

De niue autem illecebrosæ delectationis, quæ frigore immunditiae carnalis impugnat domum inferiorem, scilicet, carnis, habetur Exod. 4. scilicet, quod Moyses posuit manum in finum, & protulit eam leprosam instar niuis. Manus hæc significat opera carnalia, & sinus occultus est sub vestimento, & significat occultum luxuriae, in quod intrusa manus operis profertur leprosa, hoc

est, carnali factore corruptæ. Et medicina contra niuem istam ibidem significatur, scilicet, quod manus iterato mittatur in finum, sed in finum alium: impossibile enim est ut idem secundum quod idem sit causa oppositorum, scilicet, munditia & immunditia. Inducit ergo in occultum conscientiae, considerans quid fecit, & profert ea in apertum confessionis & satisfactionis: & tunc erit similis carni reliqua: quia poenitentia restituit ad sanitatem quantum ad immunitatem peccati. Optime autem figuratur hoc 2. Regum 23. vbi legitur quod Banaias filius Ioiada qui percussit duos leones Moab, descendit & percussit leonem in media cisterna in diebus niuis. Banaias enim interpretatur ædificans Domino, & significat mulierem fortem, quæ ædificat Dominum per castitatem domum carnis: quia secundum Apostolum 1. ad Corinth. 6. *Glorificate & portate Deum in corpore vestro.* Ioiada autem pater eius interpretatur cognitio Domini: quia à Domino cognitionem boni, quam accepit, fortiter satagit adimplere. Hic interfecit duos leones Moab, qui interpretatur ex patre, hoc est, duo vitia per nativitatem nobis inducta, hoc est, gulam & luxuriam: quæ oriuntur ex delectatione nobis innata. Et in diebus niuis, hoc est, tempore carnalis temptationis, cum iam refrigescit charitas, & feruet libido, & bruma rigens occupat affectum: descendit in cisternam, hoc est, in carnalem delectationem, siue concupiscentiam quæ est fons delectationis, sed post haustum aliunde à pluviis ciborum & vanitatum huius mundi retinet & inficit: & interficit ibi leonem formitis, quia debilitat per opera asperitatis carnis, nec interficit secundum Augustinum, ita ut non sit, sed ita ut nocere non possit.

De niue autem superbiae quæ impugnauit primum in diabolo, & impugnat in membris domum superiorem, eo quod superbia eorum qui Deum oderunt, ascendit semper: ut habetur in Psalmo. Et Eccli. 43. *Tempestas aquilonis, & congregatio spiritus: & sicut avis deponens ad sedendum, aspergit niuem, & sicut locusta demergens descensus eius.* Aquilo hic est similitudo voluntatis diaboli in superbia, quæ superbia semper est in tempestate facta diaboli; & hæc tempestas aspergit niuem, & frigus superbiae, quod est contemptus in Deum & mandata eius. Dicitur autem aspergere sicut avis deponens ad sedendum: quia sicut avis ab alto veniens cum deponet se ad sedendum antequam sedeat alis volitat, retinens ne cadat, & tunc multiplicantur motus alarum plusquam cum directe volat: ita superbus volans in alto vanitatis cum in aliqua dignitate pedem figit ad quiescendum in ea, ex hoc ipso quod sedet in eo multiplicat fastum & contemptum: & in descensu eius, etiam quando aliquando in mala fortuna sua humiliatur contra voluntatem, adhuc iniqua voluntas etiam depressa quantum potest se erigit: & si non potest aliud, breves saltus more locustarum dat in altum, in iactantiis verborum de fastu antiquo, & ostentationibus eorum in quibus quandoque est conuersatus. Sed medicina etiam huius niuis ibidem subiungitur cū infertur. *Pulchritudinem candoris eius admirabitur oculus, & super imbrē eius expansit cor.* Hoc est, *Asperges me Domine hyssopo, & mundabor.* *Lauabis me, & super niuem dealabor.* Hyssopus enim

enim valet peccatori, & significat humilitatem quæ curat peccatum peccatoris, hoc est, tumorem cordis: & fit candidus in gratia, & effundet imbre lacrymarum in pœnitentia, ita ut etiam expauseat cor videntis ad intuitum, ita ut candor interior virtutis vincat exteriorem candorem niuis in decore & pompa seculi.

Est autem adhuc nix quedam quæ omnes domos mulieris huius æqualiter ab illa niue liberat. Nix omnes impugnans est pœna & gelidum gehennæ, de qua habetur Iob 6. *Qui timent pruinam, irruerunt super eos nix.* Et accipitur secundum Gregor. hic pruina in bono, scilicet, pro tribulatione pœnitentium in hac vita. Nix autem est pœna æterna quæ irruit super illos qui timent in hac vita pœnitentiæ duritiam. Item Iob 24. *Transibunt ab aquis niuibus ad calorem nimium.* Et loquitur de damnatis qui voluntantur de frigore ad calorē, de calore in frigis, ut nihil desit tormentis.

Nix autem æqualiter liberans est nix pœnitentiæ, de qua habetur Iob 9. *Si lotus fuero quasi aquis niinis, & fulserint velut mundissime manus meæ: tamen sordibus intinges me, & abominabuntur me vestimenta mea,* hoc est, *Si pœnitentiam egero de peccatis, & fuero lotus aquis lacrymarum, quæ resoluuntur ex niuibus peccatorum, & manus operum meorum fulserint velut mundissimæ virtutes:* tamen si volueris districte iudicare, sordibus intinges me, hoc est, intinctum ostendes: quia omnes iustitiae meæ sicut pannus menstruatae Isa. 64. Et vestimenta conuersationum mearum me abominabuntur, hoc est, abominabilem reddent coram tuo districto iudicio. De hac niue etiam habetur Isa. 1. *Si fuerint peccata vestra ut coccinum, quasi nix dealbabuntur: & si fuerint rubra quasi vermiculus, velut lana munda erunt.* Peccata rubra, sunt peccata de sanguine ebullientia vel in sanguinem, ut peccatum luxuriæ de sanguine veniens, & peccatum gulæ & immunditiae carnaли. Peccatum autem iræ & inuidiæ & avaritiæ bullunt in sanguinem: quædam ut effundant sanguinem, sicut ira & inuidia: quædam etiam ut sustentationem sanguinis subtrahant ut avaritia. Est ergo sensus: Si peccata vestra, scilicet, iræ, inuidiæ, avaritiæ, fuerint rubra ut coccinum, tincta sanguine proximi: quasi nix dealbabuntur, quia per pœnitentiam dealbati eritis ut nix, hoc est, ad pristinam innocentia gratiam restituti. Et si fuerint rubra quasi vermiculus, de cuius sanguine tinctura accipitur purpuræ, & illa sunt peccata de sanguine venientia, ut gula, & luxuria: erunt munda per temperantiam carnis, velut lana munda de vellere agni tollentis peccata mundi sumpta.

### §. II.

**S**equitur de secunda parte huius versiculi, in qua reddit causam eius quod non timet domini: quia scilicet omnes domestici eius vestiti sunt duplicitibus: vbi duo notanda se offerunt, scilicet, qui domestici, & quæ duplicita quibus vestiuntur. Habet autem hæc mulier secundum quamlibet domum duplexes domesticos. In domo enim interioris cordis habet rationem, & voluntatem: in domo vero exteriori actiuos, & contemplatiuos: & item in domo inferiori ha-

bet castitatem, & abstinentiam: & in domo superiori Angelos, & homines beatos.

De domesticis primæ domus, hoc est, cordis, habetur Eccli. 10. vbi dicit: *Noli esse sicut leo in domo tua, euertens domesticos tuos, & opprimens subiectos tibi.* Vnde notandum, quod quidam in domo cordis sunt ut leones, qui scilicet semper sunt superbi, & iracundi: quod Ecclesiasticus interdit mulieri forti: quia ex hoc ab omni bono & vero auertuntur domestici, scilicet, ratio, & voluntas ad malum diligendum: & ex hoc opprimuntur subiecti famulantes, scilicet, vires animæ, ut quinque sensus, & concupiscibilis, & irascibilis. Opprimuntur autem: quia peccatum incipit eis dominari. De domesticis autem domus exterioris habetur Matth. 10. vbi dicit Dominus omnibus fidelibus Ecclesiæ actiuis, & contemplatiuis. *Non est discipulus super magistrum, neque seruus super dominum suum.* Sufficit discipulo ut sit sicut magister eius, & seruus sicut Dominus eius. Si patrem familias Beelzebub appellauerunt, supple, membra diaboli & iniqui homines: quanto magis domesticos eius, hoc est, actiuos & contemplatiuos in eadem domo Ecclesiæ secum manentes? *Non ergo timeatis eos.* Et ad Galat. 6. *Dum tempus habemus, operemur bonū ad omnes: maxime autem ad domesticos fidei:* & illi sunt actiuos, & contemplatiui.

De domesticis autem domus inferioris habetur 2. Reg. 16. quod cum fugeret Dauid Absolom filium suum, quod apparuit Siba puer Miphibotheth, in occursum eius, cum duobus asinis, qui onerari erant ducentis panibus, & centum alligaturis vase passe, & centum massis palatharum, & duobus vasis vini. Et dixit rex Siba: *Quid sibi volunt hec?* Responditque Siba: *Domine mi rex, asini, domestici regis ut sedeant, & panes & palathæ ad vescendum pueris tuis.* Siba interpretatur indigens patre, & significat pœnitentem qui cognoscit se indigere patre cum filio prodigo Luke 15. Miphibotheth autem interpretatur os ignominiae, & significat concupiscentiam carnis cui ante seruierat Siba: sed modo redit ad Dauid, hoc est, ad Christum qui fugit filium infidelem, hoc est, Christianum ejicientem eum de regno proprio, hoc est, ab anima. Offert autem Siba Dauid Christo in obsequium, ducentos panes, hoc est, refectionem perfectam decalogi impletam in duobus præceptis charitatis, & offert etiam sibi centum alligaturas vase passe. Vua autem passa est Christus passus, & hono qui perfectus est etiam in passionibus Christi, dicens quod sibi absit gloriari nisi in cruce Domini nostri Iesu Christi per quem sibi mundus crucifixus est, & ipse mundo ad Galat. 6. Et offert nihilominus duos vases vini, hoc est, duplex vinum spirituale, scilicet, compunctionis & deuotionis, & centum palatharum massas. Palathæ sunt ficus quæ inter tabulas quasdam quæ pale vocantur, sunt compresæ, & significant perfectam compressionem omnis dulcedinis peccatorum per opera pœnitentiæ, quam offert etiam pœnitens Christo, quando iam abiecit à se omnia huius mundi & peccatorum oblectamenta, & hoc etiam reficitur Christus in pœnitentibus suis: fert autem duos asinos, hoc est, nutritiæ & generatiæ virtutes, quæ dicuntur asini: quia sicut asini sunt stolida & stulta animalia & prona ad gulam & luxuriæ, ita illæ duas virtutes præ cæteris corruptæ sunt ad delectationes corporales in cibo & coitu: sed

sed offeruntur domesticis regis, hoc est, Christi ut sedent: quia Christus habitat in corpore nostro, & domestici eius sunt castitas & abstinentia quæ sedent super illas duas vires, ut milites regentes in bonum omnes animales motus. De hoc etiam potest intelligi quod dicitur 1. ad Timoth. 5. Siquis suorum & maxime domesticorum curam non habet, fidem negavit, & est infidelis deterior. Serui hominis sunt virtutes & vires quas habet in seipso, & præcipue curam debet gerere abstinentiae & castitatis ne pereant in se: quia aliter factis negat fidem, & est deterior infidelis: quia sibi nequam est: ergo nulli bonus Eccles. 14.

De domesticis autem domus superioris habetur ad Ephes. 2. *Iam non estis hospites & aduenæ, sed estis ciues Sanctorum & domestici Dei.* Hoc est, verissimum etiam de Sanctis per rem vel spem iam habitantibus in domo Dei. In celo sunt enim qui in mundo sunt hospites in anima, quia hic non habent patriam: & aduenæ in corpore, quia illud de paradiſo in mundum est eieatum. Sed spe quidam & re alijs sunt ciues Sanctorum in regno, & domestici Dei secum habitantes in domo in qua mansiones multæ sunt Ioh. 14.

Sequitur de duplicibus vestibus quibus domestici isti vestiuntur. Assignemus igitur unicumque domestico duplia. Et sic cum sint quatuor domus, & octo domestici: sedecim sient induimenta. Sunt igitur duplia quibus induuntur domestici domus interioris: & ratio quidem induit lumen veritatis diuinæ, & scientia conuersationis mundanæ: habens scientiam contra niuem, & lumen diuinæ veritatis contra frigus niuis. Sic enim necessarium est: quia contingit quandoque aliquem laedi a frigore niuis, etiam cum ab ipsa niue non tangitur. De vestimento autem luminis habes in Psalm. 103. *Confessionem laudis sanctæ & decorum sanctæ veritatis induisti: amictus lumine sicut vestimento.* De veste autem scientiae conuersationis mundanæ dicitur Sapient. 18. quod in veste poderis quam habebat, totus erat pictus orbis terrarum, & parentum magnalia, hoc est, Aaron. In omni enim virtute cordis nostri omnis terrarum orbis pictus est velut in scientia: quia oportet scire bona & mala & indifferentia, & oportet scire magnalia exempla parentum, vt secundum omnia rectificentur opera nostra. Hoc idem est quod habetur in Psal. 103. *Abyssus sicut vestimentum amictus eius: super montes stabunt aquæ.* Abyssus enim est profunditas intellectus in scientia. Montes autem sunt alti sensus Scripturae super quos stant aquæ doctrinae.

Alius autem domesticus eiusdem domus etiam vestitur duplicibus, scilicet voluntas scilicet charitate contra frigus niuis, & obedientia contra niuem. Charitas autem significatur per tunicam inconsutilem. Obedientia vero per discoloria quibus Dominus se dicit vestisse Synagogam Ezechi. 16. Quia obedientia discolor est secundum omnia mandata, & omnes voluntates Domini. Et vestimenta quidem primi domestici, scilicet rationis, significantur per vestimenta Domini transfigurati in monte Thabor Mat. 17. qui mons interpretatur lumen veniens; de quibus dicitur quod facta sunt candida sicut nix, qualia fullo super terram facere non potest: excedit enim ratio in lumine veritatis, & vestitur

D. Alberti Magni Lib.de mul. forti.

intellectus plenitudine & scientia certitudine. Et fullo hic dicitur Philosophus, vel illi qui student in scientiis secularibus, qui nullo modo tam decoris amictum per studium facere posunt. Vestimenta autem secundi domestici significantur per vestimenta Iacob Gen. 27. de quibus dicit Isaac: *Vt statim sensit vestimentorum eius fragrantiam: Ecce, inquit, odor filij mei sicut odor agri pleni cui benedixit Dominus.* Charitas enim habet omnem agrum virtatis plenum bonitatis fructibus. Et similiter obedientia omnem implet mandatorum agrum floribus & fructibus honorum operum.

Domestici etiam domus exterioris vestiuntur duplicibus, & illi sunt actiui & contemplatiui, & domus eorum est Ecclesia. Et vestiuntur quidem actiui feroore spiritus contra frigus niuis: persecutantia autem contra niuem ipsum. Contemplatiui autem vestimentum habent puritatem contra niues, & altæ admirationis contra frigus niuis. De vestitu autem ferooris spiritus habetur Iob 27. *Nonne vestimenta tua calida sunt cum perflata fuerit terra Austrum?* Auster est ventus calidus, & significat calorem sancti Spiritus, qui calefacit vestimentum ferooris spiritus: vt fiat quod dicit Apostolus ad Rom. 12. *Spiritu ferentes Dominum seruientes.* De vestimento autem persecutantiae habetur Isa. 9. *Vestimentum mixtum sanguine erit in combustionem, & cibus ignis.* Vestimentum mixtum sanguine est conueratio non coniuncta persecutantiae, quæ miscetur sanguine peccati, & illa erit in combustionem ignis æterni, & cibus ignis infernalis.

De veste autem puritatis contemplatiuorum habetur Gen. 3, 5. *Mutate vestimenta vestra, surgite, & ascendamus Bethel.* Mutare vestimenta est maiorem puritatem induere, vt limpidor sit contemplatio. Surgere autem est oculos intentationis ad superna dirigere. Ascendere autem Bethel, quæ interpretatur domus Dei, est omnia superiora per considerationem penetrare. De veste autem secunda contemplationis habetur Cant. 4. *Odor autem vestimentorum tuorum sicut odor thuris.* Illa enim admiratio non est curiositatis, sed deuotionis & iucunditatis. Et ideo odor eius odori thuris comparatur, per quod deuotionis iucunditas confueuit designari. Hæc omnia duplia actiuiorum & contemplatiuorum significantur per vestes reginæ, de qua legitur in Psal. 44. quod astitit regina in uestitu deaurato circumdata varietate.


Domestici etiam domus inferioris vestiuntur duplicibus: castitas quidem vestitur verecundia, & sanctimonia munditia: abstinentia vero discretione, & austerritate: & castitas vtitur verecundia contra niuem, & sanctimonia contra frigus niuis. Similiter & abstinentia austerritatē habet contra niuem, & discretionem contra frigus niuis. Et de vestimentis castitatis duplicibus simul habetur Pro. 6. *Nunquid potest homo abscondere ignem in sinu suo, vt vestimenta illius non ardeant? aut ambulare super prunas, vt non comburantur planta eius?* Sic qui ingreditur ad mulierem proximi sui, non erit mundus cum tetigerit eam. Ignis in sinu est luxuria: calor in corde, de quo dicit Iob 31. quod *ignis est usq; ad perditionem deuorans.* Vestimenta autem quæ comburuntur, sunt verecūdia, & sanctimonia castitatis. Plantæ autem sunt affectus qui etiam immundantur igne luxuriæ. Est autem quidam ignis ardens

ardens in castitatis vestibus non cōburens, sed illuminans: non cōlumens, sed purificans & inflammans: & ille est ignis amoris Dei & diuinitatis, ut videt Moyses in rubo qui ardebat & non comburebatur Exod. 3. Et reputauit hanc visionem magnam, ad quam denique iussu Dei nisi nudis pedibus ob reuerentiam erat accedendum: eo quod locus ille terra sancta est: quia talis viror castitatis perfecte in corpore & anima perseverans quando est cum amore Dei & humilitate locum cordis sanctum Dei habet habitaculum, & inter corporis mortalis sanctitatem dicit angelicam.

De vestibus autem abstinentiae intelligitur illud quod legitur de vestitu Ioannis Baptiste Matth. 3. quod *vestimentum eius erat de pilis camelorum*: per quod intelligitur austeras: & *zona pellicea circa lumbos eius*: per quod intelligitur discretio: quia sicut zona restringit vestes defluentes, sic discretio ad modum & mensuram & decentiam reducit incepta & inordinata. Hoc idem potest intelligi per vestitum Eliæ.

Sequitur de duplicibus quibus vestiuntur illi qui sunt in domo superiori. Sunt autem illi Angeli, & homines: & homines quidem vestientur duplii stola, scilicet corporis, & animæ: & stola corporis contra niuem. Similiter Angeli duplum habent virtutem, scilicet administrationem, & virtutem assistricem: ut dicunt Sancti. Et primam habent contra niuem, & secundam contra frigus niuis. Duplicia autem hominum significantur per vestitum Ioseph de carcere eductum; & totonderunt eum ac veste mutata obtulerunt regi Genes. 41. Carcer enim est mundus. Tonsio autem significat abrasionem mortalitatis huius per gloriam corporis. Mutatio autem vestis significat, quod fides mutatur in visionem apertam, spes in comprehensionem æternam, & desiderium charitatis in dilectionem cōpletam.

Vestis autem Angelorum significatur Apoc. 1. vbi Ioannes videt Angelum similem Filio hominis vestitum podere & præcinctum ad mammillas *zona aurea*: vbi per auream zonam significatur ligamen quo per virtutem assistricem colligantur Deo. Et per vestimentum poderis significatur ministerium quod exhibent circa nos. Et ideo Daniel dicit quod millia millium ministrabant ei, & decies centena millia assistebant ei Dan. 7.



## C A P. XIII.

### I.

n

Stragulatam vestem fecit sibi, byssus & purpura indumentum eius.



PIGRAMMA huius versus est tertiadecima litera Hebræorum, quæ interpretatur viscera, & alludit sententiæ versus: eo quod stragulata vestis coloratur de viseribus & sanguine cuiusdam piscis.

Sic etiam huius mulieris vestis coloratur de san-

guine Christi qui est piscis assus, quem Discipuli post Passionem ad litus maris inuenierunt super prunas cum fauo mellis diuinitatis eius. Ioan. vlt. Vnde habetur Isa. 43. Et querunt Angeli à Domino: *Quare rubrum est indumentum tuum, & vestimenta tua sicut calcantium in torculari?* Et respondet: *Torcular calcaui solus, & de Gentibus non est vir mecum.* Torcular enim passionis solus calcauit exprimens per obedientiam Patris sanguinem uxoris corporis sui, in qua lauit stolam suam & pallium humanitatis uxoris, ut habetur Genes. 49. Et sic patet qualiter concordat epigramma versui.

Sequitur: *Stragulatam vestem*, &c. In quo duo notantur, scilicet, quid sit vestis stragulata, & postea quid byssus, & purpura, quibus etiam induitur. Stragulata vestis duobus modis confueuit exponi. Glossa enim dicit, quod vestis stragulata est vestis firmiter contexta, & diuerso colore colorata. In legibus autem confueuit dici vestis apta ad substernendum. Et secundum hoc notandum circa primam partem uersus, quod duplex est vestis stragulata, & quod tribus modis fit illa. Secundum primum enim sensum vestis stragulata est Passio Domini nostri Iesu Christi contexta firmiter: quia nihil omnium quæ oportebat fieri ad salutem nostram, est omissum. Picturata autem & colorata: quia habet sputa, clausos, lanceas, spinas, flagella, probra, & conuicia verborum, irrisiones, colaphos, alapas, & tandem cruce: præter famem & siti, lassitudines viarum, asperitates vestium & stratus: quæ per continuos trigintatres annos est expertus. Et hæc vestis significatur per tunicam polymitam, id est, picturata quam fecit Patriarcha Iacob filio suo Ioseph, sicut habetur Genes. 37. qua nudauerunt eum fratres sui, & tinixerunt in sanguine hædi, & miserunt ad patrem per aliquem qui diceret. Hanc inuenimus tunicam: vide utrum tunica filij tui sit an non? quam cum cognouisset pater, ait: Tunica filij mei est, fera pessima deuoraui filium meum, bestia comedit Ioseph. Tunica est corpus pauplum. Denudatio est expoliatio corporis per mortem, non quod à deitate fuerit separatum, sed quia diuissum fuit in triduo ab anima. Polymita autem est hæc tunica: quia omnes fluctus Passionis transferunt super ipsam, ut prius dictum est, sputa, clavi, lancea, fel, myrra, acetum, & absynthium in gustum & huiusmodi: & mittebant ad Patrem cælestem dicendo, quod blasphemaret se dicendo esse Filium Dei Ioannis 10. Huiusmodi enim verbis & verberibus quasi ipso facto tunicam humanitatis ponebant in conspectu Patris, ut videret si tunica Filij sui esset. Pater vero videns in ea vestigia feræ pessimæ, inuidiæ scilicet: hæc enim vnguis & dentibus lacerauerat tunicam in dorso, capite, manibus, pedibus, & latere: statim agnouit illam tunicam esse Filij sui, faciens etiam elementa super eum lacrymari. Matth. 27. Sol enim obscuratus est, & lumen non dedit, luna non dedit splendorem suum, petræ scissæ sunt, monumenta aperta, & in templo velum scissum. Hæc igitur est stragulata siue polymita vestis huius fortissimæ mulieris, habentis in ea vestem redemptionis & solatij, in exhibitione tanti amoris quod vir suus eam secum una veste vestire dignatur.

Dicitur iterum stragulata vestis apta ad substernen-

sternendum, & secundum hunc sensum vestis est mortalitas vita huius, quæ substernitur nobis ad humiliationis sessionem, ut descendamus de alto superbiæ super eam. Hæc autem mortalitas est in pœna & verecundia natuitatis, quæ describitur Sapient. 7. quod coagulatur homo in sanguine ex semine hominis, & delectamento somni conuenienti: & mutatur in organa corporalia, & perfectionem corporis secundum quantitatem debitam, decem mensium tempore: & natus de vetero cedit in terram, & primam vocem emittit plorans, & accipit communem aërem in spiraculum. Nemo quippe ex regibus aliud habuit nascendi initium. Est etiam in pœna & verecundia vita quæ verificatur per experimentum famis, & sitis, & frigoris, & caloris, & infirmitatis, & sanitatis, & debilitatis, præter turpia quæ non est fas dicere. Est etiam in pœna & miseria mortis, & ignorantia quando mors veniat, sero, an media nocte, an gallicantu, an mane. Hæc autem vestis significatur 4. Regum 8. vbi legitur, quod Azahel tulit stragulum, & infudit aquam, & expandit super faciem regis Syriæ, quando mortuus est, & ipse regnauit pro eo: in quo significatur, quod filii huius seculi sint Azahel, qui interpretatur videns Deum, qui scilicet quotidie vident opera Dei in humiliatione superbiæ, unus super alium expandit sudarium morticinum, & infundens aquam refrigerij mortalitatis quandiu potest, & cum unus regnum Syriæ, quæ sublimis interpretatur, tenet post alium.

Sequitur qualiter hanc vestem fecit sibi. Fecit autem, ut dictu est, tripliciter, scil. texendo, incidendo, & cōsuendo. Qualiter autem net dictu est supra. Texendo per cogitationes: eo quod omnes Christi passiones, & omnes propriæ mortalitatis deiectiones continuo & quotidie versat & reuersat in corde suo. Et quod hoc sit texere, patet per oppositum: quia Dominus reprehendit sic per cogitationes iniqua tractantes consilia: sicut dicitur Isa. 19. *Confundentur qui operantur linum,* hoc est, materiam dealbationis & telarum huius mundi, *plectentes & texentes subtilia.* Et iterum Isa. 30. *Va filii desertores ut faceretis consilium, & non ex me: & ordiremini telam, & non per consilium meum: ut adderetis peccatum super peccatum,*

Incidit autem forficibus sapientia, qui habet duos cultros contra se venientes: auctoritatem scilicet Scripturæ, & rationem intelligentiæ: quæ duo connectuntur clavo fidei.

Consuit autem acutissima timore Dei: quia timor Domini omnia perforat & compungit. Filium vero connectens est longissima & firmissima compaginatio meritorum, & hæc factura significatur 1. Reg. 2. vbi legitur quod tunicam paruam faciebat Anna mater Samuelis filio suo, quam afferebat statutis diebus ascendens cum viro suo ut immolaret hostiam solemnam & redderet vota sua. Anna enim gratia interpretatur, & significat mulierem fortem: & filius eius spiritus salutis est, cui facit his tribus modis tunicam: quia tribus vicibus ascendebat statutis diebus in Ierusalem, scil. Pascha, Pentecoste, & in Scenopiegia: & per illa tria tempora significatur triplex fuere stragulata tunica. Dicitur autem parua propter humilitatem. Sacrificia autem sunt oblationes laudis, & vota sunt desideria æternorū quæ offerruntur Domino in Ierusalem, h.e. visione pacis.

D. Alberti Magni Lib.de mul. forti.

## §. II.

S Equitur.

**B**yssus & purpura indumentum eius.

In hoc notatur duplex indumentum huius mulieris, scilicet iustificatio Sanctorum, & decor regalis, ut dicitur in Apocal. Byssum enim sunt iustificationes Sanctorum: & dicitur quod datum est sponsæ agni ut operiat se bysso Apocalip. 21. Est autem byssus genus lini candidissimi quod crescit in Ægypto. Ægyptus vero significat mundum in quo oriuntur quoad meritum iustificationes Sanctorum.

De purpura autem, quod indumentum regale fit, habetur Cantic. 7. *Come capitis tui sicut purpura regis iuncta canalibus.* Vnde dicitur in legibus, quod purpura vestis tincta est muricis sanguine, & est pisces crescens in conchis quibusdam marinis, cuius usus non conceditur nisi principi & cui permiserit princeps: vnde patet, quod purpura regale est insignium. Sunt autem nostri regis signa tria quæ in mundum procedunt, scilicet, castitas virginalis, & passio pro iustitia & fide, & doctrina veritatis. Et in his tribus mulier vestitur purpura: quia scilicet virgo, docens & prædicans veritatem Euangelij, & patiens pro fide. Hæc omnia accipiuntur in Paulo & Ioanne Baptista. Vterque istorum hæc tria habuit in seipso. Vnde cantatur de Ioanne Baptista:

*Serta ter denis alios coronant,  
Aucta clementis, duplicata quosdam:  
Trina centeno cumulata fructu  
Te sacer ornant.*



## C A P. X I V.

### §. I.

Nobilis in portis vir eius, quando sedet cum senatoribus terræ.



**V**N interpretatur unicus, vel sempiternus, & alludit versu: quia vir eius est sibi unicus, & sempiternus: unicus, quia sicut legitur de Iudith 15. Castitatem amavit, & post virum suum alterum non admisit, seruans sibi fidem thori: non sicut illa Samaritana mulier, de qua dicit Dominus Ioan. 4. quod quinque viros habuit: & tunc quem habuit, cum Dominus ad eam loqueretur, non erat suus vir. Sempiternus etiam est sibi, quia immortalis: vnde nō est sicut illa mulier septenvira quam obiecerunt Pharisæi & Sadducæi Domino, cuius in resurrectione deberet esse vxor Matth. 22. Hæc enim habet unicum & tempiternum, qui est dux pubertatis & adolescentiæ suæ, quem cum amauerit casta est, cum tetigerit mundu, & cum acceperit permanet virgo incontaminata: & sic est ei unicus & sempiternus.

E 3 Sequitur

Sequitur: *Nobilis in portis*, &c. Hic quatuor sunt notanda, scilicet nobilitas viri; & vbi nobilis, quia in portis; & quando nobilis, quia quando sederit; & cum quibus vel coram quibus nobilis, quia quando sederit cum senatoribus terræ. Circa primum nota, quod quadruplex est huius viri nobilitas, scilicet,

Nobilitas	Naturæ, Sapientiæ, Virtutis, Efficaciæ.
-----------	--

Nobilitatem habet in natura Dei Filius, & reginæ Virginis Matris: vnde cum nobile dicatur illud quod in natura attingit alta principia, patet quod Filius Dei habet nobilitatem naturæ. De hoc sensu nobilitatis habetur Iere. 39. *Omnes nobiles Iuda rex Babylonis occidit gladio*. Ibi enim intelligit de his qui ex altis parentibus erant progeniti. De Christo autem quoad sensum, et si non quoad verba intelligitur illud Isa. 11. *Et egredietur virga de radice Iesse, & flos de radice eius ascendet, & requiesceret super eum Spiritus Domini, Spiritus sapientia & intellectus*, &c. Iesse enim interpretatur incendium, & signat Patrem Domini, qui ex incendio amoris genitum de se confundit sibi Filium promisit, & voluit egredi ad nos in mundum. Et dicit bis de radice, ut notet duplex principium Christi: unum secundum diuinam generationem, & alterum secundum humanam. Dignitatem autem gratiæ in hoc notat quia Spiritus in omnibus donis requiescit super eum.

De nobilitate autem sapientiæ quoad literam habetur Deutero. 1. *Tuli de tribubus vestris sapientes & nobiles, & constitui eos principes tribunos & centuriones & quinquagenarios ac decanos, qui docerent vos singula*. Hac nobilitate etiam nobilis est Christus: quia, sicut habetur Luc. 2. *Iesus proficiebat sapientia & etate & gratia apud Deum & homines*. Et Apostolus dicit, quod in ipso fuerunt omnes thesauri sapientiæ & scientiæ absconditi Coloss. 2. Et similiter Iereim. 31. quod nouum faciet Dominus super terram. *Fæmina circumdabit virum*, hoc est, ut dicit Gloss. perfectum in gratia & sapientia ex die conceptus eius.

De nobilitate autem virtutis secundum literam habetur Isa. 3. *Tumultuabitur puer contra senem, & ignobilis contra nobilem suscitabitur*. Puer dicitur hic mulier iuuenis: senex autem à canicie mentis. Dicitur nobilis amore virtutis, & præcipue Christus contra quem suscitatur ignobilis: quia nemo est contra eum nisi qui ignobiliter vivit.

De nobilitate efficaciæ sciendum, quod Christus dicitur nobilis: quia nobiles suos omnes facit: quia facit eos reges & sacerdotes, sicut dicunt Sancti de se in Apocal. Et hoc significatur in exultatione Saul 1. Reg. 9. quem eleuauit de abiecta familia Cis, cum quereret asinas: & per exaltationem Dauid, cum custodiret oves: & per exaltationem Mardochæi Iudæi, cum esset alienigena: & per hæc omnia intelligitur illud Ps. 112. *Suscitans de puluere egenum, & de stercore erigens pauperem*: ut sedeat cum principibus, id est, Angelis, cum principibus populi sui, hoc est, beatorum. Et illud Annae 1. Reg. 2. *Suscitans de puluere egenum, & de stercore erigens pauperem*: ut sedeat cum principibus & solium gloria teneat.

Sequitur, vbi nobilis, quia in portis. Et nota quod iudicibus præceptum fuit ut sederent in porta, & ibi exercerent iudicium. Sunt autem duodecim portæ Ierusalem cœlestis, ut legitur Ezech. vlt. & sunt tres ad Aquilonem in quibus Christus nobilis est per efficaciam: quia nobilis facit mulierem stans in portis illis. Est autem porta Ruben vna, porta Iuda vna, porta Leui vna. Ruben interpretatur visio, cuius portam aperit quis, quando solcite conspicit malum ut fugiat. Ab Aquilone quippe panditur omne malum super vniuersos habitatores terræ. Ierem. 1. Vnde omnes tres portæ respiciunt ad vias inferni quæ sunt peccata.

Postquam solcite autem peccata conspexerit quis, restat ut sedeat in porta secunda, scilicet, Iuda qui interpretatur confitens vel glorificans: quia dare debet gloriam Deo de liberatione, & confiteri pure peccatum suum: sicut præcepit Iosue ipsi Achor qui furatus fuerat regulam auream, & pallium coccinum, & ducentos siclos argenti Iosue 7. Regula autem signat dignitatem huius mundi quæ fulget in auro & regit hominem secundum vanitatem suam. Pallium coccinum est vita carnis & sanguinis in luxu epularum & luxuriæ. Ducenti autem sicli significant diuitias huius mundi, à quibus veniunt omnia peccata.

Quando autem aliquis pure est confessus, adhuc restat ut per opera satisfactionis quotidie crescat & augeatur in virtute contra peccatum: & ideo sedendum est in tertia porta quæ est Leui, quæ interpretatur auctus.

Sunt iterum ad plagam Orientalem portæ tres: porta Ioseph vna, porta Beniamin vna, porta Dan vna. Oriens est nativitas nostra ad quam tres portæ debent aperiri. Primo enim considerandum est ut ex carcere peccati originalis, quo membra nostra clausa tenentur, educamus à Pharaone, hoc est, à Deo, & exaltemus per gratiam sacramentorum in mundo, scilicet, per baptismum, & confirmationem, & Eucharistiam, &unctionem extremam: & sic sedemus in porta Ioseph, quæ interpretatur accrescens, & in Ægypto creuit modo dicto. Vnde Psalm. 104. *Humilauerunt in compedibus pedes eius, ferrum pertransit animam eius, donec veniret verbum eius. Eloquium Domini inflammat eum: misit rex, & soluit eum: princeps populorum, & dimisit eum. Constituit eum Dominum dominus suæ, & principem omnis possessionis suæ*. Compedes autem dicuntur carcer, & ferrum dicitur asperitas carceris in quo tyrannus & langor naturæ nos detinent: & non soluemur nisi mittat rex per sacramentalem gratiam & soluat nos, & princeps populorum Christus per virtutem gratiæ suæ nos dimittat: & hoc est eloquium Dei quod nos charitate inflamat: & tunc etiam principes in regno suo constituit, ut intremus in gaudium Domini nostri, & constituamur super omnia bona eius, & habeamus ea ad nutum.

Cum autem nos sedere fecerit Christus in hac porta, quotidie sedendum est etiam in secunda quæ est porta Beniamin, qui interpretatur filius dextræ, & eius mater in partu mortua est. Mater autem nostra secundum scilicet generationem hanc Cethæa est, & pater noster Amorræus, ut dicitur Ezech. 16. & signant diabolum & concupiscentiam.

cupiscentiam : & hæc mater mori debet in generatione spirituali, & debemus per bonam vitam effici filij doloris & iræ.

Deinde dicit nos Christus ad portam tertiam Orientalem quæ est porta Dan, quæ interpretatur iudicium, ut scilicet consideremus omni tempore humilitatem & miseriæ nostræ naturæ ne superbiamus, sed non altum sapientes timeamus & consentiamus humilibus.

Sunt autem iterum portæ tres ad Meridiem : porta Simeon vna, porta Issachar vna, porta Zabulon vna. Meridies est regio luminis æterni, quod oritur super nos in gratia Dei. Primo autem aperimus portam Simeon quæ interpretatur auditus, & sedemus in ea quando sollicite auscultamus si hodie vocem Domini audierimus ut non obduremus corda nostra, sed non in vacuum gratiam Dei recipiamus : sicut dicit Psalm. 84. *Andiam quid loquatur in me Dominus, &c.*

Deinde dicit nos ad portam secundam plagæ Meridionalis, quæ est porta Issachar, quæ interpretatur merces, in spe æternorum bonorum : quia spes expectat mercedem, quæ promissa est Abraham Genes. 15. cum dictum est ei : *Ego ero merces tua magna nimis.* Et quod petitur Eccli. 36. Da mercedem sustinentibus te, ut Prophetæ tui fideles inueniantur.

Postea sedet vir iste cum sedere nos facit in porta tertia Meridionali quæ est porta Zabulon, quæ interpretatur habitaculum fortitudinis, quando facit nos habitare firmiter secum & perseverant, ut simus de illis quibus dicit : *Vos estis qui permanistis in temptationibus meis. Et ego dispono vobis sicut dispositus mili Pater meus, regnum : et edatis & bibatis super mensam meam in regno meo. Et si satanas expetat ut cibret nos sicut tritum, ut proniores fiamus : tamen orat pro nobis ut non deficiat fides nostra.* Luc. 22.

Tandem etiam sunt portæ tres ex parte Occidentis : porta Gad vna, porta Aser vna, porta Nephthali vna. Occidentalis plaga est mors nostra, in qua tripliciter sedet nos facit Christus. Primo quia laborare debemus ut secura sit conscientia in morte : quia dicit Psal. 126. *Beatus qui non confundetur, cum loquetur inimicis suis in porta, hoc est, mortis.* Et sic aperitur nobis porta Gad, quæ interpretatur felicitas : quia hæc est summa felicitas huius vitæ, securum scilicet esse in morte ut cantemus in morte : Vbi est mors victoria tua ? Vbi est mors stimulus tuus ? Osee 13. Stimulus enim mortis peccatum est, quod felicem & securum in morte per conscientiam non stimulat.

Et sequitur porta secunda Aser, quæ interpretatur beatus : quia statim per mortem beatitudini Sanctorum coniungemur, sequentibus nos operibus nostris : sicut dicitur Apocal. 14. *Beati mortui qui in Domino moriuntur. Amodo iam dicit Spiritus ut requiescant à laboribus : opera enim illorum sequuntur illos.*

Tertio & ultimo sedetur in porta Nephthali quæ interpretatur latitudo mea : eo quod per mortem est transitus ab angusto speculi ad latitudinem speciei, & ab angusto desiderij huius ad caminum dilatationis cordis in igne amoris, quando coniungemur Seraphin in toto ardore, & Cherubin in plena scientia, & Thronis in perfecta quietis tranquillitate.

Sequitur quando sit nobilis, scilicet, quando sederit. Nota quod quatuor ordines erunt in iudicio : quidam enim sedebunt iudicantes, & quidam stabunt iudicandi, & horum quidam saluabunt & iudicabuntur : & quidam non iudicabuntur, & tamen condemnabuntur. Dicamus ergo quod quidam sedebunt ut principes, cum quibus sedet vir mulieris huius, scilicet Christus, & sedere facit. De sedentibus Matth. 19. *In regeneratione cum federit Filius hominis in sede majestatis sue, sedebitis & vos super sedes duodecim iudicantes duodecim tribus Israël.* Per duodecim autem, ut dicit Glossa, signatur universitas perfectorum : per sedes autem iudicaria potestas quam cum Domino habebunt. Sed de his qui iudicabuntur & saluabuntur Matth. 25. *Venite benedicti Patris mei, possidete paratum regnum à constitutione mundi : esuriui enim, & dedistis mihi manducare : sitiui, & dedistis mihi bibere, &c.* De iudicandis autem & condemnandis ibidem. *Ite maledicti in ignem eternum : esuriui enim, & non dedistis mihi manducare.* Et de non iudicandis & condemnandis habetur in Euangel. Ioā. 3. *Qui non credit, ita iudicatus est.* Ex his patet, quod Dominus mulierem fortem tanquam dilectam sibi consortem regni coniuicat secundum Apostolum & confidere sibi facit in sede iudicij. Et hoc significatur 3. Regum 2. vbi legitur, quod Bersabee venit ad regem Salomonem, ut loqueretur pro Adonia : & surrexit rex in occursum eius, adoravitque eam & sedet super thronum suum : positulque est thronus matris regis, quæ sedet ad dexteram eius. Hæc enim mulier mater est Christi, & soror, & vxor pro diuersis affectibus quibus Christo coniungitur, scilicet, concipiens ipsum in spiritu salutis, & ut fœcunda ab ipso in operibus gratiæ, & ut cohæres regni cœlestis : primo modo est mater, secundo vxor, & tertio soror. Ingreditur autem in die iudicij ut loquatur pro Adonia, id est, ut intercedat pro peccatore, ut detur ei vxor Abisaac, quæ signat charitatem : sed ille superbus inuasor regis non meretur gratiam, & ideo occiditur, & mulier fortis honoratur in confessu dextræ Salomonis, id est, regis, qui cum pace sua & suorum tranquillitate, omnia diuidicat : adorat etiam, id est, salutat matrem in signo pacis & vitæ æternæ : quia constituit à dextris & profert verbum pacis ad ipsum, quando dicit : *Venite benedicti, &c.* Matth. 25. Et ponitur ei thronus ut sedeat iudex cum ipso. Et ita patet quando sedet, quod tunc est nobilis vir huius mulieris fortis.

Sequitur cum quibus sedeat eius nobilis vir, quia cum senatoribus terræ. Est autem triplex terra, scilicet, quam gerimus, & quam terimus, & quam querimus. Terra quam gerimus corpus nostrum est, de qua dicitur : *Beati mites quoniam ipsi possidebunt terram* Matth. 5. quia mansuetudo reddit nobis in possessionem. Et in Psal. 36. Mansueti autem hæreditabunt terram. Terra autem quam terimus, terra est huius mundi, de qua dicitur Genes. 1. *Terra erat inanis & vacua.* Inanis quantum ad declinationem à bono, vacua autem quantum ad inclinationem in malum. Vel inanis quoad gratiam, vacua autem quantum ad opus. Et in Job 9. *Terra data est in manus impi : vultus indicum eius operit.* Ipse scilicet impius diabolus operit. Terra autem quam querimus, terra vi-

uentium est, de qua dicitur in Psal. 26. *Credo videre bona Domini in terra viuentium.* Et Isa. 57. *Sustollam te super altitudinem terre, & cibabo te hereditate Jacob patris tui.* In omnibus his terris cum senatoribus sedet Christus.


In terra enim quam gerimus, sedet inter senatores, scilicet, conscientiam & rationem: quorum iudicio cuncta in nobis decernuntur. Et de his senatoribus dicitur in Isa. 1. *Restituum indices tuos ut fuerunt prius, & consiliarios tuos sicut antiquities.* Iudices enim siue senatores, qui scilicet ex senijs maturitate, ius & auctoritatem habent iudicij, ut dictum est, in nobis sunt conscientia & ratio: conscientia iudicans de occultis, & ratio iudicans de apertis & faciendis. Illi, inquam, iudices quandoque corrumpuntur ut iudicium dissimulent, & hos Deus Christus noster iudex veritatis in medio sedens sapientissimus inter tres restituit: ut fuerunt prius antequam peccato corrumperentur, quando facit hominem secundum verum iudicium de se per confessionem iudicare, & non exculare excusationes in peccatis, & declinare in verba malitia. Consiliarij autem sunt cogitationes nostræ quæ modo corruptæ sunt: confidunt commodum & dilationem pœnitentia propter presumptionem longioris vitæ. Sed Christus Verbum Dei, iudex compagum & medullarum cordis restituit, quando facit cogitare quæ iusta sunt: ut quæ sursum sunt sariant, & non quæ super terram Coloss. 3.

Terra autem quam terimus habet senatores antiquos à quibus egreditur iudicium peruersum, scilicet, superbiam, & libidinem, quæ conueniunt in omni peccato: de quibus dicitur Isa. 3. *Dominus ad iudicium veniet cum senatoribus populi sui.* Et hoc secundum literalem expositionem intelligitur: quia veniet ad iudicium contra senatores ut condemnet eos, eo quod depasti sunt vineam Domini, id est, fidelem populum. Vnde in medio horum sedet ut iudicet iudicium. Et hoc optime signatur in Daniel. 13. vbi legitur, quod duo iniqui iudices erant constituti, de quibus dixerat Dominus, quod egressa est iniquitas à senioribus iudicibus, & illi concupierunt Susannam quæ interpretatur gaudium gratiæ, quam semper querunt infamare & vitiare superbiam & libido iudices terræ. Sed Daniel significat Christum qui conuincit eos ut lapidarentur, id est, duris increpationibus perirentur.

Senatores autem terræ viuentium sunt duo, scilicet, Angeli & homines, cum quibus sedebit Christus in iudicio, ut nobilior omnibus, & nobilitans omnes, ut supra dictum est. Et de hoc habetur 1. ad Corinth. 6. *An nescitis quia Sancti de hoc mundo iudicabunt? & si in vobis, id est, à vobis, iudicabitur mundus, indigni estis qui de minimis iudicetis?* hoc est, indignum est vobis, quod de temporalibus istis iudicium

inter vos sit.

\*\*



## C A P. XV.

### §. I.

o

Sindonem fecit & vendidit, & cingulum tradidit Chananæo.



**A M E C H** interpretatur adiutorium, vel erectio, & alludit sententiæ versus: quia per negotiationem adiuuat se mulier & erigit. Est autem triplex erectio, scilicet, spei quæ erigit à desperatione peccati, & contemplationis quæ erigit oculum ab insimis ad superna. De prima erectione habetur Iob 5. *Ponit humiles in sublime, & mærente erigit fôspitare.* Et similiter intelligitur hoc quod habetur Actu. 9. vbi legitur, quod quædam discipula nomine Tabitha, quæ interpretata dicitur Dorcas, hæc erat plena operibus bonis. Et infra mortua est, quam vocatus à Sanctis Petrusque resuscitans dansque illi manum erexit eam, & Sanctis ac viduis assignauit viuam; quæ enim plena operibus bonis fuit & eleemosynis, non potuit esse mortua per peccatum, sed mortua fuit debilitate spei, quam Petrus, id est, cognitio Dei, resuscitat: & viso Petro, hoc est, cognitione habita de misericordia Dei, resedit ad vitam: & datur illi manus, hoc est, fiducia meritorum: & erigitur ad spem, & assignatur viua in spe, sicut viuit in opere.

De secunda erectione intelligitur erectio filia Abrahæ quam intrauerat satanas decem & octo annis, & soluit eam & erexit Christus in die sabbati Luc. 13. *Filia Abrahæ est anima de fide informata, quam aduersarius salutis humani generis incurvat per peccatum, per annos, hoc est, circuitus vitiorum decem & octo: quia per transgressionem decalogi & contemptum beatitudinum quæ sunt octo enumeratae à Domino Matth. 5.* Et erigit eam Filius Dei per gratiam in die sabbati, hoc est, quando festum & cessationem seruilium operum, hoc est, peccatorum agit Domino. Et Luc. 1. vbi dicitur: *Erexit cornu salutis nobis, in domo David pueris sui.*

De tertia erectione habetur Iob 40. *Circunda tibi decorum & in sublime erigere, & esto gloriosus, & speciosis induere vestibus.* Per quod intelliguntur quatuor quæ debet habere contemplatiuus. Primum est decor virtutum. Secundum, erectio intellectus in diuina. Tertium, gloria faciei quæ illuminatur, sicut splendida facta est facies Moysi Exod. 34. Quartum est speciositas conuersationis, quæ circundat ipsum sicut vestimentum. Et hæc est expositiō epigrammatiſ huius literæ Samech.

Sequitur de versu (*Sindonem fecit & vendidit, &c.*) Est autem duplex negotiatio huius mulieris in versu isto, scilicet, in Sindone & in cingulo. Circa primam notantur duo, scilicet, quid sit sindon facta, & qualiter venditur. Dicit autem

Gloss.

Gloss. quod sindon est pannus subtilis contextus de bysso. Inueniuntur autem in sacra Scriptura quatuor modis sindones, hoc est, ad quadruplicem vslum, scilicet, sindones obedientiae perfectae, & sindones mundanæ innocentiae & castitatis, & sindones eleemosynæ, & sindones doctrinæ Euangelicæ vel prædicationis verbi Dei: & omnes istas sindones facit mulier & vendit. Sindones obedientiae sunt sindones Samsonis, de quibus legitur Iudicum 14. quod abstulit 30. sindones viris Ascalonitis quos interfecit & dedit soluentibus problema istud: *De comedente exiuit cibus, & de forti egressa est dulcedo.* Ascalon interpretatur ignis infamis, & significat eos qui habent ignem concupiscentiae, qua transgreduntur mandata Dei, & præcipue in avaritia pecuniae huius mundi: & hos interfecit Samson, qui interpretatur sol fortis, hoc est, Christus pena æterna, & sindones 30. hoc est, decorum obedientiae decalogi in fide Trinitatis auferit eis, & dat sodalibus suis soluentibus per impletionem problema, id est, ænigma, hoc est, voluntatis suæ signum in consiliis & mandatis. Hoc autem est ænigma. *De comedente*, hoc est, leone deuorante, *exiuit cibus;* & *de forti*, hoc est, leone, *egressa est dulcedo* mellis. Leo autem diabolus est, qui circuit ut leo, secundum dicta Petri. Rugiens & querens quem deuoret 1. Petri 5. quem interficit Christus in membris. Et exit ab eo cibus: quia tentamina sua cooperantur in bonum & refectionem animæ. Et egreditur dulcedo vita spirituæ de fortitudine eius: quia experti fortitudinem diaboli maxime efficiuntur spirituales.

Sindon autem munditiae castitatis est sindon mulierum delicatarum: quia delicate mulieres sunt virgines castæ & viduae & coniugatae, solum Christum admittentes. Et de hoc habetur Iiæ 3. vbi dicitur, quod Dominus propter peccata populi à mulieribus vult auferre sindones munditiae, sicut dicitur in alia prophetia Oœæ 4. Non visitabo super filias vestras cum fuerint fornicatae.

Sindon autem misericordia & eleemosyna est sindon in quam Ioseph inuoluit totum corpus Iesu Matth. 27. Hoc est, omnia membra eius, dum quod cuilibet ex minimis fecit sibi fecisse dicit Matth. 25.

Sindon autem prædicationis verbi Dei est sindon Ioannis, qua quia amictus fuit super nudum, cum persequerentur cum hostes Christi de fide, relicta sindone nudus profugit Marci 14. Quia prædicator qui quasi pro interula inter sindonem & nudum non vtitur bona vita, etiamsi quandoque Christum annuntiat, tempore persequutionis fugit, & etiam verbo contradicit.

Sequitur de venditione, scilicet, qualiter facit & vendit. Facit autem quadrupliciter, & similiter vendit quatuor modis. Sindones obedientiae facit obtemperando mandatis & consiliis diuinis, insuper omni humanæ creaturæ propter Deum: sicut præcipit Petrus 1. Petri 2. & sicut dicit Apostolus Rom. 13. *Omnis anima potestatis sublimioribus subdita sit.* Et Hebræ. vlt. *Obedite prepositis vestris & subiacete illis:* ipsi enim pernigilant quasi rationem reddituri pro animabus vestris. Vendit autem per obligationem ad precepta, & per votum ad consilia: vnde præcipitur in lege. *Reddes Domino vota tua* Deut. 23. & in Psalm. 65.

*Reddam Domino vota mea que distinxerunt labia mea.* Et Augustinus, quod volvere est voluntatis, reddere autem necessitatis, &c. Item in Psal. 75. *Vouete & reddite Domino Deo vestro omnes qui in circuitu eius affertis munera.* De obligatione autem ad mandata habetur in omnibus præceptis Exod. 20. & Isa. 8. *Liga testimonium, signa legem in discipulis meis.* Liga per obligationem, & signa, id est, consigna & confirma eam per votum.

Sindonem enim etiam munditiae & castitatis facit per custodiam carnis & corporis: sicut dicit Iob 31. *Pepigi fædus cum oculis meis ut ne cogitarem quidem de virginie.* De virginie dicit: quia illud genus foeminae magis consuevit incendere ad concupiscentiam: scilicet enim quod postea diu dixit Dominus Matth. 5. *Qui viderit mulierem ad concupiscendum eam, iam mæchatns est in corde suo eam.* Hanc autem sindonem vendit per promissionem trigesimi & sexagesimi & centesimi fructus: sicut dicit Dominus in Euangeliō Matth. 13. quod semen quod cecidit in terram bonam facit fructum: aliud trigesimum, aliud sexagesimum, aliud vero centesimum. Terra bona est corpus & cor mundum: semen autem est verbum castitatis quod fructificat in matrimonio trigesimum, & in viduis sexagesimum, & in virginibus centesimum fructum.

Sindonem autem eleemosynæ facit per misericordiam & miserationes in omnes indigentes: sicut dicit Dominus Oœæ 6. *Misericordiam volo & non sacrificium, & scientiam Dei plusquam holocaustum.* Vendit autem hanc sindonem ostensione incertitudinis diuinarum, & promissione centupla mercedis: sicut dicit Apostolus 1. ad Timoth. 6. *Dinitibus huinius seculi præcipe, non insublime sapere, nec sperare in incerto diuinarum.* Et Iacob. 5. *Agite nunc diuites, plorate, ululantes in miseriis vestris qua aduenient vobis. Diuitiae vestrae putrefactæ sunt: & vestimenta vestra à tineis consta sunt. Aurum & argentum vestrum eruginauit: & arugo eorum in testimonium vobis erit, & mandubitis carnes vestras sicut ignis.*

Sindonem autem prædicationis verbi Dei facit quilibet exhortando ad mores, annuntiando fidem, arguendo malos, increpando duros, obsecrando reuerendos, instruendo indoctos: sicut dicit Apostolus 2. ad Timoth. 4. *Argue, obsecra, increpa in omni patientia & doctrina.* Erit enim tempus cum sanam doctrinam non sustinebunt, sed ad sua desideria coacerubunt sibi magistros pruientes auribus: & à veritate quidem auditum auertent, ad fabulas autem conuertentur. Hoc tempus heu modo est: quia secundum desideria peccati audiunt quæstuarios prædicatores, qui centum dierum indulgentiam falso mendacio commutant obolo uno: & à veritate prædicationis penitentiæ auertunt auditum, & ad nugas quæstuariorum, qui occasione temporalis lucri annunciant non Christum, sed fabulas falsas & heres: cum & illi iam passim prædicent qui nunquam literas nouerunt: taceo etiam de sacrâ literis quas scire omnes prædicatores verbi Dei tenentur, vt dicit Augustinus super epistolam Iacob. Quia ergo aliud quam veritatem ( falsam enim indulgentiam annuntiant ) non dubium quin anathematizati sint, & si non ab Episcopis quorum literas ad confusionem eorum & damnationem circumferunt, & maiorem autoritatem

tem quam prædicatores veritatis accipiunt : tamen sunt nequam anathematizati à sancto Apostolo, qui sic dicit in epistola ad Galat. 1. *Sed licet nos, aut Angelus de cælo euangelizet vobis præterquam quod euangelizauimus vobis, anathema sit.* Et confirmat sententiam iterum dicendo. *Sicut prediximus, & nunc iterum dico. Siquis vobis euangelizauerit præter id quod accepistis, anathema sit.* Hæc autem transgrediendo materiam dicta sunt ad confusionem & confutationem illorum. Redeamus igitur ostendentes qualiter sindonem illam vendit mulier. Isti enim non sindonem, sed potius commissuram panni veteris immun-ditiis deceptionis suæ exhibent.

Vendit autem sindonem verbi Dei persuasu-vitæ & miraculorum. Hæc enim duo tetigit Dominus Marci 1:6. quando dixit : *Signa eos qui crediderint hæc sequentur: In nomine meo dæmonia ejicient, linguis loquentur nouis, serpentes tollent: & si mortiferum quid biberint, non eis nocebit; super agros manus imponent, & bene habebunt.* Et tangit quinque in quibus consideratur vera sindon verbi Dei ab emptore scilicet. Primum quod in nomine Domini dæmonia ejicient, id est, peccatores conuertent. Quidam enim non faciunt hoc in nomine Domini, sed in mammona, qui est Deus diuitiarum, qui propter pecuniam iustificant impium pro muneribus Isaïæ 5. sicut moderni plebani, & archidiaconi, & Episcopi, & quæstuarij eorum. Et secundum vocem Domini satanas non potest satanam ejcere : quia in seipsum non diu-fus est Marci 3. sed concordat satanas cum satana, non in bonum, sed in malum : ut scilicet, si pastor sit avarus, & ouis iniqua remanens in peccato.

Secundum est, quod linguis nouis debent loqui. Noua lingua est Spiritus sancti lingua, sicut dicit Apostolus ad Rom. 9. *Veritatem dico in Christo Iesu, non mentior:* quia mendacium non est in Christo Iesu. Job 13. *Nunquid indiget Dominus vestro mendacio ut pro illo loquamini dolos?* Mendacium vero est lingua antiqua diaboli qua loquutus est ad Ada. n. Vnde Dominus in Euangeliō Ioan. 8. *Diabolus est mendax & pater eius, hoc est, nendacij, & ab initio in veritate non stetit.* Vnde patet quod lingua antiqua est lingua mendacij : vnde cum loquitur mendacium, ex propriis loquitur diabolus.

Tertium est, quod serpentes debent tollere, non subditis virus serpentis in finum ponere, sed tollere : quia dicit Job 26. *quod obstetricante manu eius eductus est coluber toruofus.* Sed isti necio vnde sunt : de disciplina enim Christi non sunt qui confessiones audientes subditis virus avaritiae, & quod turpius est, luxuria : quia mulierculas in confessione polluant & polluuntur ab eis. Vnde sicut dixi, virus serpentis in finum subditorum effundunt ab ore serpentis sine dubio, qui in cordibus eorum nidum sibi stabilem construxit, vnde virus necis in multis effundat.

Quartum est, quod si mortiferum quid biberint per auditum in confessione, non eis nocebit. Sed isti econtra omnem nequitiam quam auditu percipiunt, student statim etiam in seipsis experiri : vnde non est genus hominum tot & tam multiplicibus irretitum criminibus, ut clerici : & hoc ideo, quia discunt mala omnium & per concupiscentiam experiuntur omnia.

Quintum est, quod super ægros in peccatis manum sacramentorum imponunt, & bene habebunt. Et notum est quidem quod sacramenta nos mundare per Dei gratiam possunt : quia in illis operatur Deus & non homo : vnde sacramenta æque bona sunt à bono & malo, licet non æque deuote ministrentur & suscipiantur. Sed tamen hoc quod possunt, faciunt ; in sacramentis enim imitantur Giezi puerum Elisei 4. Reg. 5. in ordinibus Simonem Actuum 8. in administratione Iasonem 2. Machab. 4. in concupiscentia filios Heli sacerdotis, qui erant filii Belial & nequam, abstrahentes homines à sacrificio Dei.

### §. I I.

**S**equitur, qualiter cingulum tradidit Chananeo. Est autem octuplex cingulum huius mulieris fortis. Et est primum cingulum iustitiae. Secundum autem cingulum fidelitatis. Tertium humilitatis. Quartum mortalitatis. Quintum tribulationis. Sextum munditiae cordis & corporis. Septimum est ministerij. Octauum & ultimum gloriæ dignitatis. De primo habetur Eccli. 45. *Circumcinxit zona iustitiae, & induit eum stola glorie.* De primo autem & secundo habetur simul Isa. 11. *Erit iustitia cingulum lumborum eius, & fides cinctorium rerum eius, id est, fidelitatis.*

De tertio autem, id est, cingulo humilitatis habetur Job 12. *Balteum regum dissoluit, & præcingit fune renes eorum.* Et Isa. 22. *Vocabit Dominus ad fletum & planctum & caluitum & ad eingulatum faci:* ad fletum pro peccatis, ad planctum pro ingratitudine & pœnis inferni, ad caluitum, id est, ad rationem pilorum in ablatione vanitatis & superfluitatis, & ad cingulum facci in humili-tate satisfactionis.

De quarto autem, hoc est, cingulo mortalitatis sive mortificationis carnis Matth. 3. *Ipsæ Iohannes, qui interpretatur in quo est gratia, habebat vestimentum de pilis camelorum, & Zonam pelliceam circa lumbos eius.* Et 4. Regum 1. *Elias erat homo pilosus, & Zona pellica accinctus renibus.* Zona enim pellica de pelle fit mortui animalis, & significat carnis mortificationem. Vnde etiam Dominus Adæ & vxori sua deiecit de paradiſo, fecit tunicas pelliceas, ut ostenderet eis propriam mortalitatem, ne amplius superbirent Gen. 4.

De quinto, hoc est, cingulo tribulationis Job 19. *Saltem nunc intelligite quia Deus non a quo iudicio afflixerit me, & flagellis suis me cinxerit.* Et dicitur non æquum iudicium dupliciter. Iudicium enim est exequitio iustitiae. Et hoc potest esse æquum duobus modis, scilicet, secundum proportionem meriti, & secundum proportionem utilitatis quæ inde elicetur. Secundum proportionem meriti non fuit æquum iudicium, de quo iudicatus est Job : & in illo sensu obiecit hoc amicis suis qui accusabant eum de crimine aliquo, eo quod Deus non puniret nisi peccatores, supponentes in hoc fallum : quia Discipulis querentibus de cæco nato, Quis peccasset, ipse cæcus scilicet, vel parentes eius ut cæcus nälceret? Ioan. 9. Respondit Dominus: Neque hic peccauit, neque parentes eius : sed cæcus na-tus est ut manifestarentur opera, supple, miracu-lorum

# Lib.de muliere forti.Cap.XV. §.II. 59

lorum Dei in illo. Secundum proportionem vero utilitatis, quæ elicitur de iudicio: semper est iudicium Dei æquum. Tamen intelligendum, quod licet Dei iudicium quandoque concedatur esse in aliquo modo non æquum, in nullo tamen sensu debet dici iniquum: quia iniquum sonat corruptionem vitij, quam non sonat non æquum. Hoc idem significatur Ioan. vltimo, vbi Dominus loquitur ad Petrum: *Cum essem iunior cingebas te, & ambulabas ubi volebas: cum autem sennueris, extendes manus tuas, & alius te cinget, & ducet quod tu non vis.* Hoc autem dixit, significans quæ morte clarificatus esset Deum. Vnde cinctio ista est cingulo persequitionis facta, quam non voluit Petrus voluntate naturæ, vt dicit Augustinus in Glossa ibidem.

De sexto autem cingulo, hoc est, cingulo munditiæ siue continentia cordis & corporis Luc. 12. *Sint lumbi vestri præcincti, & lucerne ardentes in manibus vestris.* Vbi dicit Gregorius in Gloss. quod lumbos præcinctimus cum carnis luxuriam per continentiam coarctamus. Et in Apocal. 1. Ioannes vidit Angelum qui loquebatur sibi, præcinctum ad mammillas zona aurea: vt notetur decor castitatis etiam ad cor pertinere, ne sit sicut virgo fatua non habens oleum in vase cordis, sed tantum nitorem lampadis in castitate corporis Matth. 25. & ne sit sicut ficus fatua Luc. 13. exhibens dulcedinem continentia in cortice corporis, & non in fructu internæ castitatis in corde.

De septimo autem cingulo, scilicet ministerij, dicit ipse Dominus in Euangelio Luc. 12. *Præcincte se Filius Dei, scilicet, in regno Patris sui, & faciet illos discubere, & transiens ministrabit illis.* Et de hoc supra in verbo illo: *Accinxit fortitudine lumbos suos, plura dicta sunt.*

De vltimo autem, scilicet, cingulo gloriæ habetur Exod. 28. quod præcepit Dominus quod fieret cingulum siue balteum in honorem & gloriam pontificis de quatuor pretiosis coloribus, scilicet, purpura, hyacintho,occo bis tincto, & bysso retorta. Et significat quatuor de quibus in patria gaudebimus. Purpura enim est gloria redēptionis. Hyacinthus autem, qui cælestem habet colorem, est gloria glorificationis nostræ in anima & corpore in die resurrectionis: quia tunc in toto colore cœli habebimus. Coccus autem bis tinctus, qui habet rubeum colorem, significat ardorem dilectionis quem habebimus in eius diuinitate, vt scilicet ardor ille tingat nos rubore quemadmodum Seraphim, qui totus ardens dicitur. Byssus autem significat candorem sapientiae in nobis, quæ est candor & emanatio quædam virtutis Dei sincera, vt dicitur Sapi. 8.

Sequitur, cui tradidit hæc cingula, & dicitur, quod Chananæo. Est autem triplex Chananæus, scilicet, maledictus, dolosus, & benedictus. De Chananæo maledicto habetur Genes. 9. *Maledictus Chanaan puer, seruus seruorum erit fratribus suis.* Filii enim istius Chananæi sunt maledicti, & maledictio eorum est propter irrisionem quæ irritavit Cham pater Chanaan patrem suum Noe: vnde addicti sunt seruituti. Interpretatur autem Chananæus negotiator, & signat Chananæus maledictus negotiatores maledictos, sicut illos qui sunt etiam negotiatio diaboli ut usurarij, telongarij, publicani, quæstuarij, simo-

niaci, negotiatores, & fures, & huiusmodi qui patrem suum derident, eo quod nuda vident pudibunda parentis. Pater autem eorum hic mundus est, cuius vident verenda, quando imitantur verecundiora quæ potius in se & in aliis operire deberent: & ideo quia non faciunt hoc, ab ipso mundo maledictioni subduntur: quia orbis terrarum, id est, mundus pugnabit contra infestatos Sapient. 5. Et erunt serui seruorum: quia seruis Christi obsequuntur etiam non velint: quia dum etiam persequuntur, profunt, & non habent libertatem quam illi experiuntur qui Christo seruunt: quia seruire Deo regnare est.

Chananæus autem dolosus est negotiator qui se occupauit mercibus licitis: sed tamen in contractu emptionis & venditionis dolose circumuenit proximum suum & decipit: & de illo habetur Osee 12. *Chanaan statuta dolosa in manibus suis.* Contra quos dicit Dominus per Salomonem Proverb. 11. quod *abominatio est Domino pondus & pondus, & statuta & statuta.* Et præcipit Dominus quod non essent diuersa pondera, nec diuersi sextarij & huiusmodi Deut. 25.

Chananæus autem benedictus est negotiator animarum & maxime negotiator animæ sua, de quo habetur Matth. 15. quod cum egressus Iesus secederet in partes Tyri & Sidonis. Et ecce mulier Chananæa à finibus illis clamauit, dicens ad eum: *Domine miserere mei Fili David, filia mea male vexatur a demonio.* Et cum Dominus dicebat ei, quod non esset bonum sumere panem filiorum & mittere canibus, ait, *Etiam Domine: nam & catelli edunt de misis quæ cadunt de mensa dominorum suorum.* Ait illi: *O mulier magna est fides tua, fiat tibi sicut vis.* Egressus Iesus, est egressus eius à Patre in mundum, in quo egressu secessit non desistendo à gloria Patris, sed *semet ipsam exinanivit formam serui accipiens* Philipp. 2. *In similitudinem hominum factus est, & habitu inuentus ut homo.* Secessit autem in partes Tyri, quæ interpretatur angustia: quia non omnem vel totam angustiam assumpsit, sed partes quædam, quæ scilicet in eo non generabant indecentiam & contrarietatem gratiæ, qua plenus erat Ioan. 1. nec nobis impediebant, sed implebant salutem: non enim lepram, non ignoratiæ, non huiusmodi assumpsit angustias: sed famem, siti, peregrinationem, laetitudinem, frigus, mortem & huiusmodi assumendo, in partes Tyri, hoc est, angustiæ secessit, paulominus minoratus ab Angelis propter passionem mortis.

Secessit autem etiam in partes Sidonis quæ interpretatur venatio: quia non omnia huius mundi temporalia venatus est: quia cum ad regnum venaretur, id est, quereretur ipse, se abscondit Ioan. 6. sed animas venabatur. Et ecce mulier, quæ mulier propter fluxa desideria quæ quondam habuerat, dicebatur à finibus illis egressa, hoc est, à finibus Tyri & Sidonis, quæ sunt etiam ipsæ partes angustiæ huius mundi, & partes venationis temporalium in quibus dudum arcta fuerat: reliquit, & in partem angustiæ & venationis Domini secessit, occurrens in imo domino ut magis cum ipso concordaret, & querulans quia filia sua, hoc est, anima sua, male per peccata & tentationes à demonio vexaretur. Et cum Filius Dei ad ostensionem fidei mulieris eam canem appellaret, ipsa confirmans sententiam

tiam Domini ex recognitione propriæ iniquitatis,dixit : Etiam Domine. Quasi diceret : Salnum sit in omnibus verbum Domini mei , quia canis ego sum & filia mea. Nam ita est : tamen etiam catelli edunt de micis salutis quæ cadunt de mensa dominorum, hoc est, Apostolorum, & sic consequuta est salutem & laudem à Domino propter fidem & humilitatem : vnde soli isti inter Chananæos traditur cingulum fidei, & humilitatis, & verbi Dei, & sic de aliis. Et patet per expositionem qualiter emit cingulum oratione & conuersione : quia exiuit de finibus angustiæ & venationis temporalium , in quibus fuerat, & fide & humilitate consequuta est salutem à Domino. Et hæc dicta de tertio sufficient.



## C A P. X V I.

## §. I.

v

Fortitudo & decor indumentum eius,  
& ridebit in die nouissimo.



*I* N interpretatur fons vel oculus. Est autem duplex fons ad quem mulier hæc conuertit oculos, scilicet, fons sapientiae, ad quem conuertit oculum contemplationis. *Vnde Eccl. 1. Fons sapientie verbum Patris in excelsis.* Et iste est fons qui in die natuitatis ascendebar de terra irrigans viuernam superficiem paradisi, hoc est, Ecclesia : sicut legitur Genes. 2. & in Eccles. 24. *Dixi, Rigabo hortum plantationum, & inebriabo partus mei fructum.* Hortus plantationum est Ecclesia in qua sunt herbae viræ virtutum & animarum, quæ, inquam, animæ sunt fructus partus Ecclesia, vt supra in primo versu dictum est.

Est etiam fons vita in quo figitur oculus fruitionis. Et de hoc habetur in Psal. 35. *Domine apud te est fons vita : & in lumine tuo videbimus lumen.* Et secundum hunc sensum est epigramma in versum sequentem in quo continetur , & de decore æternæ fortitudinis , & visu diei nouissimi, quando scilicet oculus in lumine videbit lumen, & vitam bibet in fonte vita, & inebriabitur ab vertate domus Dei, & torrente voluptatis diuinæ potabitur.

Sequitur, *Fortitudo & decor, &c.* In hoc versu consideranda sunt duo , scilicet , qualiter mulier fortis fortitudine & decore induitur , & quid sit eam ridere in nouissimo. Circa primum notanda sunt tria. Primum quid sit indumentum fortitudinis, & quid indumentum decoris fortitudinis, & qualiter induitur quandoque utrumque. Circa primum notanda sunt tria , scilicet , secundum quem actum mulier vestiatur à fortitudine , & secundum quas ipsius fortitudinis species, & tertio qualiter aptentur in vestimentum. Nota igitur, quod secundum huius mundi sapientes, actus fortitudinis est inaliqua determinata materia,

& secundum exclusionem duarum malitiarum in materia illa. Est igitur materia fortitudinis aduersitas siue passio illata ab extrinseco , siue etiam causata ab intrinsecis : sicut ab infortunio, & febre, & conuiciis , & persecutionibus, & illatione verborum , & sustinentia mortis , & huiusmodi , & in his passionibus fortitudo moderatrix est animi, vt timeat timenda, & non timeat non timenda , & audeat audenda , & non audeat non audenda : hæc omnia facit gratia boni , & propter virtutem, & propter Deum præcipue : vnde dicit Tullius : *Fortitudo est considerata periculorum susceptio , & laborum perpresso.* Et Ecclesi. 40. laudat Iosue dicens : *Fortis in bello Iesu Nauis successor Moysi in Prophœtis.* Et Apostolus scribens ad Hebr. 11. *Sancti per fidem vicerunt regna, operati sunt iustitiam, adepti sunt recompensationes.* Et sequitur, quod *fortes facti sunt in bello.* Est ergo propria materia fortitudinis bellum passionum quæ inferuntur homini , vt non succumbat animus in aduersis. Actus autem medius est inter duas malitias, scilicet, audaciam, & timorem.

Considera ergo, quod triplex est audacia mala quam excludit fortitudo per hoc quod timet timenda. Quædam enim est audacia prouocativa Dei, de qua habetur Iob 15. *Cucurrit contra Deum erecto collo , & pingui ceruice roboratus est.* Et hæc fuit audacia Sennacherib. Isaïæ 36. *Quis est ex omnibus diis terrarum qui eruerit terram suam de manu mea , vt eruat Dominus Ierusalem de manu mea ?* Erecto collo , id est, superba mente contra Deum cucurrit , quando sic fortitudinem Dei blasphemauit : & pingui ceruice , hoc est, contemptu in eo nimis grossato, quando etiam dixit, quod non possit liberare. Et tales quidem inueniuntur nostri temporis homines , qui quando contra Deum faciunt opprimendo pauperes , contra Deum blasphemant dicentes, quod Deus benefaciet cum ipsis , dummodo possint facere cum hominibus. Ac si dicant : Deus non timemus, nec propter ipsum quicquam dimittimus.

Est etiam audacia presumptum, & illi nimis audent contra iustitiam presumentes de misericordia: contra quos dicitur 1. Regum 2. *Si peccaverit vir in virum placari ei potest Deus : si autem in Deum peccauerit vir , quis orabit pro eo ?* Et Susanna in fine Danielis : *Melius est mihi absque opere incidere in manus hominum, quam peccare in conspectu Domini.* Et Apostolus ad Hebræ. 10. *Irritam quis faciens legem Moysi sine ulla miseratione duobus aut tribus testibus moritur: quanto magis putatis deteriora mereri supplicia , qui Filium Dei conculcauerit , & sanguinem testamenti pollutum duxerit in quo sanctificatus est, & Spiritui gratia contumeliam fecerit ?* Et ibidem. *Horrendum est incidere in manus Dei viuentis.*

Tertia est audacia tentantium Deum , de qua dicitur in Psal. 77. *Tentauerunt Deum in cordibus suis, & testimonia eius non custodierunt.* Item. *Male loquuntur sunt de Deo , & dixerunt : Nunquid poterit Deus parare mensam in deserto ?* Hæc enim fuit audacia quod voluerunt experiri an Deus esset in medio eorum : ita vt pro ipsis vellet miracula facere. Has tres audacias excludit honesta fortitudo per actum quem habet , qui est timere timenda, quia ista timenda sunt.

Sed habet alium , qui est non timere non timenda , vt dictum est , siue audere audenda.

Et

Et per hunc excludit triplicem timorem, scilicet, mundanum, humanum, & timorem pusillanimitatis. Quartum autem, scilicet, naturalem non excludit, sed ligat ne abducatur rationem. Timor mundanus est quo quis timet periculum propter amissionem suarum rerum: unde timet separari a rebus huius mundi, sicut timuit ille iuuenis qui custodierat mandata ab adolescentia sua: & cum audiret a Domino, quod unum sibi decesset ad perfectionem, scilicet, quod iret & venderet omnia quae haberet, & sequeretur Christum: & abiit tristis, eo quod esset habens multas possessiones Luc.18. & in Psal.13. Trepidauerunt timore vbi non fuit timor.

Timor autem humanus est quando aliquis nimis timet pelli suæ, cum etiam secundum diaboli testimonium, pellem pro pelle & cuncta quae habet homo, debeat dare pro anima Iob 2. Contra quos iterum Dominus dicit: *Nolite timere eos qui occidunt corpus, & postea non habent quid faciant. Ostendam autem vobis quem timeatis. Timete eum qui postquam occidit corpus, animam, etiam potest mittere in gehennam* Matth.10. & Luke 12. &c ad Hebr. 2. *Propter timorem mortis per totam vitam obnoxii erant servituti.*

Pusillanimitatis autem timor est illius qui timet umbram & non veritatem, qui scilicet ita meticulosus est, quod ad quodlibet paruum etiam timet, de quo habetur Iob 15. *Sonitus terroris semper in auribus illius: & cum pax sit, ille semper insidias sufficitur.* Non credit quod renerti possit de tenebris ad lucem, circumspicitans undeque gladium. Cum se mouerit ad querendum panem, nonit quod paratus sit in manu eius tenebrarum dies. Hoc est, quando etiam per aliqua opera bona querit panem, id est, refractionem vitae, nouit, id est, pro certo habet: cum tamen non sit verum, quod in manu eius, hoc est, in opere suo sit dies tenebrarum, id est, peccati: & hoc facit debilitas animi & conscientiae. Contra quod dicitur Isa.35. *Confortate manus dissolutas, & genua debilia raborate. Dicite: Pusillanimes confortamini, & nolite timere: ecce deus vester ultionem adducet retributionis, Deus ipse veniet & saluabit nos.*

Timor autem naturalis est, quando aliquis per naturam abhorret periculum: sed tamen contra Deum non queret illud euadere, sicut timuit Dominus in Passione, quando dixit Matth. 26. *Tristis est anima mea usque ad mortem.* Et idem, quod caput contristari & molestus esse. Et Petrus in mari ambulans videns ventum validum vehementer timuit. Et Matth.8. Discipuli, cum nauicula operiretur fluctibus & Iesus dormiret, timuerunt & clamauerunt dicentes: *Domine salu nos, perimus.* Iste autem timor cum sic tangit naturam, ut non abducatur rationem in timorem malum, propassio vocatur: cum autem abducit mentem, dicitur passio. Sic ergo fortitudo actibus suis, quibus in medio virtutis ponit animam, excludit audacias quasdam & quasdam timores. Habet autem cum actibus suis audacias quasdam & timores quasdam.

Habet autem audacias tres, quarum una est intrepeditas confessionis Christi coram principibus huius mundi. Secunda est audacia aggrediendi & sustinendi horribilia propter Deum. Tertia & summa est audacia committendi se auxilio Dei in his quae nec vidit, nec audiuit, nec

*D. Alberti Magni Lib.de mul. forti.*

per rationem intellexit, sed tantum fide tenet. De prima habetur in Euangelio Matth.10. *Dum steteritis ante reges & presides, nolite premeditari quomodo aut quid loquamini: dabitur enim vobis in illa hora quid loquamini.* Et Ierem.17. *Ego non sum turbatus te pauperem sequens: & diem hominis non desiderau, tu sis.* *Quod egressum est de labiis meis, rectum in conspectu tuo fuit.* Et haec fuit audacia Apostolorum, & præcipue Pauli, de quo dixit Dominus Actuum 9. quod vas electio- nis esset sibi ut portaret nomen suum coram regibus, & principibus, & filiis Israel. Haec etiam fuit audacia Mathatiae in 1. Machab.2. qui confessus est bonam confessionem fidei quae est ad salutem, dicens voce magna, hoc est, forti & audaci. *Etsi omnes Gentes regi Antiocho obediunt, ut discedant unusquisque a seruitute legis patrum suorum & consentiant mandatis eius: ego & filii mei, & fratres mei obediemus legi patrum nostrorum: propitius sit nobis Deus: non est nobis utile relinquere legem, & iustitias Dei, non audiemus verba regis Antiochi, nec sacrificabimus transgredientes legis nostre mandata, ut eamus altera via.* Hac etiam audacia idem Mathatias trucidauit virum sacrificantem idolis super aram, & militem quem Antiochus miserat.

De audacia qua quis audet sustinere pericula propter Deum & aggredi ardua, habetur Iudicium 5. *Qui sponte obtulisti Deo Israel animas vestras ad periculum, benedicite Domino.* Et ibidem infra, *Cor meum diligit principes Israel: qui propria voluntate obtulisti vos discrimini, benedicite Domino.* *Qui ascenditis super nitentes asinos, & sedetis supra in iudicio, & ambulatis in via, loquimini. Vbi collisi sunt currus & hostium suffocatus est exercitus, ibi narrentur iustitia Domini, & clementia in fortes Israel.* Martyres sunt ascendentis super asinos nitentes, hoc est, corpora Domino patienti configurata: & sedet Dominus desuper subiugando ea in iudicio quo iudicati a tyrannis nutriunt tyrannos ambulantes in via veritatis doctrinæ & vitae. Loquentur autem nobis vbi collisi sunt currus: quia in audacia non abscedendi a iustitia propter mortem, currus malitiae mundi collisus est, qui currus habet duas rotas, scilicet, tyrantidem, & seculi potestatem. Equus autem trahens est ira. Miles insidens equo, infidelitas. Stimulus est furor. Frænum autem dirigen & frænans equum, leges & decretalia mundana. Falcastra autem egredientia de curru, eo quod de falcatis curribus loquitur, sunt tormenta in martyres emissa. Sed vbi etiam suffocatus est exercitus diaboli, quia constantia martyrum totum subiugavit exercitum mundi: ibi iustitia Domini apparuit, ut mortui superarent, & clementia in fortes Ecclesiam, ut quod viui non fecerunt, efficerent morientes. Haec fuit audacia sanctorum septem fratrum Machabæorum qui passi sunt pro Domino, ut legitur 2. Machab.7. per totum. Haec etiam fuit audacia seuerissimæ matris eorum, quae supra modum fertur laudabilis, & bonorum memoria digna: & masculinum animum femineæ cogitationi ingerens, pereentes septem filios sub viuis diei articulo videns, bono animo ferebat, propter spem quam in Deum habebat.

Tertia autem audacia est qua quis audet se committere Deo, de qua habetur Deutero.33. *Qui dixit patris suo, & matris sua, Nescio vos: &*

F fratibus

fratribus suis, Ignoro illos: & nescierunt filios suos: hi custodierunt eloquium tuum, & patrum tuum seruauerunt. Quia scilicet impleuerunt hoc quod est in Psal. 54. *Iacta super Dominum cogitatum tuum, & ipse te emuriet.* Et 1. Petri 5. *Omnem solicitudinem vestram projectis in eum: quoniam ipsi cura est de vobis.* Et Augustinus: *Iacta te in Deum: quia non est ita crudelis ut se subtrahat, & te cadere permittat.* Et istæ sunt tres audaciae quas secum semper habet actus sanctæ fortitudinis.

Sunt etiam tres timores quos secum habet semper, scilicet, timor initialis, filialis, & sponsalis: quartum autem non secum habet sancta fortitudo, sed præcedit eam, & ille est timor servilis. Timor autem servilis est, qui propter peccatas æternas amplius quam propter Deum definit peccare. Vnde dicit Gregor. quod viuit in eo peccandi voluntas, & sequeretur opus si speraretur impunitas. Et de hoc habetur in Psal. 110. quod *initium sapientie timor Domini: intellectus bonus omnibus facientibus eum: laudatio eius manet in seculum seculi.* Et dicit Augustinus quod est initium sapientiae timor Domini sicut seta est initium filii per quod sutor corium: quia scilicet filium non intrat, nisi per setam: sed tamen filium non cum seta est in corio. Similiter saporem charitatis æternorum inducit timor servilis, sed tamen non est cum sapore ipso in corde hominis: vnde talis timor facit recedere ab actu peccati, & non à voluntate: & ideo de ipso dicitur 1. Ioan. 4. *Timor pœnam habet: perfecta autem charitas foras mittit timorem.* & Gregor. Cum sit iudex timetur quod facies iudicis non amatur. Timor ex tumore est, non ex humilitate.

Timor autem initialis cum fortitudine est in inceptione ipsius. Timor enim ille non directe timet peccatas æternas, eo quod habet conscientiam de venia, sed adhuc timet culpam propter periculorum impulsum tentationum, & per consequens etiam timet pœnam æternam, scilicet, si admittatur culpa: & hic est timor incipientium in operibus fortitudinis, in quibus non quidem est peccatum, sed languent adhuc peccati reliquiæ ex longa consuetudine contracti. Et de hoc timore habetur Malach. 1. *Si ego Dominus, ubi est timor meus?* Et Ecclæ. vlt. *Deum time, & mandata eius obserua. Hoc est omnis homo.*

Timor autem filialis est cum fortitudine perfecta: quia timor filialis est, qui timet quidem separationem à patre per demeritum exhæreditationis, & ideo ne tale demeritum admittatur, timet & reueretur patrem, sollicite cauens ne aliquid tale committat quod oculos patris offendat: & de hoc dicit Psal. 18. Timor Domini sanctus permanet in seculum seculi. Et Isa. 11. Replebit eum spiritus timoris Domini. Sed in Christo non fuit timor nisi quantum ad reuerentiam quam Patri exhibebat.

Timor autem sponsalis non attendit peccatum neque pœnam, sed fugit separationem ab amplexu, & hoc timet præcipue, scilicet, quod quandoque propter desiderium amoris ipsius sponsus amplexum differat, vel etiam subtrahat. Et de hoc habetur Isaiæ 26. *A timore tuo Domine concepiimus, & quasi parturimus, & peperimus*

*spiritum salutis.* Timor enim causans conceptum est timor sponsalis. Cum his tribus timoribus est fortitudo in hoc videlicet quod timet timenda.

Sed adhuc notabile valde est, quod est timor in nobis quod est materia virtutis & vitij, vt dicunt Philosophi, & iste est timor qui est de quatuor passionibus naturalibus, quæ sunt timor, gaudium, spes, & tristitia. De his quædam supra loquuti sumus. Hic enim timor si ordinetur, est materia virtutis: & si non ordinetur, est vitium.

### S. I I.

**V**Iso secundum quos actus fortitudinis mulier vestiatur, videndum est secundum quas partes ipsius sive species paretur indumentum. Ponit autem Tullius quatuor partes fortitudinis, scilicet, magnificentiam, fidentiam, patientiam, perseverantiam. His autem quinque additæ inueniuntur à sacra Scriptura, scilicet, fiducia, confidentia, longanimitas, confortatio, & constantia. Dicit autem Tullius, quod magnificencia est magnarum rerum & excelsarum cum animo ampla quadam & splendida propositione agitatio atque administratio. Et dicitur hic magna res quæ difficilis est valde. Et dicitur excelsa: eo quod est ultra posse eleuata. Et dicitur animus ab animositate. Et dicitur ampla: eo quod claudit in se magnum illud per audaciam bonam, de qua dictum est. Et dicitur splendida propter intentionem finis: quia facit hoc propter bonum honestum, & propter Deum. Et dicitur ibi agitatio propositionis: eo quod agitat periculum in mente, & proponit, & ordinat qualiter incipiat, & finiat aggressum. Et dicitur administratio perfecta per opus.

Item dicit Tullius, quod fidentia est per quam magnis & honestis in rebus multum ipse animus in se fiduciæ certa cum spe collocavit. Magna autem dicitur res, vt prius expositum est, & honestum secundum Tullium dicitur quod sua vi nos trahit, & sua dignitate nos allicit: quando scilicet non propter utilitatem, vel delectationem surgit appetitus in aliquid, sed propter decorem, & bonum, & plenum quod est in ipsa re: sicut est virtus, gratia, & huiusmodi. Et dicitur fiducia confidentia victoriae in difficultate. Vnde etiam patet quod confidentia, & fiducia, & confortatio quæ secundum quasdam partes fortitudinis dicuntur: potius sunt proprietates, & differentiae, vel conditiones fidentiae: vnde etiam à Tullio non ponuntur, sed comprehenduntur sub fidentia.

Item dicit Tullius, quod patientia est honestatis sive utilitatis causa rerum arduarum ac difficultarum voluntaria ac diurna persistencia. Et ex predictis patet quid dicatur honestum. Utile autem secundum Tullium & secundum Augustinum in lib. de doctrina Christiana, & in libro de Trinitate, est propter quod aliquid expeditur, & præcipue propter honestum. Dicitur autem res ardua ab eodem à quo dicitur excelsa, scil. quia eleuatur ultra posse humanum. Difficile autem est quod distat ab actu, & facere nostro: quia ad illud agendum oportet colligere posse & virtutem. Voluntaria autem

autem dicitur percessio : eo quod dicit Augustinus quod nemo inuitus benefacit : et si quandoque bonum est quod facit : debet autem intelligi de voluntate qua est ratione recta : quia alia non est voluntas secundum Damascenum nisi illa. Et etiam Philosophus dicit, quod omnis voluntas in ratione est. Dicitur autem diurna propter sustinentiam usque in finem difficultatis : quia non est fortis qui fortiter incipit, sed qui subtiliter & fortius progreditur, & fortissime consummat. Et ideo etiam Tullius per huiusmodi diurnitatem longanimitatem comprehendit sub patientia, & non ponit eam partem per se. Sed sacra Scriptura qua quamlibet differentiam & conditionem virtutis ponit pro virtutis specie, ponit plures quam Tullius qui loquitur philosophice & proprie.

Item dicit Tullius, quod perseverantia est in ratione bene considerata, stabilis, & perpetua permanens. Et dicitur ratio bene considerata, cogitatio deliberata de bono honesto quod stare debet per opus fortitudinis. Dicitur autem stabilis : eo quod non metuat & trepidet virtus animi. Et perpetua dicitur usque ad consummationem victoriae gloriose. Et ideo iterum constantia comprehenditur per ipsum sub perseverantia : quia constantia nihil aliud est quam virtus animi non mutans. Confortatio autem comprehenditur sub specie magnificentiae : quia confortatio est qua quis se erigit ad excelsa superanda ex spe victoriae. Habitibus definitionibus harum virtutum, consequenter ponendae sunt Sanctorum auctoritates de actibus ipsarum in muliere forti, qua est fidelis anima.

De magnificentia autem notandum est, quod quintuplex est magnificentia, scilicet, gratiarum actionis, liberalitatis sive munificentiae, potestatis, laudis sive gloriae, & fortitudinis. De magnificentia gratiarum actionum habetur in Machabaeis. De magnis periculis a Deo liberati magnifice gratias agimus : utputa qui aduersus regem dimicauimus, scilicet, regem superbiae diabolum, de quo dicitur Job 41. quod ipse est rex super vniuersos filios superbiae. De magnificentia autem liberalitatis sive munificentiae Exod. 15. vbi laudat Moyses Deum in donis suis, dicens : *Quis similis tui in fortibus Deus? Quis similis tui, magnificus in sanctitate, terribilis, atque laudabilis, & faciens mirabilia?* De magnificentia autem potestatis habetur 3. Regum 10. *Magnificatus est rex Salomon super omnes reges terrae diuitiis & sapientia: & vniuersa terra desiderabat videre vultum Salomonis ut audirent sapientiam illius.* Et haec competit Christo viro huius mulieris, qui potestate Rex regum est, & Dominus dominantium. Diuitiae gratiarum eius in omnem creaturam profusa sunt largissime. Similiter sapientiae eius non est numerus. Vniuersa etiam terra, hoc est, homines desiderant vultum claritatis eius : eo quod omnes appetunt beatitudinem, licet non omnes querant eam ubi est. De eodem & fere idem habetur 2. Paralip. 9. *Magnificatus est Salomon super omnes reges terra pra diuitiis & gloria: omnesque reges terra desiderabant videre fa-*

D. Alberti Magni Lib.de mul.forti.

*ciem Salomonis, ut audirent sapientiam quam derat Deus in corde eius.* De magnificentia autem laudis habetur in Psalm. 8. *Elenata est magnificentia tua super caelos, hoc est, maiestas extollenda laudis magnificentia.* Et Eccli. 10. *Noli despicere iustum hominem pauperem, & noli magnificare peccatorem & diuitem.* Et Zacha. 12. *Saluabit Dominus tabernacula Iuda sicut in principio, ut non magnifice glorietur domus David.* Et notandum, quod magnificentia gloriae non differt a magnificentia laudis : quia, ut dicit Augustinus super epistolam ad Roma. in fine. *Gloria nihil aliud est quam clara cum laude notitia.* De magnificentia autem fortitudinis habetur Thren. 1. *Abstulit Dominus omnes magnificos meos de medio mei, hoc est, fortis.* Et Isa. 10. *In die illa visitabo super fructum magnifici cordis regis Assur, & super gloriam altitudinis oculorum eius.* Magnificum enim hic dicitur cor regis Assyriorum : eo quod magna audeat inuadere quadam amplitudine animi, ut dictum est supra.

Confortatio similiter secundum Tullium comprehenditur sub magnificentia, & est quadruplices, scilicet, verbis, & spiritualis & internae consolationis, & fortitudinis, & confortatio auxiliij, qua tamen sub confortatione fortitudinis comprehenditur. De confortatione verbis habetur Deutero. 3. vbi loquitur Dominus ad Moysen, dicens : *Præcipe Iosue, & corrobora eum, atque conforta: quia ipse precedet populum istum, & diuidet eis terram quam visurus es.* Et Iob 4. *Vacillantes confirmauerunt sermones tui, & genua trementia confortasti.* De confortatione autem internae consolationis habetur in Psalmo 103. *Panis cor hominis confirmat, hoc est, confortat.* Et Genes. 18. *Ponam bucellam panis, & confortetur cor vestrum.* Panis autem vocatur gratia intrinsecus roborans & confortans. Et Actu. 9. *Cum accepisset cibum, confortatus est Paulus, scilicet, quando per baptismum gratiam reficiendum intrinsecus accepit.* De confortatione vero qua species est fortitudinis habetur Iudith 13. *Confirmata, vel confortata habet alia litera, me Deus Israel, & respice in hac hora ad opera manuum mearum; ut, sicut promisi, Ierusalem civitatem tuam erigas; & hoc quod credens per te posse fieri cogitavi, perficiam.* Ita dixit Judith quando euaginato enle stetit ad amputandum caput Holofernis. Et 2. Regum 2. dixit David ad viros Iabes Galaad qui sepelierant Saul : *Benedicti vos a Domino qui fecistis misericordiam, hanc cum domino vestro Saul, & sepelistis eum.* \* *& nunc retribuet vobis quidem Dominus misericordiam & veritatem: sed & ego reddam gratiam, eo quod fecistis verbum istud.* Confortentur ergo manus vestrae, & estote filii fortitudinis. Licet enim mortuus sit dominus vester Saul : *tamen me unxit dominus Iuda in regem sibi.* De confortatione autem auxiliij habetur 3. Regum 2. *Salomon autem sededit super thronum David patris sui, & firmatum sive confortatum est regnum eius.* Et hoc fuit auxilio Dei, & principum qui adhaeserunt ei. Et 3. Regum 3. *Confirmatum est regnum in manu Salomonis.*

Sequitur de fidentia, sub qua comprehenduntur duæ, scilicet, fiducia & con-

F 2 fidentia,

fidentia. Et parum differunt istæ tres : tamen differunt in aliquo, quia fidentia prius innititur viribus, & ex hoc fidentia est posse in actum difficultem. Fiducia autem innititur quantitati difficultatis, & illam credit euincere. Confidentialia autem respicit ad auxilium diuinum, & per illud se credit posse superare. De duplice autem fidentia inuenitur in sacra Scriptura, scilicet, de fidentia spei, & de fidentia fortitudinis. De prima habetur 2. ad Corinth. 1. *Nolo enim vos ignorare fratres de tribulatione nostra que facta est in Asia: quoniam supra modum grauati sumus supra virtutem: ita ut etiam taderet nos vivere: sed ipsi in nobis responsum mortis habuimus, ut non simus fidentes in nobis, sed in Deo qui suscitat mortuos qui de tantis periculis eripuit nos.* Inde etiam dicitur diffidentia desperatio de aliquo, sicut habetur ad Romanos 4. de Abraham quod *in reprobatione Dei non hesitauit diffidentia*, id est, desperatione, *sed confortatus est fide dans gloriam Deo, plenissime sciens quia quacunque promisit ei Deus potens est & facere.* Et ad Ephes. 2. *Vos conificauit, subaudi, Christus, cum essetis mortui delictis & peccatis vestris in quibus aliquando ambulatis secundum seculum mundi huius, secundum principem potestatis aeris huius spiritus qui nunc operatur in filios diffidentie.* De fidentia autem fortitudinis habetur Hebræ. 2. *Ego ero fidens in eum, hoc est, fidentiam victoriae habebo in fortitudine & robore eius: quia licet diabolus fortis sit, tamen Christus fortior est per hoc quod est idem cum Patre, hoc est, per deitatem.*

Fiducia autem est triplex, scilicet, fiducia fidei, fiducia spei, & fiducia fortitudinis. Fiducia fidei est, quæ operatur strenue propter certitudinem fidei. Fiducia autem spei est, quæ cum certitudine expectat bonum æternum propter securitatem liberalitatis diuinæ. Fiducia autem fortitudinis est, quæ strenue insurget in difficile, eo quod credit difficile superare animi virtute vel robore. De fiducia fidei habetur Actuum 4. *Erant enim Discipuli, dicentes: Et nunc Domine respice in minas eorum, hoc est, persecutorum, & da seruis tuis cum omni fiducia loqui verbum tuum in eo quod manus tuas extendas ad sanitates, & signa, & prodigia fieri per nomen sancti Filii tui Iesu.* Et similiter Actuum 18. legitur, quod Apollo erat potens in Scripturis, & edocetus viam Domini, & seruens spiritu loquebatur, & docebat diligenter ea quæ sunt Iesu, sciens tantum baptisina Ioannis. Et sequitur, quod *cœpit fiducialiter agere in synagoga, id est, fideliter ostendit ei certitudinem fidei sue ex constantia doctrinæ, & strenuitate operum bonorum.* De fiducia autem spei habetur Tobiat 4. *Fiducia magna erit coram summo Deo eleemosyna omnibus facientibus eam.* Hic enim accipitur fiducia pro securitate spei quæ generatur ex eleemosyna: quia sicut homo conscientius est sibi quod liberalis fuit in pauperes, ita sumit sibi quandam securitatem ex liberalitate diuina. Et de spe impiorum dicitur in Iob 8. *Non placebit Deo recordia sua, hoc est, hypocritæ, & sicut tela arcuarum fiducia eius.* De fiducia vero fortitudinis habetur in 2. Paralip. 14. vbi legitur quod Zara rex

Æthiopum egressus est contra Asa regem Iuda habens secum decies centena millia, & currus trecentos, & venit usque ad Maresa. Porro Asa perrexit ei obuiam, & instruxit aciem ad bellum in valle Saphatha quæ est iuxta Maresa situata, & inuocauit Dominum Deum omnipotentem, & ait: *Domine, non es apud te villa distantia utrum in paucis auxiliis aut in pluribus: adiuua nos Domine Deus noster: in te enim, & in tuo nomine, habentes fiduciam venimus contra hanc multitudinem.* *Domine, Deus noster tu es, non præualeat homo contrate.* Et sequitur: *Et ruerunt Æthiopes usque ad interacionem.* Zara interpretatur Oriens, & significat stellam quæ manœ oriebatur in luce, sed globus suæ lucis in tenebras commutauit, scilicet, diabolus qui rex est Maurorum siue Æthiopum tetrorum, scilicet, peccatorum & infernorum dæmonum. Decies autem centena millia signant infinitos modos temptationum qui secum sunt: sicut clamat David in Psalm. 3. *Domine quid multiplicati sunt qui tribulant me? multi insurgunt adversum me.* Multi dicunt animæ mee: *Non est salus ipse in Deo eius.* Asa autem interpretatur sustollens facturam, & significat fortem qui semper facturam Dei sustollit viribus. Hic instruit aciem contra multitudinem dæmonum in valle humilitatis iuxta Maresa, quæ interpretatur amputatio: quia in primo motu obuiat diabolo. Vocatur autem vallis Saphatha quæ interpretatur iudicans eos: quia humilitas semper diiudicat seipsum ne à Domino diiudicetur. Orat autem Asa, hoc est, mulier fortis: sustollens se in confortatione Domini dicens, quod in Domino & in suo nomine habet fiduciam victoriae, in comparatione diuini auxilij nihil reputari paucos aut multos bellatores. Vnde patet, quod fiducia robur animi est strenue agens: eo quod tantum difficultatis vincere præsumit.

Confidentia autem est triplex similiter, scilicet, fidei, spei, & fortitudinis. De confidentialia fidei dicitur ad Ephes. 3. *In Christo habemus fiduciam, & accessum in confidentialia per fidem eius.* Item Matth. 27. *Confidit in Deo, liberet nunc eum si vult: dixit enim, Quia Filius Dei sum.* De confidentialia autem spei dicitur ad Hebræ. 6. *Confidimus autem de vobis fratres charissimi meliora & viciniora saluti.* Et ad Rom. 2. *Confidis teipsum ducem esse cæcorum, & lumen eorum qui in tenebris sunt.* Et sequitur: *Qui ergo doces alium, teipsum non doces.* Et ad Hebræ. 10. *Nolite amittere confidentialia vestram quæ magnam habet remunerationem.* Patientia enim vobis necessaria est ut voluntatem Dei facientes reportetis promissiones. De confidentialia autem fortitudinis habetur Ierem. 2. *Ab Ægypto confunderis, sicut confusa es ab Assur.* Nam & ab ista egredieris, & manus tue erunt supra caput tuum: *quoniam obtrivit Dominus confidentialiam tuam, & nihil habebis prosperum.* Et loquitur ibi Dominus de Iudeis qui fœdus amicitiae fecerunt cum Ægyptiis contra Assyrios, & intendit quod sicut opprimuntur ab Assyriis, sic confundentur ab Ægyptiis: quia non poterunt auxiliari, & tamen Iudei habebant fiduciam in illis: & illam fiduciam obtrivit Dominus, quia impeditiuit eam, traducendo etiam Ægyptios in manus

in manus Assyriorum. Quod autem manus in capite dicuntur habere, dicitur propter signum magni doloris: unde confidentia hæc secundum sensum literæ est species fortitudinis præsumens vincere propter auxilium. Secundum mortalitatem autem Assur, qui interpretatur beatus, significat prosperitatem huius vitæ, in qua confunduntur propter peccatum mali homines. Ægyptus autem, qui interpretatur mœror vel angustia, significat aduersitatem, in qua tamen confunduntur: quia eleuantur in prosperis, & deiiciuntur in aduersis. Fiducia autem est mundus, & voluptas vita, & iuuentus, & huiusmodi: quæ ob erit Dominus in die mortis infligens dolorem intolerabilem, qui significatur per manum in capite. Item Sophoniae 2. loquitur de mundo, dicens: *Hæc est ciuitas glorioſa habitans in confidentia, qua dicebūt in corde suo: Ego sum, & extra me non est alia amplius. Quomodo facta est in desertum cubile bestiæ? Omnis qui transit per eam, fibilabit, & mouebit manum suam.* Mundus deserterus erit in die iudicij, & est modo cubile bestiæ, hoc est, diaboli: & Sancti sunt qui transierunt: quia non manent in hoc mundo, & sibilant deridentes mundum, & mouent manum excutientes eam ne aliquid rerum mundanarum adhaeret.

Sequitur de patientia, quæ est tertia pars secundum Tullium. Est autem triplex patientia, scilicet, asinina, & astutiæ siue calliditatis, & tercia est patientia virtutis, & hæc est duplex, scilicet, patientia spei, & patientia fortitudinis. Patientia autem spei est expectatio rei sperata sine deiectione animi, & de hac habetur Roman. 8. *Nam quod videt quis quid sperat? si autem quod non videmus speramus, per patientiam expectam.* Et ad Hebr. 10. *Patientia vobis necessaria est ut voluntatem Dei facientes, reportetis recompensationem.* Patientia asinina est quæ prouenit ex stoliditate sensus, quando aliquis nescit auertere iniurias, & ideo æquanimiter tolerat eas, & hæc est patientia ebrij de qua habetur in Proverbiis 23. *Verberauerunt me, & non dolui; traxerunt me, & ego non sensi.*

De patientia autem astutiæ, scilicet, quæ dissimulat iniurias, non tamen remittit, sed æquanimiter sustinet ad tempus, habetur 2. Machab. 5. vbi legitur, quod rex Antiochus misit principem odiosum Apollonium cum exercitu ex viginti & duobus millibus, præcipiens eis omnes perfectæ etatis mares interficere, mulieres autem ac iuuenes vendere: qui cum venissent Ierosolymam, pacem simulans quieuit usque ad diem sanctum sabbati, & tunc feriantibus Iudeis arma capere suis præcepit, omnesque simul qui ad spectaculum processerant trucidauit, & per ciuitatem cum armatis discurrens ingentem multitudinem peremit. Hic patet quod ad tempus fuit patientia fraudis & astutiæ. Et hæc est instruclio moralis: quia Apollonus diabolus significat, cum satellitibus suis, scilicet, luxuria, fornicatione, avaritia, & huiusmodi vitiis. Ierusalem autem fidelis anima non litera, sed spiritu Iudea quæ confitetur Domino, & glorificat eum. Hæc non capitur in die profecto, sed indie feriationis: quia quandiu homo bono aliquo exercitio occupatur diabolus tempus ingerendi tentationes non inuenit: sed cum inuenit dominum quam

D. Alberti Magni Lib. de mul. forti.

exeundo reliquit, scopis vanitatis & pompe mundatam & ornatam seculi illecebris & spectaculis, assūmit secum exercitum septem spirituum qui sunt nequiores se Luc. 11. Et interficiunt primo ad spectaculum satellitum diaboli procedentes perfectæ etatis, hoc est, opera perfectionem facientia: sed mulieres resolutas, scilicet, in voluptate, & iuuenes lasciuentes in desideriis carnis vendunt peccatis per confusitudinem. Hæc etiam fuit patientia Cain qui dissimulauit rancorem coram patre & matre, & euocauit Cain Abel ut amicum extra homines, & ibi interfecit Gen. 4.

De patientia autem virtutis dicitur Iacob. 1. *Patientia opus perfectum habet.* Et Luc. 21. *In patientia vestra possidebitis animas vestras.* Et in Proverb. 25. *Patientia lenietur princeps, & lingua mollis confringet duritiam,* id est, verba patientiae. Et ponuntur in istis tribus auctoritatibus tres effectus patientiae, scilicet, perfectio operis, possessio propriæ animæ ad nutum quam iratus & impatiens ad nutum non habet, & placatio Dei & emollitio iustitiae ipsius.

Longanimitas vero continetur sub patientia secundum Tullium, quæ in sacra Scriptura triplex inuenitur, scilicet, misericordiæ, spei, & fortitudinis. Longanimitas misericordiæ est quæ diu delinquenti differt pœnam, & dissimulat vindictam: ut sic trahat ad pœnitentiam, de qua habetur ad Röm. 2. *An diuitias bonitatis eius, & patientiae, & longanimitatis contemnit? ignoras quoniam benignitas Dei ad pœnitentiam te adducit?* Et in Psalm. 102. *Longanimis & multum misericors.*

De longanimitate autem spei notandum, quod spes dicitur longanimes quæ diu æquanimiter expectat rem speratam sibi promissam. Et de hac habetur ad Hebr. 6. *Abrahe namque promittens Deus, quoniam neminem habuit per quem iuraret maiorem, iuravit per semetipsum dicens: Nisi benedicens benedicam te, & multiplicans multiplicabote te.* Et sic longanimitate ferens, adeptus est recompensationem.

De longanimitate autem fortitudinis, qua quis scilicet strenue tolerat aduersa diu usque ad finem victoriae, & potest continuare pericula, habetur in 2. Corinth. 6. vbi dicit Apostolus, quod *in omnibus exhibeamus nos sicut Dei ministros in multa patientia, in tribulationibus, in necessitatibus, in angustiis, in plagis, in carcenis, in seditionibus, in laboribus, in vigiliis, in ieuniis, in castitate, in scientia, in longanimitate, in suauitate, in Spiritu sancto.* Hanc etiam longanimitatem ponit idem Apostolus inter fructus Spiritus ad Galat. 5. *Exemplum accipite fratres exitus mali & longanimitatis, & laboris & patientiae Prophetas qui loqui sunt in nomine Domini. Ecce, beatificamus eos qui sustinuerunt. Sufferentiam Iob audistis, & finem Domini vidistis, quoniam misericors Dominus est & miserator.*

Deinde videamus de perseverantia, quæ ultima ponitur pars fortitudinis, & continetur cum ipsa constantia & sub ipsa. Notandum autem, quod perseverantia triplex est: quandoque enim propositum perseverandi in omni bono quod incipitur, dicitur perseverantia: & hoc à Beato Augustino in libro de bono perseve-

rantiæ dicitur donum perseuerantie, quod datur homini in principio inceptionis : quia sine hoc nemo bonum incipit , & consummatur in fine vita continuata in bono. Tunc enim primo consummatur hoc donum : quia ante hoc non dicitur perseuerasse. Secundo dicitur perseuerantia continuatio boni usque ad finem. Continuatio autem mali , sicut dicit Augustinus non dicitur perseuerantia, sed potius pertinacia. Tertio dicitur perseuerantia strenuitas animi in perdurando in difficulti usque ad perfectam iuperationem ipsius , & hæc est pars & species fortitudinis.

De prima perseuerantia , quæ nihil aliud est quam propositum perseuerandi in bono incepto, habet Iob 15. & loquitur de hypocrita qui non habet propositum perseuerandi in hoc quod facit , sed tantum usque ad hoc facit quod consequatur quod intendit : unde dicit sic de ipso Iob 15. *Non ditabitur, nec perseuerabit substantia eius, nec mittet in terram radicem suam. Non recedet de tenebris: ramos eius arefaciet flamma, & auferetur spiritu oris eius.* Non ditabitur virtute , & huius causa est, quod substantia operum eius non perseuerat, id est , non est cum proposito perseuerandi : & ideo radicem boni non mittit in terram humilitatis,& stabilis vita : quia terra in æternum stat, ut dicitur Eccli. 1. Et ideo de tenebris peccati non recedet cor eius. Et flamma laudis humanæ consumit ramos operum eius , & spiritu oris eius,id est, Dei auferetur, id est, interficietur , sicut caput eius Antichristus.

De perseuerantia autem quæ est continuatio boni usque in finem, dicitur Matth. 10. *Qui perseuerauerit usque in finem, hic saluus erit.* Item Matth. 24. *Quoniam abundabit iniquitas, refrigeretur charitas multorum: qui autem perseuerauerit usque in finem, hic saluus erit.*

De perseuerantia autem tertia quæ est species fortitudinis , habetur ad Hebræ. 12. *In disciplina perseuerate, tanquam filii vobis offert se Deus.* Disciplina autem est eruditio morum per difficultia : unde idem est perseuerare in disciplina, quod est perseuerare in difficultate.

Vltimo ponenda est constantia, quæ ad perseuerantiam habet reduci. Est autem duplex constantia, scilicet, maturitatis & fortitudinis. Constantia maturitatis est quando aliquis ex refrænata dislösunge lasciuia æqualitatem vultus & animi præfert continuo. Constantia autem fortitudinis est quando aliquis ex robore magnifici animi non deiicitur ex hoc, quandiu permanet in aduersis & perseuerat. Quando autem aliquis æqualem se exhibet in malo , hoc non vocatur constantia,nisi abusivæ : quia proprie obstinatio vocatur.

De prima autem constantia habetur Actuū 4. *Videntes principes Iudeorum Petri constantiam & Ioannis, comperto quod homines essent sine literis & idiota admirabantur, & cognoscabant quoniam cum Iesu fuerant.* Quia scilicet per constantiam in bono cognoscuntur discipuli Iesu. De hac eadem habetur Actuum 13. quod quando Iudei nolent audire verbum : tunc constanter Paulus & Barnabas dixerunt : *Vobis oportebat primo loqui verbum Dei: sed quoniam repellitis illud, & indignos vos iudicatis vita aeterna: ecce conuertimur ad Genes.* Hæc enim constantia nihil aliud dicitur

quam æqualitas permanendi in doctrina & prædicatione verbi.

De constantia autem fortitudinis habetur Sapient. 5. *Tunc stabunt iusti in magna constantia adversus eos qui se angustiauerunt & qui abstulerunt labores eorum.* Et in 2. Paralip. 20. secundum literam septuaginta interpretum. *Constantes esto, videbitis auxilium Domini super vos.* Litera autem nostra secundum Hieronym. habet tantummodo: *Confidenter state, & videbitis auxilium Domini super vos.* Et similiter 1. Machab. 2. vbi dicitur quod multi de Iudeis timentes Anthiochum , recesserunt à lege Dei. Et sequitur quod Mathathias & filius eius constanter steterunt. Et istæ sunt novæ partes fortitudinis à Sanctis inuentæ , quas ut potuimus exequi sumus.

Sequitur tertium superioris diuisionis, scilicet, qualiter fortitudinis actus, & fortitudinis partes aptentur sibi in vestimentum. Sunt autem tria ad hoc necessaria, scilicet, forfex incidens & formans, acus consuens, & filum continens siue connectens omnia. Forfex autem formans est ratio, & habet duos cultros contra se inuicem venientes : unus est fides, alter auctoritas Scripturæ : & connectuntur clavo intellectus veritatis ut directe contra se inuicem veniant. Et de hoc sub alia metaphora dicitur Oseæ 6. *Propter hoc dolabi in Prophetis, & occidi eos in verbis oris mei.* Idem enim quod ibi dolabrum dicitur secundum metaphoram, voco forfices. Et Isa. 41. *Confortauit faber ærarius percutiens malleo eum qui cudebat tunc temporis, dicens: Glutino bonum est.* Faber enim ærarius dicitur mulier fortis , & confortat cudentem opera fortitudinis, dicens de glutino quo neclit totum opus eius, quia bonum est. Alias autem metaphoras inducimus : quia de forfibus nihil inuenitur expressum in Scriptura. Acus autem est Sapientia penetrans vbiique , & disponens suaue vestimentua ut aptetur decenter : sicut dicitur Sapient. 8. *Attingit à fine usque ad finem fortiter, & disponit omnia suauiter.* Filum vero omnia fortitudinis opera connectens & partes ipsius, est equanimitas. *Æquanimitas enim non est pars fortitudinis vel actus eius, sed est in omni parte ipsius & in omni actu suo connectens & continens omnia ne dissoluantur :* sicut dixit Angelus ad Tobiam 5. *Forti animo esto, in proximo est ut à Deo cureris.* Forti animo æquanimitas ne deiiciatur animus in aduersis. Et sic adaptatur vestimentum.

### §. III.

**S**equitur de indumento decoris, & primo sumenda est definitio decoris ut congruentius procedamus. Dicit autem Philosophus , quod decor est elegans commensuratio partium: quando scilicet color respondet figuræ faciei , & dispositio capillorum ex comparatione ornat faciem. Quia ita laudatur mulier Cantic. 6. quod est pulchra & decora. Pulchra in membrorum dispositione , & decora in proportione eorum. Accipiamus ergo quod hæc mulier vestimentum habet decoris gloriae. Decor naturæ consistit in debita proportione siue commensurazione naturæ : ut scilicet caro spiritui subdatur , & ratio regat

regat ut domina, & voluntas obediat in omnibus : sensualitas autem restringatur a lasciuia tanquam ancilla vel filia luxuriosa : concupisibilis autem rationi in omnibus subseruat : irascibilis etiam obtemperet ad nutum, ut sic tota caro subiecta sit spiritui, & spiritus rationi, ratio autem Deo. Et hic decor est rectitudo & honor naturae humanae, sicut dicitur in Psal. 48.

*Homo cum in honore esset, non intellexit: comparatus est iumentis insipientibus, & similis factus est illis. Et Eccles. 7. Deus creauit hominem rectum, & ille immiscuit se infinitis questionibus, hoc est, quæ questionibus dæmonis, quæ adhuc non habet finem: quas quidem in paradiſo propositum, nec usque in hodiernum diem ad finem solutionis perfectæ potuimus peruenire. Hæc etiam quandoque dicitur imago Dei, secundum quam factus est homo: sicut habetur Genef. 1. Ad imaginem Dei factus est homo. Et Eccles. 17. Deus de terra creauit hominem, & secundum imaginem suam fecit illum.*

Et hæc imago est in hoc quod ratio imperet, & aliæ vires imperentur, & corpus subdatur spiritui, & Spiritus Deo: sicut habetur Genef. 1. *Faciamus hominem ad imaginem & similitudinem nostram, & præstis pescibus maris, & volatilibus cæli, omniq[ue] reptili quod monetur in terra. Pisces maris qui nutruntur in aquis sunt motus voluptatis. Volatilia autem cæli sunt motus superbiæ, & spiritualium peccatorum. Reptilia autem quæ mouentur in terra, sunt motus animalitatis terrenæ ut avaritiæ & huiusmodi.*

Decor autem virtutis est in concentu virtutum omnium: ut scilicet temperantia in omnibus modum & mensuram ponat, fortitudo autem in omnibus strenuitatem, iustitia decens & debitum, prudentia sit rector & auriga in omnibus. Dum enim temperantia ponit modum cordi, facit mansuetudinem & mititatem: dum ponit modum habitui exteriori, facit modestiam: dum ponit modum voluptati quæ est in potentia generationis, facit continentiam pudicitiae virginalis, & castitatis vidualis, & continentiae coniugalis: quarum prima quidem abstinet corde & corpore ab omni concubitu & semper: secunda autem ab omni quidem abstinet concubitu, sed non semper: tertia autem nec ab omni nec semper, sed abstinet a concubitu non sui semper & a concubitu sui non semper, sed quandoque, scilicet tempore orationis, & post illud tempus iterum conuertitur in ipsum, ne tentet eum satanas per incontinentiam. Dum item ponit modum temperantia in delectabili quod conceditur ad nutrimentum, facit parsimoniam. Similiter dum fortitudo ponit strenuitatem in difficultatibus illatis nobis ab alio, vel etiam quæ fiunt in nobis, ut infirmitates, & huiusmodi, animum facit magnificum, rationem autem fidem. In passione autem ipsa operatur patientiam, & robur continet ad perseverandum. Iustitia eodem modo, dum decens ponit in ore, facit veritatem: debitum autem ponit in opere, & facit ad superiores obedientiam, & reverentiam: ad proximos autem pietatem, & honorem, & liberalitatem: ad inferiorem vero misericordiam, & miserationes in eleemosynis: ad se vero humilitatem. Ornans autem iudices, operatur clementiam, & humanitatem in iudicando: in sententia autem æquitatem, & condemnando vin-

dicationem, & ad Deum religionem, & cultum decentem. Dum vero prudentia regnum conspicit ex præteritis memoriam stabilit: dum præsentia inspicit ut dirigat & clarificet intellectum: dum autem solerter conspicit de futuris, prouidentiam nobis acquirit; cautelam siquidem operatur in periculis, consilium in dubiis, in certis autem certa gubernat scientia.

Est iterum decor harum virtutum quo respi- ciunt se inuicem: nisi enim temperantia singulis modum ponat, erit prudentia non habens modum, & iustitia nimis iusta, & fortitudo præceps in periculis. Nisi etiam fortitudo singulis strenuitatem ministret, efficientur omnes resolute & efficaciter circa difficile, circa quod est omnis virtus. Nisi item iustitia decens & debitum apponat, reprobabuntur omnes, sicut ab ore fatui reprobat parabola qui non dicit eam in tempore suo Eccli. 20. Iterum autem nisi prudentia regat singula, sicut cæci cadent in foueam periculi non prouisi. Sic Deus arctauit virtutes ut non sit schisma inter eas: unde pro se inuicem solicita sint, ut quod una non habet in se, accipiat ab altera: & quod habet alia, cito sociæ suis communicet, ut illa quoque isti vicem in alio quod non possidetur ab ista repandat. Hec de- centia & iste decor significatur in corpore hu- mano & in Ecclesia: in quibus gratiam quam habet unum membrum communicat alij, ut sic omnia sint communia: singulis tamen in pro- priis officiis dispositis & distributis: sicut habe- tur Rom. 12. vbi dicit Apostolus: *Sicut enim in uno corpore multa membra habemus, omnia autem membra non eundem actum habent: ita multi vnum corpus sumus in Christo, singuli autem alter alterius membra habentes donationes secundum gratiam quæ data est nobis differentes.* Et 1. Corinth. 12. *Corpus non est vnum membrum, sed multa. Si dixerit pes, Quoniam non sum manus, non sum de corpore: num ideo non est de corpore? Et si dixerit auris, Quoniam non sum oculus, non sum de corpore: num ideo non est de corpore? Si totum corpus oculus, vbi auditus? & si totum auditus, vbi odoratus? Nunc autem posuit Deus membra, & vnumquodque eorum in cor- pore sicut voluit: quia si essent omnia vnum mem- brum, vbi corpus? Nunc autem multa quidem mem- bra, vnum vero corpus. Non potest autem dicere oculus manus, Opera tua non indigo: aut iterum caput pedibus, Non estis mihi necessarij. Sed multo magis quæ videntur membra corporis infirmiora esse, necessaria sunt: & quæ putamus ignobiliora mem- bra esse corporis, his honorem abundantiorem cir- cundamus: & quæ in honesta sunt nostra, abundan- tiorem honestatem habent. Honesta autem nostra nullius egent: sed Deus temperavit corpus ipsum, ei cui deerat, honorem abundantiorem tribuendo: ut non sit schisma in corpore, sed in id ipsum pro se inuicem solicita sint membra. Et siquid patitur vnum mem- brum, compatiuntur omnia membra: sive glo- riatur vnum membrum, congaudent omnia membra. Per omnia similiter est de virtutibus in anima, & facilis est adaptatio per prædicta.*

Habet autem hæc mulier etiam decorum in theologicis virtutibus: quæ sunt fides, spes, charitas: quæ tres coniungunt ipsam Deo, decoran- tes eam in conspectu Dei. Aliæ autem quatuor decorant ipsam apud homines, ut sit verum de ipsa quod habetur Sapient. 4. quod scilicet

*immortalis est memoria illius : quoniam & apud Deum nota est (per decorum) & apud bonines (per virtutes.) Fides etenim primæ veritati ipsam coniungit, spes autem æternitati beatitudinis unit quam expectat, & charitas unit bonitatem. Similiter istæ virtutes decorum habent consonantia : dum fides Deum ostendit, spes autem ad ipsum se extendit, & charitas ipsum apprehendit. Eodem modo consonant in ædificio cordis : Fundamentum enim aliud nemo potest ponere præter id quod positum est, quod est Christus Iesus : ut dicitur 1. ad Corinth. 3. Hoc exponens Glossa Ambrosi, dicit, quod Christus in corde est fides Christi in corde : sicut dicit idem Apostolus alibi : In fide fundati. Spes autem parietes erigit, & charitas concludit in summo. Eodem modo in opere decorum præparationis habent : nam charitas opus elicit, spes conductit ad mercedem, fides autem dirigit intentionem, teste Augustin. qui dicit, quod intentio bonum opus facit, intentionem autem fides dirigit. De his tribus habetur 1. ad Corinth. 13. Nunc autem manent fides, spes, & charitas, tria haec : maior autem horum est charitas. Isti sunt illi tres viri qui apparuerunt Abraham ad radicem Mamre Genes. 18. Isti sunt etiam tres pueri illæsi in camino iniquitatis huius mundi Daniel. 4.*

Decor autem omnium signatur 3. Reg. 10. ubi legitur, quod regina Saba videns omnem sapientiam Salomonis & domum quam ædificauerat, & cibos mensæ eius, & habitacula seruorum, & ordines ministrantium, vestesque eorum, & pincernas, & holocausta quæ offerebant in domo Domini, non habebat ultra spiritum. Regina Saba est sapientia huius mundi, quæ ut est multum in eloquentia, interpretatur secundum aliam interpretationem capta, quia captiuatur in obsequium Christi : & secundum tertiam interpretatur conuersio, quia ad Christum conuertitur. Domus autem Salomonis est domus ædificij spiritualis, quod ædificatur viro pacifico, hoc est, Christo. Sapientia autem est sapor æternorum. Cibi autem mensæ sunt refectiones & dulcedenes omnium virtutum. Habitacula autem seruorum sunt

Rationalis,  
Vires animæ : sicut { Irascibilis,  
Concupisibilis.

In quibus præcipue servi Christi, virtutes scilicet, habitant. Ordo autem ministrantium est ordo virtutum qui explanatus est. Vests autem virtutum sunt confuetudinis opera & gratiae. Pincernæ autem dicuntur etiam, quia propinant vinum gaudij spiritualis quod latificat cor hominis dispositum secundum decorum virtutis. Holocausta autem totius incendijs deuotionis offerunt tres, scilicet, fides, spes, & charitas in domo Domini Deo, hoc est, in corde. Hæc videns, inquam, secularis sapientia non habet ultra spiritum seculi, sed acquirit Spiritum Dei. Hæc duplices virtutes, scilicet, politica & theologica, significantur per Martham & Mariam Lucæ 10. Nam theologicae sunt circa Deum, cardinales autem satagunt circa frequens ministerium quod expletur ad homines. Significantur etiam per dispositiones Angelorum in cælo, quorum tres chori Deo assistunt : alij autem ministerium sui officij explent circa alia. Et tantum dictum

fit de decore virtutis huius mulieris fortissimæ.

Sequitur de decore eius in opere. Est autem in tribus decora in opere, scilicet, licto, honesto, & expedienti. Opus lictum decorat ad Deum, honestum autem ad seipsum, & expediens ad proximum. Lictum autem secundum Augustinum est quod nullo præcepto prohibetur. Et hoc primum attendit mulier fortis in opere suo. Habens vero hoc quod est lictum, adhuc considerat vtrum sit honestum. Honestum autem est quod est laude dignum apud conscientiam & homines : vel ad minus quod non habet verecundiam appellatur honestum. Cum autem & hoc inuenit in opere suo quod non habet verecundiam, cogitat adhuc vtrum sit expediens saluti proximorum. Sic enim impletur illud Apostoli ad Rom. 12. *Prouidentes bona non tantum coram Deo, sed etiam coram omnibus hominibus.* Si enim omnia licita essent etiam statim facienda, nunquam diceret Apostolus 1. ad Corinth. 6. *Omnia mihi licent, sed non omnia expediunt.* Quia scilicet quædam licita non prosumt saluti proximorum, de quibus ipse Apostolus dicit 1. ad Corinth. 8. *Videte ne forte hac licentia vestra offendiculum fiat infirmis.* Et loquitur de his qui comedebant carnes idolis oblatas coram infirmis. Et ideo subinfert: *Si esca scandalizat fratrem meum, non manducabo carnem in eternum, ne fratrem meum scandalizem.* Si iterum omnia licita essent etiam honesta, non diceret Apostolus 1. ad Corinth. 6. *Omnia mihi licent, sed ego sub nullius redigar potestate,* hoc est, non dabo alij occasionem iudicandi me ex opere mihi non prohibito per præceptum. *Quod enim iudicatur ab alio, aliquam habet rationem indecentiæ & verecundiæ.* Vnde decor perfectus operis est ut sit lictum, honestum, & expediens saluti proximorum. Unde Apostolus ad Philipp. 4. dicit, quod *seculanda sunt quæcumque pudica (id est, honesta) & quæcumque infasta (id est, licita) & quæcumque bona famæ, id est, expedientia saluti proximorum.* Et ad Titum 2. *Sobrie iuste & pie vivamus in hoc seculo.* Iuste, id est, licite. Sobrie, ne verecundiam honestatis amittamus. Pie autem quoad utilitatem proximorum : quia impium est nocere proximis per scandalum.

Est etiam hæc mulier decora in gloria non vana, sed vera.

Est autem hæc { Conscientiæ,  
gloria triplex, scil. { Spei,  
Tribulationis.

Gloria autem conscientiæ est lætitia quæ oritur de conscientiæ serenitate & securitate : de qua dicit Apostolus 2. ad Corinth. 1. *Nam gloria nostra hæc est, testimonium conscientie nostre quod in simplicitate cordis & sinceritate Dei, & non in sapientia carnali, sed in gratia Dei conuersati sumus in hoc mundo.* Hæc autem gloria præcipue oritur ex tribus in conscientia existentibus, scilicet, quia non est culpa quæ remordeat, & hoc facit puritas à peccato : & quia inest conscientiæ securitas, & hoc facit abundantia meritorum : & quia in vita & opere testimonium habet Spiritus sancti, quia scilicet secundum traditiones patrum & sacra eloquia conuersata est mulier hæc : sicut dicit Apostolus ad Rom. 9. *Veritatem dico in Christo Iesu, non mentior, testimonium perhibente mihi conscientia mea in Spiritu sancto.*

Et de

Et de hoc laudatur etiam Abel ad Hebræ. 11. Fide plurimam hostiam Abel quam Cain obnulit Deo : per quam testimonium consequitur est esse iustus, testimonium perhibente muneribus eius Deo, & per illam defunctus adhuc loquitur. Sic enim dicit Apostolus ad Rom. 14. Omne quod non est ex fide, peccatum est. Et dicit Glos. quod omne quod non est ex fide conscientia, edificat ad gehennam. Conscientia autem fidem accipit ex testimonio Spiritus sancti.

De gloria autem spei & de tribulationibus simul habetur ad Rom. 5. Gloriamur in spe gloriae filiorum Dei : non solum autem, sed & gloriamur in tribulationibus, scientes quia tribulatio patientiam operatur, patientia autem probationem, probatio vero spem spes autem non confundit. De sola autem gloria spei habetur in Psalm. 5. Gloriabuntur in te omnes qui diligunt nomen tuum : quoniam tu benedices iusto. Hæc enim est gloria spei. Et de hac iterum habetur in Psal. 149. Gloria hæc est omnibus sanctis eius.

De gloria autem in tribulationibus ad Gal. 6. Mibi abfit gloriari nisi in cruce Domini nostri Iesu Christi, per quem mibi mundus crucifixus est, & ego mundo. Et 2.ad Corinth. 1. Si gloriari oportet, que infirmitatis meæ sunt gloriabor. Et 2.Corint. 12. Libenter gloriabor in infirmitatibus meis ut inhabitet in me virtus Christi : cum enim infirmor tunc fortior sum & potens. Et ponitur infirmitas pro passione tribulationis. De triplici autem gloria simul habetur Isa. 35. Gloria Libani data est ei, hoc est, mulieri forti, decor Carmeli & Saron. Libanus interpretatur candidatio. Vnde gloria Libani est gloria in candore conscientiae. Carmelius autem interpretatur scientia circumcisionis, & significat certitudinem spei beatitudinis quæ circuncidet nos ab omni miseria. Saron autem interpretatur princeps mœrens, & significat principatum gloriae in mœrore tribulationis. Hæc est triplex gloria decora, nihil habens indecorum : quia nihil habet vanum.

Non enim gloriatur hæc mulier ut multi gloriantur in mundo, de quibus dicitur in Psal. 51. Quid gloriaris in malitia qui potens es in iniuitate? qui scilicet lætantur cum male fecerint & exultant in rebus pessimis. Quidam autem etiam gloriantur in iactantia sua dignitatis, de quibus dicit Apostolus ad Rom. 11. Noli gloriari aduersus ramos. Quod si gloriaris : non tu radicem portas, sed radix te. Quidam etiam in iactantia tuorum meritorum, de quibus dicitur 1. ad Corinth. 4. Si autem acceperisti quid gloriaris quasi non acceperis? Quidam gloriantur in diuitiis pro sapientia vel potentia sua, contra quos dicitur Ierem. 9. Ne glorietur dines in diuitiis suis, & ne glorietur sapiens in sapientia sua, & ne glorietur potens in potentia sua: sed in hoc glorietur qui gloriatur scire & nosse me, scilicet, per conscientia secretum. Hæc etiam mulier ne glorietur in potentia fortitudinis sua, accipit in exemplum Samsonem fortissimum, quem seduxit mulier meretricula debilis de temptationibus amoris falsi, ut tonderet eum capillus & traderet in manus Philistinorum, qui cæcantes eum fecerunt eum molere Iudicum 16. Samson autem sol fortis significat quemlibet sanctum in quo lucet sol iustitiae Christus Deus noster. Fortissimus autem est ille : quia fortissimus est adiutor suus Christus. Meretricula autem est

concupiscentia quæ radit capillos, hoc est cogitationes de Deo primo aufert, ingerens cogitationes luxuria, in quibus sic debilitatur & effeminatur, ut tradatur per cōsensum in potestatem Philisthiim, id est, draconum, qui cæcantes eum dulcedine delectationis, faciunt eum molere, hoc est, ad vanitatem mundi circuire. Ne autem glorietur in diuitiis, accipit in exemplum purpuratum diutitem quem sepultum in inferno pronuntiat Euangelium Luc. 16. Ne iterum in sapientia vane glorietur, pro exemplo est ei Salomon, cuius fines terræ mirabantur sapientiam: & cecidit per mulieres ita ut adoraret idola multa 3. Reg. 11. Ne vero glorietur in natalium nobilitate, pro exemplo est ei ipsorum natalium verecundia quam nemo etiam ex regibus potest effugere : hominis enim gloria quoad natuitatem, ut dicitur 1. Machab. 2. stercus est, & vilior etiam quam stercus : quia tanta sordidantur ignominia ut etiam fas non sit sermonem describere. Similiter medicinam accipit dolorem mortis ne in morte glorietur : quia etiam in illo nemo gloriat, sed eius in memoria etiam iuxta Ecclesiast. 41. amara est, & non gloria. Ne autem glorietur in vita, in exemplum accipit huius vitæ incertitudinem, quæ sicut dicitur 1. Machab. 2. Hodie extollitur, & cras non inuenietur. Et Isa. 40. Omnis caro fenum, & omnis gloria eius quasi flos feni : exticatum est fenum, & cecidit flos, & Spiritus Domini, id est, iudicium iræ Dei, exufflavit in eo, per mortem scilicet. In istis ergo mulier hæc excludit gloriam, sciens quod gloria hæc nihil habet decorum. Sed in tribus prædictis gloria & honore coronatur : quia in istis gloriari honor est & decor.

Est autem spiritualis decor huius fortissimæ mulieris in victoria fortitudinis, cui victoria semper adaptatur remunerations, quæ in Apoc. 1. leptem per ordinem Ecclesiis ascribuntur: & sunt quædam ex parte corporis pugnantis, & quædam ex parte animæ, & quædam ex parte vtriusque siue coniuncti. Corpus enim quod modo pugnat, sepe occumbit per mortem in fortitudine. Decorabitur ergo immortalitate perfecta. Et hoc est quod dicitur Apocal. 2. Vincenti dabo edere de ligno vitæ quod est in paradiſo Dei mei. Lignum autem vitæ edebatur contra mortalitatem quæ auferetur per eum sapientiae in regno paradiſi, & amœnitatis cælestis.

Anima etiam pugnantis nunc quandoque vacillat ex debilitate voluntatis: nam contingit eam succumbere peccato. Et ideo vincenti promittitur quod non lædetur à morte secunda : quia confirmabitur in bono quod amplius non potest deflecti ad mortem inferni per peccatum.

Anima etiam pugnantis modo ex hoc affligitur quod Deum non habet nisi per fidem : & si haberet per speciem, facilius sustineret aduersa. Ideo tertio loco dicit : Vincenti dabo manna absconditum, & dabo ei calculum candidum, & in calculo nomen nouum scriptum quod nemo seit nisi qui accipit. Et notantur hic tria quæ animam afflictam perfecte ponunt in gaudio aeternitatis. Primum est dulcedo diuinitatis in gustu amoris Dei qui habetur : & ille notatur in manna abscondito. Et non dicitur absconditum ibi, sed hic quandiu per fidem ambulamus, & non per speciem. Secundum est viſo aperta solidissima & candi

candissimæ siue lucidissimæ veritatis. Et hæc notatur per calculum candidum : vt in calculo notetur soliditas, & in candore luciditas diuinæ veritatis quam speculabimur. Tertium est, quod nomine æterno honoris & gloriae hæreditariæ dicit nos Deus noster. Et hoc notatur in nomine nostro, quod nemo scit nisi qui accipit : quia hoc est nomen aliud à nomine huius mundi quo Deus vocabit seruos suos in regno constitutos.

Ex parte autem vtrique fortitudo quadruplici præmio decoratur. Et primum est perfecta prostratio eorum qui contra pugnant: vnde dicitur in Apocal. 2. *Qui vicerit & custodierit usque in finem opera mea, dabo illi potestatem super gentes: & reget illas in virga ferrea.* Gentes istæ sunt mundus & tyranni qui impugnauerunt Sanctos qui in inferno in virga pœnarum ferrea reguntur ad pœnas ordinatas contra culpas : quando exultabunt Sancti in cubilibus suis: & exaltationes Dei in gutture eorum, & gladij ancipes, id est, ex utraque parte incidentes: quia in corpore & anima, in manibus eorum.

Secundum autem præmium habet fortitudo in signis tyrocinij sui : quia nouis quibusdam insigniis vincens decoratur. Et hoc notatur Apoc. 3. vbi dicitur: *Qui vicerit, vestietur vestimentis albis, & non delebo nomen eius de libro vite.* Vestis albæ stola est corporis. Non deletio autem nominis, perfructio æternitatis.

Tertium autem habet præmium : quia scilicet fortitudine sua hic sustinuit dominum Dei, Ecclesiam scilicet in debilibus, sustinendo pro eis ne caderent in fide. Et ideo etiam in regno habebit gloriam de hoc. Et de hac habetur ibidem sic: *Qui vicerit, faciam illum columnam in templo Dei mei: & foras non egredietur amplius: & scribam super eum nomen Dei mei, & nomen ciuitatis Dei mei nouæ Ierusalem.* Columna autem templi est qua sustinuit templum. Et quia perseverauit sustinendo : ideo non egredietur foras amplius : sicut dicitur Eccli. 50. *Simeon Onias filius, sacerdos magnus, qui in vita sua suffulsa domum, & in diebus suis corroborauit templum.* *Templi etiam altitudo ab ipso fundata est.* Quia vero propter iustitiam passus est, nomen Dei tanquam memoriale æternum scribitur super eum. Et quia se murum posuit pro ciuibus Sanctorum, ideo etiam nomen ciuitatis Ierusalem inscriptum continetur super ipsum.

Quartum autem & ultimum habet præmium coronam pro qua pugnauit : sicut dicit Apostolus 2. Timoth. 4. *Bonum certamen certavi, cursum consummavi, fidem seruavi: in reliquo reposita est mihi corona iustitiae, quam reddet mihi Dominus.* Et de hac habetur Apocal. 3. *Qui vicerit, dabo ei sedere mecum in throno meo: sicut & ego vici, & sedi cum Patre meo in throno eius.* Non enim sedent in throno nisi coronati ad regnum.

Sequitur id quod tertio considerandum supra diximus, scilicet qualiter mulier hæc his indumentis induitur. Breuiter autem dicendo induitur vt maritus, & induitur ad iucunditatem matriti. Vt maritus induitur : quia eisdem virtutibus. De marito enim dicitur in Psal. 92. *Dominus regnauit, decorem indutus est: indutus est Dominus fortitudinem, & precinxit se virtute.* Mulier etiam decore & fortitudine induitur : vt sic de ipsa impletatur, quod dicitur Eccli. 17. *Secundum se Deus vestiuit hominem virtute.* Sed notandum valde est,

quod indumento mulieris fortitudo primum est indumentum, & decor secundum. E conuerso autem est in vestibus Domini : quia decor præcedit fortitudinem, nimirum quia mulier per fortitudinem passionum venit ad decorum gloriae : sicut dicitur 1. Petri 1. *Passiones & posteriores glorias.* Et 2. Corinth. 4. *Id enim quod in presenti est momentaneum & leue tribulationis nostra, supra modum in sublimitate eternum gloria pondus operatur in nobis.* Et ad Rom. 8. *Si tamen compatimur, ut & simus glorificemur. Existimo enim quod non sunt condigne passiones huius temporis ad futuram gloriam, qua reuelabitur in nobis.* Sed Christus è conuerso de gloria venit ad strenuitatem certaminis: sicut habetur ad Philipp. 2. *Cum in forma Dei esset, non rapinam arbitratus est se esse aequalem Deo: sed semet ipsum exinanivit formam servi accipiens, & habitus inuenitus ut homo.*

Induitur autem vestibus ad iucunditatem sui viri : vt vir eius iucundetur in ipsa: sicut Esther 5. *Die tertio induita est Esther regalibus vestimentis, & stetit in atrio domus regie, quod erat interius, contra basilicam regis: at ille sedebat super solium suum in consistorio palatij, contra ostium domus.* Cumque vidisset Esther reginam stantem, placuit oculis eius, & extendit contra eam auream virgam quam tenebat manu: que accedens, osculata est summitatem virginis eius. Esther abscondita interpretatur, & significat fortem mulierem quam abscondit humanitas. Vestis autem regalis, est vestis qua induitur ipse rex Assuerus, qui beatus interpretatur, & significat Christum. Et hoc est fortitudo & decor indumentum eius. Stat autem in atrio cœli die tertio. Primus enim suus dies, est dies nativitatis suæ: & secundus est dies conuersationis, & tertius dies est glorificationis suæ quando stat in atrio. Et tunc propter detersionem omnis maculæ & vestimentum gloriae placet oculis regis quem decora facie & venusto aspectu in decore suo videbit. Extendere autem contra eam virgam clementiæ, nihil aliud est quam exhibere sibi lumen & radium faciei suæ : quia hæc est virga, inquam, regis: & deducet omnes beatos in regnum beatitudinis æternæ. Osculari autem illam virgam, est cum plenitudine amoris & pacis illud incircumscriptum lumen amplecti, & accedere ad eum continuo passibus fruitionis : quia Sancti fruuntur, nec fastidiunt quo frui magis situnt.

## §. IV.

**S**equitur de secunda parte versiculi huius, quæ est: *Et ridebit in die nouissimo.* In qua consideranda sunt tria, scilicet, risus huius mulieris, causa risus, & dies nouissimus qui est tempus risus eius. Risus huius mulieris est dilatatio cordis in gaudio, & iubilus mentis, & decens quedam & grata iucunditas mentis cum distractione labiorum non immoderata. Et de hoc habetur Iob 8. *Impleatur os tuum risu, & labia tua iubilo.* Iubilus autem, vt dicit Cassiodorus, est cordis gaudium quod nec cor totum claudere, nec lingua totum potest exprimere. Et hoc nihil aliud est quam illud gaudium plenum, de quo dicit Dominus Ioh. 16. *Petite, & accipietis: ut gaudium vestrum sit plenum.* Et de quo Matth. 25. dicitur: *Euge serue bone,*

*bone, & fidelis: intra in gaudium Domini tui.* Gaudium enim semiplenum huius mundi intrat in hominem, & risus eius dolore misceretur, & extrema gaudia eius occupat luctus: ut dicit Salomon Proverb. 14. Sed illud gaudium est secundum Apostolum 1. Corinth. 2. quod *nec oculus vidit, nec auris audiret, nec in cor hominis ascendit quæ preparauit Deus diligentibus se.* Tunc enim iuxta Isa. 35. *Gaudium & latitiam Sancti obtinebunt, & fugiet dolor & gemitus,* quæ hic occupant & impediunt gaudium. Et Apocal. 21. *Absterget Deus omnem lacrymam ab oculis eorum,* hoc est, omnem causam lacrymarum. *Et mors ultra non erit, neque luctus, neque clamor, neque dolor erit ultra: quæ prima abierunt.* Et ideo non mirum si os risu & labia jubilo implebuntur.

Sed notandum valde est, quod haec mulier non tantum ridebit de gaudio Sanctorum in quibus iucundatur: sed etiam deridebit eos quos hic monuit, & vocem eius audire noluerunt: sicut legitur Proverb. 1. *Quia vocavi, & renuisti: extendi manum meam, & non fuit qui aspiceret: despiciisti omne consilium meum, & increpationes meas neglexisti: ego quoque in interitu vestro ridebo, & subsannabo, cum vobis id quod timebatis aduenierit, cum irruerit repentina calamitas, & interitus quasi tempestas inguerit: quando venerit super vos tribulatio & angustia.* Tunc inuocabunt me, & non exaudiam: mane consurgent, & non innuenient me. Et notantur hic ea quæ faciunt condemnacionem reproborum, quorum primum est contemptus vocationis per verbum. Secundum, contemptus auxilij per manum. Tertium, contemptus consilij de modo conuersio[n]is. Quartum, refutatio increpationum pro delictis. Et sequitur condemnatio eorum secundum partes speciales. Et prima est interitus in ablatione vitæ æternæ ab eis, hoc est, cum separatur à Deo. Secunda est aduentus supplicij æterni, quod timebant per fidem informem & timorem seruilem. Tertia est calamitas quæ consistit in subtractione omnis boni ab eis. Quarta est diuersitas pœnarum interficientium & irruentium ad modum subitæ tempestatis, quæ excitatur flatu iræ Dei per ministerium dæmonum. Quintum est tribulatio. Et dicitur tribulatio à tribula: quia quasi tribula quadam terroristur & compercutiuntur in pœnis. Angustia autem est sexta pars, quæ angit cor in verme conscientiae. Ultima autem pars est des�ratio exauditionis in inuocatione Dei, quæ pars signata est in diuite sepulto in inferno, qui guttam extremitatis digiti ad refrigerium lingua obtinere non potuit Luc. 16.

Est autem etiam hic risus triplex, & derisus. Quidam quibus non ridet, nec deridet mulier ista. Dicit enim Salomon quod risus est in ore stulti: & hoc risu non ridet. Et est risus fraudulenti, sicut legitur Proverb. 10. quod est qui quasi per risum operatur scelus. Et est risus consolationis mundanæ, de quo dicit Dominus Lucæ 6. *Vae vobis qui nunc ridetis: quia plorabitis.* Est etiam deriso de qua dicit Iob 12. *Deridetur iusti simplicitas, lampas contempta apud cogitationes diuitiū.* Hoc est, cum simplicitas iusti sit lampas & lux vitæ: tamen est cōtempta apud cogitationes diuitiū huius mundi: & ideo deridetur ab eis. His modis neq; ridet, neq; deridet haec mulier quenquam hominum: sed modis supra dictis ridet, & deridet,

Nunc videndæ sunt causæ risus eius. Sunt autem causæ tribus modis sumptæ, scilicet,

Ex parte sui,  
Causæ { Ex parte Dei,  
Ex parte societatis.

Ex parte sui est causa quadruplex. Prima est quando naturæ eius capacitas tota repletur gaudio, quæ hic fuit vacua, nec habuit unde gauderet. Secunda est: quia remunerabitur omne meritum ipsius, cuius remunerationem dum hic viueret, sentire ad oculum non poterat, licet crederet fide simplici: sicut exultant ministeriales tempore remunerationis sui ministerij. Tertia est: quia etiam omne id habebit quod sperare potuit: ut etiam spes diu dilata quæ afflxit animam, mercedem suspendij & dilationis & longanimitatis accipiat. Quarta est: quia etiam ultra erit merces eius quam ipse vel fide vel dilectione potuisset comprehendere. Et haec quatuor simul notantur in una authoritate Domini Luc. 6. *Mensuram bonam, & confertam, & coagitatem, & supereffluentem dabunt in finum vestrum.* Bonam quoad impletionem capacitatis naturæ. Conferta autem est mensura, pressa scilicet & compressa ut magis capiat: & illa datur merito, quia centupla mercede remuneratur. Coagitata vero est quando etiam ponderibus & ictibus & tonsionibus ponderum conficitur res mensurata: & illa datur spei, & fidei, & dilectioni. Sed supereffluens est infinita: quia Deus ibi mensuratur quem nihil creatum capere potest: & illa datur ex solius Dei bonitate & liberalitate.

Ex parte Dei etiam habet quatuor causas ridendi. Prima est visio aperta: quia sancti, iuxta Psal. 30. absconduntur in abscondito faciei Dei à turbatione hominum. Secunda est dilectio perfecta Dei visi & habiti: & haec est pars Mariæ optima quæ non auferetur ab ea Luc. 20. Fides enim auferetur, & manebit visio: spes auferetur, & manebit comprehensio: charitas autem nunquam auferetur, sed perficietur. Tertia eam est fruitio ipsius dum continuo gustant dulcedinem substantiæ Dei, & inebriantur ab ubertate dulcedinis eius. Quarta causa est fruitio Dei & hominis in una persona Christi. Et haec duo notantur Luc. 22. vbi dicit Dominus, quod disponit Sanctis sedere super mensam suam in regno suo: ut comedant & bibant. Comedant, inquam, dulcedinem substantiæ eius, & bibant nectar fruitionis ex ipsis sapientiae vena limpidissima, quæ facies Dei est aperte ostensa.

Ex parte Sanctorum etiam habet quatuor causas ridendi, quarum prima & præcipua est, quod habitant Sancti in unum, & est eis cor unum & una anima in concorditer fruendo Deo: ut dicit Angusti. vnde Psal. 131. *Ecce quam bonum & quam iucundum habitare fratres in unum: sicut unguentum in capite quod per barbam distillat ad oram vestimenti.* Vnguentum autem est unctio dulcedinis Spiritus sancti penetrantis omnes, & remouentis ab eis omne quod voluntati contrariatur. Est autem in capite Deo distillans ad barbam, hoc est, ad apostolicos viros, qui barba viriliter agendo dicuntur: & venit fluendo largiter descendens usque ad ultimum Sanctorum, qui per oram vestimenti figuratur. Secunda causa est possessio communis omnis boni quod habetur à singulis: & hoc facit charitas perfectissima, que ibi

ibi bona facit communia: vt quilibet in quolibet perfecte possideat quod habent singuli: vt impleatur illud quod huic præcessit in figura Aetuum 4. scilicet, quod nullus quod possidebat suum esse dicebat: sed erant illis omnia communia: & tamen distribuitur a Deo dispensatore vnicuique largiter quantum vñquam opus est beatitudini sua. Tot enim & tanta gaudia quæ habentur in singulis a singulis, quem non mouerent ad risum: cum etiam minus gaudium risum inducat? Tertia causa est affectus societatis quem vñus ostendit aliis. Sicut enim virtutis hic est amicos inter se signa amicitiae monstrare ad inuicem: ita etiam ibi monstrabit vñus aliis affectum sua societatis & amicitiae. Vnde Isaiae 32. *Sedebit populus meus in pulchritudine pacis, & in requie opulenta, & in tabernaculis fiducie.* In pulchritudine pacis quoad vnitatem cordium: hæc enim tollit bella: & in hoc notatur causa prima. In requie opulenta quoad communem possessionem beatorum qua habent singuli: & in hoc notatur secunda causa. Et in tabernaculis fiducie: quia vñus fiduciam amicitiae ponit in reliquo: & illud est tercia causa. Quarta autem causa est eiusdem societatis splendor honestatis perpetuus: de qua dicit Dominus Matth. 13. quod fulgebunt iusti sicut sol in regno Patris eorum. Et Sapient. 3. *Fulgebunt iusti, & tanquam scintilla in arundinetu discurrunt: iudicabunt nationes, & dominabuntur populis: & regnabit Dominus illorum in perpetuum.*

Tempus autem risus huius mulieris est dies nouissimus. Et consideranda sunt duo circa hoc, scilicet, quare dicatur dies, & quare nouissimus. Circa primum nota quod dicitur 1. ad Thessal. 5. quod dies Domini sicut fur in nocte, ita veniet. Et in hoc notatur quod iudicium erit sine præuisione hominum. Vnde Dominus Matth. 24. *Sicut fuit in diebus Noe: ita erit aduentus Filii hominis.* Sicut enim erant in diebus ante diluvium comedentes & bibentes & nubentes & nuptui tradentes usque ad eum diem quo introiit Noe in arcum: & non cognoverunt donec venit diluvium, & tulit omnes: ita erit & aduentus Filii hominis.

Secundo nota, quod dies iudicij dicitur nox & tenebra malis: quia illis nocebit & inuoluet perpetuis tenebris. Vnde Iobel 2. *Prope est dies tenebrarum & caliginis, dies nubis & turbinis.* Et dicitur tenebra interior: caligo autem exterior: nubes autem, pœna pluens sulphur & picem: quæ sunt pars calicis eorum. Turbo autem impetus dæmonum rapientium & diripientium damnatos. Vnde ibidem: *Magnus enim dies Domini & terribilis valde: & quis sustinebit eum?*

Item notandum, quod iustis est dies lucis: quia ibi induentur perpetua luce. Vnde Isa. 30. *Erit lux luna sicut lux solis, & lux solis erit septempliciter sicut lux septem dierum.* Et iterum Isa. 65. *Ecce ego creo cælos nouos & terram nouam: & non erunt in memoria priora, & non ascendent super cor: sed gaudebitis & exultabitis usque in sempiternum in his quæ ego creo.*

Nouissimus autem dicitur: quia nouissimus est

In {  
Numero,  
Gaudiis,  
Pœnis.

Nouissimus in numero: quia non erit amplius

tempus ad merendum vel demerendum. Vnde Apocal. 10. *Angelus quem vidi stantem supra mare & supra terram, leuauit manum suam ad celum, & inravuit per viuentem in secula seculorum, qui creauit celum, & ea quæ in eo sunt: & terram, & ea quæ in ea sunt: & mare, & ea quæ in eo sunt. Quia tempus non erit amplius, sed in diebus septimi Angelorum, cum cœperit tuba canere, consummabitur mysterium Dei, sicut euangelizauit per seruos suos Prophetas.* Angelus iste Christus est, qui habet vnum pedem, scilicet, humanitatis supra mare passionis. Vnde Psalm. 76. *In mari via tua, & semita tua in aquis multis, & vestigia tua non cognoscuntur, supple, per gratiarum actionem.* Alterum autem pedem habuit super terram, hoc est, stabiles & immobiles in opere Domini semper: vt dicit Apostolus ad Hebræ. 6. *Et iurat per semetipsum, hoc est, immobiliter statuit. Iurat autem per creaturam gloriam & habitationem gloriisorum, id est, per celum & ea quæ in eo sunt: & per gratiam & habitationem gratiosorum, id est, terram, & ea quæ in ea sunt: & amaritudinem & habitantes in ea, hoc est, mare & ea quæ in eo sunt: quia ipse creauit electos in gloria & in gratia, & damnatos in amaritudine æterna.* Et tempus non erit amplius: sed septimus Angelus cuius tuba suscitat mortuos, complebit vniuersa, sicut est prophetatum per Prophetas, & prædicatum per Apostolos.

Nouissimus etiam dicitur esse in gaudiis: non ita quod post ea non sit futurum gaudium, sed quia gaudi illius diei incomparabilia sunt omnibus gaudiis aliis. De his autem habetur partim Isa. 66. *Letamini cum Ierusalem, & exultate in ea omnes qui diligitis eam: gaudete cum ea gaudio uniuersi qui lugetis super eam, ut fugatis, & repleamini ab ubere consolationis eius: ut mulgeatis, & deliciis affluatis ab omnimoda gloria eius.* Et notantur quatuor singularia gaudiia bonorum in his verbis. Primum est de coniunctione omnium bonorum in vnum qui modo dispersi sunt. Et hoc notatur cum dicit: *Letamini cum Ierusalem, & exultate.* Et lætitia pertinet ad cor: exultatio autem ad corpus. Ierusalem autem est collectio omnium bonorum ad æternæ pacis visionem pertinentium. Secundum gaudium est spiritualis consolatio lugentium pro periculo suo & aliorum qui tunc perfectam accipient consolationem: sicut dicit Dominus Matth. 5. *Beati qui lugent: quoniam ipsi consolabuntur.* Et hoc notatur cum dicitur: *Gaudete cum ea gaudio uniuersi qui lugetis super eam.* Tertium est abundantia alimenti æterni quod instillatum omnibus Sanctis vegetat ipsos ad vitam æternam ab vberibus matris sapientiae expressum, quæ nihil aliud sunt nisi præsentia, bonitatis & veritatis Dei. Et hæc notantur ibi: *ut fugatis, & repleamini ad vberibus consolationis eius.* Quartum vero est affluentia deliciarum in nouis reuelationibus beatificantibus: quia Dominus semper noua reuelat eis in facie sua: non ut nouis venientibus vetera projiciant, sed ut in ipso, cuius sapientia non est numerus, sine numero & sine fine, rationem accipient gloriae. Et hoc notatur ibi: *ut mulgeatis & deliciis affluatis ab omnimoda gloria eius.* Mulgere enim ibi nihil aliud est quam nouas reuelationes extrahere.

Item Isa. vlt. *Ecce ego declinabo super eam, scilicet, Ierusalem, quasi flumen pacis, & quasi torren-*  
*tem*

tem inundantem gloriam Gentium quam sugetis : ad ubera portabimini, & super genua blandientur vobis. Quomodo si cui mater blandiatur, ita ego consolabor vos, & in Ierusalem consolabimini. Videbitis, & gaudebit cor vestrum, & ossa vestra quasi herba germinabunt. In his verbis notantur duo, scilicet, de quo gaudebunt Sancti, & qualiter. De quo, quia de duabus, quæ accipient à Domino, scilicet, abundantia pacis : quia quasi flumen declinabit super eos in abundantia pacis. Et tunc implebitur illud Psalm. 121. *Fiat pax in virtute tua & abundantia in turribus tuis.* Accipient autem gloriam Gentium in incomprehensibili substantia eius quam videbunt : quia hæc est gloria omnium gentium.

Qualiter autem consolabuntur nos notatur in tribus, scilicet, secundum quem modum similitudinis consolabitur nos, & vbi consolabitur nos, & secundum quid consolabitur nos. Secundum quem modum similitudinis : quia dicit, quod portabimur ad vbera : & notat similitudinem paruuli vagientis, qui ut taceat portatur ad vbera : ita Dominus faciet nobis, dicens : *Quiescat vox tua à fletu :* quia portaris ad vbera sapientiae scilicet, veritatis, & bonitatis Dei : ex quibus fugas lac beatitudinis æternæ. Super genua etiam, & notat similitudinem : quia parvulus plorans ponitur ad genua matris, ita Dominus habet genua quibus nos eleuat ad blandiendum nobis, scilicet, æternitatis incommutabilitatem, & stabilitatem immortalitatis & impassibilitatis. Blanditur autem ut mater : in quo notat certitudinem dilectionis suæ ad Sanctos, ita quod non patietur ut tangat eos quicquam aduersitatis.

Vbi autem consolatur : quia in Ierusalem, in coniunctione scilicet omnium beatorum: ut tanto gratior sit consolatio, quanto nullus omnium remotus est à nobis pro quo sumus solliciti. Item tanto acceptior sit nobis consolatio, quanto coram multis ipsa consolatione honorificamur à Deo : quia qui Christo ministrat hinc, honorificabit eum Pater suus qui in cælis est.

Secundum quid autem consolatur : quia videbimus ad oculum interiorum & exteriorum, scilicet, ad interiorem diuinitatem & ad exteriorem gloriam humanitatis tantum : & cor nostrum gaudebit, & ossa nostra arida quidem primo in sepulchris per immutationem gloriose resurrectionis germinabunt, ut herba virens in æternum.

Est etiam dies ille nouissimus in pœnis, non sic autem quod postea non sint futurae pœnae: sed quia sunt finis & consummatio omnium pœnarum. Pœnae ille sunt tales, ita quod ultra eas non erit pena maior eis. Sunt autem illæ pœnae distinctæ penes quatuor, scilicet,

Modum resurgendi,  
Resurgentes,  
Iudicium,  
Carcere in quem detrudentur.

Et hæc quatuor notantur Isa. 24. *Formido, & fœna, & laqueus super te, qui habitator es terra.* Habitator terræ est impius resurgens qui manebit in terra quam dilexit, cum Sancti rapientur in nubibus obuiam Christo in aëra: & sic semper cum Domino erunt 1.ad Thessal. 4. unde per hoc notantur pœna resurgentis, de qua postea dicemus. Formido autem erit iudicij: & per hoc notantur

D. Alberti Magni Lib. de mul. forti.

pœnae quæ sumentur penes iudicium. Laqueus autem est in modo resurgendi: quia cum alijs sunt immutati in gloriam, isti resurgent ligati laqueo in opprobrium æternum ut videant semper. Fouea autem est carcer inferni in quem detrudentur.

Sunt autem in modo resurgendi pœnae innumerabiles: sed tres speciales & maiores aliis, quorum prima est acceptio corporum ignitorum & incensorum igne inferni, in quibus ante non cruciabantur: quia non habebant. Secunda est bellum continuum corporis ad animam, & animæ ad corpus. Tertia est desiderium mortis perpetuum sine morte. De prima habetur Amos 4. *Iurauit Dominus Deus in sancto suo, quia ecce dies venient super vos, & lenabunt vos in contis, & reliquias vestras in ollis feruentibus.* Et per aperturas exhibitis altera contra alteram, & projiciemini in Armon. Iuramentum Domini est immobile decreum iudicij. Tunc dæmones tortores leuabunt damnatos in contis. Est autem conta instrumentum quo macellarij leuant boues excoriatos, intrudentes lignum per neruos crurium posteriorum, & ita leuantes suspendunt ad dissecandum; & illud lignum quod sic intrudunt per neruos crurium dicitur conta, & significat vinculum quo ligantur damnati ad supplicia. Reliquæ autem sunt ossa quæ erunt in olla: & est integritas corporis in qua resurgent, & feruent in ipsa sicut olla. Apertura autem una erit sepulchri, & exibit corpus: & altera apertura erit inferni, & exibit anima. Altera contra alteram, hoc est, anima contra corpus: & iungentur & projicientur in Armon, qui interpretatur anathema mæroris. Et signat infernum cum damnatis qui sunt anathematizati à Deo & in mærore æterno.

De secunda pœna quæ est bellum continuum corporis ad animam, & è conuerso: eo quod corpus conuiciatur animæ quod ipsa debebat regere ipsum ad bonum, & direxit ad malum: anima autem corpori è conuerso quod delectationes corporales seduxerunt eam, & quod prona fuit ad malum caro omni tempore, ad bonum autem pigra & infirma. De hac, inquam, pœna habetur Iob 30. *Nunc autem in memetipso marcescit anima mea, & possident me dies afflictionis. Nocte os meum perforatur doloribus: & qui me comedunt, non dormiunt. In multitudine eorum consumitur vestimentum meum, & quasi capitio tunicae succinxerunt me. Comparatus sum luto, & assimilatus sum fauille & cineri.* Anima enim marcescit quando tardum habet corporis, & è conuerso; & est in possessione afflictionis, quando afflictio dominatur in corpore & anima. Et dicitur possessio quasi positio pedum: quia tunc afflictio vtrunque pedem profunde & grauiter infigit, scilicet, confusionis & doloris: quia isti sunt duo pedes afflictionis. Os autem ponitur pro robore corporis quod perforatur verme conscientiae quo anima mordet corpus. Et iterum. Qui comedunt animam è conuerso non dormiunt, à quorum multitudine consumptum est omne vestimentum virtutis, ut sit etiam ibi confusio nuditatis: ut ignominiam peccati non operiat decor virtutis, quemadmodum fit in Sanctis per pœnitentiam delentibus peccata sua. Vermes autem isti succingunt, hoc est, strangulant corpus & animam mutuis & vicariis improperiis: & affi-

G milatur

milatur luto vilissimo corpus in fætore suo , & anima fauillæ leui quæ plena est igne æterno : utrumq; autem cineri in quibus dominatur ignis.

De tertia autem poena quæ est desiderium mortis perpetuum sine morte , habetur Apoc.9. *In diebus illis quarent homines mortem, & non inuenient eam : & desiderabunt mori, & mors fugiet ab eis.* Quia scilicet tanta discordia erit inter animam & corpus , quod libentissime separarentur si fieri posset : sed per iudicium iustissimum Dei simul tenetur : vt sicut simul peccauerunt , ita etiam simul puniantur.

Accipiuntur autem penes resurgentes penæ innumerabiles , sed præcipue in corpore accipiuntur quatuor maiores , & in anima tres. Et illæ quidem quæ sunt in corpore , sunt fætor & passibilitas corporis. Secunda autem grauitas & ponderositas ipsius & ignobilitas. Tertia autem tetra ipsius obscuritas & opacitas. Quarta vero est animalitas ipsorum & carnalitas. De prima habetur Amos 4. *Ascendere feci putredinem castrorum vestrorum in nares vestras. Castra dicuntur damnati qui armauerunt se contra Deum.* Et Isa. vlt. *Egredientur , & videbunt cadavera eorum qui prævaricati sunt in me.* Sancti egredientur passibus contemplationis , & videbunt decorum iustitiae vindicantis in cadaveribus , id est , corporibus cadentibus in vermes fætoris & putredinis suæ. Et Isa. 14. *Proiectus es de sepulchro tuo sicut stirps inutilis , & sicut sanie pollutus & obuolutus.* Hoc verificatur in die nouissimo quando impii corpus malis gratibus suis ejicitur de sepulchro , sicut stirps inutilis quæ boni fructum utilem in vitam æternam non attulit , & sanie fætoris sui polluitur & obuoluitur in perpetua secula sub sanie collocandum. Et hæc sanies est immunditia peccati quæ inficit ipsum.

De secunda vero poena quæ est ponderositas , habetur Exod. 15. *Descenderunt in profundum quasi lapis.* Et iterum. *Submersi sunt quasi plumbum in aquis vehementibus.* Aquæ autem vehementes sunt penæ duriter concurrentes. Et hoc est quod dicitur in Apocal. 18. *Et sustulit unus Angelus fortis lapidem magnum quasi molarem , & misit in mare , dicens : Hoc impetu mittetur Babylon, ciuitas illa magna , supple , in infernum , & ultra iam non inuenietur.* Bene accipit molarem : quia in mundo non voluit nisi molere , terrena opera scil. facere. Et in mare mittit : quia hoc est amarum & magnum. In pondere ipsi graues sunt , & ideo maiores impetu descendunt in profundum inferni. Hæc autem grauitas non est molis , sed peccati , quod ( vt dicit Isaac Philosophus ) grauabit eos & deprimet eos sub tristi orbe inferni , vt amplius non inueniantur.

De tertia autem poena corporis quæ est tetra obscuritas & opacitas corporum eorum , habetur in prophetia Isa. 13. *Facies combustæ vultus eorum.* Et Thren. 4. *Denigrata est super carbones facies eorum , & non sunt cogniti in plateis : adhæsit cutis eorum ossibus : aruit , & facta est quasi lignum.* Denigrata quia sunt titio ignis inferni , & torris fumans in incendio qui denigrari potest , sed non illuminari : quia ignis ille non illuminat , sed comburit & denigrat. Quod autem dicit : Non sunt cogniti in plateis , sensus est , quod intantum ducuntur ad alium colorem à pulchritudine quam habuerant hic dum nutritur & colerent

carnem suam in deliciis , quod in plateis non cognoscerentur etiamsi viderentur. Tunc enim diaboli deformitas obtinebit facies eorum , & non color humanus. Cutis adhæret ossibus squatore maciei : quia pinguedo epularum & ingurgitationum ibi remouebitur , & fiet quasi lignum aridum , quod est cibus ignis æterni.

De quarta autem poena quæ est animalitas ipsorum , & carnalitas corporis eorum : habetur 1.ad Corinth. 15. vbi dicit Apostolus quod canet tuba præconij Domini vocantis mortuos : & mortui resurgent incorrupti , quoad numerum membrorum omnium. Sed tantum nos , hoc est , Sancti , immutabimur. Tunc patet quod in aliis non erit immutatio : sed animalitas & carnalitas & grossities eorum manebit in corporibus eorum , non ita quod cibis sint sustentandi vt prius fuerunt : sed vt sint ignobiles non spirituales , & vt sint cremabiles igne inferni. Et hoc est quod dicit Augustinus in lib. de ciuitate Dei , quod ignobilitas non tolletur à corporibus damnatorum. Et hoc verum est de ista ignobilitate.

Sunt tres penæ quæ inueniuntur in ipsis maiores aliis quoad animam. Et prima quidem : quia pro visione fruitionis diuinæ accipiunt vermem conscientiæ : quia visa in corde peccata continuo mordent denti immortalis & acuto. Et de hac habetur Isa. vlt. *Vermis eorum non morietur , & ignis eorum non extinguetur , & erunt usque ad satietatem visionis omni carni , hoc est , electis , qui dicuntur hic omnis caro : quia sunt perfecta caro : quia glorificatam habent carneum : quia gloria est perfectio carnis humanae : quia ad hoc est creata à Deo.* Et Isa. 14. *Subter te sternetur tinea , & operimentum tuum erunt vermes.* Tinea est quæ nascitur de ipsis damnatis expectatio eorum , & est vermis conscientiæ. Vermes sunt spirituales remorsiones de omissō bono & perpetrato malo.

Secunda autem est odium , inuidia , & ira , quibus replentur loco dilectionis Sanctorum in patria. Ad se inuicem habent odium : iram autem contra Deum iudicem eorum , & inuidiam contra Sanctos Dei & electos regni eius. Et de hoc habetur Ezech. 32. *Descenderunt in infernum cum armis suis , & posuerunt gladios suos sub capitibus suis , & fuerunt iniuriantes eorum in ossibus eorum .* Arma enim iracundorum sunt ira , & odium , & mala voluntas , & inuidia : quæ sunt peccata quæ non abscedit mors , sed etiam remanent in inferno , vt dicit Glossa. Gladij autem quibus impugnabant se , sunt maleficiæ & blasphemiae : unde etiam sequitur quod iniquæ voluntates vigilatæ sunt in ossibus eorum , hoc est , in medullis cordium suorum. Et in Apoc. 16. *Aestu vehementi , & blasphemauerunt nomen Dei habentis potestatem super has plagas.*

Tertia autem poena in anima , est peruersio intellectus & rationis : quia verum quidem cognoscunt , sicut etiam dæmones : & tamen contra veritatem proteruiunt & certant. Et ideo dicit Dionysius quod phantasiam sive rationem habent proteruam. Et de hoc habetur in Euangeliō Matth. 22. vbi iubet Dominus seruum nequam ejici in tenebras exteriores. Et dicit ibi Augustinus. Quia ante fuit etiam in interioribus : & tenebrae interiores sunt in ista proteruitate contra veritatem , & ignorantia Dei quam non vident. Et ideo dicitur Amos 5. *Nunquid non tenebre dies?*

dies Domini, & non lux: & caligo, & non splendor in ea? Tenebræ dicit propter exteriores tenebras, & caligo propter interiores. Et istæ sunt ex parte animæ.

Sunt autem ex parte iudicij sex quæ sunt	Terribilis intuitus iudicis horribilis, Manifestatio omniū peccatorum, Iudicis increpatio dura, Condemnationis sententia, Separatio à societate omnium honorū & à Deo, Coniunctio ad cōsortium reproborum.
--	---

Prima pœna est tanta, quod potius vellent operiri montibus quam videre Filium in forma serui iudicantem: & tamen necesse est videre. Vnde Matth. 24. *Tunc plangent omnes tribus terre, & videbunt Filium hominis venientem in nubibus cali cum virtute multa & maiestate.* Et Apocal. 1. *Ecce veniet in nubibus: & videbit eum omnis oculus, & qui eum pupugerunt, & plangent se super eum omnes tribus terre.* Et Lucæ 23. *Filio Ierusalem nolite flere super me, sed super vos ipsas flete, & super filios vestros.* Quoniam ecce venient dies in quibus dicent: *Beatae steriles, & ventres qui non generuerunt, & ubera que non lactauerunt: tunc incipient dicere montibus: Cadite super nos: & collibus, Operite nos.*

Secunda vero pœna est manifestatio omnium peccatorum. Vnde Daniel. 7. *Throni positi sunt, & antiquus dierum sedidit: vestimentum eius candidum quasi nix, & capilli capitisi eius quasi lana munda: thronus eius flammæ ignis: rota eius ignis accensus. Fluuius igneus rapidusque egrediebatur à facie eius: millia millium ministrabant ei, & decies centena millia assistebant ei. Iudicium sedidit, & libri aperti sunt.* Antiquus enim dierum est Deus qui creauit omnia tempora, & est post omnia, & super omnia: non tamen antiquatur, vel senescit. Sed antiquus dicitur propter sapientiam gubernandi & iudicandi. Hic habet thronum ut flammæ ignis: quia in igne veniet Dominus ad iudicium, vt dicitur Isa. 46. Fluuius autem igneus est ignis ille quo exuretur facies mundi, qui tunc in voluendo secum trahet ad infernum damnatos. Vestiæ autem Dei sunt Apostoli, qui adhæserunt capiti nostro Christo. Ministrantes & assistentes sunt Angeli, qui secum erunt in iudicio. Libri autem sunt conscientiæ omnium quæ tunc aperientur: sicut dicit Apostolus ad Rom. 2. *In die cum indicabit Dominus occulta hominum secundum Euangeliū meū per Iesum-Christum.* Et 1. Corinth. 4. *Nolite ante tempus indicare quonque veniat Dominus qui illuminabit abscondita tenebrarum, & manifestabit consilia cordium: & tunc laus erit unicuique à Deo.*

Tertia vero pœna est durissima increpatio iudicis, quæ scribitur Matth. 25. *Eſariui, & non dedisti mihi manducare: ſtini, & non dedisti mihi bibere, &c.* Auctoritas enim supra notata est.

Quarta pœna est condemnationis sententia, quæ continetur ibidem, cum dicitur: *Ite maledicti in ignem aeternum, qui paratus est diabolo & angelis eius.*

Quinta autem pœna est separatio à societate omnium bonorum, & à Deo: vnde ibidem. *Statuet os à dextris, hædos autem à sinistris.* Oues à dex-

D. Alberti Magni Lib.de mul.fort i.

tris: quia ipsi sunt filii dexteræ, sicut Benjamin: & ibi est locus Filij, sicut habetur in Psalm. 109. *Sede à dextris meis donec ponam inimicos tuos scabellum pedum tuorum.* Sed sinistra est in terra ut perpetuo dominetur eis scabellaris subiectio: vnde etiam Apostolus dicit 1. ad Theſſal. 4. quod Sancti rapientur obuiam Christo in aëra, & sic semper cum Domino erunt: impiis in terra remanentibus quam dilexerunt.

Sexta pœna est coniunctio ad societatem reproborum qui nullo affectu se inuicem diligunt: vnde Job 41. *Corpus eius, hoc est, leuiathan, qui signat diabolum, quasi scuta fusilia, compactum squamis se prementibus. Una uni coniungitur, & ne spiraculum quidem incedit per eas.* Una alteri adhæret, & tenentes se nequaquam separabuntur. Corpus diaboli sunt omnes damnati, qui sunt quasi scuta fusilia, ne iaculis diuini amoris possint vulnerari. Compactum autem est: quia non tantum coniunguntur damnati, sed etiam colligari leguntur: ut ex strictura etiam pœnam habeant. Sunt squamae qui duritia obstinata voluntatis contra Deum pugnauerunt. Et via alteri adhæret: quia qui similes sunt in culpa, similes etiam sunt in pœna: & ita non separantur. Gladius autem anceps, id est, ex vtraque parte acutus in corpus, scilicet, & in animam, est sententia iudicis: quia colligat damnatos, ut si cut fuerunt socij in culpa, ita sint similes in pœna.

Decem autem sunt excellētores pœnæ in carcere	Calor ignis interius & exterius ardens, Frigus interius & exterius persequens, Tenebra interior & exterior, Fætor laci, Horror societatis quæ est in loco illo, Præsentia faciei dæmonis perpetua, Catenæ stridentes & vrentes, Stridor dentium, Fletus oculorum, Et ipsius carceris captiuitas.
---	---

Calor ignis erit ibi ad literam: sed ille ignis calidior est in imminensum quam noster ignis: nec est lucens, sed tantum ardens: nec tantum comburens corpus, sed & animam & corpus: nec consumens substantiam, sed in æternum persequens peccatum & incedens in corpore & anima. Et hæc est expositio Basili⁹ super illud Psal. 28. *Vox Domini intercedentis flammam ignis.* Vox Domini, id est, præceptum Domini, intercedentis, id est, diuidentis, flammam, id est, lucem, ignis, hoc est ab ardore ignis: ut lux subseruat sanctis superius, calor autem prosequatur iniustos inferius: vnde Deut. 32. *Ignis successus est in furore meo, & ardebit usque ad inferni nouissima, deuorabitque terram cum germine suo, & montium fundamenta comburet.* Terra sunt terreni, id est, peccatores: montes autem superbi: fundamenta autem ipsorum iniqua voluntas, quæ prosequitur ignis inferni. Et Isa. 30. *Præparata est ab heri Tophet, à rege præparata, profunda & dilatata, Nutrimentum eius, ignis, & ligna multa: flatus Domini sicut torrens sulphuris succendentis eam.* Tophet est vallis quedam, & ponitur pro inferno, quæ præparata est ab heri, hoc est, à principio creaturæ: quia inter cætera opera sex

dierum etiam gehenna creata est : & præparata à rege iustitiae Deo quod in ipsa dormiat omne quod sibi obstat inique. Profunda autem est : quia in corde teræ : dilatata ut omnibus damnatis sufficiat. Nutrimentum in quo pascitur infernus est ignis comburens , non illuminans : & ligna, id est, damnati aridi virore gratiae : & sunt multa, quia dicitur Matth. 20. *Multi sunt vocati, pauci vero electi.* Flatus autem Domini est ira eius & imperium : & illud imperium iustitiae vindicantis succedit eam , vt ardeat sicut torrens sulphuris quod fœret in ardore : quia damnati in ardore pœna sentiunt in quo fœtore peccati vitam consumperant.

Secunda pœna est frigus intus & exterius, persequens & ipsum, sed non mitigans calorem: sicut videmus in febricitante qui maximo calore aduritur, & tamen frigus etiam sentit interiorim : & de hoc habetur Iob 24. *Transibunt ab aquis niuum ad calorem nimium :* non ita quod niues ibi sint futuræ , sed niuum aquæ ponuntur pro frigore multum nocente : vnde etiam sicut legitur Exod. 9. quod *ignis & grando mixta pariter ferebantur.* Et Sapient. 16. *Negantes te nosse impij , per fortitudinem brachij tui flagellati sunt nouis aquis , & grandinibus , & pluviis persequitionem passi , & per ignem consummati.* Quod enim mirabile erat : in aqua , quæ omnia extinguit, plus ignis valebat : vindex est enim orbis iustorum. Grandines & pluviae & niues non erunt in inferno: sed per talia significantur impetus irruentis frigoris in damnatos : quod, inquam, frigus vindex est iustorum mandatorum Dei , quæ transgressi sunt damnati : vnde habetur Sapient. 5. *Accipiet armaturam zelus Dei , & armabit creaturam ad ultionem inimicorum. Induet pro thorace iustitiam , & accipiet pro galea iudicium certum. Sumet scutum inexpugnabile æquitatem : acut autem diram iram in lanceam , & pugnabit cum illo orbis terrarum contra insensatos.* Ibunt directe emissiones fulgorum , & tanquam à bene curvato arcu nubium exterminabuntur, & ad certum locum infilient. Hic notatur modus condemnationis impiorum. Zelus enim iustitiae Dei cogit Deum ad condemnandum. Instrumentum autem pœnae est creatura ab ipso creata , quam armat in ultionem inimicorum , quando dat ei potestatem & virtutem nocendi & affligendi : sicut igni, & frigori, & tenebris, & huiusmodi. Ne autem Dominum lädere possit reprehendendo iustitiam condemnationis: ipse Dominus induet iustitiam, quia iudicabit iuste, & iudicium sententiæ erit rectum : & scutum in quo extinguunt blasphemiae murmurantium contra iudicium suum , erit æquitas : quia ponunt pœnam contra culpam : & primum erit ira non conturbatio mentis , sed infligens pœnas , quæ perforat & transfigit secundum interiora eorum, vt lancea. Orbis terrarum, hoc est, mundus pugnabit cum ipso contra illos : quia quicquid est ignobile in elementis mundi , sicut calidum, frigidum, tenebrosum, & huiusmodi : totum diuident à se elementa , & ministrabunt inferno : vt per illa crucientur reprobi. Emissiones autem fulgorum sunt irruentes pœnae ab ira Dei immissa & profunde ipsa vitalia animæ vulnerant : sicut sagittæ veniunt ab arcu nubium, benc, hoc est, fortiter curvato , & insiliunt

ad certum locum : quia ad locum culpæ. Sagittarius enim ille non iacit sagittas in incertum, sed semper tangit signum : quia sapientia sua dirigit telum. Item Sapient. 5. *A petrofa ira plena mittentur grandines , candescet in illos aqua maris , & flumina concurrent duriter. Contra illos stabit spiritus virtutis , & tanquam turbo venti diuidet illos.* Ira dicitur petrofa : quia petras grandinis emittit : & dicitur petra grandinis, data pœna impetuose irruens. Dicitur autem aqua maris, nunc æternæ amaritudinis multa, & nunc quiescens vt aqua maris candescere in illos , id est, penetrare interiora iecoris & cordis eorum sicut fluuius Cochiti, & Flegetontis, & huiusmodi, qui significant continuam successionem pœnarum inferni, vt nouæ pœnae nouis superueniant: & tamen veteres nunquam perfluendo deficiant: & ideo dicuntur concurrere duriter, non prætercurrere. Virtutis autem spiritus est fortis flatus venti qui succedit ignem. Turbo autem diuidens est flatus ducens in contrarias pœnas, scilicet, frigus, & calorem. Turbo enim prouenit ex ventis sibi è contrario & è regione obuantibus.

Tertia pœna est tenebra interior & exterior: & de hac habetur in Euangelio Matth. 25. vbi iubet Dominus ligatum manibus & pedibus, projici in tenebras exteriores. Threno. 3. *Meminavit , & adduxit in tenebras , & non in lucem.* Et Iob 17. *In tenebris stravi lectulum meum.* Et hæ tenebrae significantur per tenebras Ægypti, quæ dicuntur fuisse palpabiles. Sapient. 17. dicitur de illis , quod *ignis nulla vis poterat illis lucem præbere, nec syderum limpida flammæ poterant illuminare noctem illam horrendam.* Ignis enim ille non illuminat, vt dictum est, sed adurit. Syderum autem limpida flammæ , vt dicit Isa. 14. stabant, & non lucebunt damnatis.

Quarta autem pœna carceris est fœtor laci : vnde Iob 17. Putredini dixi : Pater meus es, mater mea & soror mea , vermis. Fœtor autem non debet sic intelligi quod fiat exhalatione aliquius putredinis : quia non putrescunt ibi corpora. Sed ignobilitas illa quæ congregabitur in lacu, dicitur putredo, & morsiones sive punctuæ pœnarum dicuntur vermes. Zachariae 9. *Emissi vinctos de lacu in quo non erat aqua.* Et loquitur de redemptis de inferno , & vocat aquam refrigerium consolationis quæ non est ibi.

Quinta pœna est horror societatis illorum, qui in loco illo congregantur. Horror autem ille generatur ex inimicitia eorum adiuicem, de qua supra dictum est. Et dicitur Threno. 5. & loquitur ibi Ieremias in persona damnatorum, dicens : *Pellis nostra quasi clibanus exusta est.* Vnde etiam se inuicem deridere leguntur , & conuiciari : de quo habetur Isa. 14. quando Nabaluchodonosor venit ad inferos, quod sibi conuiciando receperunt eum. *Infernus subter te turbatus est in occursum aduentus tui , suscitauit gigantes,* hoc est, dæmones potenter & fortiter tormentantes. Omnes principes terra surrexerunt de solis suis, omnes principes nationum. *Vniuersi respondebunt & dicent tibi : Et tu vulneratus es sicut & nos , nostri simili effectus es.* Detracta est ad inferos superbia tua, & concidit cadaver tuum. Infernus dicitur hic habitates in inferno, & ponitur cōtinens pro contento;

contento: qui occurrerunt conuiciis ad damnatum iniquum regem, & suscitauerunt prouocatione iniquæ voluntatis, gigantes, hoc est, fortes dæmones contra eum: quia placuit eis & rogant ut acrioribus pœnis puniatur. Insuper etiam reges & principes qui nunquam solia pro abusu dignitatis suæ in inferno acceperant, in derisum surrexerunt: & primates nationum, qui primi etiam frequenter sunt in pœnis inferni: responderunt, & dixerunt ei conuiciando, quod fortitudo eius vulnerata & occisa est, & superbia in infima inferni detrusa: & corpus quod multis deliciis excolere consuevit, in' cadauer fœtens cecidit. Nec est contra hoc quod diues sepultus in inferno solicitari videtur de salute fratrum: quia non propter amorem fratrum: sed vt minus ipse arderet, si fratres à criminibus ad quæ ipse eos induxerat, absolucentur: vel vt non sustineret conuicia ipsorum, improporiantum sibi, quod ad vitia docuerat & vulnerauerat ipsos: vel, vt verius dicit Augustinus, hoc compulsus fuit dicere propter exempla viuentium, vt magis credant Scripturæ quam etiam mortuis resurgentibus.

Sexta pœna est præsentia faciei dæmonis perpetua. Sicut enim Sancti assistunt ante faciem Dei: ita damnati vident facies dæmonum, qui eas affligunt in pœnis. Et facies illa describitur in Iob 41. *Sternutatio eius splendor ignis, & oculi eius ut palpebra diluculi. De ore eius lampades procedunt sicut teda ignis accensa. De naribus eius procedit fumus sicut olla succensa, atque feruentis. Halitus eius prunas ardere facit, & flamma de ore eius egreditur. In collo eius morabitur fortitudo, & faciem eius præcedit egestas.* Sternutatio dæmonis est excusio vaporum multiplicatorum in cerebro, & cerebrum machinationes iniquæ sunt. Sternutatio autem quæ egreditur à tali cerebro, est pessimus tonitus malignandi, & est splendor ignis, non à fulgore, sed à terribilitate & crematione: & quia euidens est malitia ipsius. Oculi autem eius quibus aspicit ad malum, sunt magni & rubicundi ut palpebra diluculi quæ sunt rufæ, & significatur ira in intuitu dæmonum: quia iracundi rubescunt oculis. Os autem quo loquitur ad animas emittit lampades: quia incendit animas & cogitationes in malum, & sicut teda fumantes & in igne succensæ ab igne. De naribus autem, hoc est, capite suo, in quo discretio esse deberet, præcedit fumus dementis concupiscentiæ, & furoris irrationalis. Et halitus iniquæ voluntatis, id est, spiritus, facit ardere prunas, hoc est, impios igne infernali succensos: qui tamen sunt terrestres, quia prunæ sunt de natura terrestri ignitæ. Collum autem est ceruicosa superbia ipsius in qua est fortitudo: quia plus audet superba temeritas, quam possit explere. Et egestas omnis boni præcedit faciem eius, quia illi qui sunt ante faciem eius, priuantur omni bono, & implicantur omni malo.


Septima pœna est catenæ stringentes & vrentes & prementes, & illæ catenæ vocantur rudentes inferni à Petro in secunda canon. 2. ubi dicit: *Si Deus angelis peccantibus non percipit, sed rudentibus inferni detraetos in tartarum tradidit cruciandos in iudicium referuari.* Sunt autem catenæ istæ nihil aliud quam viacula

*D. Alberti Magni Lib.de mul. forti.*

spiritualia quibus impij ligantur ad pœnas ex culpis suis, quæ significantur Ierem. 27. *Fac tibi vincula & catenas: & pones eas in collo tuo, & mittes eas ad regem Edom, & ad regem Moab, & ad regem filiorum Amon, & ad regem Tyri, & ad regem Sidonis in manu nuntiorum qui venerunt in Ierusalem, & ad Sedechiam regem Iuda.* Ibi nominantur sex genera hominum quæ vinculari debent in inferno. Edom enim sanguineus interpretatur, & significat illos qui in seculo voluptati carnis deseruunt: & illi sunt præcipue clerici seculares qui delicias carnis sequuntur. Moab autem interpretatur ex patre, & significat malos religiosos qui exempla perditionis præcipue ex patre habent: quia Prælati religionum præ omnibus sunt in concupiscentiæ sepulchris sepulti in deserto religionis. Veruntamen Lot qui declinans interpretatur, genuit Moab ex corrupta filia sua in monte. Mons autem religionis est eminentia in qua Prælati præcipue corrumpunt filias, id est, subditos carnales: quando ex eis generant per exemplum opera perditionis quæ discipuli habent à patre. Amon autem interpretatur populus inutilis, & significat plebeios homines qui etiam fraude & dolo vadunt in barattum. Tyrus autem interpretatur angustia, & significat viuentes in matrimonio malos, de quibus dicit Apostolus, quod *tribulationem carnis habebunt huiusmodi.* Sidon autem interpretatur venatio, & significat nobiles huius mundi, qui sunt robusti venatores pauperum: vnde sunt de genere Nemrod: & etiam cum ipso ligabuntur in pœnis. Rex autem Israel significat hypocritas pallio Dei operatos, qui videntur soli esse reges & magistri in Israel: & tamen propter lupinum cor intrinsecus damnantur & ligantur in pœnis: & ita omnes ligantur mali. De hoc dicitur Bernard. *Horreo vermen non morientem, manuumque ac pedam dira vincula & pondus catenarum prementium, stridentium, vrentium: nec tamen consumentium.*

Octaua pœna est stridor dentium, & nona fletus oculorum: de quibus habetur in Evangelio Matth. 25. *Ligatis manibus & pedibus projicte eum in tenebras exteriores: ibi erit fletus, & stridor dentium.* Nec debet ita intelligi quod oculi emittant lacrymas, quia hoc non erit ibi: sed sic plorabunt amarius. Stridor autem dentium est effectus frigoris.

Decima autem est captiuitas carceris. Vnde Psalm. 56. *Foderunt ante faciem meam foueam, & inciderunt in eam.* Per malum enim exemplum foditur fouea inferni, & incident in eam illi qui malum exemplum dant infirmis.



## C A P. XVII.

## S. I.

Os suum aperuit sapientia, & lex clementia in lingua eius.



**H**E interpretatur exortus, vel eructatio, & secundum hoc alludit sententiae versus: quia in verbis sapientiae eructauit cor suum verbum bonum, & ipsa dicit, & attribuit opera sua regi; & lingua oris sui est calamus scribæ, quo Spiritus sanctus scribit in tabulis cordis carnalibus: & scribit velociter, quia sermo mulieris huius tanto facilius capitur in auditoribus, quanto haec mulier id quod facit probat per opus: quæ etiam regi attribuit, ut viventes opera sua non eam sed patrem qui in cælis est, regem regum glorificant, & laudent mirabilem in Sanctis suis.

Sequitur consideratio sententiae versus, quæ in duobus consistit, scilicet, in apertione oris ad sapientiam, & in lege clementia quæ est in lingua ipsius. Est autem duplex os, scil. os cordis, & os exterius in facie. De vtroq; istorū dicit Dominus Matth. 15. Non quod intrat in os, coiquinat hominem: sed quod procedit ex ore, hoc coiquinat hominem. Et dicit quod ea quæ procedunt ab ore, à corde exirent, vt furtæ, blasphemiae, & huiusmodi. Vbi dicit Augustinus, quod omne peccatum exit ab ore cordis, quod inquinat hominem. Cibus autem intrat per os exterius: & ille non inquinat hominem.

Os autem cordis quinque modis aperitur,  
Considerandæ,  
Addiscendæ,  
Sapientia, scilicet, Meditandæ,  
Gustandæ,  
Alloquendæ.  
Sapientię considerandę aperitur os, quando consideramus per cordis intentionem pulchritudinē sapientię: sicut Sapient. 7. dicitur: Preposui illam regnis & sedibus, id est, thronis: diuitias nihil esse duxi in comparatione illius: nec comparavi illi lapidem pretiosum: quoniam omne aurum in comparatione illius exigua est arena, & tanquam lutum estimabatur argentum in conspectu illius. Item ibidem: Est enim sapientia speciosior sole, & super omnem dispositionem stellarum, luci comparata innenitur prior. Illi enim non succedit nox, sapientiam autem non vincit malitia. Ille enim solus recte aestimat sapientiam, qui nihil in cælo, nihil in terra comparat ei. Sicut dicit Psal. 72. Quid enim mihi est in cælo, & à te quid volui super terram? Et hæc est sapientia Filius Dei, dulcedo cordis, & iubilus mentis, scilicet, Filius Dei, Verbum Patris, & notitia ipsius: quia, sicut dicitur Sapient. 7. Neminem diligit Deus nisi eum qui cum hac sapientia inhabitat.

Secundo aperitur os cordis sapientiae addiscendæ in cognitione & in opere. Vnde Eccli. 24. Qui audit me, non confundetur: qui operantur in me, non peccabunt: qui elucidant me, vitam eternam habebunt. Qui audit ut addiscat, ille non confundetur in errore: quia sapientia reget & dirigit eum. Qui vero operantur in ipsa, ita quod omnia opera sua conforment sapientiae, illi nunquam peccabunt: & qui elucidant eam, hoc est, exempla sapientiae hominibus ut lumen proponunt, illi habebunt vitam æternam. Vnde Iacobi 1. Siquis perspexerit in lege perfectæ libertatis, & permanserit in ea, non auditor obliuiosus factus, sed factor operis: hic beatus in fatto suo erit. Et Sapient. 9. Mitte Domine sapientiam de celis sanctis tuis, & à sede magnitudinis tua: ut mecum sit, & mecum labore: ut sciām quid acceptum sit coram te omni tempore. Quasi diceret: Mitte eam ut addiscam, & deinde sciens eam, secundum lumen ipsius testificem opera: quia sicut dicit Psal. 18. Lucerna pedibus meis verbum tuum, & lumen semitis meis.

Tertio aperitur os sapientiae meditandæ. Est autem meditari, frequenter per interiorem cordis cogitationem super idem conuerti, & ipsum vertere & reuertere in corde, ut menti dulcius & firmius imprimatur. Et de hoc habetur in Psal. 1. In lege Domini fuit voluntas eius, & in lege eius meditabitur die ac nocte. Item Psal. 18. Meditatio cordis mei in conspectu tuo semper. Itē Psal. 118. Meditabor in mandatis tuis quæ dilexi nimis: & leuabo manus meas, id est, opera, ad mandata tua quæ dilexi. Et Sapient. 6. Cogitare de sapientia sensus est consummatus. Et Eccli. 14. Beatus vir qui in sapientia morabitur, & qui in iustitia sua meditabitur, & in sensu cogitabit circumspetionem Dei.

Quarto aperitur os cordis sapientiae gustandæ. Et hoc fit, quando in spiritu saporem sapientiae percipimus. Et de hoc habetur Eccli. 15. Cibabit illum pane vite & intellectus, & aqua sapientia salutaris potabit illum. Et Psal. 80. Cibauit eos ex adipe frumenti, & de petra melle saturauit eos. Et dicitur sapientia adeps frumenti: quia confortat & impinguat cor quoad æternorum saporem. Sed dicitur mel de petra, hoc est, de Christo, (petra autem erat Christus) quia quoad sapere Dei nunquam etiam repletur homo. Et Eccli. 24. Transite ad me omnes qui concupiscitis me, & à generationibus meis implemini. Spiritus enim meus super mel dulcis, & hereditas mea super mel & fauum. Memoria mea in generatione seculorum. Qui edunt me, adhuc esurient: & qui bibunt me, adhuc sitiunt.

Quinto aperitur os sapientiae alloquendæ. Et hoc fit, quando homo sibi & Deo loquitur in corde ut propellatur tedium huius vitæ & viæ qua tendimus ad patriam. Vnde Sapient. 8. Proposui sapientiam adducere mihi ad coniuendum: sciens quoniam mecum communicabit de bonis, & erit alloquutio cogitationis & tedi mei. Et sic legitur Luc. vlt. quod sapientia incarnata resurgens à mortuis coniunxit se discipulis in via. Et ibat cum eis alloquens eos de Scripturis ut societas eius & alloquutio esset eis pro vehiculo. Vnde etiam post discessum eius ab ipsis & cognitionem ipsius, dixerunt: Nonne cor nostrum ardens erat in nobis de Iesu dum loqueretur nobis in via, & aperiret Scripturas. Inde etiam dulcem viæ comitem

tem singentem longius ire coegerunt, dicentes :  
*Mane nobiscum Domine, quoniam aduersus te  
& inclinata est iam dies.*

Os etiam faciei corporalis quinque modis nihilominus sapientiae aperitur, scilicet, in confessione, in oratione, in gratiarum actione, in laude, in prædicatione sive doctrina. In confessione quando homo ex cōsilio sapientiae & ad gloriam ipsius aperit os suum contra se, ut non dimittat confundere se propter Deum: ne confundat eum Deus coram Sanctis & Angelis suis. Et de hoc habetur in Psal. 31. Dixi : *Confitebor aduersum me, & tu remisisti iniquitatem peccati mei.* Et Iosue 7. dixit ad Achan : *Fili mi da gloriam Domino Deo Israel, & confitere, atque indica mihi quod feceris, & ne abscondas.* Adam, inquit, peccans abscondit se & electus est de paradiſo Genes. 3. Vnde Psal. 140. *Ne declines cor meum in verba malitie ad excusandas excusationes in peccatis.* Qui enim abscondit scelera sua excusando non dirigetur, ut dicitur Proverb. 28. Et Isaiae 43. *Ego sum qui deleo iniquitates tuas propter me, & peccatorum tuorum non recordabor.* Et sequitur : *Narra siquid habes ut iustificeris.* Et ibi habet alia litera. *Dic tu iniquitates tuas ut iustificeris.*

In oratione autem aperitur os sapientiae, quando deprecamur sapientiam : ut dimittat quod conscientia metuit, & adjicat quod oratio non praesumit. Et de hoc habetur Matth. 6. *Cum oratis, non eritis sicut hypocrite.* Et ibidem. *Sic ergo vos orabitis : Pater noster, &c.* Item Matth. 7. *Petite, & dabitur vobis.* Item Ioan. 16. *Vtque modo non petitis quicquam in nomine meo : petite, & accipietis, ut gaudium vestrum sit plenum.* Et Luc. 11. dicunt Discipuli ad Christum. *Domine doce nos orare sicut docuit Iohannes discipulos suos.* Et ibi inducit similitudines duas, quomodo oportet semper orare, & non deficere : & vna est viduae interpellantis iudicem qui nec hominem timet nec Deum veretur, tamen propter importunitatem viduae fecit iudicium. Et vidua est quilibet indigens aliquo à Deo, quod debet per orationem impetrare. Licet enim Deus non habeat aliquem superiorum quem timeat : tamen placet ei instantia orationum, & propter instantiam exaudit. Alia similitudo est de homine ad quem venit hospes de via, & non habet panem quem ponat ante eum, & vadit ad amicum qui clausit secum in cubili pueros suos & dormit : pulsat ut aperiat, & accommodet tres panes. Et ille dicit quod non sit sibi molestus : tamen si instanter pulsauerit, surgit, & dat ei quotquot habet necessarios. Nos autem sumus illi ad quos venit hospes Christus de via misericordiae, qua totum mundum perambulat, & non habemus quid ponamus ante ipsum quo in corde nostro nutriatur. Amicus autem noster, est Pater noster qui in celis est, qui est in domo quietis æternæ cum pueris suis, electis Angelis & Sanctis : & licet primo cum petimus, forte nos non sentiamus exaudiiri : tamen postea exaudiemur, si perseveramus pulsantes. Tres autem panes quos petimus quibus in corde nutritur Christus, sunt panis verbi Dei, & panis sacramenti Eucharistiae, & panis lacrymarum in compunctione.

Tertio aperitur os sapientiae in gratiarum actione. Vnde Apostolus 1. ad Theſſal. 5. *In omnibus gratias agite.* Item idem Apostolus 1. ad Co-

rinth. 10. *Sive manducatis, sive bibitis, sive aliud quid faciatis : omnia in gloriam Dei facite.* Et Oleæ ultimo. *Conseruimini ad Dominum, & dicite ei : Omnes aufer iniuriam, & accipe bonum, supple, penitentia : & reddemus vitulos labiorum nostrorum.* Vituli autem labiorum sunt gratiarum actiones, quas debemus pro munib⁹ nobis à Deo impensis. Et Ecclæ. 1. *Ad locum unde exirent, flumina reuertuntur, ut iterum fluant.* Flumina sunt fluenta gratiarum, quæ fluunt à Deo, & refluxere debent in ipsum per gratiarum actionem : ut iterum fluant in nos per gratiarum augmentum. Ergo gratias agamus Domino Deo nostro : quia dignum & iustum est, qui tot & tanta bona nobis impendit, creando, redimendo, educando, conuertendo, gratias ad meritum multiplicando, & promissa vitae nobis certificando per spem, & complendo per rem.

Quarto aperitur os sapientiae laudandæ. Laudamus autem Deum in hymnis, & psalmis, & cantantes & psallentes in cordibus nostris Deo & in melodia vocis, ut iubet Apostolus ad Eph. 5. Vnde Psal. 49. *Sacrificium laudis honorificabit me : & illic iter quo offendam illi salutare Dei.* Super illud dicit Gregor. in originali super Ezechielis primam visionem, quod laus Dei aut impetrat spiritum compunctionis, aut prophetiae. Item Psal. 145. *Lauda anima mea Dominum, laudabo Dominum in vita mea quandiu fuero.* Item. *Laudate Dominum omnes gentes, laudate eum omnes populi.* Item. *Cantate Domino canticum nouum, cantate Domino omnis terra.* Et multa alia sunt in Psalmis. Augustinus etiam in 10. confessio. Bonum verbum dicit de hoc : *Sic delectabar in hymnis & canticis suave sonantis Ecclesia. Voces enim influebant auribus meis, & eliquabatur veritas in cor meum, & fluebant lacrymae, & bene mihi erat cum illis.*

Quinto aperitur os sapientiae prædicandæ & docendæ. Et de hoc habetur Matth. 5. *Et ipse Iesus eleuatis oculis in Discipulos suos, aperiens os suum, docebat eos, dicens.* Ibi dicit Glos. Aperuit os quasi magna loquuturus. Et Job 29. *Oculus fui caco, & pes claudio, scilicet, per prædicationem.* Et Isa. 2. *De Sion exhibit lex, & verbum Domini de Ierusalem.* Sion enim debet esse prædicator per contemplationem, stans in specula : & Ierusalem per actionem, quia opera sua semper respicere debent pacem. Et Job 29. *Qui me audiebant, expectabant sententiam, & intenzi tacebant ad consilium meum.* Et ibidem. *Expectabant me sicut pluianam, & os suum aperiebant quasi ad imbreu serotinum.* Et Sapient. 7. *Multitudo sapientium, sanitas orbis terrarum,* hoc est, multitudo Prædicatorum & Doctorum. Sed notandum est, quod ad hanc ultimam apertione exigitur oris purgatio, ut habetur Isa. 6. vbi dixit Dominus : *Quem mittam? & quis ibit nobis?* Et dixit Isaiae : *Ecce ego, mitte me.* Et antequam offerret se, præcedit qualiter purgatus fuit, cum dicit : *Volauit ad me unius de Seraphim, & in manu eius calculus, quem forcipte tulerat de altari.* Et tetigit os meum, & dixit : *Ecce te igit hoc labia tua, & peccatum tuum mundabitur.* Quod autem peccatum impedit prædicationem, patet per illud quod præcedit : *Venisti, quiata cui, quia vir pollitus labiis ego sum, & in medio populi polluta labia habentis ego habito.* Vir pollitus labiis est prædicator peccator, habitans in medio populi polluta labia habentis, ut exemplar per-

uerionis eorum: qui tot animarum (vt dicit Gregorius) rei sunt, quot ad infernos perditionis exemplo transiunt tunc. Seraphim qui interpretatur totus ardens, est ignis diuini amoris qui purgandum succedit: & calculo penitentia eius tangit, & emundat ipsum à peccatis labiorum, id est, à prædicatione polluta, emundando vitam.

## §. I I.

**S**equitur de secunda parte versiculi. *Et lex clementiae in lingua eius.* Lingua animæ duplex est, scilicet, cordis, & oris. Cordis autem lingua duplex est, scilicet, lingua deuotionis, & lingua desiderij. Dicit enim Gregorius super Job, quod Sanctorum lingua qua loquuntur ad Dominum, sunt desideria eorum. Vnde Psal. 37. *Domine ante te omne desiderium meum, & gemitus meus à te non est absconditus.* Quasi diceret. Desiderium meum loquitur tibi ea quæ sunt in corde meo. Vnde alibi. *Desiderium pauperum exaudiuit Dominus, preparationes cordis eorum andauit auris tua.* Si ergo desiderium auditur, tunc desiderium format voces & verba, & sic est lingua. Beatus autem Bernardus dicit, quod deuotio lingua beatorum & sanctorum est. Vnde Psal. 136. *Adhæreat lingua mea fauibus meis, si non meminero tui,* scilicet, Ierusalem. *Si non proposuero Ierusalem in principio letitiae meæ.* Omnis enim nostra deuotio est in recordatione cœlestis pacis, & securitatis ciuium æternorum.

De lingua autem oris habetur in Psalm. 36. *Os iusti meditabitur sapientiam, & lingua eius loquetur iudicium.* Lex Dei eius in corde ipsius & non supplantabuntur gressus eius. Et tangit Psalm. ibi quatuor. Primum est cum meditatione sapientiam proponere, vt scilicet sapientiam loquatur inter sapientes perfectos, & hoc sapienter, vt spiritualia spiritualibus comparentur. Secundum est, quod cum iudicio loquatur eam. Iudicium autem illud intelligitur de iudicio discretionis, vt scilicet aliter superbis, aliter castis, aliter continentibus, & sic de aliis, aliter & aliter. Tertium est, quod quando proponit sermonem legis, ante perfecta scientia debet esse in corde: quia sicut dicit Gloss. super epistolam Iacobi, *Impossibile est ut ignorans legem, non offendat verbo in predicando vel docendo.* Quartum autem & ultimum est, vt gressus operum eius nullo vito supplantentur.

In lingua autem cordis secundum duas linguas est duplex lex clementiae, id est, lex inclinans ad clementiam Dominum ipsum. Linguæ enim illæ significantur per linguas igneas quæ apparuerunt super Apostolos in aduentu Spiritus sancti Act. 2. Et in desiderio quidem est ignea lex charitatis quæ est iugum suave & onus non grauans, sed alleuians ea quæ sine lege ista grauia videbentur. Et de hac lege habetur Deut. 33. *In dextera eius ignea lex.* Et hæc est lex Christi quam Matth. 12. vocat iugum suave & onus leue, quod debemus tollere super nos. In lingua vero deuotionis est lex mandatorum Dei: quia ad præcepta & consilia deuouimus nosipso: de qua habetur Eccli. 24. *Legem mandauit Moyses in præceptis instiarnam.* Et Ioan. 1. *Lex per Moysen data est,*

*gratia & veritas per Iesum Christum facta est.*

In lingua vero corporis & oris est lex clementiae ad prouocantes animum eius, de qua dicit Tullius in fine primæ rhetorica suæ. *Clementia est per quam animi temere in odium alicuius inuenitionis concitati retinentur.* Et de hac habetur in Prouerb. 11. *Clementia preparabit vitam & seclationem mortem.* Et hæc est virga clementiae quam extendit summus rex prouocatus à nobis ad peccatores, quæ significatur per virgam clementiae Aſueri Esther 5. qui interpretatur beatus: de qua virga supra loquuti sumus.



## C A P. XVIII.

## §. I.

x

Considerauit semitas domus suæ, & panem otiosa non comedit.



**N**SCRIPTIO versus istius est litera *S A D E*, quæ interpretatur venatio. Est autem venatio perniciosa, & venatio otiosa, & venatio bona.

Venatio perniciosa est triplex { Venatio Lamech,  
Venatio Nemrod,  
Venatio Sidonis.

Venatio Lamech est in concupiscentia & ira. Vnde primus ex libidine bigamiam induxit, & venatus fuit sibi duas vxores, Odam, & Sellam: quæ significant gulam, & luxuriam: quas venantur hi qui ambulant in carne. Iræ autem fuit etiam sua venatio: quia occidit virum in vulnera, & adolescentem in liuore vulneris. Cain enim occidit sagitta, & iuuenem qui duxit eum occidit percussione arcus, & ita per liuorem: quia lignum arcus non vulnerauit, sed liuorem induxit. Similiter irati venantur per iram duo, scilicet, occisionem Cain, de quo præcepit Dominus ut non occideretur Genet. 4. quia spiritualiter occidunt peccatorem, vulnerantes eum sagittis malorum verborum per vituperia & maledictiones & impropria. Et adolescentem, hoc est quemlibet fortem in hoc mundo occidunt in liuore, hoc est, per odium & inuidiam: quia illa sunt arcus dolosus, ex quo curuato procedunt spicula maledictionum & increpationum & corrivationum huius mundi.

Venatio autem Nemrod est venatio potentum huius mundi, quæ fit opprimendo, rapiendo, prædando: & illo modo quem vocant petitiones: tamen potius exactiones appellantur. Et de hac dicitur Eccli. 13. *Venatio leonis onager in eremo.* Sic & pascua diuitium sunt pauperes.

Venatio autem Sidonis est venatio auarorum, quæ expletur fraude circumuenientium se in negotiis, & dolis deceptionum, & furtis, & vñoris, & huiusmodi. Et hæc est venatio aranearium, quæ euiscerant se humore sibi naturali, vt capiant muscas, hoc est, temporalia huius mundi.

Venatio vero otiosa est venatio Esau, propter quam amisit benedictionem patris, cum nimis

distra-

distraheretur in illa. Et hęc est venatio vana, qua occupantur tædiosi circa Deum & diuina in caputra ceruorum, & altillum, & huiusmodi : de quibus dicitur Baruch. 3. *Vbi sunt principes Gentium, & qui dominantur super bestias que sunt super terram ? qui in anib[us] celi ludunt, qui argentum thesaurizant & aurum in quo confidunt homines, & non est finis acquisitionis eorum ? qui argentum fabricant & solliciti sunt, nec est inuentio operum illorum ? exterminati sunt, & ad inferos descenderunt, & alij loco eorum exurexerunt.*

Venatio autem bona est venatio Petri & Apostolorum, qui facti sunt à Domino pescatores hominum, vt promittitur eis Matth. 4. *Venite post me, faciam vos fieri pescatores hominum.* Et secundum hoc interpretatio respondet versu[m] cum inscribitur hęc litera. Circumeundo enim semitas venatur domus suæ custodiam mulier ista, fugiendo autem otium venatur panis abūdantiam: quæ duo continentur in versu[m].

*Considerauit semitas, &c.* Duo, vt dictum est, continentur in hoc versu[m], scilicet, domus custodia, & meritum panis : quia per laborem pane[m] meretur. Circa primum notantur tria, scilicet, quæ consideratio sit qua considerat domum, & quæ sint semitas, & qualiter domus sit ædificata.

Consideratio autem *Discussionis,*  
est triplex, scilicet, *Circumspectionis,*  
*Inspectionis.*

*Discussionis :* quia omnes vias suas & semitas discutit, sicut docet Ierem. 6. *State super vias vestras, & videte & interrogate de semitis antiquis que sit via bona, & ambulate in ea, & inuenietis refrigerium animabus vestris.* Stat enim mulier hęc super vias suas discutiendo, & interrogat de semitis in exemplis patrum: sciens quia est via quæ videtur homini recta, & nouissima eius ducunt ad mortem. Vnde discutiendo scit eligere bonum, & reprobare malum.

Considerat etiam circumspiciendo, hoc est, omnia pérícula reuoluendo ad futurum cauta ex consideratione præteriti, & in præsenti secura ex præmeditatione omnium suorum operum : quia ipsa omnia facit cum consilio, & ideo post factum non pœnitentib[us] Eccli. 32. Vnde mulier hęc significatur per *onagrum liberum* : quia libera est à curvis carnis, & ideo *clamorem exactoris non audit*, id est, ventris, de quo onagro habetur Job 39. quod *circunficit montes pascue sue & virentia quaque perquirit*. Montes autem pascuae, sunt alta consilia Dei in quibus pascit se implendo ea. Virentia quæque, sunt omnia quæ iuant ad bona opera, vt bona colloquia, bonæ societates, & huiusmodi : & illa omnia perquirit, eo quod in omnibus est circunspecta & prouida.

Inspicit autem continuo bona sua vt lucem fulgentem: quia sicut dicitur Proverb. 4. *In foro autem semita quasi lux splendens & crescens usque ad perfellum diem.* Inspicit autem non vt ille Phariseus qui dixit Lyc. 18. *Gratias tibi ago Domine, quia non sum sicut ceteri hominum, raptore, iniusti, adulteri: velut etiam hic publicanus.* Sed inspicit vt multiplicet & gratias agat & in ipsis permaneat : sicut habetur Eccli. 27. *Homo sensatus in sapientia manet sicut sol: nam stultus sicut luna mutatur.*

Sequitur quæ sint semitas. Habet autem semitas ad facundiām eius.

Semitę voluntatis mariti sunt quadruplices, scilicet,	Præceptum, Consilium, Opus supererogationis, Sanctorum desideriorum ad Deum.
--	---

Semita præcepti diuiditur in decem, vt patet Exod. 20. quorum tria pertinent ad Deum, scilicet, *Dominus Deus tuus, Deus unus est: non erunt tibi di alij.* Et in hoc præcepto continetur totum quod est de fide Trinitatis & unitatis. Secundum est: *Non assumes nomen Dei tui in vanum*, scilicet, in falsa & peruersa iuratione in quo condemnatur omnis periurus. *Volumen enim volans*, de quo habetur Zach. 5. id est, sententia condemnationis, *veniet ad domum furis, & ad domum iuraniis in nomine Dei mendaciter.* Tertium: *Memento ut diem sabbati sanctifices.* Sabbatum autem est requies, & requies cordis nostri non est sancta nisi in Deo, vt scilicet in nullo contra Deum cor nostrum requiescat: quia aliter polluimus sabbatum quod relinquitur populo Dei. Hinc etiam in Ecclesia constitutæ sunt feriae in quibus populus vacans ab operibus seruilibus infirmitatis vita huīus, corde consurgat in quietem quæ in Deo est, & discat in idipsum redire, & delectari in Domino, vt det ei petitiones cordis. Septem alia pertinent ad proximum, quorum unum solum est affirmatum, scilicet, *Honora parentes ut sis longe unus super terram*: in quo præcipitur nobis vt omnem honorem & adiutorium, quæ possumus impendere proximo qui parentis nomine significatur, non negligamus. Ad Rom. 12. *Qui docet in doctrina, qui preceps in sollicitudine, qui exhortatur in exhortando, qui miseretur in hilaritate.* Et exhibemus superioribus reuerentiam & obedientiam, æqualibus socialem vitam & iucundam, inferioribus autem misericordiam. Quintum præceptum est: *Non occides*; in quo prohibetur nobis vt per iram & odium & rancorem nec factis nec verbis aliquem percutiamus vel ledamus in persona. Sextum: *Non macaberis*; in quo nobis omnis illicitus concubitus prohibetur, & peccatum omne quod contra naturam vocatur. Septimum est: *Non furtum facies*; in quo prohibetur omnis illicitus quæstus, vt usura secundum omnes species suas, & rapina, & exactiones illicitæ, & deceptions in contractibus. Octauum est: *Non falsum testimonium dices*; in quo prohibetur mendacium & loqui in corde & corde, & omnis fraus quæ proximo potest fieri in verbis: verba enim debent esse testimonium veritatis in corde. Nonum est: *Non concupisces uxarem proximi tui*; in quo prohibetur immunditia cordis propter quosdam qui continent corpore, sed non corde. Decimum est: *Non concupisces rem proximi tui*; in quo prohibetur avaritia cordis, quæ non procedit ad actum exterius. De his semitis habetur Isa. 2. *Venite, ascendamus ad montem Domini, & ad dominum Dei Iacob, & docebit nos vias suas, & ambulabimus in semitis eius.* Et in Psal. 24. *Vias tuas Domine demonstra mihi, & semitas tuas edoce me.* Semitas consiliorum Dei inueniuntur hinc inde diuidi in octo capita. Et habetur de eis Matthæi 5. vbi primo ponit primum consilium, dicens: *Beati pauperes spiritu: quoniam ipsorum est regnum celorum.* Præceptum enim quod est ante hoc consilium, habetur in Psal. 61. *Divitiae si affluant,*

*fluant, nolite cor apponere.* Præceptum enim est ut diuitiae subijcantur, sicut dixit Petrus gloriando ad Christum Matth. 19. *Ecce nos reliquimus omnia, & sequuti sumus te.* Sunt enim pauperes spiritu, pauperes spiritualiter actu & voluntate, Christum pauperem & peregrinum pauperes & peregrini sequentes. Secundum est: *Beati mites: quoniam ipsi possidebunt terram.* Est autem imititas quæ nec alienis iniuriis irritatur & prouocatur, nec irritat & prouocat alium. Et præceptum quod est ante hoc consilium, est ut non occidamus vel lèdamus aliquem. Tertium consilium est: *Beati qui lugent: quoniam ipsi consolabuntur.* Et intelligitur de luctu duplice, scilicet, pro peccatis, & incolatu misericordie: pro peccatis autem suis & aliorum. Quartum consilium est: *Beati qui esurunt & sitiunt iustitiam: quoniam ipsi saturabuntur.* Et intelligitur de iustitia quæ omnia ponit in debito decenti, scilicet, ut corpus habeat quod suum est, & anima quod suum, & reddamus Prælati quod suum: ut verificetur in nobis quod dicit Dominus Matth. 22. *Reddite quæ sunt Caesaris, Caesar: & quæ sunt Dei, Deo.* Quintum est: *Beati misericordes: quoniam ipsi misericordiam consequentur.* Et intelligitur de misericordia in pauperes, quando etiam deuote tribuitur pauperibus: et si non potest exhiberi opere, saltem tribuiatur corde. Sextum est: *Beati mundo corde: quoniam ipsi Deum videbunt.* Et consulitur nobis hic ut cor à vitiis purgemuim, & occupationibus, & curis huius vitæ: ut agamus sabbatum Dei in quo videtur Deus per gustum æternæ requiei. Septimum est: *Beati pacifici: quoniam filii Dei vocabuntur.* Et intelligitur de his qui pacem faciunt inter se & proximum, & inter conscientiam suam & concupiscentiam suam, & inter se & Deum. Hæc enim est pax temporis, & pax peccatoris, & pax æternitatis. Octauum est: *Beati qui persequitionem patiuntur propter iustitiam: quoniam ipsorum est regnum calorum.* Licet omnis Christianus ex præcepto debeat confiteri nomen Christi cum requiritur: tamen aliud est de his qui circumferunt Christum, & quasi ultra offerunt se periculo persequitionis, ut dicitur hic. Et de his semitis habetur Proverb. 4. *Dirige semitas pedibus tuis, & omnes via tua stabilientur.* Et Isa. 26. *Semita iusti recta est, rectus callis iusti ad ambulandum.* Et est hic iusti neutri generis: vel si quis velit ipsum esse masculini generis, tunc supponit Christum qui in his semitis fuit nobis exemplum.

Semita supererogationis diuiditur in tria: quia supererogatur verbum à Doctoribus, & supererogatur opus, & supererogatur id quod in cura fit ultra debitum. Verbum supererogatur, quando supra id quod habemus à Sanctis, sententiæ veritatis ad stabilimentum fidei & eruditionem bonorum morum excogitantur. Et hoc significatur Luc. 10, ubi legitur, quod Samaritanus vulneratum ducens in stabulum protulit duos denarios & dedit stabulario, id est, duo testamenta dedit Christus, verus custos animæ, pastoribus Ecclesiæ: adiungens, quod siquid supererogauerit, cum redierit ad iudicium reddet ei. Idem Luc. 19, dicitur: Hæc enim est pecunia Domini quæ cum usuris & non sola exigitur à nobis: & damnatur qui non dar eam ad menum numulariorum.

De supererogatione autem laboris vel operis habetur Act. 20. *Argentum & aurum aut vestem nullius concupini sicut ipsi fecit: quoniam ad ea quæ mihi opus erant & his qui mecum erant, ministrauerunt manus istæ.* Poterat enim qui altari participabat, de altari viuere. 1. ad Corinth. 9. Et qui Euangelium annuntiabat, de Euangelio viuere: sed non fecit ne aliquod offendiculum apud auaros daret Euangelio Christi. Simile habetur de Samuele 1. Reg. 12. *Loquimini de me coram Domino, & coram Christo eius, virum bonum cuiusquam tulerim, aut asinum, si quempiam calumniatus sum, si oppressi aliquem, si de manu cuiusquam munus accepi, & contemnam illud hodie, restituamque vobis.* Simile etiam dicit Moyses de se Num. 16. *Tu scis quia nec asellum quidem unquam acceperim ab eis, nec affixerim quempianorum.*

De supererogatione autem curæ intelligitur officium & nomen Episcopi. Vnde etiam Episcopus superintendens interpretatur: quia supra debitum etiam debuit intendere & impendere gregi sibi commissio: sicut loquitur Dominus Michæl. 6. *Popule meus quid feci tibi, aut quid molestus fui tibi? responde mihi. Quia eduxi te de terra Ægypti, & de domo seruientium liberavi te: & misi ante faciem tuam Moysen, & Aaron, & Miriam?* Populus meus est populus Domini, cui pastor super exhibitionem sacramentorum & prædicationem fidei & morum, supererogare debet tria. Per sacramenta enim educit de Ægypto peccatorum: sed per prædicationem fidei & morum liberat de domo seruientium, id est, de seruilibus operibus, cum docet virtutes & fidem. Et supereroganda sunt tria, scilicet, exemplum, & oratio cum sacrificio, & amara pœnitentia pro peccatis ouium suarum. Exemplum inuenitur in Moysi qui dux fuit & auriga populi Dei in his quæ ad Deum pertinent. Per Aaron autem notatur oratio & sacrificium pro populo: quia ille Sacerdos constitutus est, ut offerret dona & sacrificia pro his qui ignorant & errant. Maria autem interpretatur amarum mare: quia non habemus pontificem qui non possit compari infirmitatibus nostris, sed tentationes & peccata populi deflet & deplangit tanquam sunt sua Hebr. 4. Tunc enim sunt regale sacerdotium in regendo auctoritate & exemplo 1. Pet. 2. Gens autem sancta in oblatione orationis & sacrificij sacrosancti. Populus autem acquisitionis per gemitum & planctum quo acquirunt peccatores. Genus vero electum præcedet in eis per introitum: quia iusta electione debent intrare, non sumendo sibi honorem, sed prius electi ab aliis ad onus. De his semitis habetur Iob 28. ubi dicitur de malis Prælati: *Semitam ignoravit anus, nec intuitus est oculos vulturis.* Avis dicitur Christus qui volavit in cælum: & vultur etiam dicitur, quia longe vidit, hæc enim dicitur esse proprietas vulturis quod longe videt. Et huiusmodi avis semitam ignorat, qui ad similitudinem eius gregem sibi commissum non pascit. Oculos autem vulturis non intuetur, qui non longe ante præuidet populi Dei periculum & tentationes ut succurrat.

Semita desideriorum sunt viæ cordis ad Deum, quæ semita multæ sunt. Per quot enim desideria ad Dominum ascendimus, tot sunt viæ harum

harum semitarum. Et de his habetur Isaiae 26.  
*In semita iudiciorum tuorum Domine sustinuimus te: nomen tuum & memorale tuum in desiderio anime.*

Sequitur de domo. Quia autem supra quadruplicem domum distinximus, scilicet, superiorem, inferiorem, interiorem, & exteriorem: ne iterum eadem repetere videamur, hic alias quatuor domus ædificabimus, scilicet,

Domum	Castris, Claustris, Aestiuam, Hyemalem.
-------	--

Domus castri mansio securitatis, est sita in monte altissimo virtutum, de quo habetur in Psal. 23. *Quis ascendet in montem Domini, aut quis stabit in loco sancto eius? Innocens manibus & mundo corde: qui non accepit in vano animam suam, nec iuravit in dolo proximo suo.* Hic est mons Dei, mons sanctus, & mons Dei Thabor, qui interpretatur veniens lumen, in quo transfiguratus in virum alterum cernitur Dominus Matth. 17.

Munitur autem fossato huius nostræ mortalitatis. Mortalitatis enim huius miseria ad hoc prodest Sanctis, quod non delectantur in mundo: vnde Iob 3. *Gaudent vehementer cum inuenient sepulchrum.* Et loquitur de viris sanctis qui gaudent habendo munitionem contra diabolum, sepulchrum mortalitatis huius: confidentes quia certitudo mortis tutat à superbia, & replet timore Dei. Habet etiam castrum istud murum protectionis Dei, sicut dicitur in Psal. 90. *Qui habitat in adiutorio Altissimi, in protectione Dei cali commorabitur.*

Antemurale autem est custodia Angelorum, sicut dicit Psal. 90. *Angelis suis mandauit de te, ut custodian te in omnibus viis tuis.* Turrim autem habet humilitatis: & hæc est turris Dauid, de qua legitur Cantic. 4. quod *edificata est cum propugnaculis: mille clypei pendent ex ea, omnis armatura fortium.* Propugnacula veræ humilitatis sunt quatuor, quæ notantur in duabus versibus:

*Spernere mundum, spernere nullum, spernere se se, Spernere se sperni: quatuor hæc bona sunt.*

Humilitas autem dicitur turris: quia est profunda. Et dicit Philosophus quod altum & profundum sunt idem. Clypei autem mille sunt infinita exempla Sanctorum de humilitate. Afmatura autem fortium sunt pugnæ Sanctorum quibus superbiam destruxerunt.

Hoc castrum figuratur in Luc. 10. vbi dicitur, quod *intravit Iesus in quaddam castellum: & mulier quædam Martha nomine exceptit illum in dominum suum: & huic erat soror nomine Maria.* Martha enim est vita actiua, & Maria vita contemplativa: quæ in hoc castro Christo obsequuntur. Ipse autem intrat in castrum: quia tutus est sub turri humilitatis. In hac domo mulier habet vigiles in propugnaculis, defensores in turribus, & milites in muris. Vigiles sunt prouidentiæ quas habet in prouidendis periculis: sicut præcipit Petrus 1. Pet. 5. *Sobri estote & vigilate: quia aduersarius vester diabolus tanquam leo rugiens, circuit querens quem deuoret: cui resistite fortes in fide.* Custodes sunt duo: timor, & amor. Timor enim facit fugere malum, & amor confortat in bono. Timor bonus est custos in hoc quod excludit

inimicos. Amor autem custos est bonus in ho<sup>e</sup> quod intus nutrit amicos. Et de his habetu<sup>r</sup> Isa. 62. *Super muros tuos Ierusalem constitui custodes: totu die & tota nocte non tacebunt laudare nomen Domini.* Timor enim laudat in die: quia includit lucida. Milites autem sunt pugnæ contra tentationes: sicut dicitur Iob 7. *Militia est vita hominis super terram.* De hoc castro sic munito habetur Isa. 26. *Vrbs fortitudinis nostra Sion Salvator: ponetur in ea murus, & antemurale.*

Domus autem claustræ est secundo loco ædificanda. Hæc igitur est obedientia quæ est Bethania, quæ domus obedientiæ interpretatur, in qua sæpissime fuit Iesus cum sua familia, habens oratorium orationis Isa. 56. *Holocausta eorum & victimæ eorum placebunt mihi super altari meo: quia domus mea domus orationis vocabitur.* Et in Evangelio Matth. 21. scriptum est: *Quia domus Patris mei domus orationis est.* Et Augustinus in regula. *In oratorio nemo aliquid agat nisi ad quod factum est, unde & nomen accepit.* Et illud idem dicit Glossa super Ioannem.

Habet secundo refectorium lectionis: vnde August. in regula. *Non in solo pane vivit homo, sed in omni verbo quod procedit de ore Dei.* Et Amos 8. *Ecce dies venient, dicit Dominus, & mittam famem in terram: non famem panis nec sitiim aquæ, sed audiendi verbum Dei.*

Habet tertio dormitorium contemplationis & quietis: vnde Iob 3. vbi maledixit dei peccati, quia priuabat eum contemplatione æternorum, subdit dicens: *Nunc enim dormiens filerem, & somno meo requiescerem cum regibus & consulibus terra qui edificant sibi solitudines: aut cum principibus qui possident aurum, & replent domos suas argento.* Silet enim dormiens in contemplatione à rumoribus huius mundi, & quiescit in somno somnians æterna: quiescit à labore incolatus miseria huius cum regibus qui regunt seipso, & consulibus terræ qui aliis dant consilia perfectionis quæ hauriunt in contemplatione: & cum principibus qui æterna desiderant, quæ sunt prima, & ideo possident aurum, hoc est, fulgorem sapientiæ diuinæ, & replent domos cordis sui argento eloquentiæ in sono prædicationis, & ædificant sibi solitudines in conscientiæ secreto. In isto dormitorio immittit Dominus saporem in Adam, & tollit costam, & facit inde mulierem. Adam enim homo interpretatur. Costa autem, quæ iuxta cor sumitur, dura est, & significat duritiam huius vitæ quæ iuxta cor hominis radicatur: ædificatur autem in mulierem fœcundam quando fit ista contemplatio quæ fœcunda est in gaudiis æternorum bonorum, licet in huius vitæ laboribus sterilis inueniatur.

Quarto habet capitulum confessionis, vbi accusantur & emendantur peruerfa: vnde Isa. 38. *Recognabo tibi omnes annos meos in amaritudine animæ meæ.* Et Psal. 31. *Dixi: Confitebor aduersum me iniustiam meam Domino: & tu remisisti iniquitatem peccati mei.*

Quinto habet lauatorium satisfactionis: vnde Isa. 1. *Lauamini, mundi estote, auferete malum cogitationum vestrarum ab oculis meis, quiescite agere, peruerse, discite benefacere.* Et Ioan. 9. de cæco nato. *Vade ad natatoria Siloe, quod interpretatur missus.* Quia missus est pœnitens ad Prælatum qui iniunget satisfactionem. Item Naaman dictum est,

est, quod lauaret septies in Iordanis, & reciperet sanitatem caro sua, & mundaretur 4. Reg. 5. Lepronus enim est qui in peccatis est. Et Iordanis est satisfactio: quia Iordanis descensus humilis interpretatur. Septies autem lauat, qui cum verecundia peccati, & lacrymis, & ieiunio, & oratione, & eleemosyna, & vigiliis, & disciplinis satisfacit. Hæc enim sunt septem ablutiones ipsius.

Sexto est infirmitaria compassionis: vnde Roman. 14. *Infirmum in fide assumite, & non in disceptationibus cogitationum.* Et Hebr. 13. *Menentore vinctorum tanquam simul vincit, & laborantium tanquam & ipsi in corpore morantes.* Hæc infirmitaria significatur per porticum piscinæ probaticæ, in qua iacebat languentium multitudo, vt legitur Ioan. 5.

<i>Et sunt quinque porti us, compas-</i> <i>nis quinque affectus</i>	<i>Condolere dolentibus,</i> <i>Consolari tristes,</i> <i>Fouere infirmos,</i> <i>Sustinere impatientiam</i> <i>laborantium,</i> <i>Adiuuare debiles.</i>
---	--

Septimo autem est ibi promptuarium sive celarium memorie & meditationis: vnde Psal. 147. *Promptuaria eorum plena, eructantia ex hoc in illud.* Quia de memoria & meditatione, omni poscenti rationem parati debent esse reddere eam de ea quæ in ipsis est fide & spe 1. Pet. 3.

Octauo autem est etiam coquina studij & doctrinæ: quia in studio & doctrina omnia inciduntur in partes, & decoquuntur, & coniunctur in sapore dulcem & competentem: vnde in visione ultima Ezechielis, inter alia ædificia domus vidit etiam coquinas. Et hæc etiam coquina significatur per pastoforia quæ ædificabantur in atriis domus Domini, vt habetur 1. Machab. 4.

Nono habet portam charitatis quam omnibus bonis aperit, & dat aditum: vnde Genes. 24. loquitur charitas: *In gratia benedictæ Domini, cur foris stas? preparavi domum & locum camelis tuis.* Vnde etiam Genes. 28. dixit Iacob: *Non est hic aliud nisi domus Dei, & porta celi.* Et sic est adhuc, vbi charitas inuenitur in porta claustrorum.

Decimo habet hospitium misericordiæ, vt dicit Apostolus ad Philemonem: *Gaudium magnum habui & consolationem in charitate tua: quia viscera Sanctorum requieuerunt per te frater.* Et infra in eadem epistola: *Simul & para mihi hospitium.* Et ad Hebr. 13. *Hospitalitatem nolite oblinisci: per hanc enim placuerunt quidam, Angelis hospitio receptis.*

Vndecimo habet huiusmodi domus loquutorium prædicationis: vnde Cantic. 2. *Sonet vox tua in auribus meis: vox enim tua dulcis, & facies tua decora.* Et Psal. 44. *Speciosus forma pra filiis hominum, diffusa est gratia in labiis tuis: propterea benedixit te Deus in eternum.*

Duodecimo est ibi sentina pœnitentiæ, in qua deponimus omnia in nobis corrupta: sicut dicitur Michææ vlt. *Deponet omnes iniquitates nostras, & projiciet in profundum maris omnia peccata nostra.*

Tredecimo est ibi schola disciplinæ: sicut dicit Apostolus ad Hebr. 12. *Omnis quidem disciplina in presenti non videtur esse gaudij, sed mœroris: postea autem exercitatis per eam, fructum pacatissimum reddet iusticie.*

Quartodecimo habet ambitum exteriorem

religionis, vnde hominem claudentis: vnde Augustinus in regula. *In incessu, statu, & habitu vestro nihil fiat quod cuiusquam offendat aspectum, sed quod vestram deceat sanctitatem.* Et Cantic. 5. *Dilectus meus candidus & rubicundus, electus ex millibus.* Candidus enim est castitate, & rubicundus charitate: sed electus ex millibus religione interiori & exteriori: vnde etiam dicit de ipso quod totus est desiderabilis.

Quintodecimo habet peribulum interiorem per quatuor virtutes cardinales in quadrum ædificatum: quarum virtutum parietem unum habet prudentia, habens columnas septem, scilicet, sapientiam, scientiam, consilium, intellectum, prouidentiam, memoriam, & soleritatem: sapientiam de gusto diuinorum, scientiam de dispositione mundanorum, consilium de beneplacito Dei, intellectum de eloquiis sanctis, prouidentiam de futuris periculis, memoriam de præteritis, soleritatem autem de hominum versutiis. Et his quasi septem columnis ædificatur & sustentatur paries prudentiae qui primus est.

Secundum parietem interius tenet iustitia, habens & ipsa columnas septem excisas ipsis sapientiae manu. Columna prima est ad superiorum præcepta obedientia. Secunda vero, ad Deum theosebia, quæ nihil aliud est quam cultus Deo debitus, quæ etiam latria nuncupatur. Tertia est in iudicando rectitudo sive veritas iudicij sine acceptione personarum. Quarta vero, ad pares societas. Quinta, ad inferiores misericordia. Sexta autem, humilitas. Et septima, reuerentia ad omnes qui in gradu dignitatis sunt constituti.

Tertium parietem ædificat & protrahit temperantia, habens & ipsa columnas septem quibus innititur: quarum prima est continentia. Secunda, parsimonia in gusto. Tertia, modestia modum statuens interius & exterius. Quarta vero, silentium moderatum. Quinta, blandicia. Sexta, benevolentia sive benignitas. Septima & ultima, pietatis affectus liqueficens ad omnes.

Quartum iterum parietem protendit fortitudo innixa columnis septem, scilicet, patientiae in aduersis, longanimitati in sustinendo, magnificencie in ambitu cordis magnifici, securitati in vincendo, confidentie in aggrediendo ardua, fiducie in auxilio Dei, & perseverantie in fine tribulationis. Et hæc domus est quam ædificauit sapientia excidens in ea columnas septem ad quodlibet latus: vt habetur Proverb. 7. Et in Apocal. 21. dicitur, quod cœlestis Ierusalem ædificata est per quadrum.

Habet autem vir huius mulieris Christus, totam familiam suam in domo ista quæ Bethania dicitur. Vbi enim Maria contemplatur, vbi contemplanti Martha ministrando turbatur & sollicita est circa plurima: vbi actiui discipuli audiunt docentem vt studentes: Iesus sedet vt docens, Simon & Lazarus recumbunt vt iucunde refecti epulis gratiarum internæ cōsolationis. Vbi etiam Iudas furatur, & significantur proprietati per iudam, & murmurantes contra obedientiam per Simeonem qui & obediens interpretatur: in hac etiam domo Dominus tanquam dispensator familiæ huius mulieris, vt paterfamilias omnia opera sua familiarius & abundantius ostendit. Hic enim curat Mariam à septem dæmonibus, hoc est,

hoc est, animam peccatricem à septem vitiis capitalibus. Martham autem à fluxu sanguinis, vt dicit Ambros. hoc est, fluxum carnis constringit per continentiam. Mundat etiam Simonem à lepra, hoc est, incurabili morbo ab homine, sed à Deo tantum curabili, qui totum corpus corrumpit & commaculat, hoc est, à peccato consuetudinis malæ. Et reprehendit Phariseum indignantem de curatione peccatricis Luc. 7. hoc est, confutat superstitiones, alios semper iudicantes & indignatione animi plenos ad facta aliorum. Hic etiam suscitat quatriduanum, hoc est, desperatum fætatem in peccatis. Primo enim die iacuit, quando consensum adhibuit ad peccatum. Secundo autem, quando compleuit in opere. Tertio vero, quando accessit consuetudo. Quarto insuper, quando etiam fœtebat desperatione: vnde etiam Dominus fleuit super eum, & spiritu infremuit Ioan. 11. notans in hoc difficultatem resuscitandi ad vitam. Hic etiam loquitur ad turbas, & vox Patris clarificans eum est audita. Loquutio enim ad turbas est auditus laudis quo turbæ in claustris admirantur. Vox autem Patris clarificans Filium est fama claustralium celebris. Hic nihilominus vnguntur pedes, scilicet, misericordiæ, & veritatis: quibus omne cor perambulat vnguento pœnitentiæ. Et vngitur caput diuinitatis eius, vnde omne bonum descendit, vnguento deuotionis & gratiarum actionis. Et notandum quod hæc omnia secundum Euangeliū completa sunt in Bethania, quæ domus obedientiæ interpretatur, & significat claustrum, vt dictum est.

Sequitur de domo æstiua. Domus autem hæc habet deambulatorium, & viridarium: in quibus hæc mulier ab æstu refrigeretur. Habet etiam fontem in viridario. De viridario & fonte simul habetur Daniel. 13. vbi legitur quod Ioachim vir Susanna erat diues: & erat ei pomerium coniunctum domui suæ. Et infra in eodem cap. legitur, quod ingressa est Susanna in pomerium sicut heri & nudiustertius, voluitque lauari in pomerio: æstus quippe erat. Est autem nihil aliud domus æstiua, nisi prosperitas huius mundi, quæ quandoque arridet huic mulieri: vnde etiam in ista non habitat, sed deambulat, & deambulatorium ipsius est dilatatio quedam cordis in huius mundi prosperis. Et ideo etiam qui sedet in hac domo suscipiens munera, & impinguatur deliciis, Eglon scilicet, à nuntio Domini, scilicet, Aioth interficitur. Sic enim legitur Iudic. 3. quod Eglon cum interficitur ab Aioth, sedebat in æstiuo cœnaculo, & erat pinguis valde. Viridarium autem coniunctum domui in quo etiam refrigerium capit, sunt virentes & florentes amici, scilicet, quod infantes exultant lusibus, & nepotes & propinqui florent ut quedam arbores. Fons autem quo lauatur à sudoribus in hac domo contractis, est fons sacramenti pœnitentiæ & confessionis: vnde etiam in hac, & viridario, & domo Susanna de crimine accusatur, & per industriam Danielis eripitur: quia vix huius mundi prospera quis habere poterit sine peccato, vel nota peccati. Et nisi Daniel, hoc est, sermo diuinus, eripiat: lapidabitur verbis durissimis Job 21. qui dicit: Ducunt in bonis dies suos, & in puncto ad inferna descendunt.

Sequitur de domo hyemali. Et hæc est aduersitas, *D. Alberti Magni Lib.de mul. forti.*

sitas, habens æstuarium impatientiæ, in quo continuo crematur ignis iræ in fornace illata iniuria. Vnde in hac domo Ioachim rex Iudæ scidit librum verborum Domini & combussum in igne. Legitur enim Ierem. 36. quod rex sedet in domo hyemali in mense nono, & posita erat arula coram eo plena prunis: & ibi verba Domini combussum. Domus hyemalis, vt dictum est, aduersitas est. Mensis autem nonus, est recens illata iniuria: quia in recenti molesta ira magis feruet. Verba autem Domini sunt verba quibus præcipitur ut reddamus Domino vindictam, illatas nobis iniurias per patientiam tolerantes. Sed hæc verba scinduntur, quando quidem audiuntur studiose, sed opere non implentur: tales enim scindunt verbum ab efficacia, quam consequi in ipsis debent. Has autem duas domus habet mulier hæc ad probationem, non ad mansionem: sciens quod dicit Propheta Amos 3. Percutiam domum hyemalem cum domo æstiua: & peribunt domus eburneæ, & dissipabuntur ædes multæ, dicit Dominus.

### §. II.


**S**equitur, *Et panem otiosa non comedit.* Hic nondum est, quod panis nihil aliud est quam refectio. Est autem quadruplex otium, scilicet, lasciuia, pigritia, signavia, & festiuantium. Primum habet paucum, sed imminutum, sicut dicitur Ezech. 4. quod comedent filii Israel panem suum pollutum inter Gentes, hoc est, quando conuertuntur ad lasciuias Gentium. Secundum autem non habet panem, nec debet habere. Tertium non habet panem, sed debet habere. Quartum non habet panem, quem tamen credit habere. Vnde omnibus his modis mulier hæc panem otiosa non comedit. De primo otio habetur 2. ad Thesalon. 3. *Ipsi scitis quemadmodum oporteat imitari nos. Quoniam non inquieti fuimus inter vos, neque gravis panem manducavimus ab aliquo, sed in labore & fatigacione, nocte ac die operantes: ne quem vestrum grauaremus.* Item ibidem. *Cum essemus apud vos hoc denuntiabamus vobis: Quoniam si quis non vult operari, nec manducet. Audiuiimus enim inter vos quosdam ambulantes in quiete, nihil operantes, sed curiose agentes. His autem qui eiusmodi sunt, denuntiamus & obsecramus in Domino Iesu Christo: ut cum silentio operantes, suum panem manducent.*

De otio autem pigritiæ quod non habet panem, nec est ratio quare debeat habere, legitur Prouerb. 6. *Vade ad fornicam o piger, & considera vias eius, & disce sapientiam, id est, prouidentiam: que cum non habeat ducem, nec preceptorem, nec principem, parat in aestate cibum sibi, & congregat in messe quod comedat.* Item ibidem. *Visquequo piger dormies, quando consurges a somno tuo? Paululum dormies, paululum dormitabis, paululum conseres manus tuas ut dormias: & veniet tibi tanquam viator egestas, & pauperies quasi vir armatus.* Si vero impiger fueris, veniet ut fons messis tua, & egestas longe fugiet a te. Item Prouerb. 13. *Vult & non vult piger: anima autem operantium impinguabitur.* Item Prouerb. 18. *Pigrum deicxit timor: anima autem effeminatorum esurient.* Item Prouerb. 19. *H Pigredo*

*Pigredo immittit saporem: & anima dissipata esfuerit.* Et istæ duæ vltimæ auctoritates tangunt vtrunque otium, scilicet, primum, & secundum. De pigritia vero per se habetur Proverb. 20. *Propter frigus piger arare noluit: mendicabit ergo estate, & non dabitur illi.* Item Proverb. 21. *Cogitationes robusti semper in abundantia: omnis autem piger in egestate est.* Et ibidem. *Desideria occidunt pigrum: noluerunt enim quicquam manus eius operari.* Item Proverb. 22. *Dicit piger: Leo est foris, in medio platearum occidendum sum.*

De otio autem ignauiae quod non habet panem: sed tamen deberet habere, eo quod habeat instrumenta operandi, ut exhibeat se ad opus, sed nescit se applicare ad operabilia, habetur in Euangeli Matth. 20. *Quid hic statim rotunda die otiosi?* Ipsi enim non fuerunt pighi: quia exierant ad opus in instrumentis suis, sed ne scierunt se applicare: & de hoc intelligitur hoc quod habetur Proverb. 28. *Qui operatur terram suam, satiabitur panibus: qui autem sectatur otium, replebitur egestate.* Eccli. 33. *Multam malitiam docuit otiositas: in opera constitue seruum tuum: sic enim condecet illum.*

De otio autem festivantium, quod non habet panem gratiae, quem tamen credit habere, habetur Isa. 1. *Kalendas vestras & solennitates vestras odiuit anima mea, facta sunt mihi molesta, laboravi sustinens.* Kalendæ sunt festum nouæ lunæ, & significant otium quorundam falsè contemplantium, qui semper volunt esse in otio, & nunquam in labore, dicentes hoc quod habetur in Ioan. 6. *Volumus operari cibum qui non perit.* Et de ipsis habetur Thren. 1. *Viderunt eam hostes, & deriserunt sabbata eius.* Et Amos 5. *Ausfer a me tumultum carminum tuorum: & canica lyra tua non audiatur.* Vnde etiam hoc est significatum 1. Machab. 2. vbi legitur quod feriantibus Iudeis, occisi sunt decem millia, eo quod non operabantur in decem præceptis decalogi. Vnde etiam à Matharia præceptum est quod pugnarent agendo viriliter contra omnes mouentes sibi bellum etiam in die sabbatorum.



## C A P. X I X.

### S. I.

P

Surrexerunt filii eius, & beatissimam prædicauerunt: vir eius, & laudauit eam.

I c notandum primo est qualiter epigramma versui respondeat. Interpretatur enim C O P H conclusio, & notatur in hac litera vltima pars tractatus de muliere forti. Omnia enim quæ dicta sunt de ipsa concluduntur in quadruplici laude ipsius, quæ

quadruplex laus habetur in quatuor versibus qui adhuc restant. Nam in hoc versu ponuntur laudantes idonei: in sequenti autem laudatur à diuitiis, in tertio autem à forma & pulchritudine, in vltimo autem ab operibus: & sic in quatuor laus ipsius concluditur. Huic autem versui præcipue hoc epigramma præponitur: quia mulieris huius præcipua ac specialis laus est in ore filiorum & mariti, qui eam & familiarius noscunt, & affectuosius extollunt.

*Surrexerunt, &c.* Duo notantur in versu, scilicet, prædicatio filiorum, & laus viri. Circa primum notanda sunt tria. Primum, quid sint filii. Secundum, qualiter surgunt. Tertium, qualiter beatissimam prædicant matrem. Circa primum nota quod sicut Iacob duas vxores habuit liberas, scilicet, Liam, & Rachel: & duas ancillas, scilicet, Balam, & Zelpham: ita Christus in anima vna fideli quæ fortis mulier vocatur, habet quatuor partes fœcundas, ex quibus duodecim filios ex benedicto semine progenitos educit, in laudem & extollentiam matri. Lia igitur, quæ laboriosa interpretatur, lippa est oculis Gen. 29. sed fœcunda: minus dilecta, sed prius marito copulata: non promissa, sed tamen exhibita: vita actiua est quæ tota in illa parte animæ fundatur, quæ liberum arbitrium nuncupatur. Hæc enim lippa est in agendis, quia ignorat homo finem operis sui: fœcunda tamen est in operibus bonis. Minus autem dilecta est, eo quod non est in desiderio, sed potius quies contemplationis æternæ totum obtinet nostrum desiderium, vt pote pro qua Iacob, magnus luctator, in labore seruuit septem annis, hoc est, perfecta reuolutione septem virtutum: sed tamen marito prius copulatur, quia nisi Christus nobis coniungatur vt in labore formosi efficiamur in merito, contemplationis speciem non poterimus obtinere: vnde etiam oportuit quod Iacob dies copulae Liæ ante celebraret quam Rachel sibi exhiberetur. Hæc etiam est quæ non promittitur, eo quod in illa retributionis nostræ merces non est, sed potius per illam ad mercedem contemplationis peruenimus: quia in loco nostro, hoc est, in via vitæ huius, non est consuetudinis vt iuniores prius copulentur: sed potius antiquior, hoc est, actiua labor quam contemplatiæ solatium prius nobis committitur.

Rachel enim videns principium interpretatur, & significat contemplationem æterni principij & omnium eorum quæ sunt creata: vt dicitur Ioan. 1. *Omnia per ipsum facta sunt, & sine ipso factum est nihil.* Hæc autem contemplatio præcipue in intellectu animæ fidelis, Christo marito coniungitur. Balam autem ancillam Racheli pater assignat, quæ Bala interpretatur absorta, & significat hominis imaginationem sue virtutem imaginariam, quæ secundum Augustinum, est vis mente rationali inferior, in qua imprimuntur imagines rerum sensibilium à Deo creatarum: & hæc subseruit Racheli, quia intellectus hominis veritatem æternæ contemplationis frequenter haurit in imaginibus vestigij & speculi creaturarum, secundum quod dicitur in Psal. 18. *Celi enarrant gloriam Dei, & opera manuum eius annuntiat*

*annuntiat firmamentum.* Et Job 9. Inducens creaturas excellentiores indicantes increatam veritatem intellectui hominis, sic dicit: *Qui precipit soli, & non oritur: & stellas claudit quasi sub signaculo. Qui extendit celos solus, & gradit super fluctus maris. Qui facit Arcturum, & Orionem, & hyadas, & interiora Austris. Qui facit magna, & incomprehensibilia, & mirabilia, quorum non est numerus.* Item Job 12. Inducit creaturas debiliores ad eius Creatoris notitiam, dicens: *Interrogavit uidentia, & docebunt te: & volatilia celi, & indicabunt tibi. Loquere terre, & respondebit tibi, & narrabunt pisces maris. Quis ignorat quod omnia haec manus Domini fecerit, in cuius manu anima omnis viuentis, & spiritus uniuersa carnis hominis?* Sic etiam Bala spiritui mariti coniungitur, quando spiritus septem & septem boues Pharaoni ostenduntur in imagine corpore Gene. 41. Sed intellectus spiritui copulatur, quando limpidae veritatis præfigia intellectu Ioseph hoc prædicuntur. Sed Bala Racheli seruuit: quia in quibus figuris & imaginibus Ioseph per hæc futura lucidæ veritatis exprimeret, imaginatio per imagines ministravit. Idem etiam in somno Nabuchodonosor de statua Dan. 2. quam Daniel per intellectualem visionem expressit, & ad oculum exterius articulos manus scribentis in pariete in imagine vidit, Danielis 5. Sed Daniel per intellectum in ipsis sententiam æternæ veritatis manifestauit. Et in una anima Daniel in somnis quatuor bestias & quatuor ventos in mari pugnantes conspexit per imaginariam virtutem: sed intellectu quatuor reges regnum in ipsis imaginibus in visione intellexit. Similiter poenas ad oculum exterius imaginariae per ollam succensam vidit, & ex illo quasi subseruiente succendendam Ierusalem per intellectum cognoscens lucida veritate prædicauit. Sic ergo Bala Racheli subseruit: quia imaginaria intellectu in quibus veritatem conspiciat, imagines rerum anteponit.

Lia vero quæ actua est vita & in libero arbitrio posita, Zelpham pro ancilla à patre sortita est, quæ Zelpha os hians interpretatur, & voluntatem operantem significat, quæ etiam libero arbitrio subministrat: quia quicquid liberum præcipit arbitrium, ad hoc implendum quasi ore aperto voluntas se offert. Habet etiam os hians ad præcipiendum concupiscibili omnibus membris corporis: ut dominæ suæ, hoc est, libero animo, in omnibus obedient. Hoc etiam patet in Abra Iudith vidua, quæ, ut legitur Iudith 10. sola orans Dominum cum Abra sua transiuit per portas ad occidendum Holofernem, id est, diabolum. Portæ autem sunt sensus per quos liberum arbitrium cum ancilla, scilicet, voluntate, continuo transit in ornato virtutum, interficiens dia-bolum & amputans caput eius, hoc est, primum motum. Vnde etiam legitur Iudith 13. quod cum Judith occidit Holofernem, exiuit & tradidit caput Holofernii ancillæ suæ, & iussit ut mitteret illud in peram suam: quia cum liberum arbitrium per liberum dissensum à peccati tentatione dia-bolo caput amputauit: postea exit, quando voluntatem excitat ut caput primi motus serpentis in peram memorie recipiat: ut ad presbyteros Ecclesie reportet

D. Alberti Magni Lib. de mul. forti.

per confessionem: quia etiam primum motum voluntas sine confessione non dimittit in Sanctis.

Istæ quatuor partes mulieris fortis ex semi-ne Iacob gratos Dei filios in laudem matris concipiunt & pariunt. Et primo parit quæ prius coniungitur, scilicet, liberum arbitrium in vita actua. Est igitur primogenitus ipsius Lia Ruben, qui visio interpretatur, matre dicente in ortu eius: *Vidit Dominus humilitatem meam, nunc amabit me vir meus.* Significat autem hic filius cognitionem & prudentiam agendorum, quæ prima exigitur in vita actua: quia nisi sciatur solerter eligere bona, & reprobare mala: nec bonum nec bene poterit agere. In hoc autem filio vidit Dominus opprobrium Lia, & humilitatem lippitudinis eius: quia ante prudentiam agendorum ita est lippa ut sit etiam in oculis mariti despecta, quando scilicet imprudens & præceps est in opere.

Rursum autem parit Simeon, qui interpretatur auditus, matre dicente dum pareret: *Quoniam vidit me Dominus haberi contemptui, dedit etiam ipsum mihi.* Significat autem iste auditum obedientiæ: sicut dicitur in Psalm. 44. *Audi filia, & vide, & inclina aurem tuam.* Quia licet aliquis prudentiam habeat de agendis: tamen adhuc contemptus est, nisi etiam hunc generet filium, qui est obedientiæ mandatorum.

Tertio iterum Lia per gratiam concepit & genuit alium filium: dixitque: *Nunc quoque copulabitur mihi maritus meus, eo quod pepererim ei tres filios:* & idcirco appellavit nomen eius Leui, qui interpretatur additus, vel auctus: quia post obedientiam mandatorum, quæ necessaria est ad salutem, per voluntarium votum additur impletio consiliorum: ut iam non tantum faciat opera necessitatis, sed insuper etiam implete consilia perfectionis: sicut est illud Matth. 19. *Si vis perfectus esse, vade, vende omnia que habes, & da pauperibus: & veni, sequere me.* Et ideo mater secura de dilectione mariti, ad hunc filium dixit, quod deinceps copularetur ei maritus, eo quod tertio iam desideratam prolem marito protrulisset.

Quarto concepit, & peperit filium, & ait: *Modo confitebor Domino: & ob hoc vocauit nomen eius Iudam,* qui interpretatur confitens, vel glorificans, & significat gratiarum actionem de omnibus bonis perceptis. Postea enim quam vidit se prudentem in agendis, obedientem in præceptis, & voluntariam in consilijs, gratias agit Dominus: quas gratias sterilis agere nescit, eo quod unde regratietur Domino in unus conceptionis non accepit. Et hoc notatur in verbo parientis, cum dicit: *Modo confitebor Domino,* hoc est, confessione laudis & gratiarum actione, virum animæ Deum, de semine cuius venit quicquid iucunditatis habeo in filiis, extollam, & magnificabo eum in laude quæ placet Deo super vitulum nouellum cornua producentem & vngulas, hoc est, super iucunditatem animæ novellæ, quæ iam infæcunda adhuc primo producit cornua virtutum quibus ventilatur dia-bulus, & vngulas rigoris disciplinae quibus concupiscentia huius mundi conculcatur.

H 2 Post

Post hunc autem filium actiua vita, videlicet, Lia ad tempus parere desinit: dans etiam locum amplexum ipsi contemplanti, quæ inuidens a simulatione optima forori de tanta fôbolis fecunditate, dixit marito: *Da mihi liberos, alioquin moriar.* Ac si diceret. Tanta multitudine filiorum ditata sum in actione, magno desiderio flagro etiam experiri filiorum iucunditatem in contemplatione: præcipue cum iam non possit mihi obijci quod fructu suspirat ad contemplationis quietem, qui non laborauit in agro actionis: quia in actiua iam peperi quatuor filios.

Sed notandum valde est, quod Lia parit ante ancillam suam: quia oportet exerceri in actiua antequam veniatur ad voluntatis desiderium, quam voluntatem diximus esse ancillam Lia, hoc est, actiuae vita seruientem. Sed nullo modo prius illuminatur intellectus in contemplatione, nisi prius imagines rerum per speculum & ænigma colligat in imaginaria, quam ancillam Rachelis supra diffiniuimus. Exhibit igitur Rachel marito ancillam Balam; quæ ingresso ad se marito conceperit & peperit filium: & dixit Rachel, Indicanuit mihi Dominus, & exaudiuit vocem meā dans mihi filium: & idcirco vocavit nomen eius Dan, qui interpretatur iudicium rationis quod de Deo habemus per vestigium & imaginem creaturarum: per quod iudicium iudicauit, hoc est, discreuit nos Dominus, exaudiens vocem nostrā, ne simus sicut equus & mulus in quibus non est intellectus: ne scilicet illis cōparemur, de quibus dicit Apostolus ad Rom. 1. *Quia cum cognouissent Deum, non sicut Deum glorificauerunt, aut gratias egerunt.* Et ibidem. *Invisibilitas Dei per ea que facta sunt, intellecta conspicuntur.* Item ibidem. *Quod notum est Dei, manifestum est in illis: Deus enim illis manifestauit.* Et Sapient. 13. *A magnitudine enim speciei & creature cognoscibliter poterit Creator horum intelligi.* Et Eccles. 42. *Cognovit Dominus omnem scientiam, id est, cognoscere fecit per naturas rerum, & insperxit in signum aui, annuntians que præterierunt & que superuentura sunt, reuelans vestigia occultorum.*

Rursum autem Bala concepit & peperit dicente Rachel: *Comparauit me Dominus cum sorore mea, & in ualui, vacauitque eum Nephthali.* Genes. 30. Nephthali interpretatur latitudo, & significat latitudinem admirationis in altitudine sapientiae, sua occulta homini reuelantis: super quam excludat Apostolus ad Rom. 11. *O altitudo dñitiarum sapientie & scientie Dei! quam incomprehensibilia sunt iudicia eius, & inuestigabiles via eius!* Vnde & hunc filium Rachel, licet de ancilla in ænigmate natum, tantum existimat ut se comparatam suæ forori dicat: quia gaudium huius admirationis uilitati actionis comparatur, sic sentiens dilata-tam in admiratione ut vanos reputet omnes homines in quibus non est scientia Dei: ut dicitur Sapient. 13.

Sed Lia, hoc est actiua vita, sentiens quod parere desisset, infecundam se cernens in operibus: quia maritus nimis occupatur in Rachelis ancillæ amplexibus propter dulcedinem admirationis, Zelpham ancillam suam, hoc est, voluntatem, marito tradidit. Qua post conceptum edente filium, dixit: *Feliciter:* & idcirco vocavit nomen eius Gad, qui interpretatur felicitas vel felix, & significat summum statum & perfectum virtutis: quem tunc

homo in actione comprehendit, quando dulcedinem contemplationis in admiratione mentis cognoscit & percipit. Felicitas enim secundum Philosophos est status secundum virtutem animi perfectus.

*Peperit quoque Zelpha alterum, dixique Lia: Hoc pro beatitudine mea: beatam quippe me dicent omnes mulieres: properea appellauit eum Aser,* qui interpretatur beatus, & significat zelum de conuerione animarum: & bene post præcedentem nascitur, quia post statum perfectum virtutis in se, exardescere debet zelus ad lucrum aliorum, sicut dixit Dominus: *Zelus dominus tuus comedit me.* Et bene dicit, quod hoc pro beatitudine sua: quia nullum omnium operum sic deo placet ut zelus animarum: hoc enim Dominus in mundo quæsivit & exercuit, ut animæ conuerterentur: & hoc discipulis agendum reliquit, cum dixit: *Messis quidem multa: operari autem pauci, Rogate ergo Dominum messis ut mittat operarios in messem suam Matth. 9. & Iacob. 5. Scire debet quoniam quis conuerterit peccatorem ab errore via sue, salvabit animam eius à morte, & operiet multititudinem peccatorum suorum.* Vnde bene subdit, quod beatam eam dicent omnes mulieres: quia scilicet omnes animæ conuersæ illam animam beatam prædicant, per quam à peccatis & ab inferno liberantur.

Deinde etiam ipsa Lia per seipsum iteratam fecunditatem accipit: egrediens enim in agrum Scripturæ Ruben reperit mandragoras, hoc est, veritatis sententias, quas matri Lia, prudentiæ scilicet domum reportauit, per memoriam retinens quod aliis in prædicatione effunderet: quas Rachel, id est, contemplativa cernens, desiderio dicitur ad mandragoras: sicut semper in veritate Scripturarum efficere cōsueuerunt contemplatiui: & ut gustum habeat mandragoræ permittit sociari maritum Lia, quæ concepit & peperit filium, dicens: *Dedit Deus mercedem mihi: quia dedi ancillam meam viro meo:* & ideo vocavit eum Issachar, qui merces vel vir mercedis interpretatur, & significat officium prædicationis in cura animarum. Ancilla enim ab an quod est circum, & cilleo es dicitur: quia circummouetur eius voluntas in omnibus Domini mandatis secundum perfectum statum virtutum in se, & zelum animarum in proximo. Et ideo mercedem accipit officium & curam prædicationis: ut euram Deo exhibitan remuneratam & retributam sentiat in conuersione peccantium. Labor enim prædicationis mercedem accipit conuersiōne peccatorum: & ideo vir mercedis Dei dicitur, vel etiam merces: quia dupli talis gaudet mercede in patria, sicut ipse duplex est in merito: meretur enim in se & meretur in alio: & ideo mercedem habet in se, & in altero: sicut dicit Apostolus de illis quos ipse conuertit, quod sunt gaudium suum & corona sua in Domino. Hunc autem filium pro mandragoris, id est, sententiis in agro Scripturæ collectis emit: quia per illas sententias animas peccatorum quasi redimit à potestate mundi & diaboli.

Post hunc iterū Lia cōcīpit & parit filiu[m] dicens: *Dotauit Deus dote bona: etiam hac vice tecum erit maritus meus, eo quod genuerim ei sex filios:* & ideo vocavit nomen eius Zabulon, qui habitaculū fortitudinis interpretatur, & significat fortitudinem

Doctoris,

Doctoris, qui constanter se offert murum pro domo Israel: & hec est constantia in passionibus pro grege sibocommissio. Et bene dicit mater: *Dotauit me Deus dote bona*: quia hic est ultimus gradus perfectionis in vita actiuia: & cum ipsa erit maritus suus tanto iucundius, quanto ipse se pro grege moriobulit: ut mortem ab ouibus expelleret, & morti corporaliter succubuit ut nos spiritualiter à morte redimeret.

Post omnes autem hos filios filiam peperit nomine Dinam, pro cuius generatione Dominum non benedixit: quia haec mollitiem carnis quæ Prælatis insidiatur significat: vnde iudicium interpretatur, quo iudicio carnalia de se iudicant: haec enim filia vaga, quietis impatiens, egreditur per campos licentiae: ut videret mulieres regionis huius mundi, & sic exposita sit fax & incendium libidinis, & occasio mortis Sichimitarum, & causa maledictionis fratrum eius: quod postea declarabitur.

Tandem recordatus est Dominus Rachelis quod nec per se nec per ancillam pareret, & aperuit vulvam eius: & concepit & peperit filium, dicens: *Abstulit Deus opprobrium meum, & vocauit nomen eius Ioseph*, dicens: *Addat mihi Dominus filium alterum*. Ioseph autem interpretatur accrescens, & significat illuminationem intellectus quæ semper crescit usque in perfectum diem æternitatis. Vnde etiam in illo opprobrium intellectus tollitur: quia ad quod natus est videre incipit, cuius visionem per opprobrium peccati perdidit. Ioseph autem nato statim Iacob ad patriam redire desiderat. Sed per pretium ouium retinetur ad tempus: quia cum per illuminacionem intellectus Deus & cælestia cognoscuntur, statim homo desiderat dissolui, & esse cum Christo. Sed quandoque necessarium est permanere in carne propter fratres, & ampliora merita quæ per oves significantur. Tandem tamen recedit à Laban non salutato: & tunc etiam Rachel idola patris auferens, opprobrium marito suscitat: quia cum à mundo querit quis per contemplationem recedere, Rachel, id est, contemplatio, in idolis, id est, in imaginibus huius mundi sic afficitur, ut nequaquam valeat ea à se excludere: & cum quæruntur idola, absconduntur sub strumentis camelii, quæ nihil aliud quam infirmitatem huius vitæ significant, quæ nihil de aeterna veritate fine idolis & similitudinibus videre potest. Dicit enim Rachel quod menstrua patitur, & sic à facto excusat, cum terrenorum assert similitudines: quia in illo defectu est creatus quasi menstruosa superfluitate.

Sed jam existens in terra præmissionis peperit filium: in ortu cuius mortua est, vocans eum Benjamin, hoc est, filium doloris mei: cui pater nomen mutans, vocauit eum filium dextræ, id est, Benjamin: & hoc significat excessum mentis in lumine, qui non nascitur in mundo, sed ultra mundum: quia non videbit Deum homo & vivet hac humana vita, ut dicitur Exod. 33. Moritur autem in parte mater contemplatio: quia viribus suis destituitur nesciens qua virtute & ratione intellectus in incircumscripsum lumen rapitur. Et vocatur filius doloris à matre: quia cum multo dolore ad talem statum peruenitur, & cito receditur. Est autem à patre vocatus filius dextræ: quia sine dubio talis mutatio est dextræ Excelsi,

*D. Alberti Magni Lib. de mul. forti.*

cum homo rapitur ad visionem Angelorum in tertium cælū cum Paulo, & audit arcana reuelationis Dei quæ non licet homini loqui 2. Cor. 12. Vnde Ps. 67. *Bējamin adolescētulus in mētis excessus.*

Sequitur qualiter filij isti surrexerunt. Surrexerunt autem cum benedictiones à patre & à legislatore Moysè acceperunt. Dixit igitur Iacob Gen. 49. de Ruben: *Ruben primogenitus meus, tu fortitudo mea & principium doloris mei, prior in donis, maior in imperio, effusus es sicut aqua, non crescas: quia ascendisti cubile patris tui, & maculasti stratum eius.* Et in istis verbis non tangitur nisi maledictio & exprobratio: & per hoc innuit duplex cognitio agendorum, quarum una sic cognoscit bonum ut non faciat illud: sic autem cognoscit malum ut offerat illud imaginationi ad temptationem. Vnde etiam arguitur Ruben quod dormiuit cum Bala, ancilla Rachelis, concubina patris sui. Quia cum prudenter aliquis mala vivenda cognoscit, cordis imaginationi offert in temptationem, & stratum patris commaculat: quia cum in huius mundi rebus veritatem conspicere deberet, abutitur ipsa in libidinosam delectationem. Vnde cum sit primogenitus & deberet esse maior in donis, & natus est in robore patris: effunditur per libidinem rerum huius mundi, sicut aqua. Et ideo optat pater ne in hoc crescat, sed decrebat: quia per temptationem sensualitatis maculat stratum patris.

Sed legislator Moyses aliam cognitionem quæ malum reprobat & bonum eligit, considerans: Ruben sic benedicit Deut. 33. *Vivat Ruben & non moriatur, & sit parvus in numero.* Vivere enim debet, quia ea quæ sunt ad vitam debet eligere: & non debet mori per concupiscentiam mali quod agnoscit. Parvus autem esse debet in numero: quia non debet esse nimis prudens, sed prudentię suę ponat modū: sicut dicit Apostolus ad Rom. 12. *Dico omnibus qui sunt inter vos, non plus sapere quam oportet sapere, sed sapere ad sobrietatem.* Vnde etiam dicit Philosophus, quod melius est quedam vilia nescire. Et Iacob 4. *Prudensia carnis inimica est Deo.*

De Simeon autem & Leui dixit pater Gen. 49. *Simeon & Leui fratres: vasa iniquitatis bellaria. In consilium eorum non veniat anima mea, & in cœtu illorum non sit gloria mea: quia in furore suo occiderunt virum, & in voluntate sua suffoderunt murum. Maledictus furor eorum, quia pertinax: & indignatio eorum, quia dura: dividam eos in Iacob, & dispergam eos in Israël.* Hæc quoque in multis est maledictio. Supra enim diximus Simeon, qui auditus interpretatur, obedientiam præcepti significare. Leui autem qui dicitur auctus, diximus ante quod significet impletionem consilij. Dina autem propter quam occisio & bellum facta est, interpretatur iudicium istud, hoc est, iudicium de lascivis huius mundi, quibus inharent omnes mundane viventes: sed postea cum occidi hæc concupiscentia deberet per obedientiam præcepti & votum consilij, furore indiscreto frementes fratres isti consurgunt, & virum occidunt, hoc est, naturam cum hoste quandoque perimunt, & murum suffodiunt, id est, corpus quod per membra ut lapides quosdam est colligatum, indiscreta abstinentia suffodiunt. Et indignatio hæc dura est & maledicta: quia odiosum facit patrem filijs Chanaan, id est, filijs mundi:

H 3 quæ

quia videntes mundani homines tantam austrietatem, à proposito pœnitendi resiliunt, & permanent in peccatis. Diuidunt tamen isti in Iacob, id est, inter milites Christi computantur ut luctatores; & disperguntur in Israel, hoc est, viventes Deum: quia Deum habentes præ oculis, omnia hæc faciunt, licet irrationaliter sit obsequium eorum. Et nota quod isti primo Sichimitas ad circumcisionem inducunt, id est, peccatores ad pœnitentiam, ut circumcidant ab eis peccatum, & fœdere coniungantur populo Dei. Sed die tertio quando grauissimus vulnerum dolor est, ipsos occidunt: quia prima dies est contritio, secunda confessio, quam bene sustinent: sed tercua dies est satisfactio, & in illa grauissime affliguntur, & ideo gladio indiscretionis obedientiae & voti perimuntur, & ideo in cœtu illorum non est gloria Iacob, neque voluntas in consilio eorum.

Sed tamen quia quidam omnia hæc discrete perficiunt: sic hostem perientes ut viuificant circumcisionem ciuem, & fœderatum sibi sanctificatione Domini: ideo Moyses indifferenter dicit de Leui: *Perfœctio tua, & doctrina tua à viro sancto tuo, quem probasti in tentatione, & indicasti ad aquas contradictionis.* Qui dixit patri suo, & matri sua, *Nescio vos: & fratribus suis, Ignoro illos: & nescierunt filios suos.* Hi custodierunt eloquium tuum, & paclum tuum seruauerunt, iudicia tua à Iacob, & legem tuam à Israel: ponent thymiana in furore tuo, & holocausta super altare tuum. Benedic Domine foritudinem eius, & opera manuum illius suscipe. Percute dorsa inimicorum eius: & qui oderunt eum, non confurgant. Et notantur plura de his qui habent super se votum perfectionis consiliorum. Primum pertinet ad imitationem Christi: quia Christus est vir sanctus, à quo est perfectio vitæ eorum: & doctrina, quia didicerunt ab ipso: & tentauerunt illum fidelem ad aquas contradictionis, hoc est, ad refrigerium paupertatis, cui pene ab omnibus contradicitur. Tentauerunt autem, id est, probauerunt ibi Christum fidelem: quia non permittit ipsis aliquid deficere de necessariis ad salutem: sicut dicit Psal. 36. Iunior fui, etenim senui; & non vidi iustum derelictum, nec semen eius quærens panem. Isti enim deferunt patrem & matrem & sorores & filios propter Christum: & hoc est secundum, custodientes paclum Dei quod pepigit cum dixit Matth. 10. Qui plus diligit patrem & matrem aut filios aut fratres quam me, non est me dignus. Tertio autem laudantur & benedicuntur: quia in furore populi, hoc est, in ira Dei ad populum, isti contra Dominum thymiana orationis ponunt: quia Dominus nedium pro se, imo etiam pro aliis illos facilius exaudit: quia & ipsi plus aliis pro Domino reliquerunt, adhærentes sibi in operibus perfectionis: & holocausta quæ tota incendebantur, ponunt super altare misericordia Dei: quia seipso in corpore & anima incendunt igne charitatis propter Deum: in corpore incendentes se per votum continentiae & abstinentiae, in anima autem per votum perfectæ obedientiae, etiam consiliorum impletionem libenter præceptis adjiciendo: & in utroque per votum paupertatis. Et ideo hæc fortitudo eorum qua hæc possunt, benedicuntur quarto loco, & opera eorum grataanter accipiuntur ad remunerandum. Quinto vero

dorsa inimicorum quibus eis vexationes appetant, percutiuntur, dum in tentatione proficiunt: & qui oderunt eos dæmones, non consurgunt super eos in gaudio quod consentiant eis in peccatis. Et hæc benedictio simul intelligitur esse Simeon & Leui: quia aliter Simeon à Moysi non benedicitur.

Deinde pater dicit de Iuda: *Iuda te laudabunt fratres tui: manus tua in ceruicibus inimicorum tuorum, adorabunt te filii patris tui. Catulus leonis Iuda: ad prædam fili ascendisti: requiescens accubisti ut leo, & quasi leæna, quis suscitabit eum?* Non auferetur sceptrum de Iuda, & dux de semore eius: donec veniat qui mittendus est, & ipse erit expectatio Genitum. Ligans ad vineam pullum suum, & ad vitem ò fili mi asinam suam. Lanabit in vino stolam suam, & in sanguine vine pallium suum. Pulchriores sunt oculi eius vino, & dentes eius lacte candidiores. Iudam supra gratias agentem esse diximus. Et benedicuntur gratiarum actio in sex in quibus benedictam facit animam. Primum horum in laude fratrum: sunt enim animæ fratres ipsi Angeli qui tales animam laudant, quæ corde ore & opere gratias agit: sicut Apostolus ad Ephes. 5. præcipit, dicens: *In omnibus gratias agite.*

Secundo benedicuntur in victoria inimicorum: sic enim iuxta Euangelium Matth. 18. Ingratitudo serui nequam facit sibi imputari debitum dimissum. Gratiarum actio exultabit de victoria inimicorum, hoc est, daemonum, non sinens redire peccatum.

Tertio benedicuntur in adoratione filiorum matris suæ: & intelligitur de filiis qui seniores sunt: quia scilicet Ruben & Simeon & Leui ipsum adorant, dum gratiam illis in cognitione & prudentia agendorum, conseruatione voti & obedientiae datam, iste filius confitendo & laudando & gratias agendo conseruat & multiplicat: ne propter ingratitudinem amittatur.

Quarto benedicuntur in præda, & prædæ possessione. Hæc autem præda nihil aliud est nisi quasi per raptum violentum acceptio gratiæ: quia gratiarum actio quasi per vim à largitate & pietate Dei gratiam accipit, & acceptam multiplicat, & multiplicatam conseruat. Vnde dicitur etiam quod ut leo in gratia requiescit, & sicut leæna quæ fortior leone esse dicitur, quem suscitare ad peccatum & tentationem diabolus non audet. Quia qui sic gratiam accipit ut ingratus largitori gratiæ per peccatum sit, suscitatur ad temptationem & peccatum à diabolo: quod ille non patitur qui continuo corde, ore, & opere gratias agit: corde per deuotionem, ore per laudes & beneficij memorationem, & opere per obsequium: sic enim nullus datur locus suscitationibus diaboli. Et ideo subditur, quod sceptrum dignitatis gratiæ adhuc non auferetur, donec veniat qui mittendus est, hoc est, Christus glorificator animæ in die mortis cum remunerari habet: ille enim qui tunc venit ut animam glorificet, erit expectatio omnium suorum.

Quinto autem est benedictio ipsius ab abundantia vini. Et hoc notatur in duobus. Ligat enim pullum ad vineam. Pullum autem vocat omne suum desiderium. Desiderium enim merito pullus vocatur: quia indomitum est ut pullus: vnde etiam ligari ad vineam, hoc est, ad gaudia interna

interna & externa dicitur. Ad vitem autem ligat asinam, hoc est, corpus quod etiam ligari ad eadem gaudia propter sui corruptionem oportet, ut possit dicere cum Psal.83; *Cor meum & caro mea exultauerunt in Deum viuum.* Secundum autem in quo vini notatur abundantia, est quod lauit in vino stolam suam: & hoc vinum in alia significatione sumitur, eo quod abundans vino habet vinum purum gaudiorum aeternorum, de quo dictum est: & habet vinum rufum passionis & sanguinis Domini nostri Iesu Christi. In hoc autem vino sanguinis lauat stolam sue conuersationis: quia omnis nostra conuersatio immunda & fordia est, nisi per sanguinem & passionem Christi depuretur. Vnde in Apocal.6. legitur de Sanctis, quod *in sanguine agni lauerunt stolas suas.* Pallium autem sue charitatis lauit in sua sanguine. Vua enim defacata est corpus Domini nostri Iesu Christi, in cuius sanguine lauatur pallium: quia charitas nostra charitate passionis sue coloratur, dum eam quantum potest imitatur. Vnde etiam dixit in passione Ioannis 15. *Diligatis inuidem sicut dilexi vos.* Et ibidem, *Maiorem hinc dilectionem nemo habet quam ut animam suam ponat quis pro amicis suis.*

Sexto benedicitur in puritate intentionis, & efficacia prædicationis laudis: quia laudes Christi, gratias agens recolit & annuntiat. Puritas intentionis laudatur ibi. *Pulchiores sunt oculi eius vino.* Et accipitur hic vinum in significatione tertia, quod crescit iuxta viam huius seculi, vinum scilicet pungens in lingua per verba grandiloqua scientiae secularis, quae intendit fastum non Deum: & ideo oculi istius qui ad Deum sunt, fastu scientiae secularis pulchiores sunt. Dentes autem memorie quibus continuo masticat & nuntiat & annuntiat gratiam sibi factam a Domino, candidiores & mundiores sunt lacte infantis doctrinae animae nouiter conuersae: quae adhuc gratias non agit, quia magnitudinem gratiae praeter tenuitudine sue conuersionis adhuc in se nondum recognoscit.

Vnde etiam legislator in Deut.33. de Iuda dicit: *Audi Domine vocem Iude, & ad populum suum introduc eum: Manus eius pugnabunt pro eo, & adiutor illius contra aduersarios eius erit.* Dominus enim nihil sicut gratiarum actionem audit: & hunc qui gratias agit, ad populum suum, hoc est, ad Angelos introducit: qui hoc est opus Angelorum in celis, ut in hymnis Deum laudent & gratias agant: sicut dixerunt nato domino: *Gloria in altissimis Deo, & in terra pax hominibus bona voluntatis* Luc.2. Manus eius pugnabunt pro eo: quia per manum opus intelligitur: & ille etiam opere continuo obsequendo refert gratias: in hoc Dominus est adiutor eius. Tamen etiam ipsa gratiarum actio manus auxiliij est: siue enim diabolus tentet per aduersa, ille de passionibus gratias agit: siue tentet per prospera, ille grates refert Deo de donis suis: & ita nullam occasionem dat tentatori.

Pater etiam benedicens primum filium Balæ qui primus gradus est in vita contemplativa, dicit: *Dan indicabit populum suum sicut & alia tribus in Israël.* Fiat Dan coluber in via, ceraastes in semita, mordens vngulas equi, ut cadat ascensor eius retro. *Salutare tuum expectabo Domine.* Dan autem supra esse diximus iudicium quod a Deo per

creaturas habemus, per quas multi cognoverunt Deum. Huius igitur benedictio est in tribus, scilicet, in iudicio populi sui: sicut enim alia tribus, hoc est, tribus rationis, per lucidam veritatem iudicat populum Dei, qui est populus contemplatiuus: sic etiam iste per vestigium & imaginem creaturae iudicat iudicium veritatis diuinæ in Israël, hoc est, in populo vidente Deum per oculum contemplationis. Fit autem iudicium illud coluber in via. Via vero sunt opera creata, sicut dicitur Job 40. Ipse est principium viarum Dei, id est, primus & præcipuus inter opera. Coluber autem est serpens. Et dicitur serpens propter prudentiam: quia necessaria est cautela in contemplatione per creature, ne creaturam pro Creatore recipiamus: sicut quidam in specie cæli & stellarum delectati Deos esse putauerunt, ut habetur Sapient.13. Ceraastes autem est serpens cornutus: & haec est sapientia fidei, habens cornu quo ventilatur heres, scilicet, cornu rationis illuminatæ in creatis. Vnde etiam dicitur esse in semita: quia via iudicij per creature, est via communis. Sed fides graditur via compendijs, eo quod sufficit sibi, ut dicit Augustinus, quod omnium quæ sunt sit causa voluntas Dei, nec querit causas alias, quemadmodum facit iudicium ratio-  
cis quod in creaturis multa perquirit: vnde etiam dicitur mordere vngulas equi. Equus autem hic est Philosophus superbus in scientia mundi, qui cum ordiatur bellum disputationis, dicit: *Vah, contempnendo omnes qui non sunt triti in verborum argutiis.* Huius vngula quam figit super simplices quos conculcat, est syllogismus. Et sunt quatuor vngula, scilicet, syllogismus, enthymema, exemplum, & induc[t]io: quae sunt quatuor genera argumentorum. Has vngulas mordet Dan iudicium secundum fidem: quia omnino veritate fidei conterit & concludit in itinere, ut ascensor huius equi, hoc est, ratio Philosophi, cadat retro, id est, eliminetur: sicut fecit Paulus Dyonisio Philosopho, & sicut fecit Petrus Clementi & Martha & Aquila, qui Philosophi fuerunt. Sed quia iudicium istud quod sic fit in creature imaginibus, non est completum: ideo pater Iacob dicit: *Salutare tuum expectabo Domine,* in apertiori scilicet revelatione.

De Dan quoque legislator ait: *Dan catulus leonis, fluit largiter de Basan.* Catulus est leonis de tribu Iuda, cuius catulus iste est. Quia sicut ille perfecte Phariseos & Scribas de sua scientia gloriantes confutauit: sic iste pro modulo suo omnes contradicentes fidei huius mundi sapientes, dicens cum Apostolo 2. ad Corinth.10. *Arma nostra militie non sunt carnalia, sed potentia Deo ad destructionem munitionum, consilia destruente, & omnem altitudinem extollentem se aduersus scientiam Dei, & in captivitate redigentes omnem intellectum in obsequium Christi.* Fluit autem rationibus & argumentis de Basan, id est, de bracho: quia Basan bruchus interpretatur. Et intendit dicere, quod rediens de Basan, fluit largiter: & est bruchus huius mundi Philosophus & haereticus, de cuius confutatione rediens, largiter fluit rationibus ad fidem corroborandam.

Deinde subdit pater benedictionem Nephthali, qui secundus filius est Balæ & notat secundum contemplationis gradum: interpretatur enim latitudo, & significat latitudinem admirationis.

Nephthali, inquit Jacob, cœrus emissus, & dans eloquia pulchritudinis. Cœrus dicitur propter admirationis velocitatem: nihil enim velocius in corde hominis est admiratione: hæc enim non expectat inquisitionem rationis, nec retrahitur profunditate sapientiae rei quam admiratur. Vnde etiam cœrus emissus dicitur: quia ordinem rationis non expectat. Admiramus enim ea quæ quidem delectant, sed causam eorum inuenire ad plenum non possumus, & sunt nobis rara. Et ista sunt maxime quæ contemplamur circa Redemptorem, qualiter scilicet Deus & homo etiam in una persona iunguntur, qualiter à Virgine nascitur, qualiter eguerit, qui si esurierit non dicit homini, suus erit enim orbis terræ & plenitudo eius: qualiter inclinato capite in cruce tradidit spiritum, ad cuius capitis inclinationem totus orbis coinclinatur, & intuitum capitum eius sentit. Petrae enim scinduntur, monumenta aperiuntur, sol obscuratur, velum scinditur: cor etiam gentilis faxeum in crucifigendo ad clamorem Iesu emollitur & clamat: *Vere Filius Dei erat iste.* Et aliqui percutientes pectora sua in ciuitatem reuertebantur. Qualiter etiam mors morte domatur, & vita resurgendo reparatur. Et qualiter de terræ puluere euigilabunt multi: & resurgent alij in vitam æternam, alij in opprobrium ut videant semper, & similia. Dare autem eloquia pulchritudinis nihil aliud est quam iubileis quibusdam vocibus exprimere gaudium tantæ admirationis: sicut exclamauit qui dixit: *O altitudo diuinarum sapientia, &c. ad Roma. 11.*

De hoc etiam legislator dicit: *Nephthali abundantia perfuetur, & plenus erit benedictionibus Domini: Mare & Meridiem possidebit.* Abundantia autem qua perfuitur, id est, in qua delectatur, est abundantia omnium mirabilium sapientiae diuinæ, quibus continuo perfuitur, reuoluendo ea & recitando aliis quæ mirabilia cognouit de Deo. Vnde sequitur, quod plenus erit benedictionibus Domini, hoc est, benedictionibus sacramentorum quibus benedixit nobis: admiratur enim illa cum consensu fidei, scilicet, incarnationem, baptismum, prædicationem, passionem, resurrectionem, ascensionem, aduentum ad iudicium, & huiusmodi. Et ideo sequitur, quod possidebit Mare, id est, passionem quam continuo contemplatur: hæc enim est opus nostræ redemptionis. Possidebit Meridiem æterni luminis scilicet regionem: quia etiam contemplando miratur lumen quod est in circuitu Domini, ubi constituit lucidissimas mansiones: ibi enim requiescunt Sanctorum animæ.

Deinde Lia ancillæ filij à patre etiam benedictionem fortuntur, scilicet, Gad, & Aser. Gad enim interpretatur felicitas, & significat ultimum statum virtutis in consummata voluntate quæ perfectio est in voluntate Dei, bona in præceptis & bene placente in consiliis, & perfecta in consummata tranquillitate virtutis: ut iam non difficile, sed iucundum & delectabile sit ei seruire Deo, & videatur iugum Christi suave & onus eius leue, eo quod didicit ab ipso, quia misericordia est & humilis corde, & ideo venire ad ipsum non labor sed refectio est. Hunc ergo filium tam perfectum benedicens pater, ait: *Gad accinctus præliabitur ante eum: & ipse accingetur retrorsum.*

Iste enim qui consummatæ virtutis est ante eum, hoc est, proximum, præliabitur in gladio spiritus, quod est verbum Dei Ephes. 6. deiiciens aduersarios populi Dei: & ipse iterum retrorsum contra tentationes hostis præliabitur: quia quo primo à peccatis eripit, & ab hostibus liberat: postea etiam munit contra fraudes tentatoris.

De hoc etiam legislator ait: *Benedictus in latitudine, Gad: quasi leo requieuit, cepitque brachium & verticem. Et vidit principatum suum, quod in parte sua doctor esset repositus: qui fuit cum principibus populi, & fecit iusticias Domini & iudicium suum cum Israel.* Latitudo enim est dilatatio omnium virtutum in qua est felicitas, sed requiescit ut leo ante gratias contra hostes, & retro contra fraudulentias eorundem. Gad etiam brachium virtutis & robur cepit, & verticem, id est, summum apicem felicitatis, qui est in perfecto statu virtutis: & vidit principatum suum, quod iam non esset princeps eius concupiscentia: quia non regnat peccatum in suo mortali corpore. Sed doctor iustitiae Christus in parte cordis sui est repositus, qui scilicet doctor Christus fuit cum Apostolis principibus populi & orbis, & fecit in eis iusticias Domini exemplum nobis dando: ut quemadmodum ipse fecit, ita & nos faciamus. Hoc enim est iudicium suum quod facit cum Israel. Omnia enim virtutis exempla in Christo, & in Apostolis Gad quantum potest imitatur.

Aser autem secundus filius Zelphæ ancillæ Lia, beatus interpretatur: & hunc diximus significare zelum de conuersione animarum qui innascitur homini postquam consummatam habet in seipso virtutem. Hoc enim proprium est consummatæ virtutis, quod velit alios esse sicut seipsum, & ideo laborat ad conuersionem eorum quod sit una beatitudo hominis quam in hac vita potest attingere, & hunc benedicens pater dixit: *Aser pinguis panis eius, & præbebit delicias regibus.* Pinguis enim panis patris est verbi diuinæ, quem habens zelum animarum continuo regibus qui seipso regunt, præbet præ deliciis ut experiantur hoc quod dicit Psal. 118. quam dulcia fauibus meis eloquia tua super mel orineo.

Vnde etiam ipse legislator de Aser dicit: *Benedictus in filiis Aser, sit placens in fratribus suis, & tingat in oleo pedem suum. Serum & æs calceamentum eius: sicut dies iuuentus tua, ita & senectus tua.* Aser in filiis quos per zelum animarum parturit, benedictionem accipit: & placens est in multis fratribus quos sibi per consortium gratiae copulauit. In oleo autem misericordia Dei pedem affectus tingit: quia eos quos conuertit, misericorditer ad veniam suscipit. Sed in pede intellectus ferrum & æs calceamentum habet: ferrum rationum & argumentorum, ut domet omnem haeresim contra suam doctrinam exortam. Æs autem in sono prædicationis ad auditum fidelium per verbum instruendorum. Sed ne dum de aliis gerit curam, negligat seipsum: ideo additur, *Sicut dies iuuentus, quando sibi vixit: ita & senectus eius: ne scilicet à virtute & sui custodia deflectatur.*

Deinde etiam filij quos Lia in figura vitæ actiæ etiam per seipsum concipit & parit, sibi à patre benedicuntur, & Iffachar quidem sic.

Iffachar

*Issachar asinus fortis accubans inter terminos, vidit requiem quod esset bona, & terram quod esset optima: & supposuit humerum suum ad portandum, factusque est tributis seruiens Genes. 49.* Issachar vero, qui merces interpretatur, diximus officium curae prædicationis significare: quam ut iustum mercedem accepit, qui zelum animarum primo acquirit. Hic autem fortis dicitur: quia le & alios debet eripere. Asinus autem dicitur non propter sensus hebetudinem, sed propter oneris portationem: quia qui curam prædicandi verbi accipit, aliorum onera portare debet, sicut dicit Apostolus ad Rom. 15. *Debenus autem nos firmiores imbecillitates aliorum sustinere.* Et ad Galat. 6. *Alter alterus onera portate, & sic adimplebitis legem Christi.* Dicitur autem inter terminos accubare: quia partim sibi, partim intendit proximo: sibi quærens necessaria saluti, non negligit utilia saluti proximi. Quod autem sequitur: *Vidit requiem quod esset bona, innuit qua de causa & qua intentione hæc omnia facit: nisi enim requiem æternam bonam per fidem videret, alios ad ipsam per verbum non inuitaret: nisi etiam terram viuentium optimam cognosceret, non terrena patrocinia deserenda ut in terra viuentium hæreditas acquiratur admoneret.* Sicque factus est tributis seruiens. Quia dum proximo impendit seruitum prædicationis, accipit tributum & stipendum conuersarum animarum.

De Zabulon autem, qui ultimus est filius Liæ, & significat Doctoris & Prælati fortitudinem qua seipsum murum debet ponere pro domo Israël in die persecutionis contra homines & demones, sic benedicendo dicit pater: *Zabulon in litore maris habitabit, & in statione nauium pertingens usque ad Sidonem.* Litus maris est soliditas in tempore persecutionis. In litore enim maris procella confringuntur: quia in Doctore fidei excipi debent fluctus tentantium, ne usque ad planum terræ, hoc est, usque ad simplices de populo mergendo perueniant. In statione autem nauium, hoc est, in porta punctionum, qua capiuntur homines, usque ad Sidonem pertingit: quia omnis sua intentio in docendo in defendendo in regendo est ut animas venetur, & Christo lucifaciat: unde etiam Sidon venatio interpretatur.

De his duobus filiis in officio sic coniunctis Moyses dicit: *Letare Zabulon in exiuto tuo, & Issachar in tabernaculo tuis. Populos ad montem vocabunt: ibi immolabunt victimas iustitia: qui inundationem maris quasi lac fugent, & thesauros absconditos arenarum.* Exitus Zabulon est ad visitandum gregem. Tabernaculum autem Issachar, tabernaculum Ecclesiæ quod fixit Deus & non homo: in quibus hi latentur, quia & Prædictor & Doctor siue Prælatus in numero fidelium multitudine in Spiritu sancto gloriantur. Vterque etiam populos ad montem Domini, hoc est, eminentiam vitæ vocat: sicut dixit Angelus ad Lot Genes. 19. *In monte salutem te fac.* Ut ibi scilicet immolent seipso victimas iustitiae: quia, ut dicit Psalm. 50. *Sacrificium Deo, spiritus contribulatus: cor contritum & humiliatum Deus non despicias.* Vterque etiam inundationes maris in persecutum verbis & factis fugit quasi lac in dulcedine, scilicet mansuetudinis & patientiae: colligens in eis thesauros occultissimos arenarum,

hoc est, iræ stultorum: sicut dicit Salomon Proverb. 27. *Graue est saxum, & onerosa est arena: sed ira stulti viroque granior.* Sunt autem thesauri isti margaritæ pretiosæ passionis pro Domino, quæ (inquam) margaritæ in æterna corona, quam Prædictoribus & Doctòribus Prælatis imponet Dominus, reponentur: sicut dicitur in Psalm. 20. *Posuisti Domine super caput eius coronam de lapide pretiosa.* Et in benedictione istorum consummatur perfectio vitæ actiæ.

Ioseph autem, qui tertium contemplationis gradum significat, longa à patre benedictione beneditur: ut pote qui non pro se, sed pro duabus sceptris accepit benedictionem. Dicit autem sic pater: *Filius accrescens Ioseph & decorus aspectus filie discurrerunt super murum. Sed exasperauerunt eum, & iurgati sunt, inuidierintque illi habentes iacula.* Sedit in forti arcus eius, & dissoluta sunt vincula brachiorum & manuum illius per manus potentis Iacob: inde pastor egressus est lapis Israel. Deus patris tui erit adiutor tuus, & omnipotens benedic tibi benedictionibus cœli desuper, benedictionibus abyssi iacentis deorsum, benedictionibus überum & vulna. Benedictiones patris tui confortatae sunt, benedictionis patrum eius: donec veniret desiderium collum eternorum: fiant in capite Ioseph & in vertice Nazarei inter fratres suos Gen. 49. Hæc benedictio in quatuor consistit quæ omnia competunt illuminationi intellectus quam supra Ioseph significare diximus, scilicet, in laude benedictionem præcedente, & in ipsa benedictione de multiplicatione gratiæ, & in confirmatione benedictionis, & in prophetia sanctitatis. Vbi autem quodlibet horum notetur, patebit in sequentibus.

Laus Ioseph est in	Fæcunditate prolis, Pulchritudine, Patientia tribulationis, Modo liberationis eius à carcere.
--------------------	--

Fæcunditas prolis tangitur cum dicitur: *Flius accrescens.* Sunt autem isti duo quasi filii illuminationis. Manasses enim obliuio interpretatur: quia significat obliuionem huius vitæ quæ de intellectu illuminato in bonis alterius vitæ procedit: sicut dixit qui illuminato intellectu tertium cælum transcendent, *Preteritorum oblitus, ad antevorta me extendo.* Ephraim autem frugifer interpretatur: quia quanto quis ad superna clariori oculo respicit, tanto plus in terram viuentium frugem bonorum operum spargit, & huic toto tempore vita insistit: sicut docet Eccli. 11. *Mane semina semen tuum, & vespere ne cesset manus tua.* Iste autem filius etiam à patre cancellatis manibus benedicuntur: quia dextra imponitur capiti inferioris: qui est efficacia: quia ille manebit in æternitate in numerosa multitudine bonorum operum. Sinistra autem imponitur capiti maioris, id est, Manasse: quia obliuio præsentium cedit cum tempore. Tunc enim omnium possumus tute recordari, quando nullius rei recordatio nos afficit ad retrahendum à Deo, sed omnia nobis in Deum proficiunt. Nunc autem nimia recordatio per affectum præsentium nocet, & retrahit nos à Deo. Dextera enim Dei ad æterna pertinet, & sinistra pertinet ad temporalia. Dicit tamen de eis patriarcha Iacob Genes. 48. *Deus in cuius conspectu ambulauerunt patres mei Abraham &*

*hām & Isaac, Deus qui pascit me ab adolescentia mea usque in præsentem diem: Angelus qui eruit eruit me de cunctis malis, benedicat pueris istis: & inuocetur super eos nomen meum, nomina quoque patrum meorum Abraham & Isaac, & crescent, in multitudinem super terram, hoc est, Deus in conspectu cuius, sicut in lumine gratiæ, ambulauerunt patres mei pro factis bonorum meritorum, Deus etiam qui pauit me pane supersubstantiali gratiæ & sacramenti sui à iuuentute innocentiae baptismalis usque in virum perfectum secundum virtutem. Angelus etiam magni consilij Christus, incarnatum Verbum, qui eruit me per passionem redemptionis à cunctis malis quæ per Adam incurri: ipse pueris istis à puritate deditis benedicat, gratiam largiendo; & nomen antiquorum sanctorum confirmetur & inuocetur super eos per imitationem ipsorum, & crescent in multitudinem bonorum operum super terram viuentium æternaliter. Cancellatio autem manuum significat commutationem æternæ retributionis pro temporali merito. Dum enim hic viuimus in obsequio Dei paruo tempore vita nostræ, aeterna nobis vita pro ista temporali à Deo donatur.*

Secundum quod est de laude Ioseph, est pulchritudo eius, quæ notatur cum dicitur: *Et decorus aspectu: filia discurrerunt per murum.* Decorus enim aspectu, vnde illuminatur facies Moysi ita ut non possent in eum intendere filii Israel propter gloriam vultus eius, ut habetur Exod. 33. Ita Ioseph ambulans quotidie in lumine vultus Dei & exultans in nomine Dei tota die & in iustitia Dei ex altatur. Et secundum Apostolum 2. ad Corinth. 3. *Reuelata facie gloriam Dei speculantibus, in eandem imaginem transformamur à claritate in claritatem tanquam à Domini Spiritu.* Vnde etiam filiæ, hoc est, nondum perfectæ in contemplatione animæ, per murum ad visionem eius discurrisse dicuntur. Murus enim non est aliud nisi mortalitas, quæ diuidit nos à contemplatione visionis apertæ, sicut dicitur Cantic. 2. *En ipse stat post parietem nostrum, respiciens per fenestras, proficiens per cancellos.* Paries corpus mortale est, fenestra lumen intellectus, cancelli autem speciales reuelationes, tum per Scripturam, tum per Angelos factæ: in quo muro siue pariete filiæ discurrent: quia imperfectæ animæ nondum in contemplatione Domini videre potentes, hoc quod desiderant in aliis mirantur, scilicet, in viris contemplatiuis.

Tertium autem quod est in laude Ioseph, est patientia in tribulatione. Et hæc notatur in duobus, scilicet, in modo & causa tribulationis, & in modo liberationis. Prima ergo causa tribulationis est exasperatio fratrum suorum & iurgium: eo quod accusauit eos de crimine pessimo, & prophetauit futuram veritatem per somnia. Crimen autem pessimum quo illuminatus intellectus omnes fratres accusat, hypocrisis & simulationis est, quod ea quæ faciunt siue in agendis siue in cognoscendis non pura intentione, sed causa laudis frequenter operantur. Somnia autem quæ eis reuelat, sunt duo, scilicet, quod putabat solem & lunam & stellas vnde decim adorare se. Secundum vero, quod putabat se & fratres ligare manipulos in agris, fratribusque manipulos adorare manipulum suum. Sol autem qui lucet

in die, scientiam sacræ Scripturæ signat. Luna autem quæ præest nocti, significat scientiam mundanam: quæ amba scientiæ seruiunt intellectui illuminato in contemplatione: sicut dicitur 2. ad Corinth. 4. *Dens qui dixit de tenebris luxmen splendescere, illuxit in cordibus nostris ad illuminationem scientiæ Euangeli Christi.* Stella autem vnde decim, sunt lumina parua doctrinæ secularis, scilicet, grammaticæ, rhetoricae, dialecticæ, geometricæ, arithmeticæ, musicæ, astronomicæ, physicæ, metaphysicæ, ethicæ, & scientiæ iuris positivæ & naturalis. Istæ enim quasi quædam stellæ adorant Ioseph, dum illuminationi intellectus ad contemplandum Deo quælibet quantum potest subseruit. Manipuli autem sunt perfectiones operum in fruge iustitiae collectorum, qui vnde decim esse dicuntur: quia cum decalogo seruant unitatem charitatis: & adorant manipulum Ioseph, quia quicquid fit in opere, totum fit ut perficiatur intellectus aperta veritate. Hæc igitur causa somniorum inuidiæ somniem fratribus, hoc est, aliis affectibus animæ ministrat: quia dum in hac vita somnia intellectus contemplatiui impleri non videmus, ad veritatem quam idem intellectus prænuntiat, pigri & cum emulatione quædam contentionis accedimus. Quandoque etiam ipsum intellectum captiuum mundo vendimus: ut ille qui æterna contemplari debuit, & curis & prouidentiis occupetur terrenorum, & sic irritantur aduersus eum & inuident ei: habentes iacula quibus perfodiunt animam eius, dum suadent aperta pro occultis, & certa pro incertis, & visibilia pro inuisibilibus non relinquenda. His etiam præstat adiutorium mœcha mente mulier, hoc est, inanis gloria: quia mulier, iuxta Apostolum 1. ad Corinth. 11. Gloria viri est, etiam tentando & accusando Ioseph ut magis terrenis cogitationibus illaqueetur & abstrahatur à contemplatione cœlestium.

Secundum autem quod notandum est, sunt modi liberationis: vnde dicit: *Sedit in forti arcus eius.* Fortis autem secundum Zorobabel 2. Esdræ 3. est veritas, in qua quiescit arcus eius, id est, cogitationes vanas huius mendacitatis, sagittis auctoritatis Scripturæ compungentis: & vincula brachiorum, hoc est, intellectus & affectus, dissoluentis: & hoc per manum auxiliij potentis Dei qui iuuat Iacob verum luctatorem in pugna contra fratrum emulationem. Inde igitur, hoc est, de illo carcere tantæ captiuitatis Ægypti, egressus est pastor pabulo veritatis: egressus est etiam lapis soliditate, id est, firmitate immobilis veritatis in Israel. Veritas enim illuminati intellectus, quæ pascit & fundat hominem in lapide qui Christus est, sic stabilitur, ut domus suæ conuersationis non cadat à vento male tentationis, & pluia persecutionis: fundata enim est supra firmam petram.

Deinde secundo ponit pater Iacob Ioseph benedictionem inutocans primo Deum Patrem in adiutorem, eo quod homo ea quæ sunt supra se, cognoscere non valet nisi adiutorio Dei. *Nemo enim non uit Patrem nisi Filius, & cui voluerit Filius reuelare* Luc. 10. Benedicit autem sibi benedictionibus cœli desuper, ut scilicet lucem habitantium in cœlo contempletur: & benedictionibus abyssi, hoc est, profundorum sapientiæ: quia dicit Ps. 35. *Iudicia Dei abyssus multa iacentis deorsum in pro-* fundo

sundo inferni, qualiter scilicet superbos angelos condemnavit, & humines luteos erexit de stercore, vt sedeant cum principibus & solium glorię teneant. Sic enim verum est quod dicit Psalm. 106. *Ascendunt usque ad celos*, in benedictionibus celi : & descendunt usque ad abyssos, in contemplatione pœnarum : anima eorum, quo ad intellectum, in malis tabescet, compatiendo affictis, præcipue in purgatorio existentibus. Et illud : *Et descendant in infernum viuentes*, scilicet, per intellectualem contemplationem. Benedictiones autem vberum sunt & vulnæ : quia in contemplatione tales per intellectum hauriunt, quod aliis effundunt per doctrinam : vnde eos charitatis visceribus tanquam in vulna pietatis concipiunt, & doctrinæ vberibus enutriunt.

Deinde sequitur tertium quod est benedictionis huius confirmatio, scilicet, *Benedictiones patris tui*, &c. In quo notatur quod hæc benedictione in Ioseph confirmatur per hoc quod facta & dicta patrum in contemplatione æterni luminis imitetur, usque ad desiderium collum æternorum, id est, donec collibus æternis in choris angelicis coniungatur: quod toto affectu mentis desiderat. Tunc enim non oportet vt eum dicta & facta patrum in contemplando dirigant, quando aperiam coram oculis veritatem intuebitur. In quo etiam illi reprehendi noscuntur, qui nouo quodam contemplandi genere Deum se contemplari dicunt : cum simile contemplationis eorum, nec legatur in libris, nec præcesserit in patrum exemplis. Non enim dubium est qui noua inueniunt, quin sequantur satanam transfigurantem se in angelum lucis 2. Corinth. 11. qui ad hoc noua inuenit, vt veterem patrum fidem, nouis ludihiis eliminet.

Deinde sanctitatem in posteritate Ioseph pater Jacob prophetat, & dicit : *Fiant in capite*, &c. litera sic est ordinanda. *Nazarei Ioseph fiant in capite & in vertice inter fratres suos*. Nazarei autem floridi vel florentes interpretantur, & significant sanctitatis affectiones, quæ in cordibus contemplatiorum surgunt : quando enim intellectus plene veritatis lucem conspicit, intimus cordis affectus præ gaudio in sanctitate florere incipit : & isti sunt inter fratres, de quibus dictum est, in capite : quia in eminentia culminis vite & mentis respectu aliorum operum locum sanctitatis tenent. In vertice autem sunt : quia priuora & superiora mentis semper obtinent.

Legis autem lator Moyses Ioseph benedicens, ait Deut. 3. *De benedictione Domini terra eius, de pomis celi, & rore, atque abyssu subiacente. De pomis fructuum solis ac lunæ, de vertice antiquorum montium, de pomis collum æternorum. Et de frugibus terre, & de plenitudine eius. Benedictio illius qui apparet in rubo, veniat super caput Ioseph, & super verticem Nazarei inter fratres. Quasi primogeniti tauri pulchritudo illius, cornua rhinocerotis cornua illius, in ipsis ventilabit Gentes usque ad terminos terre. Ha sunt multitudines Ephraim, & hæc millia Manasse*. Et tangit hic tria quæ proprie sunt intellectus illuminati à Deo, quorum primum est, in quibus contemplatur : & hæc sunt specialiter octo, quibus dicit terram, hoc est, regionem animalium contemplantem, esse repletam quasi benedictione Domini. Primum est poma celi, hoc est, fructus æternæ beatitudinis. Secundum est

ros celi, hoc est, ros gratiae. Isa. 26. *Ros lucis ros tuus*. Tertium est abysmus iacens de subter, hoc est, poenæ æternæ. Quartum est fructus pomorum solis & lunæ, hoc est, sacramenta Ecclesiæ, & Synagogæ : vt Ecclesia sit sol, quia lucet his qui in die sunt reuelatae gratiæ : luna vero sit Synagoga, eo quod sol iustitia Christus Deus noster, neandum fuerit exortus. Ideo etiam illa sacramenta tantum figurabant : hæc autem dant salutem. Quintum est contemplatio de vertice antiquorum montium, hoc est, de eminentia antiquorum patrum, qui tanquam montes in populo Dei præminebant, & vt viderent diem Christi exultauerunt: sicut dicitur Ioan. 8. *Abraham pater uester exultauit ut videret diem meum: vidit, & gaudens est* : sicut dicit Psalm. 113. *Montes exultaerunt ut arietes, & colles sicut agni ouium*. Sextum autem est poma collum æternorum, id est, fructus distinctionis angelorum. Isti enim sunt montes & colles Bethel, in quibus iucundis quibusdam affectionibus illuminatus & contemplatiuus salit intellectus. Septimum est fruges terre & plenitudo eius, hoc est, communis contemplatio omnis boni omnium sanctorum : qui dum viuerent & adhuc viuentes, terrenorum pulchritudo fuerunt: quia in malis terra est inanis & vacua, & tenebre peccatorum sunt super eam. Octavum autem & ultimum est benedictio eius qui in rubo apparuit Exod. 3. hoc est, Verbi incarnationi : quia rubrum quem viderat Moyses incombusum, conseruatum agnouimus Dei genericis laudabilem virginitatem : in qua fulget ignis Dei Verbi incarnati non ad incendium, sed ad refrigerium ignis & incendijs fomitis : & hæc benedictio super caput Ioseph venit, quando in mentem eius descendit, quia caput mens est, vt dicit Augustinus. Venit etiam super verticem Nazarei, id est, florentis inter fratres suos, qui nullus alius est quam Ioseph, qui solus inter fratres effloruit : quia intellectus à Deo illuminatus præ omnibus affectionibus animæ palmam & florem præfert singularem.

Secundum vero quod tangit est pulchritudo quæ in facie ipsius consideratur, sicut prius expostum est : sed hic comparat eam primogenito tauri : & non dicuntur primogeniti tauri hic à tempore, sed à principali generatione. Quasi dicaret : Sicut præclarior natio tauri, sic pulchritudo eius. Taurus enim est lasciuum animal, & significat lasciuam spiritualem in lumine Dei ambulantium, & in amore cum sponso lasciuientium in secreto conscientiæ lectulo : sicut dixit Ierem. 31. de virginе Ierusalem & Sion, quod adhuc egredietur in choro ludentium.

Tertium autem est quod tangit, fortitudo perspectæ veritatis in intellectu, quæ est sicut cornua rhinocerotis. Cornua enim veritas duo habet : unum ad fidem reuelandam, alterum ad mores instruendos. Rhinoceros autem capit in gremio virginis : quia prima veritas descendit in uterum virginis. Rhinoceros etiam nare cornu gestare dicitur : quia contemplatius veritatis cornua in nare discretionis & collationis semper habere præcipitur : cum dicitur Matt. 10. *Estate prudentes sicut serpentes, & simplices sicut columbae*. In illis autem ventilat Gentes usque ad terræ terminos : quia infideles & peccatores ipsa veritate confutat, & conuersos erudit & illuminat,

minat. Terræ enim termini à quibus expellit eos, sunt fines tres : quos omnes terreni requirunt vane , vt ambitio honoris, concupiscentia, deletionis, & avaritia diuinitarum. Hæ autem benedictiones sunt super multitudines, &c. quia hoc supra expositum est, qualiter hoc competit filiis Ioseph.

Tandem de ultimo filio Benjamin qui & ultimum gradum contemplationis, scilicet, excessum mentis siue raptum figurat, pater benedicendo ait : *Benjamin lupus rapax, mane comedet prædam, & vespera diuidet spolia.* Qui luporum naturas rimati sunt, dicunt lupi oculos interius ignem habere reconditum : unde etiam in tenebris miscere videntur. Similiter etiam luporum hæ consuetudo est, vt occulite & raptim rapiant, & non aperte. Et hoc contemplatiis competit, qui ignem & lucem Dei in oculis habentes, in tenebris huius vite cælestia conspicunt : & hoc raptim, quasi rapiendo potius quam tenendo : unde etiam rapti, cum tali felicitate perfruuntur, narrantur à Scriptura. Mane autem est visio matutina, quæ secundum Augustinum, est visio quæ in lumine fit diuinæ veritatis, in quam rapiuntur, & ibi prædam coinedunt : quia gaudio cælestium perfruuntur per modum prædæ potius quam iustæ possessionis : quia supra legem humanae vitæ est, quicquid in hac vita de æterna visione possunt attingere. Vnde etiam hic Scriptura prædæ nomen ei imponit. Vespare autem, hoc est, quando ad huius mundi consuetam cognitionem redeunt, inter fratres spolia de cælis apportata diuidunt : quia quicquid in cælo de Deo viderunt, ad utilitatem fratrum sobrij facti edisserunt. Sic Paulus cum raptus esset in paradisum, & mane ibi, id est, æterna luce prædam beatitudinis comedenter : vespera quando rediit ad sobrietatem, sapientiam visam in patria, inter perfectos scilicet fratres loquebatur : sicut ipse dicit 2. ad Corinth. 5. siue mente excedimus Deo, siue sobrij sumus vobis. Quasi dicat : Excessus mentis in Deo, & sobrietas in reditu ad vos, nostra vestra sunt : quia quod ibi videmus in excessu, hic vobis differimus in sobrietate.

Vnde & Moyses benedicendo Benjamin sic dicit : *Benjamin amantissimus Domini habitabit confidenter in eo : quasi in thalamo tota die morabitur, & inter humeros illius requiescat.* Benjamin amantissimus Domini dicitur : quem secum usque ad locum beatorum, hoc est, tertium cælum in spiritu conductit. In ipso etiam propter cordis tranquillitatem confidenter sine terrore turbationis requiescit : sicut dicit Psal. 75. *In pace factus est locus eius, & in Sion, id est, contemplatione per excessum mentis æterni, habitatio eius.* Vnde in ipso tanquam in thalamo, id est, conscientiæ secreto habitare dicitur : quia talis gratia non nisi in secreto silentij solitudinis & contemplationis homini datur. Et requiescit inter humeros eius : qui humeri sunt duo rami obedientiæ, vt scilicet obediens deuota, & obediens cum alacritate : quia non potest esse in excessu luminis, qui nunquam fuit in perfectione obedientiæ & actionis. Sic ergo filii huius mulieris ad benedictiones surgunt per benedictiones

Jacob & Moysi legislatoris.

## §. II.


**S**equitur ergo qualiter beatissimam prædicauerunt matrem. Versus dicit : *Et beatissimam prædicauerunt.* Beatitudo tribus modis à Sanctis definiti inuenitur. Dicit enim super Psal. Cassiodorus, quod *beatus est cui omnia optata succedunt.* Augustinus autem dicit, quod *beatus est qui habet omnia qua vult, & nihil mali vult.* Item Boëtius : *Beatitudo est status omnium honorum congregatione perfectus.* Secundum primum modum mulier beatissima est in desiderio, secundum secundum beatissima in merito, secundum autem tertium beatissima in præmio. Secundum primum nihil querit & operat nisi regnum Dei & iustitiam eius : & hæc omnia adjiciuntur vobis Matth. 6. Secundum autem secundum habet virtutem, & nihil aliud vult, & secundum virtutem nihil mali vult. Nam dicit Augustinus : *Virtus est bona qualitas mentis qua relle- viuitur, & nemo male vtitur, quam Deus operatur in nobis sine nobis.* Secundum autem tertium omne bonum habet & amat & aspicit. Bonum enim quod est omne bonum homini, est bonum in creatum, secundum quod dicit Dominus in Euangeliō Luc. 18. *Nemo bonus nisi solus Deus,* hoc est, nemo bonus substantialiter, & in quo bonum habet omnem statum perfectum, cui addi nihil possit. Secundum primum statum est beata, sed secundum secundum est beatior, secundum autem tertium est beatissima.

Sequitur : *Et vir eius, supple, surrexit, & lauda- uit eam.* Vir iste Christus est, qui virebat gratia & scientia perfecta à prima matris conceptione, secundum quod dicitur Ierem. 31. *Nouum creauit Dominus super terram, fæmina circundabit virum.* Iste cui est virtus animæ vir, est testis laudis & castitatis eius. Laus autem nihil aliud est quam prædicatio iucunda extollentiae. Vnde iste vir laudat mulierem in tribus, scilicet, utilitate, dignitate, & admirabilibus mysteriis quæ fecit in ea Deus : utilitate fœcunditatis, dignitate castitatis virginalis, admiratione mysteriorum : quia virgo concipit, & virgo parit : virgo ante partum, virgo in partu, & virgo post partum permanens in æternum sicut mater Dei. De fœcunditate, quia verbo cum Virgine Maria concipit. Et sicut verbum fœcundum est, ita multam prolem operis & affectionis bonæ simul effundit : & hoc significatur per fœcunditatem Annae, quam in oratione accepit à Domino 1. Regum 1. Anna enim gratia interpretatur.

De dignitate autem Luc. 2. dicitur, *Quia fecit sibi magna qui potens est : ecce enim ex hoc beatam eam dicent omnes generationes.* Sicut enim Christus filius in carne virginis matris virginitatem non abstulit, sed sacravit : ita in spiritu ipsius fœcunditatem affert, sed non aufert quin potius consecrat virginitatem : hæc enim est casta generatio quam extollendo in laude dicit Sapie. 4. *O quam pulchra est casta generatio cum claritate !*

De mysteriis autem mirabilibus eo quod hæc imprægnatio non corruptit, sed reintegrat etiam corrupta : non grauat, sed grauidando alleviat : non affert dolorem, sed sanat omnem infirmi

infirmitatem & tristitiam in primo parente. Vnde dicit Isa.66. Si ego qui generationem aliis tribuo, ipse sterilis ero, dicit Dominus? Quasi dicat: Non.



## C A P. XX.

## §. I.

Multæ filiæ congregauerunt diuitias: tu supergressa es vniuersas.

**R**E S sapientia interpretatur: & hæc præscriptio eruditum reddit auditorem huius sapientiæ. Ne enim crederet aliquis laudem huius mulieris esse in terrenis diuitiis, & non in diuitiis sapientiæ: ideo talis huic versui titulus præmittitur. Sicut enim dicitur infra: fallax gratia, & vana est pulchritudo: sed mulier timens Deum, ipsa laudabitur. Timor autem Domini initium sapientie est Eccli.1. Et ideo si diuitias habet, sapientiæ diuitiæ sunt, & non huius mundi pompæ: sed potius vituperantur quam laudantur.

Multæ filiæ, &c. In hoc versu tria sunt notanda. Primum est quid vel quæ sint multæ filiæ. Secundum est qualiter & quas congregant diuitias. Tertium est qualiter & in quibus hæc super gredietur vniuersas. Circa primum notandum est, quod sunt filiæ naturæ, & filiæ mundi, & filiæ legis, & filiæ gratiæ. Filiæ naturæ sunt, quæ animum & voluntatem ad propagationem naturæ ponunt, hoc arbitrantes optimum, iucundari scilicet in filiis, & marito. Et hæc significantur per filiam Iepte, quæ duobus mensibus virginitatem suam fleuit in montibus: eo quod semen super terram non relinqueret, ut patet Iudic.11. Significatur etiam istæ per filias Lot quæ sollicitæ de posteritate cum putarent periisse mundum in concrematione Sodomæ & pentapolis, inebrabant patrem, & adiunctæ sunt ei ne mundus dissolueretur Genef. 19. Iltas videntur imitari iungentes se secundis & deinceps nuptiis: sicut dicit Augustinus in lib. de ciui Dei. de quadam Romana quæ vigintiduos viros successive habuit. Et in Euangeliō Matt.22. legitur de septem uira. Et istæ quidem filiæ peccare non intendunt, nec peccant: sed turpe est rationem honestatis non habere tantum vigorem in homine, quantum habet vigorem castitatis natura in quibusdam brutis: dicitur enim hæc natura esse turturis, quod post primi mortem secundas non admittit nuptias. Et hoc laudatur etiam in Iudith 15. vbi dicitur, quod benedicta inter omnes mulieres: eo quod castitatem amauerit, & post virum suum alium non admiserit.

Filiæ autem mundi sunt, quæ semper in luxuria & concupiscentia viuunt: & si quandoque virgines sunt corpore, mente tamen sunt incestæ, virginitatem corporis habitu exteriori deuiri-

D. Alberti Magni Lib. de mul. forti,

nantes: & istæ sunt quæ seducunt etiam filios Dei, hoc est, clericos qui se Deo in filios castos deuouerunt: sicut dicitur Genef. 6. *Videntes filij Dei filias hominum quod essent pulchra, acceperunt sibi uxores ex omnibus quas elegerant.* Istæ significantur per filias Madian, quæ scandalum posuerunt filiis Israhel, edere de sacrificiis idolorum, & fornicari, ut habetur Nume. 25. Significantur etiam per Iezabel, de qua dicitur Apocal. 2. *Cuius doctrina fuit & prophetia, edere & fornicari.* Istæ etiam sunt quæ (vt legitur in epistola Ieremias) sedent in viis colligata funibus concupiscentia sua, iactantes fornicationes suas per nutus oculorum. Istæ sunt etiam de quibus dicitur Ezech. 16. quod diuiserunt pedes omni transeunti. Transiens enim est qui non moratur: & ille est non legitimus, qui non ligatur vinculis matrimonij ad cohabitantum. Istæ sunt etiam de quibus dicitur Eccli. 9. *Omnis mulier quæ est fornicaria, quasi stercus in via ab omnibus prætereuntibus conculcabitur.* Et istæ sunt de quibus dicit Isaias 3. *Pro eo quod eleuata sunt filia Sion, & ambulanterunt collo extento, & nutibus oculorum, ibant & plaudebant, & ambulabant, & pedibus suis compoſito gradu incedebant.* sicut scilicet inceditur in corcis: *decaluabit Dominus verticem filiarum Sion, & Dominus crinem earum nudabit, id est, quæ debent esse Sion, & factæ sunt per concupiscentiam filiae huius mundi.* Istæ etiam describuntur Proverb. 7. *Vidi recor dem iuuenem, qui transit per plantas iuxta angulum, & propè viam domus illius, hoc est, meretricis, graditur in obscuro, adesparsante die, in noctis tenebris, & caligine.* Et ecce occurrit illi mulier ornatu meretricio, preparata ad decipiendas animas, *garrula & vaga, quietis impatiens, nec valens in domo consistere pedibus suis, nunc foris, nunc in plateis, nunc iuxta angulos insidians.* Apprehensumque deosculatur iuuenem, & procaci vultu blanditur, dicens: *Victimas pro salute deuoui, hodie reddidi vota mea. Idcirco egressa sum in occursum tuum, desiderans te videre, & reperi.* Et demonstrat pulchritudinem & mollitatem lectuli, dicens: *Intexui funibus lectum meum strani tapebitus pictis ex Aegypto. Aspersi cubile meum myrra, & aloë, & cinnamomo. Veni, inebriemur uberbis, & fruamur cupidis amplexibus, donec illucescat dies.* Non est enim vir in domo sua, abiit via longissima, saccum pecunia secum tulit: in die plena luna, hoc est, post mensem, reuersurus est in dominum suum. Patet per hoc ultimum quod sunt verba adulteræ meretricis.

Filiæ autem legis sunt, quæ timore & vana intentione non Deo sed laudi seruiunt: timentes vituperari ab hominibus si votum castitatis quod voverunt, irritum facerent. Et istæ sunt de quibus dicit Ieremias Thren. 1. *Virgines eius squalidae, & ipsa oppressa amaritudine.* Quia tales semper amaro animo sunt: quia spurcitiam exercere non audent: quicquid enim in corpore & habitu castitatis prætendunt, totum per hypocrismus & vanam laudem turpiori stupro exponunt. Istæ sunt virgines fatuæ de quibus habetur Matth. 25. quarum lampades extinguuntur veniente Domino ad nuptias. Istæ sunt etiam de quibus dicit Salomon Proverb. 11. *Circulus aureus in naribus suis, hoc est, porcæ, mulier fatua & pulchra.* Sicut enim porca circulum aureum stercori immersit: ita istæ pulchritudinem quam in falsa religione

I præten

prætendunt, luxuria laudis & hypocrisis impiam & inquinatam reddunt.

Filiæ vero gratiæ sunt, quæ & castitatem habent in corde & corpore & habitu & sancta intentione, & in humilitate Christo seruiunt: habentes ducem & vexilliferam gloriosam Dei genitricem, & Filium eius agnum immaculatum. Et de his dicit Apostolus 1. ad Corinth. 7. *Mulier innupta, & virgo cogitat quæ Domini sunt: ut sit sancta corpore & spiritu.* Et Apocal. 8. *Hi sunt qui cum mulieribus non sunt coquiniati: virgines enim sunt.* *Hi sequuntur agnum quocunque ierit.* Vnde dicit Augustinus in libro de virginitate, quod alij sancti sequentur non quocunque ierit, sed quo poterunt: virgines autem felicius exultabunt iucundiusque regnabunt. Iste etiam significantur per virgines sapientes, quæ acceptis lampadibus claræ castitatis in corpore, acceperunt oleum charitatis in vasis cordis sui, & veniente morte cum Domino introierunt ad nuptias aeternæ coniunctionis in qua unus cum ipso spiritus efficiuntur. Sicut enim dicit Apostolus 1. ad Corinth. 6. *Qui adhæret Deo unus spiritus est cum eo.*

### §. I I.

**I**stæ filiæ quadruplices congregant diuitias. Primæ congregant diuitias naturæ, quæ sunt in abundantia prolixi & operibus misericordiæ. Secundæ congregant diuitias concupiscentiæ, quæ sunt in abundantia luxuriæ & pomparum satanæ. Tertiæ congregant diuitias laudis vanæ & simulatae iustitiæ. Quartæ vero diuitias virtutum & gratiæ.

De diuitiis filiarum naturæ, quæ sunt abundantia prolixi & operum misericordiæ, habetur in Iob 1. vbi dicitur, quod nati sunt ei septem filii & tres filiæ: & ostenditur quod erat simplex, & rectus, ac timens Deum, & recedens à malo. Filiæ enim naturæ sunt filiæ desiderantes matrimonium in timore Dei, & in hoc diuiduntur à filiabus mundi: matrimonium enim est naturæ officium, ut dicit Augustinus. Vnde & dicit Glossa super Genes. quod Deus Adæ dedit duo præcepta: unum naturæ, & unum disciplinæ. Unum præceptum naturæ est, quod dixit: *Crescite, & multiplicamini, & replete terram, & subjcite eam.* Ad cuius impletionem etiam in paradiſo instituit matrimonium. Aliud præceptum etiam naturæ est: *Ex omni ligno paradiſi comedete.* Tertium quod est disciplinæ fuit illud: *De ligno quod est in medio paradiſi, scilicet, scientia boni & mali, ne comedas.* Primum enim horum pertinet ad propagationem. Secundum ad naturæ in seipſa sustentationem. Tertium autem ad disciplinam, scilicet eruditionem obedientiæ. Istæ sunt etiam diuitiæ Jacob, de quibus loquuntur filii Laban, dicentes: *Tulit Jacob substantiam patris nostri: & de illius facultatibus ditatus, factus est inclitus.* Nihil enim Jacob à Laban tulit nisi uxores, & filios, & oues: & in filiis est prolixi abundantia, & in ouibus opera pietatis.

De diuitiis autem filiarum mundi habetur Apoc. 18 vbi diuitias suas iactat magna meretrix, dicens: *Sedeo regina, & vidua non sum, & luctum*

*non video.* Et iactat ibi tria, scilicet, dignitatem, & florem honoris, cum dicit: *Sedeo regina: & abundantiam luxuriæ sive scorti in hoc quod dicit: Vidua non sum: quia scilicet pro uno abscedente centum sibi copulat, vel alios plures. Luctum autem non videt quantum ad rerum defectum, eo quod laute & delicate se tales procurant. Iстis filiabus templum Dei, hoc est, cœtus clericorum & monachorum plenus est: sicut dicitur 2. Machab. 6. *Templum luxuria & commissationibus erat plenum, & scortantium cum meretricibus, satratisque adibus mulieres se ultro ingerebant, intro ferentes ea quæ non licebat. Altare etiam plenum erat illicitis, quæ legibus prohibebantur.**

De diuitiis autem fatuarum filiarum habetur Iere. 17. *Perdix fuit quæ non peperit: fecit diuitias, & non in iudicio: in dimidio dierum suorum derelinquet eas, & in nouissimo erit insipiens.* Perdix huius naturæ esse dicitur quod aliena fouet oua: & cum pullos produixerit, statim ut veram matrem quæ oua peperit audierunt, relinquunt perdicem quæ fouit, & sequuntur illam quæ peperit. Ita est de fatuis virginibus: fouent enim habitu virtutem quam corde non pepererunt. Et ideo faciunt diuitias non in iudicio: quia in dimidio dierum cum plus fulciri credunt super opera, opera recedent ab eis per vanam laudem, & hoc dum adhuc viuunt: sed in nouissimo dierum post hanc vitam permanebunt insipientes, eo quod claudetur eis ostium regni cœlestis.

Diuitiæ autem virtutum & gratiæ, sunt diuitiæ filiarum gratiæ, quæ sunt veræ diuitiæ, de quibus dicitur ad Hebræ. 11. de Moysi, quod maiores diuitias estimauit impropterum Christi, & affligi cum populo Dei, thesauris Egyptiorum.

### §. III.

**S**equitur qualiter & in quo ista supergreditur vniuersas. Est autem hoc in vestitu, & ornatu, & diuitiis. De vestitu habetur in Psal. 44. *Omnis gloria eius filia regis ab intus in fimbriis aureis.* Et ibi. *Astitit regina à dextris tuis in vestitu deaurato, &c.* Quia de hoc multa supra diximus, hic breuiter tangendo hoc dictu sufficiat.

Ornatus antem huius mulieris multiplex est, qui tangitur Isa. 3. Et primo tangitur ibi (ornamentum calceorum) & sunt sandalia quæ habent mulieres ad ornatum & protectionem pedum. Et notantur exempla patrum præcedentium, qui pelles suorum operum cum ipsi mortui sint in Domino, nobis reliquerunt in protectionem affectus & voluntatum nostrarum, quæ per pedes intelliguntur.

Secundum quod tangitur sunt lunulae, & sunt quædam lunulæ aureæ in fronte super peplum dependentes, & est ornamentum frontis. Per lunam autem quæ deficit, proprij defectus consideratio significatur.

Tertium est torques quæ est ornamentum colli: per quod notatur custodia discretionis: quia sicut collum capiti corpus coniungit, sic discretio nostra totum corpus nostræ conuersationis capiti Christo debet connectere.

Quartum est monilia quæ stringunt caputum & muniunt sinum ne adulteri inferat manum in gremium

gremium pudoris, & significant castitatem cordis & corporis.

Quintum est armillæ, quæ sunt ornamenta brachiorum, & significant instantiam & fortitudinem operum.

Sextum autem sunt mitrae quæ continent deuentiam capillorum, & significant meditaciones sanctas quæ illicitas cogitationes tanquam capillorum incompositi ligant, & non sicut sunt defluere.

Septimum est discriminalia, & sunt pectines, & significant crebram nostrarum cogitationum discussionem & separationem, ut videatur quid sepius in cogitatu versetur.

Octauum est perichelides, id est, fasciæ pectorales quæ coercent exuberantiam vberū, & significant amoris custodiam ne sibi illicitus amor in corde vbera subigat: sed post perfectum & castum amorem muliebris verecundia quæ in parte in mammillis est, constringatur & coegeretur.

Nonum murenlæ, quæ sunt quedam ornamenti pulcherrima aurium, & significant faciem auditum verbi Dei, scilicet, ut auris semper verbo quod audit de Deo similis sit: vnde in Cantic. 1. vbi nostra litera habet, *Murenlæ aureas faciemus tibi*: habet alia litera, *Similitudines aureas*.

Decimum est olfactoriola, & sunt quedam vasa in quibus defertur muscus, & alia aromatica propter suavitatem odoris, & significant odorem bonæ famæ.

Vndecimum est inaures, quæ sunt communia ornamenti aurium, & significant obedientiam. Duodecimum est anuli, per quos significatur fides mariti & thori: ligat enim digitum qui anularis dicitur, in quo est vena à corde procedens.

Tertiumdecimum est gemmæ pendentes in fronte, & erat ille maximus decor mulierum, & habitum virtutis qui germe dictus est in Scriptura, significat.

Quartumdecimum est mutatoria, & sunt diversa genera & paria vestium: in quo notatur multiformis conuersatio, secundum quod aliter conuersandum est cum diuersis: sicut dicit Apostolus 1. ad Corinth. 9. *Omnibus omnia factus sum ut omnes facerem salvos*.

Quintumdecimum est palliola, & sunt instrumenta apta in tempore calido, & sunt tenuia, & significant modestiam quæ decentem ponit habitum & incessum exterius.

Sextumdecimum est linteamina pro pepulis quæ ornant caput, & significant verecundiam quæ maxime decet mulieres.

Septimumdecimum est acus, & est quoddam punctorium aureum ad similitudinem acus pepli extremitates compungens ne dissoluatur, & significat timorem sanctorum qui compungit & continet Sanctorum conuersationem ne in dissolucionem patitur.

Octauumdecimum ornamentum est specula, in quibus mulieres se confuerunt aspicere, & significant intellectum Scripturæ, in quo singuli considerant utrum turpes vel pulchri sint.

Decimumnonum est vitæ, & sunt vittæ quedam rubea ligamenta quibus mitra constringitur rectro in magnitudine capillorum, & significant in-

stituta patrum quæ quasi funiculus, qui difficile rumpitur, colligunt nos ne forte periremus.

Vltimum autem siue vigesimum ornamenti est theristra, & sunt quedam pallia tenuia decora valde, & præstantia ornatum extrinsecus, & significant mentis & corporis iucunditatem in gaudio Spiritus sancti. Hæc sunt ornamenti castæ & pudicæ animæ, quæ auferuntur à Domino ab incastis mentibus, ut dicitur Isa. 3. *Et erit illis pro suavi odore bona famæ fætor: & pro zona bona meditationis & castitatis, funiculus consuetudinis peccatorum quo colligantur manibus & pedibus ut mittantur in infernum: & pro criffatis crine inordinatarum cogitationum, catuitum aperte immundiciæ cordis: & pro fascia pectorali, quæ (vt diximus) casti amoris custodiam significat, erit cilicium æternarum pœnarum scilicet asperitas, quibus anima incontinens velut vestimento cilicino vestitur.*


Diuitiis autem superreditur omnes in quantuor, scilicet in magnitudine dotis, & in multitudine rerum paraernalium, & in excellentia donationis propter nuptias, & in lucro quotidiano. Dos autem animæ eius est quam dat sibi pater, qui idem pater sponsi & veri animæ viri, est visio claritatis, & perfectus amor eiusdem, & perfecta eiusdem iterum comprehensio: non ita ut tota diuinitas in nobis claudatur ut eius fines conspiciantur, sed ut à nobis habeatur omne quod videmus & amamus in ipso. Similiter dos corporis eius est, ut pro corporis grauitate agilitate dotetur, & pro corporis grossitie dotetur subtilitate siue spiritualitate: pro ipsius autem mortalitate & passibilitate impassibilitatem accipiat, & pro opacitate siue obscuritate recipiat fulgorēm septies super solem.

Res autem parafernalia sunt quas habet mulier iuxta dotem. Et illæ res spiritualiter sunt quæ nobis hic de æterna vita in prægustatione quadam ostenduntur & dantur: ut exilium nostrum tanto tolerabilius sustineamus & ardentius finiri cupiamus, quanto per experimentum plus de æternorum dulcedine cognoscimus.

Donatio autem propter nuptias quam scilicet sponsus dat sponsæ in signum amoris nuptiarum, est gloria quam habebit nostra natura de Christo homine. Hæc enim gloria nobis data est; eo quod Christus nostram naturam despensando sibi eam in unam personam coniunxit & copulauit.

Lucrum vero quotidianum est gaudium quod habet mulier in numerosa bonorum meritorum actione. Et sic patet qualiter mulier hæc vestitus & ornatus & diuitiis multas filias naturæ & mundi & legis & gratiæ superreditur: ut pote quæ plus omnibus laborauit & de seruiuit apud Deum.

\*\*



## C A P. X X I.

## §. I.

v

Fallax imago, & vana est pulchritudo : mulier timens Deum, ipsa laudabitur.

**S**YG<sup>o</sup> vigesimaprima litera est Hebræorum, & vulnus interpretatur. Huic autem versui hæc litera inscribitur : quia loquitur hic Salomon de duobus in quibus hæc mulier non laudatur, quæ plerunque corda humana consueuerunt vulnerare , scilicet, imago mulieris , & pulchritudo : sicut dicitur Daniel. 13. duobus sénibus iudicibus. Seamen Chanaan & non Iuda, species decepit te, id est, speciositas Susanne.

*Fallax imago & vana, &c.* Duo notantur in versu isto , scilicet, in quibus mulier hæc non laudatur, & in quo laudatur. In quibus autem non laudatur, duo sunt, scilicet, fallax imago, & vana pulchritudo. Attenditur autem imago in forma corporis exterius , pulchritudo vero in speciositate coloris. Est autem imago interior & exterior. Imago interior est triplex, ut dicit Augustinus super illud Psal. 4. *Signatum est super nos lumen vultus tui Domine : dedisti latitiam in corde meo*, scilicet, imago creationis, & imago recreationis, & imago similitudinis. Imago creationis est in qua creatus est homo ad imaginem Dei : quia homo scilicet rationalis est ut Deus. Et de hac imagine habetur Genes. 1. *Faciamus hominem ad imaginem & similitudinem nostram*. Et in Eccle. 17. *Deus creauit de terra hominem, & secundum imaginem suam fecit illum*.

Imago autem similitudinis est , in qua imitari debemus Deum, intelligendo, memorando, diligendo : ut memoria Deo Patri, & intellectus Filio, & dilectio detur Spiritui sancto : scilicet ut habeamus Deum in memoria sine obliuione , & in intellectu sine errore , & in voluntate sine omni amaritudine odij, iræ, & inuidiæ, & aliarum malarum voluntatum. In voluntate enim nostra debet esse nobis tranquillitas pacis, in intellectu autem splendor æternæ lucis, & in memoria immutabilitas & indeficiencia æternitatis. De hac imagine dicitur 1. Corinth. 15. *Sicut portauimus imaginem terreni Adæ, portemus & imaginem cœlestis*. Et 2. Corinth. 3. *In eandem imaginem transformamur à claritate in claritatem tanquam à domini spiritu*.

Imago autem recreationis est fides, spes, & charitas. Charitas enim quæ mater est omnis boni & principium, attribuitur Deo Patri : fides autem Filio , quia ille fidem in mundo docuit: spes autem Spiritui sancto , quia ille descendens in corda fidelium, spem eorum in alta subleuauit. Fides enim oculos aperit, spes erigit, charitas fit. Et de ista imagine potest intelligi quod ha-

betur ad Rom. 8. *Nam quos presciuit & prædestinavit conformes fieri imaginis Filii sui , ut sit ipse primogenitus in multis fratribus*. Imago autem exterior est dispositio figuræ corporis. Et de hac habetur Iob 4. *Stetit cuius non agnoscebam vultum, imago coram oculis meis*.

Sequitur hoc, quod dicit : *Fallax*. Est enim tam intrinseca imago quam etiam extrinseca, quandoque vera & quandoque fallax. Vera est intrinseca quando Deum imitatur , & imaginem quæ est forma omnis reformati , & hæc imago est Christus. Est autem intrinseca fallax quando per peccatum deformatur : sicut dicitur in Psal. 72. *In ciuitate tua imaginem ipsorum ad nihil rediges*. Imago etiam exterior est vera quando remanet in Dei laude , ut laudetur Deus in factura sua : sicut dicit Psal. 91. *Deleatisti me in factura tua : & in operibus manuum tuarum exultabo*. Sed fallax est quando picturis meretriciis & circumpositionibus adornatur , vel etiam per falsam hypocrisim exterminatur : vnde in Evangelio Math. 22. *Cuius est imago hæc & superscriptio ?* Hanc enim quæstionem potest Dominus hypocritis & pictis mulieribus facere , in quarum vultu imago quidem sua est quam ipse creauit, sed superscriptio ipsam eandem imaginem Deo configurauit, & falsauit hoc quod Deus bene creauerat.


Sequitur : *Vana est pulchritudo* : interior vera, & pulchritudo exterior vana. Interior consistit in pulchritudine conscientiæ : sicut dicitur Cant. 1. *Nigra sum sed formosa filia Ierusalem sicut tabernacula Cedar, sicut pelles Salomonis*. Tabernacula enim Cedar intus pulchra , exterius vero nigra dicuntur. Pelles autem Salomonis, in quibus arca inuoluebatur , interiori parte gemmis & auro redimitæ fulgebant, exterius autem non multum prætendebant decorem. Sic & sancta anima ornatum & pulchritudinem virtutum habet intus : extra autem humilitate & squalore rigoris & abstinentiæ est denigrata ad modum videlicet templorum Domini, quæ omnia multum intus & parum ornata sunt exterius. Vnde Cant. 1. *Pulchra sunt gene tue sicut turturis*. Habet enim duas genas, scilicet, innocentiam conuer-sationis, & habitum maturitatis : quæ pulchritudine sicut turturis esse dicuntur , quia castitatem & fidem in omnibus operibus exhibendo, se sine felle malitiæ esse demonstrant.

De pulchritudine autem exteriori vana multa ab his qui illam sequuntur scripta sunt: sicut illa de Helena, de qua dicit Philosophus, quod ad hoc oportet ut verbis sapientum , ut fugiamus Helenam. Fuerunt tamen quædam mulieres sanctæ etiam pulchrae exterius, & tamen non vanæ : quia pulchritudinem suam mundo in concupiscentiam non ostenderunt, sicut fuit Judith, & Susanna, & tres filiæ Iob, & Rebecca , & aliae de quibus legimus in Scriptura. Iob 42. Filiae enim Iob appellatae sunt Dies, & Cassia, & Cornustibij propter pulchritudinem suam: vnde dicitur ibi , quod non sunt inuentæ mulieres speciosæ sicut filiæ Iob in vniuersa terra. Sed in omnibus his verificatur quod dicitur de Judith, quod *Dens illi splendorem contulit : quia omnis illa compositio non ex libidine sed ex virtute pendebat..*

§. I I.

**S**equitur secundum huius versus, scilicet, in quo laudatur. Vnde dicit: *Mulier timens Dominum, ipsa laudabitur.* Vbi duo notanda sunt, scilicet, quare dicit, laudabitur in futuro, & non in praesenti. Est autem mulier timens Deum laudabilis propter tria præcipue: quorum unum est, quia timor eam maxime humiliat, & ideo in laude est extollenda. Vnde ad Rom. 11. *Noli altum sapere, sed time,* hoc est, si times non altum sapies. Secundum autem est, quia timor expugnat omne vituperabile: vnde quicquid remanet, laudabile est. Vnde Eccli. 1. Timor Domini expellit peccatum. Tertium & ultimum est, quia timor Domini perfectam inducit sapientiam implendi mandata & obedientiam. *Initium sapientie timor Domini,* ut dicit Psal. 110. Et Ecclæ. 11. dicitur de obedientia. *Deum time & mandata eius obserua: hoc est omnis homo.* Et ideo quia haec tria timor Domini facit præcipue: ideo David in Psal. 33, tanquam nobis utilius nihil videntis dicit: *Venite filij audite me, timorem Domini docebo vos.* Tobias etiam senior filium suum ab infantia timorem Domini docuit Tobiae 1. & recedere ab omni peccato. Et ideo Psal. præcipit: *Timete Dominum omnes Sancti eius: quoniam nihil deest timentibus eum.* Et ideo etiam laus non potest eis deesse.

Sequitur quare dicit in futuro laudabitur, & hoc est quod dicit sapiens Eccli. 11. *Ne laudes hominem in vita sua.* Et Ambros. *Tunc lauda quando nec laudantem nocet adulatio, nec laudatum elatio tentat.* In hac autem vita non laudantur Sancti, sed Deus laudatur in Sanctis suis.



C A P. XXII.

§. I.

¶

Date ei de fructu manuum suarum, & laudent eam in portis opera eius.



**H**A V quæ litera ultima Hebraeorum, epigramma est in hunc ultimum versum, interpretatur signum, & norat signum laudis & præconij quod præcipue est ab operibus mulieris huius. In hoc capitulo laudatur mulier fortis. Quid autem sit laus præcipua habetur in Ioanne vbi dicit Dominus Ioan. 5. *Ego habeo testimonium maius Ioanne. Opera qua ego facio, ipsa testimonium perhibent de me.* Est etiam Thau signum huius mulieris: omnes enim qui non interficiuntur ab Angelo exterminatore, hoc sunt signo signati: sicut legitur Ezech. 9. *Transi per medium ciuitatem in medio Ierusalem: & signa Thau super frontes virorum gementium & dolentium.* Et dixit ad exterminato-

D. Alberti Magni Lib. de mul. forti.

res. *Egredimini post eum: & super quem non videbitis signum Thau, interficie, & a sanctuario meo incipite.* Vnde etiam signum hoc signum crucis significat. Signo enim crucis cruce redemptus debet signari & configi: ut stigmata Domini nostri Iesu Christi, secundum Apostolum in fine ad Gala. in corpore nostro circumferamus.

Sequitur: Date ei, &c. In duabus consideratur sententia capituli, scilicet, quid sit dare mulieri huic de fructu manuum suarum, & quid laudare eam in portis opera eius. Circa primum consideranda sunt tria, scilicet, cui dicatur, *Date,* & quid dandum, & ad quid. Dicitur autem istud Angelis quibus commisit eam Deus, sponsus eius & vir eius. Angeli enim sunt ministri Dei defrarentes ad nos quæ dat nobis Deus. Vnde Ps. 103. *Qui facit angelos suos spiritus, & ministros suos flammarum ignis.* Et in Tob. 12. *Quando orabas cum lacrymis, & sepeliebas mortuos, & derelinquebas prandium tuum, & mortuos abscondebas per diem in domo tua, & nocte sepeliebas eos: ego obtuli orationem tuam Domino.* Et hæc verba dixit Raphael Angelus.

Quid autem dandum est aperit, cum dicit: *De fructu manuum suarum.* Manus autem accipiuntur hic opera: & fructus sunt prægustationes spiritus, quos fructus per ministerium Angelorum etiam hic quandoque facit nos prægustare. Sunt autem hi fructus duodecim qui enumerantur ab Apostolo ad Galat. 5. Fructus Spiritus est charitas, gaudium, pax, patientia, benignitas, bonitas, longanimitas, mansuetudo, fides, modestia, continentia, castitas. Et est hæc charitas illa quæ perfectissima est: hæc enim est illa quæ reficit ut fructus dulcis. Et hæc est de qua dicit Dyoniſius, quod est acuta, mobilis, feruida, & superferuida. Acuta, ut penetrat intima amati. Mobilis autem, ut continuo ascendat ad ipsum. Feruida vero, ne tepescat ad amorem mundi. Superferuida autem, ut continuo in desiderio ebulliat ut suspirat in amplexum. Et hæc est ignis in Sion & caminus in Ierusalem. Hæc est ignis dum speculamur per fidem: caminus autem quando pacem comprehendemus per veritatem.

Gaudium autem de quo hic loquitur, est iucundatio mentis in gusto diuinæ dulcedinis, quæ procul dubio est regnum Dei. Non enim est regnum Dei, ut dicit Apostolus ad Rom. 14. *Cibus & potus, sed iustitia, & pax, & gaudium in Spiritu sancto.* Pax autem ista facta est, & fruuntur ea Sancti, & est tranquillitas & quietus cordis in gusto Dei quietante omnia nostri desiderij inquieta: quæ pax est quam Dominus dedit & reliquit Apostolis Ioan. 14. Non quomodo mundus dat, quia in mundo pressuram habuerunt: sed in ipso pacem, de qua dicit Psalm. 84. *Audiam quid loquatur in me Dominus Deus: quoniam loquetur pacem in plebem suam, & super Sanctos suos & in eos qui conuertuntur ad cor.* Et hæc est pax quæ secundum Apostolum ad Philip. 4. *Exuperat omnem sensum, id est, omnem sensibilem delectationem,* quæ custodit sensus & intelligentias Sanctorum.

Patientia autem quæ fructus hic dicitur, est constantia & æquanimitas animi in laboribus huius vitæ reficiens ex spe beatitudinis expectata. Benignitas autem est bona ignitas: quando scilicet bonum quod est in corde, ex igne charitatis incipit liquefcere in affectum proximo.

rum, ut dulcem se exhibeat verbis & operibus in omne quod iussit proximus. Bonitas autem est vere cordis dulcedo quæ ostendit in nobis esse Deum: quia communicamus omnibus nos & nostra secundum Deum. *Bonum enim est diffusum sui & communicatum*, ut dicit Dyonisius. Longanimitas autem est æquanimitas in expectando promissa. Mansuetudo vero est mititas quæ nullum prouocat, nec de facili prouocatur ab alio.

Fides autem hic non accipitur pro illa quæ vider per speculum in ænigmate, sed pro certitudine inuisibilium, ut dicit Glossa super hunc eundem locum. Tunc enim homo in veritate pascitur, quando certum habet hoc quod de veritate cognoscit & apertum. Modestia vero est modum & decentiam interius & exterius statuens, quod etiam hominem secundum Deum ambularem delectat. Continentia vero habet fructum triplicem, scilicet, centesimum in virginibus, sexagesimum in viduis, & trigesimum in coniugatis. Castitas autem hic accipitur pro temperantia innata delectationis in cibis & aliis quæ corpus delectant, secundum quod etiam dicitur castitas quasi corporearum delectationum castigatio, secundum quod dicit Apostolus 1. Corinth. 9. *Castigo corpus meum, & in seruitutem redigo: ne forte cum aliis predicauerim, ipse reprobis efficiar.*

Sed nota quod huic mulieri datur fructus manuum suarum, & fructus est merces operis. Sed quidam sunt in se signa foris prætendentes, qui proprias manus mordent & deuorant: & isti sunt hypocritæ, qui deuorant opera sua antequam ad fructum perueniant. Quidam autem ut peccatores fructum in manibus nullum habent nisi forte glandes quas porci immunditiæ carnis manducant.

Sequitur ad quid detur ei de fructu manuum suarum. Datur autem ei ad tria, scilicet, ad gustum, ad seminandum, & ad gratias agendum de perceptis. Ad gustum: quia gustauit & vidi quia bona est negotiatio eius, & ideo lucerna inquietandi talia non extinguerit in tenebris. *Gustato enim spiritu* ( dicit Gregorius ) *despit omnis caro*, id est, carnalis delectatio. Vnde ex gusto confortatur spiritu magis fortis effecta ad laborem: sicut de Paulo dicitur Act. 9. quod *cum accepisset cibum, confortatus est.*

Ad seminandum autem: quia fructum ut meritum sui laboris accipit. De hoc eodem fructu semen vltioris meriti in terram cordis sui spargit. Vnde gratiam, quam ut fructum laboris accipit, exercet ut amplius in merito crescat. Sciens iuxta Apostolum 2. ad Corinth. 9. quod *qui parce seminat, parce & metet.* Et illud. *Mane semina semen tuum & vespere ne cesset manus tua Ecclæ. 9.*

Ad gratias etiam agendum fructum accipit; sicut Dominus in lege præcipit, quod quando fructus collegerant, quod veniant ad templum & ad summum sacerdotem, & confiteantur se recepisse quæ Dominus promiserat. Vnde vult Dominus recognoscere quemlibet hominem fructum gratiæ, ut largitori gratiæ magnifice gratias agat.

## §. II.

**S**equitur. *Et laudent eam in portis opera eius: in quo tria notanda sunt, scilicet, ubi laudanda est, & à quibus laudanda, & qua laude. Vbi laudanda: quia in portis. A quibus: quia ab operibus. Quia laude: quia laude testimonij virtutis & iustitiae.* Sunt autem portæ vitæ huius, & portæ mortis, & portæ iudicij: & sunt portæ inferni, & sunt portæ cœli, & sunt portæ paradisi. Porta vitæ huius est nativitas, & præcipue nativitas quadruplices, scilicet, de terra, de costa, de feminâ & viro, & de virgine feminâ sine viro. Prima est Adæ, secunda Enæ, tertia communiter hominum, quarta Iesu Christi, vnde Genes. 15. dicitur Abraham: *Scito prænoscens quod peregrinum futurum sit semen tuum in terra non sua: & subiaceat eos seruituti, & affligeret quadringentis annis, &c.* Generatione autem quarta reuertentur huc. De his portis intelligitur hoc quod dicitur Job 5. *Vidi stultum firmam radice, & maledixi pulchritudinem eius statim: longe fient filii eius à salute, & conseruentur in porta: & non erit qui eruat.* Intendit enim dicere, quod in ipsa porta per quam habent ingressi ad vitam, præoccupantur & ladeantur in primo flore vitæ, ut dicant cum Ezechia Isaïæ 38. *Ego dixi: In dimidio dierum meorum vadam ad portas inferi.* Et illud. *Præcisa est velut à texente vita mea: dum adhuc ordirer, succidit me.*

Portæ aurem mortis. Vnde in Psal. 126. *Beatus qui non confundetur, cum loquetur inimicis suis in porta.* In morte enim inimici humani generis dæmones maxime ad confusione hominis laborant: quia in porta mortis aut hominem finaliter perdunt, aut lucrantur.

Porta autem iudicij est in qua sedent senes terræ ad iudicium & senatorès. Vnde supra habitum est. *Nobilis in portis vir eius, quando sedebit cum senatoribus terre.* Et in lege præcipitur, quod iudices in portis sedeant, & iusta iudicia decernant.

De portis autem inferni dicitur Matth. 16. vbi Dominus loquitur ad Petrum, dicens: *Tibi dabo claves regni celorum.* Et ante hoc dixit: *Tu es Petrus & super hanc petram edificabo Ecclesiam meam: & portæ inferi non prævalebunt aduersus eam.* Et Psalm. 23. Tollite portas principes vestras, & eleuamini portæ aternales, & introibit Rex gloriæ. Et hoc dixerunt Angeli & sancti patres quando Christus descendit in infernum: sicut testatur Euangelium Nicodemi. En contruit portas æreas, & vectes ferreos confregit.

Porta autem cœli ostenditur etiam in Psal. 77. vbi dicitur. *Portas cœli aperuit Dominus, & pluit illis manna ut ederent.* Item Iere. 2. *Obstupescit cœli super hoc, & portæ eius desolamini vehementer,* dicit Dominus. *Duo enim mala fecit populus meus. Me dereliquerunt fontem aquæ vinae, & foderunt sibi cisternas dissipatas quæ continere non valent aquas.* Cœli obstupescunt, quando cœlum inhabitantes obstupescunt. Portæ autem eius vehementer desolantur, quando illi qui cœlum intrare deberent, per aliam viam errando deuiant ad mortem. Et hoc ideo quia duo mala peccando facit populus, scilicet, Deum per contemptum

& ingrā

& ingratitudinem relinquendo, & fodiendo per desiderium & laborem terrenorum cisternas vacuae consolationis, quæ aquam veri refrigerij non continent sed immundant. Et Psalm. 117. *Aperite mihi portas iustitiae, ingressus in eas confitebor Domino. Hæc porta Domini, iusti intrabunt in eam.* Et in Euangelio Matth. 7. *Contendite intrare per angustum partam.*

Porta autem paradisi est ex qua extrusi sumus ante quam constituit Dominus Cherubim & flammum gladium atque versatilem ad custodiendam viam ligni vite Genes. 3.

In omnibus his portis digna laude est mulier fortis. In porta enim naturæ sive vite huius laudabilis est per humilitatis recordationem: scit enim quia humiliiter intrauit, & scit esse miserabilem propterea infirmitatem: in modo vero nascendi, quia *omnis caro fœnum, & omnis gloria eius quasi flos agri*, ut dicitur Isa. 40. In porta autem mortis laudatur per securitatem: quia cupidis solui & esse cum Christo, cum Apostolo ad Philip. 1. Et iterum sicut dicitur 1. Corinth. 5. *Autem & bonam voluntatem habet magis peregrinari à corpore & præsens esse ad Deum.* Et illud Apocal. 14. *Beati mortui qui in Domino moriuntur: quia animo dicit Spiritus ut requiescant à laboribus suis.* In porta autem iudicij in qua sedent sapientes huius mundi disponentes de mundo, laudatur mulier per bonam famam. *Scit enim, ut dicitur in Judith 14. Vniuersus Israël mulierem virtutis eam esse.* Præterea sedet ibi vir eius: qui ut prius dictum est, surgit & laudat eam. Præterea etiam filii eius prædicant famam virtutis eius.

In portis autem inferni laudatur per victoriam tartari: quia scilicet sic triumphauit à diabolo ut non valeat portis inferni concludi: vnde etiam gloriando super mortem dicit Osee 13. *Ero mors tua ô mors, mors tuus ero inferne.* Quod enim habet hæc mulier in marito per redemtionem, habet in se per meritum: quia etiam ipsa mordet infernum extrahendo se & alios quos conuertit. In portis etiam cœli laudatur confessione veræ laudis, & recognitione beatitudinis ab ipso Deo. Vnde dicitur Marc. 8. *Qui me confessus fuerit coram hominibus, confitebor & ego eum coram Patre meo.* In portis etiam paradi laudabilis est per redditum meriti. Vnde Adam vituperabiliter cecidit per transgressionem mandati. Vnde & hoc cantatur in laude fortissimæ Virginis, quod *paradisi porta per Euam cunctis clausa est, & per Mariam Virginem iterum patet*. Sic hæc mulier fortis in omnibus portis laude est digna, & non vana, sed vera quæ est prædicatio virtutis eius.

Laudatur autem hæc mulier à suis operibus triplici de causa. Vna & præcipua est: quia opera sunt testes vitae omni exceptione maiores. Alia causa est: quia sola opera nostra stabunt nobiscum in iudicio. Tertia causa est: quia opera procedunt ex nobis & nihil aliud. Quod opera sunt testes vitae omni exceptione maiores, patet ex hoc quod dicit Apostolus in 2. ad Corinth. 6. *Omnis nos stare oportet ante tribunal Christi, ut referat unusquisque propria corporis prout gessit.* Et in symbolo Athanasij. *Et reddituri sunt de factis propriis rationem.* Et in Apocalip. 14. *Opera enim illorum sequuntur illos.* Illi testes sunt maiores omni exceptione: quia nunquam mentiti sunt: nun-

quam dolus vel fraus inuenitur in ore ipsorum. Vnde etiam Christus præfert testimonium suorum operum testimonio Ioannis, vbi dicit: *Ego autem habeo testimonium maius Ioanne. Opera quæ ego facio, ipsa testimonium perhibent de me.*

Iste est tantus testis laudis, quod si vniuersus mundus conueniat & testetur sanctum esse aliquem & laudabilem, & solum opus vituperij stet in parte altera accusans conscientiam, conuincet talem esse vituperabilem & condemnandum. Similiter si omnis creatura Dei clamet contra aliquem accusans & condemnans, & sola opera sua sancta & bona excusent & laudent & probent innocentem: præfertur à Deo & conscientia iste vnicus testis operum aliis omnibus. Quod tamen valde mirum videtur: eo quod Dominus ipse dixerit Matth. 18. *quod in ore duorum vel trium testium stabit omne verbum.* Sed hoc intelligitur de testibus qui factum nouerunt, & omni exceptione maiores inueniuntur. Isti testes de corde & vita hominis non possunt haberi nisi per opera & conscientiam & Deum qui in extremo iudicio testis erit & iudex.

Sola etiam opera tunc stabunt in iudicio. Ibi enim cedit amicus, similiter bona secularia, filii, parentes, & omnia que in hoc mundo diliguntur. Substantia autem huius mundi tunc igne cremabitur, qui præcedit faciem iudicis. Homines autem amici, & filii, & parentes, & alij propinqui, tunc stabunt iudicandi, & ideo testes esse non possunt. Si enim quilibet pro alio testis admitteretur, omnes excusarentur. Sed omnes in una & pro una causa stabunt, & ut iudicandi: ideo nullus alterius testis esse poterit. Vnde Iob 10. *Non est qui de manu tua possit eruere.*

Sola etiam opera procedunt à nobis, ut dicit Dominus: *Quæ procedunt ab ore, à corde exeunt, quæ sunt furtæ, fornicationes, & huiusmodi.* Et Apostolus ad Galat. 5. *Manifesta sunt opera carnis, quæ sunt fornicatio, immunditia, impudicitia, luxuria, idolorum servitus, veneficia, inimicitia, contentiones, emulaciones, iræ, rixa, dissensiones, sectæ, inuidia, homicidia, ebrietates, commissationes, & similia, quæ prædico vobis sicut predixi, quoniam qui talia agunt regnum Dei non consequentur.* Et dicit ea esse opera carnis: quia sunt à carnali concupiscentia & voluntate: vnde 1. ad Corinth. 15. dicit Apostolus: *Caro & sanguis regnum Dei non possidebunt.* Et ibidem Gloss. id est, opera carnis & sanguinis. Et in Euangel. Ioan. 1. dicit de Sanctis, quod *non ex sanguinibus neque ex voluntate viri, sed ex Deo nati sunt.*

Sequitur, qua laude: quia testimonio virtutis: & hæc est honor huius mulieris. Honor enim est exhibito reverentiæ in testimonium virtutis. Honor autem & laus huius mulieris in quatuor attenditur quæ facit Deus honorando Sanctos suos. Primum est laus eorum ab ore Dei edita coram sanctis Angelis: vnde dicitur Ioan. 12. *Qui mihi ministrauerit, honorificabit eum Pater meus qui in cœlo est,* hoc est, dignum laude coram his qui in cœlo sunt, prædicabit.

Secundum est in confessu mensæ Dei: efficitur enim commensalis Dei, vbi mensa facies Dei est aperta: panis autem dulcedo suæ bonitatis & veritatis quæ nos reficiunt, & sunt panis & alimentum Angelorum: vnde in Luca ante Passionem

Passionem dicit: *Ego dispono vobis sicut dispositum mihi Pater meus regnum, ut edatis & bibatis super mensam meam in regno meo.*

Tertium autem est participatio sui gaudij: quo enim ipse feliciter & aeternaliter gaudet, eodem gaudio nos secum sibi vult habere confortes: vnde dicit: *Euge serue bone & fidelis, intra in gaudium Domini tui.*

Quartum autem est in adoptione regni & corona: vnde March. 25. *Venite benedicti Patriis mei, percipite regnum quod vobis paratum est ab origine mundi.* Ad quod nos perducat Iesus Christus Filius Dei cui est honor & gloria in secula seculorum, Amen.

### IN MULIEREM FORTEM.

*Cedite fallaces, procul o procul esse prophane.  
Circe, Pasiphe, Penthesilea, Venus.*

*Fortis adest mulier, quamvis sit mollis ut aer:*

*Mollis amore pio, fortis amore Dei.*

*Casta Susanna, Judith fortis, prudens Abigail,*

*Quicquid laudis habent, hec cumulata tenet.*

*En mulier fortis, vincula obruncans tibi mortis.*

*Fortia: fortis eas, victor ut astra petas.*

*Fortior ut valeas, fortem hanc pro coniuge poscas,*

*Ut pulchra hinc prolis efficiare pater.*

F I N I S.





# INDEX RERUM

## In Libro de muliere fortis memorabilium.

Primus numerus Caput, secundus Paragraphum, tertius Paginam, A, B, columnam designant.

### A

BSTINENTIA debet habere duo, scilicet austernitatem & discretionem, & notantur in vestitu Ioannis. Cap. 12. §. 2. 52.a  
Actiuæ vita in libero arbitrio polita habeta nçillam voluntatem operantem, quæ præcipit omnibus membris & incedit semper in ornatu virtutum, amputans caput diaboli. ca. 19. §. 1. 87. a  
Actiuæ vitæ perfectio est secundum summum & perfectum statum virtutis animi, post cuins adeptionem zelus animarum exardecere debet. ca. 19. §. 1. 93. a  
Actiuæ duplicitibus vestiri debent, scilicet fervore spiritus, & persecuerantia, & quæ per ista duo significantur. ca. 12. §. 2. 51. a  
Actiuæ vita laboriosa & lippa est oculis & in libero arbitrio fundatur, fœcunda scilicet minus dilecta, non promissa, sed prius exhibita: & per ipsam & non aliter peruenitur ad contemplatiuum. ca. 19. §. 1. 86. b  
Actiuæ vita agro cōparata citi benedixit dominus, debita obedientia mandatorū obtinetur & consiliorum obseruantia. ca. 7. §. 1. 26. a  
Actiuæ vitæ duo gradus notantur designati per duos filios ancillæ Liæ, scilicet per Gad & Aser, quorum primus significat felicitatem actiuam, quæ est secundum ultimum statum virtutis in consummata voluntate, &c. Secundus signat zelum animarum, qui post talem statum debet esse. Nota benedictiones utriusque à patre & legislatore. ca. 19. §. 1. 92. a & seq.  
Actiuæ vita non peruenit ad fœcunditatem quatuor filiorum, nisi virtutum cornua quibus diabolus ventilatur & vngulæ disciplinæ quibus concupiscentia mundi conculcatur, præcedant. ca. 19. §. 1. 87. a & b  
Actiuæ vita quatuor filios concipit, post quos contemplationi apta fit. Designantur autem per quartuor filias Liæ: sunt enim cognitio agendorum, obedientia mandatorū, impletio consiliorum & gratiarum actio. ibid.  
Actiuæ vita scripturarum sententias per memoriam retinens prædicatione debet effundere pro animarum salute ex zelo: si quis tamen in mandatis Domini secundum perfectum statum virtutum sit exercitatus, & talis duplice mercedem meretur, & hic se murum debet ponere pro domo Israel: & quamvis talis sit, mollities tamen carnis adhuc non desinit infidias ei ponere. ca. 19. §. 1. 88. a & b.  
Acedia significatur niue. ca. 12. §. 1. 48. b  
Acedia figuratur per draconem, & nota efficitur. D. Alb. Mag. lib. de muliere fortis.

Etus acedia in mente, & qualiter expugnatur. ca. 10. §. 1. 38. a & b  
Accingimur ad bellum quamvis, & succingi & præcengi debeamus. Sed nota fortitudines quibus accingimur. ca. 8. §. 1. 30. a & b  
Acus spiritualiter quid sit. ca. 20. §. 3. 99. a  
Adam primus & secundus qui Christus, significantur per duos filios propter venationem sylvestrium & inuentionem duorum hædorum. ca. 1. §. 4. 5. a  
Aduersa pati fortiter facit spes, patet de matre Machabæorum. ca. 1. §. 1. 3. a  
Aduersitas huius mundi significatur per dominum hyemalem, in qua Ioaehim studuit libro verborum Domini. ca. 18. §. 1. 85. a & b  
Aduersitas sex notabiliter facit, sicut & disciplina quæ est eruditio per difficultia. ca. 12. §. 1. 46. a & seq.  
Adulterantes verbū Dei significantur per Het & Onam: nota de zelo animarum. c. 1. §. 1. 2. a  
Affectiones naturales quatuor sunt, circa quæ sunt mille tentationes, & in his militia vitæ nostræ, in qua vix reperitur fortis. ca. 1. §. 1. 1. b  
Affectionum diuersitas efficit ut mulier nobilis vocetur vxor, mater & soror. ca. 14. §. 1. 55. b.  
Ager sextuplex notatur, qui tripliciter est considerandus, & quilibet ager pretio speciali est emendus. ca. 7. §. 1. 26. b  
Alæ sex quas habebat Seraphin, nota quid significant, & quid solium, & quid templum. ca. 4. §. 1. 1. 5. b  
Admiratio in contemplatiuis non debet esse curiositatis, sed deuotionis & iocunditatis. ca. 12. §. 2. 51. b  
Admirationis gaudium in cognitione Dei & glorificatione eiusdem præfertur vtilitari actionis. ca. 19. §. 1. 88. a  
Admirationis latitudo circa diuina mysteria, quorum causam ad plenum non cognoscimus, est secundus gradus contemplatiæ vitæ. ca. 19. §. 1. 91. b & seq.  
Amoris vinum quod inebriat, nota ubi crescit, & unde exprimitur, & in quo vase recipitur, & à qua fæce eliquatur, & qualiter bibitur. ca. 7. §. 1. 29. b  
Amplexus sponsi à sponsa desideratur & iam queritur, sed modum querendi nota pulchrum ex canticis cantorum. ca. 1. §. 4. 5. b  
Anchora animæ est spes, & nota quatuor certitudines spei. ca. 5. §. 1. 19. a  
Angeli duplice vestiti sunt stola. c. 12. §. 2. 52. a  
Angeli ministri nostri sunt offerentes nostra Deo, & nobis referentes prægustationem spiritus cuius fructus sunt duodecim. ca. 22. §. 1. 101. b  
Animæ fines duo sunt secundum duas potentias

# Index rerum.

- tentias, intellectum scilicet & voluntatem. ca. 1. §. 5. 7.b  
**A**nima fidelis dicitur mulier propter duo: quia generat in se, sed ex alio: & quia instrumenta quatuor habet mulier per quae differt à viro. ca. 1. §. 1. 2.a  
**A**nima nostra vinea dicitur propter ea quae ad vineam pertinent. ca. 7. §. 2. 30.a  
**A**nima fidelis sponsa Christi quae & mulier fortis est, prædicatur à filiis suis beatissima secundum tres modos beatitudinis, & laudatur à viro suo Christo de tribus, scilicet utilitate, dignitate, & de admirabilibus mysteriis. ca. 19. §. 2. 96.b  
**A**nima fidelis sponsa Christi habet quatuor partes fœcundas, ex quibus duodecim filias benedicto semine progenitas educit in laude. ca. 19. §. 2. 96.b. Nota de duabus vitis.  
**A**nima sancta sponsa Christi multiplicem habet ornatum, qui notatur auctoritate Iсаиæ. ca. 20. §. 3. 98. b  
**A**nima sancta laudabilis erit in sex portis, de quibus nota, & laudabitur ab operibus tripli de causa, & honor eius in quatuor attenditur. ca. 22. §. 2. 102.b  
**A**nni ttes notantur, per quos nauis Salomonis iuit in Tharsis: & quid sint isti anni spiritualiter, & quae bona portantur istis nauibus. ca. 5. §. 1. 21.a & b  
**A**ntiquus dierum cui throni positi sunt, ut in Daniele scribitur, nota quid significet, & similiter eius vestimenta, &c. ca. 16. §. 4. 75.a  
**A**nnulus spiritualiter quid significat. ca. 20. §. 3. 99.a  
**A**rduum & difficile quid sit. ca. 16. §. 2. 62.b  
**A**rma damnatorum quae sint. ca. 16. §. 4. 76.a  
**A**rmillæ spiritualiter quid sint. ca. 20. §. 3. 99.a  
**A**fer significat zelum animarum, cuius benedictio duplex notatur. ca. 19. §. 1. 92.b  
**A**uarus eleemosynam non faciens, sex mala facit. ca. 11. §. 2. 44.b & seq.  
**A**uaritia deprimit hominem sub his quibus damnari debet, significatur autem per mulierem in amphora Zachariae. ca. 11. §. 2. 44.b  
**A**uaritia notatur, & competit avaris quae notantur in Absolone certante contra patrem. ca. 10. §. 1. 38.a & b  
**A**uaritia decem sunt modi. ca. 10. §. 1. 36.a  
**A**udacia bona est actus fortitudinis, & est triplex, scilicet intrepeditas, aggressio horribilium, & audacia committendi se auxilio diuino: nota de audacia martyrum. c. 16. §. 1. 61. a & b  
**A**udacia mala triplex notatur, quam fortitudo virtus excludit: est enim prouocativa Dei & præsumptum atque tentantium Deum. ca. 16. §. 1. 60.b  
**A**zahel qui tulit signaculum super faciem regis Syriae, significat huius mundi homines. ca. 13. §. 1. 53.a  

**B**

**B**eati gaudebunt vel tidere possunt tribus de causis, & singulæ iterum diuiduntur in quatuor. Prima est ex parte sui. Secunda est ex parte Dei. Tertia est ex parte societas. ca. 16. §. 4. 71.b & seq.  
**B**eati in patria habebunt septem, quae eos decorabunt, quædam ex parte animæ, quædam ex parte corporis, & quædam ex parte vtriusque. ca. 16. §. 3. 69.b  
**B**eati habebunt cingulum glorie, & nota quatuor quae erant in cingulo summi pontificis. ca. 15. §. 2. 59.a  
**B**eatorum gaudia notantur. ca. 16. §. 4. 72. b  
**B**eati videbunt damnatorum pœnam, quæ habet decorem iustitiae. ca. 16. §. 4. 74.a  
**B**eati deridebunt damnatos de septem. ca. 16. §. 4. 71.b  
**B**eatitudinem omnes appetunt, sed non querunt ubi est. ca. 16. §. 2. 63.a  
**B**eatitudo cælestis patriæ quæ sit ca. 12. §. 1. 47.a  
**B**eatitudo tribus modis definitur, & secundum tres modos anima fidelis quæ mulier fortis dicitur, prædicatur à filiis beatissima. ca. 19. §. 4. 71.a  
**B**eatitudinis ratio ex parte ipsorum beatorum quadruplex est. ca. 16. §. 4. 71  
**B**eatitudinis sunt tres fines. ca. 1. §. 5. 7.a  
**B**eatitudinis pars optima quam Maria elegit, est dilectio Dei perfecta: & nota quatuor causas beatitudinis in beatis ex parte Dei, scilicet visionem apertam, dilectionem perfectam ipsius, fruitionem quæ in gustu dulcedinis Dei est, & fruitionem Dei & hominis in una persona: & haec beatitudo notatur per auctoritatem Euangeli. ca. 16. §. 4. 71.b  
**B**eatitudines octo notantur, quæ dicuntur capita consiliorū Dei. ca. 18. §. 1. 81.b & seq.  
**B**ellum continuum animæ ad corpus, & è conuerso erit in damnatis. ca. 16. §. 4. 73.b  
**B**ella fortissima contra decem duces fortis notantur, & quod quadrupliciter manus deberunt contra illos. ca. 10. §. 1. 37.a  
**B**enedictio duplex notatur quæ datur pœnitenti. ca. 10. §. 1. 35.b  
**B**enedictio duodecim filiorum Israël ponitur tam quod patrem, quam quoad legislatorē à quibus benedicti fuerāt. c. 19. §. 1. 89.b & seq.  
**B**eneficia multa nobis exhibita nos ad deuotionem excitare debent. ca. 7. §. 1. 29.b  
**B**enjamin benedictus à patre & legislatore significat ultimum gradum contemplationis, qui est excessus siue raptus mentis. c. 19. §. 1. 96.a  
**B**enjamin adolescentulus quid significet. ca. 2. §. 1. 8.b  
**B**enignitas fructus spiritus. ca. 22. §. 1. 101.b  
**B**iflissus & purpura nota quid significant. ca. 13. §. 2. 53.b  
**B**onitas fructus spiritus. ca. 22. §. 1. 101.b  
**B**onum simpliciter est triplex, & bonum non simpliciter quod est malum pœnae, diuiditur in decem & omnia ista dantur à Deo. ca. 3. §. 1. 11.b  
**B**onum internum duplex. ca. 19. §. 1. 35.b  
**B**oni æterni gustus duo in nobis facit. ca. 19. §. 1. 36.a  
**B**onum non est quod inuitè quis agit. ca. 16. §. 2. 63.a  
**B**ona dantur nobis à Deo qui sponsus noster est, quinque rationibus, scilicet ex beneplacito disponente, vt bonum creationis, &c. quædam ex promisso, quædam ex merito, quædam ex affluentia liberalitatis, & quædam iure matrimonij. ca. 3. §. 1. 12.a & b  
**B**rachium spirituale ipsius mulieris fortis, nota

# Index rerum.

- nota quid sit & quæ eius partes: & nota quibus armari debet idem brachium. ca. 8. §. 2. 32.a
- C
- C**ananæus idem quod negotiator: nota triplicem Cananæum, scilicet maledictum, dolosum, & benedictum. ca. 15. §. 2. 59.a & b
- Catenæ inferni quid sint. ca. 16. §. 4. 77.a & b
- Capitalia vitia septem cum suis filiabus ca. 10. §. 1. 37.a
- Charitas viæ dicitur desiderium, & mutabilitur in completam dilectionem. c. 12. §. 1. 48.a
- Charitas fructus spiritus: nota effectus charitatis. ca. 22. §. 1. 101.b
- Christus Angelus consilij dicitur: quia inuenit modum nostræ redemptionis. ca. 1. §. 3. 4.b
- Christus duplarem lanam nobis reliquit ex nativitate sua, duplarem à profectu vitæ, & duplarem ab exitu suo. ca. 4. §. 1. 15.a
- Christus Cananæus benedictus, id est, negotiator animarum, secessit in partes Tyri & Sydonis. ca. 15. §. 2. 59.b
- Christum nutrire debemus cibo & potu, atque in sinu nostro recipere ut dormiat. ca. 4. §. 1. 14.b
- Christus quatuor patitur à fratribus suis sicut & Ioseph passus est. ca. 1. §. 4. 5.e
- Caro nostra tribus est circundata miseriis quæ notantur in hoc versu, Inuenit eum in terra deserta, &c. c. 1. §. 4. 4.b
- Caro tripliciter est expugnanda, scilicet verberando, sustinendo & moderando. ca. 10. §. 1. 36.a
- Carni duo spolia debemus auferre. ca. 2. §. 2. 10. b
- Carnis vigor duobus obtinetur, scilicet mortificatione & temperantia castitatis. ibid.
- Carnalitas erit in corporibus damnatorum. ca. 16. §. 4. 74.b
- Castitas designatur cingulo & per zonam auream. ca. 15. §. 2. 57.b
- Castitas per sindonem designatur: nota qualiter custoditur & venditur. ca. 15. ibidem.
- Castitas triplex notatur, scilicet virginalis, viridalis, & matrimonialis: nota differentiam. ca. 15. §. 1. 57.a
- Castitas duo debet habere, scilicet verecundiam & sanctimoniam: & nota quomodo eius contrarium, scilicet luxuria, hæc duo præmissa comburit, & alia quæ inducit. ca. 12. §. 2. 51.b
- Castitas & continentia fructus spiritus, differunt. ca. 22. §. 1. 102.a
- Castra vocati sunt damnati: nota rationem. ca. 16. §. 4. 74.a
- Cautela necessaria est tentatis. ca. 10. §. 1. 41.b
- Cæcitatem inducunt lutum, fumus & tenebre, spiritualiter autem peccatum, concupiscentia, & corporea phantasia. ca. 7. §. 1. 28.b
- Cælestia amare docet nos tribulatio huius vitæ: & nota cælestia quæ nobis in cælis dabuntur. ca. 12. §. 1. 51.a
- Cibaria quintuplicia notantur, scilicet virtutum, doctrinæ, sacramenti, contemplationis, & æternæ beatitudinis, & designantur in sacra Scriptura. ca. 6. §. 2. 24.a
- D. Alb. Mag. lib. de muliere forti.
- Cingulus mulieris forris octuplex notatur, scilicet iustitiae, fidelitatis, humilitatis, mortalitatis, tribulationis, munditiæ, ministerij, & dignitatis: qui dicuntur tradi Chananæo. ca. 15. §. 2. 58.b & seq.
- Circunspectio respectu quorum est, & qualiter debet fieri. ca. 18. §. 1. 81.a
- Claustrū vocatur domus obedientiæ, & habet multas officinas spirituales. ca. 18. §. 1. 83.b
- Clementia lex triplex, & quid sit clementia. ca. 17. §. 2. 80.b
- Clerici quandoque tripliciter sunt simoniaci, & prædicatione sua similiter audientia confessionis, quandoque fiunt omnibus deteriores: erroremque & malitiam quorundam nota, similiter in quo imitantur Simonem magum, Giezi, Iasonem, & filios Heli. ca. 15. §. 1. 58.b
- Cognitio duplex notatur agendorum, & significatur per Ruben, qui à patre exporationem, & à legislatore benedictionem accepit. ca. 19. §. 1. 89.b
- Columnæ septem notantur cuiuslibet virtutis cardinalis. ca. 8. §. 1. 84.b
- Colus, fucus & digitus qui apprehendunt fumum, & qualiter apprehendunt. c. 10. §. 2. 42.a
- Concupiscentia cordis nostri significatur agrolentis, & mortificatur tripli disciplina secundum tria difficultia. ca. 7. §. 1. 26.b
- Confessione confundere se debet homo propter Deum. ca. 17. §. 1. 79.a
- Confessio peccatorū tempore tribulationis obseruāda est, ut fecit Manasses. ca. 12. §. 1. 46.b
- Confiteri de tribus debemus quæ designantur per ea quæ furatus fuerat Achor. ca. 14. §. 1. 54.b
- Confiteri fidem quilibet tenetur Christianus, sed aliter prædicatores quam simplices. ca. 18. §. 1. 82.a
- Confessores debent serpentes tollere, non virus infundere: nec eis virus debet nocere. ca. 15. §. 1. 82.a
- Confidentia triplex, scilicet fidei, spei, & fortitudinis. ca. 16. §. 2. 64.b
- Confidentia sponsi in sponsam triplex est, vel tribus modis cōfudit in ea. c. 2. §. 1. 8. b. & 9.b
- Confidentiam viri in sponsa seruant tria, & attenduntur penes tria quæ fuerunt in formatione primæ mulieris. ca. 2. §. 1. 10.a
- Confidentiam perfectam in sponsa habere faciunt nouem. ca. 2. §. 1. 8.b
- Confortatio comprehensa sub magnificentia definitur, & notatur quadruplex, scilicet verbi, internæ consolationis, fortitudinis, & auxilij, quæ etiam est species fortitudinis. ca. 16. §. 2. 63.a & b
- Coniugati duas singulariter debent habere virtutes. ca. 4. §. 1. 16.b
- Compunctione vinum dicitur: & nota qualiter sit & babitur. ca. 7. §. 2. 29.a
- Conscientia & ratio differunt & iudicant. ca. 14. §. 1. 56.a
- Conscientiæ gloria ex tribus oritur, quæ debent esse in conscientia. ca. 16. §. 3. 68.b
- Conscientia bona & secura est felicitas summa huius vitæ, & comitantur eam bona opera & coniunctio summi boni in æterna vita. ca. 14. §. 1. 55.a & b

# Index rerum.

- Consideratio triplex , scilicet discussionis , circumspectionis , & inspectionis. ca. 18. §. 1. 81.a  
 Consideratio nostra debet esse cum aestimatione , discretione , & prouisione. ca. 7. §. 1. 27. a  
 Consilium est de difficulti & possibili aliter se habere posse , & nota ex quo spiritu debet esse. ca. 4. §. 2. 17. a  
 Consilia Dei diuiduntur in octo capita , quae sunt beatitudines octo. ca. 18. §. 1. 81. b & seq.  
 Consolatio aeternorum pane significatur , & nota vnde veniat. ca. 5. §. 2. 22. a  
 Consolatio pauperum duplex notatur designata per duos Angelos visitantes sepulcrum Domini. ca. 11. §. 1. 42. b  
 Constantia ad perseverantiam reducitur : est autem duplex , scilicet maturitatis & fortitudinis , & obstinatio non potest dici constantia. ca. 16. §. 2. 66. a  
 Contemplativa vita non nisi per actiuam acquiritur , & est merces actiuæ vitae. ca. 19. §. 1. 86. b  
 Contemplatio vera requirit quadruplicem visionem , scilicet quæ est per fidem , per donum intellectus , per munditiam cordis , & per fructum beatitudinis , qui dicuntur ab Apostolo fides: nota singula. ca. 19. §. 1. 33. a & b  
 Contemplatio erigit hominem , sed debet habere quatuor quæ necessaria sunt contemplatio. ca. 15. §. 1. 56. b  
 Contemplativa vita semper hic crescit usque ad diem aeternitatis , & hæc vita hinc habita facit desiderium dissolutionis à carne , quamvis propter cumulum meritorum adhuc in carne manere consentit : hæc vita per Ioseph filium Rachelis furantis idola , & per Beniamin designatur. ca. 19. §. 1. 89. a  
 Contemplatio proficit gressibus meditationis aeternorum , in qua contemplatione sponsa sapientia queri debet : obtinetur triplici pretio , & tribus impeditur. ca. 7. §. 1. 28. b  
 Contemplatio debet esse in octo quæ notantur in benedictione Ioseph à legislatore data , in qua & alia duo contemplationum notantur , scilicet eorum pulchritudo & fortitudo. ca. 19. §. 1. 95. a & b  
 Contemplatiui duo debent habere , scilicet puritatem & admirationem , non illam tamen quæ est curiositatis , sed devotionis & iocunditatis. ca. 12. §. 2. 5. 1. b  
 Contemplationis filij notantur duo , qui sunt Manasses & Ephraim , qui benedicuntur cancellatis manibus. ca. 19. §. 1. 95. b  
 Contemplatiæ vita notantur duo gradus significati per Dan & Nephthali : primus est per creaturas diuinæ veritatis iudicium sine errore , & tale iudicium confutat Philosophus. Secundus gradus est latitudo admirationis diuinorum quæ delectant , quorum causam ad plenum inuenire non possumus. ca. 19. §. 1. 91. b & seq.  
 Contemplatius iudicans per creaturas de Deo sine errore significatur per Dan à patre & legislatore benedictum. ca. 19. §. 1. 91. b  
 Contemplationis tertius gradus , qui est illuminatio intellectus , significatur per Ioseph qui multipliciter tam à patre quam à legislatore benedicitur. ca. 19. §. 1. 93. b  
 Contemplationis ultimus gradus est excessus mentis sive raptus significatus per Beniamin à patre & legislatore benedictum. ca. 19. §. 1. 96. a  
 Contemplationis dormitorum quid sit , & quid faciat contemplatio in contemplationis. ca. 18. §. 1. 83. b  
 Contemplatiui falsi non agunt sabbatum gratum Domino , & otium eorum panem non habet , quamvis tales panem se habere putent. ca. 18. §. 1. 86. a  
 Conuersatio nostra tam in vita actiuæ quæ est ad alterum , quam in ea quæ est in custodia sui ipsius , nota qualis debet esse iam ad parentes , tunc ad extraneos & inimicos. ca. 4. §. 2. 17. a & b  
 Conuersus verè ad Dominum , debet sedere in duodecim portis , quibus significatur gradatim perfectio proficientium usque ad perfectionem vita spiritualis. ca. 14. §. 1. 54. b. & seq.  
 Conuiuum quintuplex designatur in scriptura sacra. ca. 6. §. 2. 24. a  
 Creaturæ indicant increatam veritatem intellectui hominis. ca. 19. §. 1. 86. b  
 Crucis quatuor brachia significant quatuor longa de quibus mulier fortis quadruplicem portat panem. ca. 5. §. 2. 22. a  
 Cruce signari præcipue debet , qui cruce est redemptus : nota de signo thau. ca. 22. §. 1. 101. a  
 Curuare animam quid sit , & per quid eriguntur , & quando. ca. 15. §. 1. 56. b  
 Cubiculum sponsæ in quod sponsus introducitur : nota quid sit & per quid dicit sponsum in cubiculum , & quid ibi faciunt vel sibi mutuò præstant. ca. 1. §. 2. 3. b  
 Custodire quinque principaliter debemus , scilicet corpus ne sit impurum , abundantiam pietatis , ferorem charitatis , desiderium animæ quoad aeterna , & humilitatem in conuersatione , quibus seruatis lampas nostra non extinguitur. ca. 9. §. 2. 34. b

## D

- D**amnatorum sex genera quæ vinculari debent. ca. 16. §. 4. 77. b  
 Damnati post iudicium tres poenæ habebunt , quas iam non habent. ca. 16. §. 4. 74. a  
 Damnati multis poenæ affligentur , & erunt penes quatuor , scilicet penes modum resurgendi , penes resurgentem , penes iudicium , & penes carcerem : & haec partes iterum subdividuntur varie , quamvis adhuc innumerabiles poenæ aliæ sint. ca. 16. §. 4. 73. a  
 Damnati loco dilectionis habebunt odium , iram , & inuidiam : & dicuntur habere secum arma sua , & gladios sub capitibus suis. ca. 16. §. 4. 74. b  
 Damnatis erit pena horror dæmonum : & nota quis sit ille , & seiuicem deridebunt , conuictia

# Index rerum.

- conuictia inferendo. ca.16.§.4.76.b  
 Damnati erunt deridendi à beatis propter septem. ca.16.§.4.71.a  
 Dan significat iudicium rationis quod de Deo habemus per creaturas : nota benedictionem eius à patre & legislatore.ca. 19. §.1.91.b  
 Decor quid sit : nota , quod multiplex est decor , scilicet naturæ , virtutis tam quoad concentum virtutum , quam etiam quo respiciunt seiniucem , & cardinalium & theologicarum. Iterum notatur decor in opere lictio & honesto & expedienti. Est & iterum decor conscientiæ triplex : post hanc vitam autem est decor animæ , qui in septem consistit. Ultimo verò notatur qualiter anima istis induitur, & ad quid. Considera singula diligenter. ca.16.§.3.66.b & seq.  
 Decor spiritualis mulieris fortis quem habebit post victoriam fortitudinis post hanc vitam , septempliciter diuisus : habebit enim quædam ex parte animæ , & quædam ex parte vtriusque , scilicet coniuncti. ca. 16.§.3.69.b & seq.  
 Decor virtutis est in concetu virtutum omnium : & nota de omnibus virtutibus quomodo modum ponunt. ca.16.§.3.67.a  
 Decor in opere nostro debet esse per tria, scilicet licitum , honestum & expediens. ca. 16.§. 3. 68. b  
 Decor naturæ humanæ & corporis : naturæ autem quoad vires omnes interiores & exteriores. ca.16.§.3.66.a & seq  
 Decor gloriae non vanæ est triplex , scilicet conscientiæ , spei , & tribulationis. ca. 16. §.3.68.b  
 Decoris vestimentum in tribus est , scilicet virginitate , matrimonio,& doctrina.ca.13. §.2.53.b  
 Delectationes duas nobis per natuitatem insunt , quæ interfici debent. ca. 12. §. 1. 49. a & b  
 Dæmonum facies describuntur per Iob: nota expositionem auctoritatis. ca.16.§.4.73.b  
 Deridere habent beati damnatos de septem : & est unus derisus quem sancti non habent. ca.16.§.4.71.a  
 Desiderium cælestis patriæ emitur triplici pretio , scilicet pio affectu , instantissima oratione , & cordis exultatione. Est autem hoc desiderium ager cordis , quem dum homo inuenit , omnia dat pro ipso. ca.7. §.1.29.a  
 Deuotionem excitant diuersa beneficia Dei , & notantur illa per fauum,mel,vinum,lac, frumentum & oleum. ca.7. §.2.29.b  
 Deuotionem tollit tentatio , & etiam ipsa acedia. ca.12. §.1.49.a  
 Deuotionis premium habet partes. ca.7. §. 1. 29.a  
 Deuotio sponsæ ad sponsum , nota qualiter debet esse , & quomodo debet esse , & quomodo debet quæri ab ea ad amplexum.ca.1. §.4.5.b  
 Deo duo proprie conueniunt , scilicet gloria & dominatus , & hæc non nobis. ca.2. §.12. 11.a  
 Deus debet à nobis vinci : nota per quid , & quo debeat duci & quid ei propinandum , & quid vicitor eius meretur ab ipso. ca. 1 §.2.3.b  
 Diabolus appetit similitudinem Dei eleuationem super alios Angelos : nota , quod dicitur Cherub protegens ambulans inter lapides ignitos , & datus est in faciem regum. ca.10. §.1.37.b  
 Diaboli corpus sunt damnati , de quo habetur Iob. Corpus eius quasi scuta fusilia , cuius auctoritatis nota intellectum. ca.16. §.4.75.b  
 Diabolus expugnandus est dupli manu.ca. 10. §.1.36.b  
 Diabolum in duobus debemus spoliare , & in duobus aliqui eum sequuntur. ca. 2. §. 2. 10. b  
 Diabolus vincitur à muliere forti , licet eius potestati nulla sit comparabilis super terram : & nota , quæ sit eius domus & vasa eius atque regnum , & per quæ vincuntur. ca. 1. §.2.3.b  
 Dies sponsi tres sunt. ca. 3. §.2.13.b  
 Dies iudicij dicitur dies & nox respectu diuerorum. ca.16. §.4.72.a  
 Dies iudicij dicitur nouissimus in numero & in pœnis. ca.16. §.4.71.b  
 Difficilia quæ extra nos excitantur , sunt tria, sed disciplina superantur. ca.7. §.1.28.b  
 Digitus tres articulos habet & vnguem : & nota quid digiti quinque sunt in utraque manu spirituali , & quid articuli & vngues. ca.4. §. 2.17.a & b  
 Digitri tres notantur, quibus mulier fortis fūsum apprehendit. ca.10. §.2.42.a  
 Dilectionis mensura , nota qualis sit. ca.2. §.1. 8. a  
 Diligere Deum ex toto corde , &c. qualiter intelligitur. ca.7. §.1.27.b  
 Dilectio proximi habet quintuplicem fructum , & designatur quintuplici vino.ca.7. §.2.29.b & seq.  
 Disciplina quid sit , & quæ difficilia circa quæ debet esse , & quod concupiscentiam mortificat. ca.7. §.1.28.b  
 Disciplina quæ est eruditio per difficilia, docet notabiliter sex. ca.12. §.1.46.a  
 Discriminalia quid sint spiritualiter. ca. 20. §.3.99.a  
 Discussio respectu cuius debet esse. ca.18. §.1. 81. a  
 Divitiae veræ quæ ornant animam , sunt sapientia & timor. ca.20. §.1.97.a  
 Doctores supererogare debent verbum.ca.18. §.1.82.a  
 Domestici tres sunt , quibus mulier fortis dat triplicem prædam. ca.6. §.2.23.b  
 Domestici quatuor domorum notantur octo , & quælibet domus habet duos : & quilibet domesticus est vescitus duplicibus , & sic sunt 16 vesces. ca.12. §. 2.42.a & seq.  
 Dominium duplex notatur : nota in quem vel quos dominium habere debemus. ca.10. §.1. 35.b  
 Domus multiplex, scilicet domus castri, claustræ , æstivalis, hyemalis : & de aliquarum domorum officiis. ca.18. §.1.83.a & b

# Index rerum.

**D**omus duæ spiritualiter , videlicet æstiu & hiemalis , in quibus non est habitandum : quia in æstiu interficitur Eglon , & in hie-mali Ioachim scidit librum verborum Domini. ca. 18. §. 1. 85.a & b

**D**omus quatuor nota , scilicet interiore , ex-terior , superiore & inferiore : inter-ior est sanctitatis , exterior decoris , in-ferior viduitatis , superior gaudij : & nota per quas domus figurantur cum leguntur quatuor domus factæ à Salomone. ca. 12. §. 1. 47.b

**D**omus Martha in qua & Maria est , & per quam religiosorum congregatio significa-tur , continet omnia illa specialiter quæ in domo Martha corporaliter fiebant. ca. 18. §. 1. 84.b. & seq.

**D**onatio propter nuptias quæ datur sponsæ Christi , quid sit ca. 20. §. 3. 99.b

**D**otes animæ & corporis notantur. ca. 20. §. 3. 99.b

## E

**E**cclæsia assimilatur navi quoad quatuor partes & instrumenta quæ in ipsa navi reperiuntur. ca. 5. §. 1. 18.a & seq.

**E**cclæsia quæsita est à Christo , & quatuor mo-pis inuenta. Et iterum specialiter ad duo est quæsita & inuenta. 1. §. 4.4.b. & 5.a

**E**leemosyna significatur per syndonem Ioseph: & nota qualiter sit , & venditur. c. 15. §. 1. 57.b

**E**leemosynam dare faciunt tres virtutes , & etiam tria vitia impediunt né detur. ca. 11. §. 1. 43.b

**E**leemosyna præstat homini fiduciam spei. ca. 15. §. 2. 64.a

**E**leemosyna debet dari ex pietate & cum affe-ctu gratissimæ consolationis. ca. 11. §. 2. 44.a & b

**E**leemosyna debitè facta , debet habere quin-que conditiones , quæ sunt quinque digiti manus largitatis. ca. 11. §. 1. 43.b

**E**leemosyna sextuplex facit bonum omnibus facientibus eam. ca. 11. §. 2. 44.b

**A**enigma nota qualiter fides est per speculum & in ænigmate. c. 9. §. 1. 33.a

**E**piscopi debent supererogare tria ex suo of-ficio , scilicet sacramentorum administra-tionem , prædicationem verbi , & morum exemplum. c. 18. §. 1. 82.b

**A**equanimitas non est pars fortitudinis , sed est in omni parte ipsius. ca. 16. §. 2. 66.b

**E**rectiotriplex notatur , scilicet spei , pæni-tentia & contemplationis : & nota à qui-bus hæc tria erigunt & ad quid. ca. 15. §. 1. 56.b

**E**xemplum malum quibusdam est ad profec-tum , aliis vero ad cumulum damnationis. ca. 12. §. 1. 49.a

**E**xpediens quid sit & respectu cuius , & quod non sufficit in opere nisi licitum sit & honestum. ca. 16. §. 3. 68.b

**E**xtinguere non possunt quinque tenebræ quintuplicem lucernam : & nota custo-dienria lucernam ne extinguitur. ca. 19. §. 2. 34.a

## F

**F**elicitas vitaæ actiua notatur , cuius perfe-cio significatur per Gad qui duplice be-nedictione est benedictus , vna à patre , & alia à legislatore. ca. 19. §. 1. 92.b

**F**elicitas summa huius vitaæ in quo consistit , & quæ sequuntur eam. ca. 14. §. 1. 55.a & b

**F**elicem se reputat Deus quando nos inuenit. ca. 1. §. 4.5 a

**F**iliæ quadruplices notantur , scilicet natu-ræ , mundi , legis , & gratiæ. Quarum ali-quæ sunt virgines , aliquæ laudabiles , ali-quæ non : singulæ autem diuitias congre-gant. ca. 20. §. 1. 97.a & seq.

**F**æctor damnatorum quid sit. ca. 16. §. 5. 74.a

**F**æctor qualis erit in inferno. ca. 16. §. 4. 76.b

**F**ides est per speculum & in ænigmate : & nota qualiter illa differunt , & quid sit fi-des ut est fructus. ca. 9. §. 1. 33.a & b

**F**ides fructus spiritus. ca. 22. §. 1. 102.a

**F**idelitas in tentatione probatur. ca. 1. §. 4.5.b

**F**idei fiducia confirmatur per signa. ca. 16. §. 2. 64. a

**F**identia quid sit : differentia inter confiden-tiam & confortationem secundum Tullij opinionem. ca. 16. §. 2. 62.b

**F**identia comprehendit sub se fiduriam & confidentiam : parum tamen differunt , & nota de duplice fidentia , scilicet spei & fortitudinis. ca. 16. §. 2. 63.b & seq.

**F**iducia quæ aliquo modo differt à fidentia , & confidentia , est triplex , scilicet fiducia fidei , spei , & fortitudinis. ca. 16. §. 2. 64.a

**F**ines ultimi tres sunt , scilicet naturæ , animæ & beatitudinis : & nota harum partium subdiuisiones. ca. 1. §. 5. 7.a

**F**ons duplex , scilicet sapientia & vita : & ad primum conuertuntur oculo contempla-tionis , ad secundum oculo fruitionis. ca. 16. §. 1. 60.a

**F**ortitudo , nota materiam circa quam sit & quomodo est mediatrix animi , ut timeat quis timenda , & non timeat non timenda , & audeat audenda , & non audeat non au-denda , & quare haec faciat. Similiter nota de timore bono multiplici , similiter & ma-lo : insuper de audacia mala & bona multi-plici. ca. 16. §. 1. 60.b

**F**ortitudo attenditur in duobus : vnum est difficultas actus & operationis eius : alterum est altitudo roboris eius in vincendo. Primum consistit in tribus , scilicet in aggrediendo difficultia , secundum in susti-nendo aduersa , tertium non deficere in perferendo utrumque : vel longanimer perseverare in utroque præmissorum. De altitudine roboris nota subdiuisionem , & est in quinque. ca. 1. §. 2. 3.a & seq.

**F**ortitudo ponit strenuitatem in illatis vel in-natis difficultatibus , in ratione fidentiam , in animo magnificentiam , in passione pa-tientiam & robur. ca. 16. §. 3. 67.b

**F**ortitudo vera probatur mille temptationibus quæ tentationes sunt præcipue circa qua-tuor affectiones naturales. ca. 1. §. 1.1.a

**F**ortitudinis species sunt quatuor secundum Tullium

# Index rerum.

- Tullium, scilicet magnificētia, fidentia, patientia, perseuerantia: & his quinque inueniuntur additā sacra Scriptura, scilicet fiducia, confidentia, longanimitas, confortatio, & constantia: & nota omnium prædictorum subdiuisiones. ca. 16. §. 2. 62. b. & seq.
- Fortitudo quintuplex: & nota quæ sit illa quæ mulier fortis debet esse accincta. ca. 8. §. 1. 1. a
- Fortia decem notantur, contra quæ certandum est: & sunt septem capitalia vitia, & tria adhuc adiuncta, & sunt quasi duces decem cum suis satellitibus: & nota, quod contra hæc fortia debet mitti manus quadrupliciter. ca. 10. §. 1. 37. a. & seq.
- Fortissima notantur quinque, quæ vincuntur fortitudine, & sunt illa quinque, Deus, regnum Dei, diabolus, regnum diaboli, & proprius animus. ca. 2. §. 2. 1. 3. b
- Fortitudinis fiducia oratione & inuocatione Dei innititur. ca. 6. §. 2. 64. a
- Fortitudinis vestimentum aptatur per tria, scilicet per forficem, acum, & filum. ca. 16. §. 2. 66. b
- Fortes in pugna spirituali merentur tria cum Iacob. ca. 1. §. 1. 2. a
- Frigus spirituale quid sit, & nota quadruplex frigus. ca. 12. §. 1. 48. b. & seq.
- Frigus simul cum igne damnatos cruciabit. ca. 16. §. 4. 76. a
- Fructus multiplex notatur spiritualis, scilicet fauus, mel, vinum, lac, frumentum, oleum. ca. 7. §. 2. 29. b
- Fructus manuum nostrarum dantur nobis ad tria, scilicet ad gustum, ad seminandum, & ad gratias agendum. ca. 22. §. 1. 102. a
- Fructus spiritus dicitur fides ab Apostolo, & nota quid sit. ca. 9. §. 1. 33. b
- Fructus spiritus notantur duodecim, quos facit nos Deus per Angelos suos hic prægustare. ca. 22. §. 1. 101. b
- Fruitio Dei est continuus gustus dulcedinis substantiae Dei, & videtur distingui à dilectione. ca. 6. §. 4. 71. b
- Fruitio oculus debet figi in fontem vitae: & nota de duplo oculo. ca. 16. §. 1. 60. a
- Fruitio duplē reperibilis est in Christo. ca. 1. §. 5. 7. a
- Fruitio beatorum correspondet vermis conscientiæ in damnatis. ca. 16. §. 4. 74. b
- Fusus notat sapientiam diuinam qua uestes preparantur sanctis, & hic fusus tribus dignitatibus apprehenditur tripliciter. ca. 10. §. 2. 42. a
- G**
- Ad significat felicitatem actiuam. ca. 19. §. 1. 92. b
- Gaudium perfectum comparatur vino in vineis Engaddi: & nota vnde exprimitur, & in quo recipitur, & à qua fæce eliquatur, & quomodo bibitur. ca. 7. §. 2. 29. b
- Gaudium quo perfectè anima gaudebit in patria, complectitur tria. ca. 16. §. 3. 69. b
- Gaudium beatorum quoad corpus & animam & ex parte vtriusque septem specialiter complectitur. ca. 16. §. 3. 69. b. & seq.
- Gaudia beatorum. ca. 16. §. 4. 72. b
- Gaudium fructus spiritus. ca. 22. §. 1. 101. b
- Gloriæ cingulus qui fuit summo pontifici factus, habuit quatuor quæ designant quatuor de quibus beati in patria habebunt gloriam. ca. 15. §. 2. 59. a
- Gloria non vana triplex est, scilicet conscientiæ, spei & tribulationis. ca. 16. §. 3. 68. b
- Gloria vana multiplex notatur, & excluditur exemplis illorum qui casum experti sunt ex huiusmodi. ca. 16. §. 1. 69. a. & b
- Gula est inimica crucis Christi, & significatur per Goliath Philistæum propter tria: & nota huius modos quinque, & qualiter superatur. ca. 10. §. 1. 39. a & b
- Gratia Christi est semen per quod fructificatur. ca. 1. §. 1. 2. a
- Gratiam acceptam exercere debemus, ut magis crescat, & gratias referre Deo debemus de perceptis gratiis. ca. 22. §. 1. 102. a
- Gratias agere quare & de quibus debemus nota. ca. 17. §. 1. 89. a. & b
- Gratiarum actio tres partes habet. ca. 7. §. 1. 28. b
- Gratiarum actio quæ designatur per Iudam à patre Iacob & à legislatore benedictum, facit benedictam animam specialiter in sex & in aliis multis, & est proprium Angelorum in cœlis Deo hymnum canentium. ca. 19. §. 1. 90. b
- Gratiarum actio non potest fieri nisi ab his qui multa percipiunt: anima enim sterilis gratias non agit: & hæc gratiarum actio multum Deo placet. ca. 19. §. 1. 87. b
- Gratiarum actio de multis beneficiis nobis collaris debet esse. ca. 7. §. 2. 29. b
- Gustus experimentum duplex notatur, scilicet mali & fugiatur: & boni per experimentum dulcedinis æternorum: & hoc dupliciter. ca. 9. §. 1. 33. a
- Gustus spiritus confortat ad laborandum. ca. 22. §. 1. 102. a

## H

- H**er & Onam detestabilem rem feceré, & signantur per hos duos adulterantes verbum Dei, qui zelum animarum non habent; quamvis videntur habere. ca. 1. §. 1. 2. a
- Hæresis durum bellum ingerit: & nota per quos figurati sunt hæretici, & quid faciant in Ecclesia. Simoniaci autem his iunguntur. ca. 10. §. 1. 41. a
- Homo qualiter rectus sit & in quanto decoro creatus sit. ca. 10. §. 3. 66. b. & seq.
- Homo perditus non potest repetiri nisi per Deum & hominem: nota de satisfactione pro homine. ca. 1. §. 3. 4. b
- Hominis miseria est in pœnis & cum vetricundia multorum & aliis. ca. 13. §. 1. 53. a
- Honestum quid sit & respectu cuius, & an sufficiat in opere nostro: nota de licto & expedienti, an debeant concurrere in opere. ca. 16. §. 1. 68. b
- Honor quid sit, & honor animæ sanctæ in quatuor attenditur. ca. 22. §. 2. 103. b
- Horror erit pœna damnatorum. ca. 16. §. 4. 76. b

Humilia

# Index rerum.

- Humiliationis causa in nobis multiplex. ca. 14. §. 1. 53.a
- Hypocrita fructum non habent, sed mordent proprias manus. ca. 22. §. 1. 102.a
- I**
- Acob patriarcha duas vxores liberas & duas ancillas habuit, ex quibus duodecim filios genuit & filiam : nota benedictionem ipsorum & omnium mysticum intellectum. ca. 19. §. 1. 86.b & seq.
- Iacob lucta sua meruit tria, sic & spirituali luctam gerens fortiter. ca. 1. §. 2. 3.a
- Ignis duplex notatur : unus comburit, alius autem illuminat, purificat & inflamat. ca. 1. 2. §. 2. 52.a
- Ignis infernalis qualis erit quoad effectum. ca. 16. §. 4. 75.b
- Imago Christus est quasi de duabus imaginibus. ca. 1. §. 3. 4.b
- Imago interior & exterior : interior triplex: & tam interior quam exterior quandoque est vera, quandoque fallax. ca. 21. §. 1. 100.a
- Imago mulieris & pulchritudo differunt: solent autem vulnerare mundana corda. ca. 21. §. 1. 100.a
- Inanis gloria differt à superbia : & nota per quid figuratur, & qualiter expugnatur. ca. 10. §. 1. 36.a
- Inaures spiritualiter quid sint. ca. 20. §. 3. 99.a
- Inclinatio duplex notatur, scilicet superbiae & duritiae cordis, & nota per quae istae fiant. ca. 11. §. 1. 42.b
- Indeuotio otitur ex tentatione. ca. 12. §. 1. 48. a & b
- Indiscretio sive indiscreti designantur per Simeonem & Leui vasa iniquitatis, & pro benedictione potius maledictionem accipiunt, quamvis computantur inter luctatores & Israelitas: & nota, quod etiam scandalizant pœnitentes. ca. 19. §. 1. 89.b
- Indumentum duplex notatur, scilicet fortitudinis & decoris, & qualiter aptantur ista, & ad quid induitur sponsa Christi : nota de omnibus partibus fortitudinis, & de concerto omnium virtutum tam particularum quam theologiarum. ca. 16. §. 1. 60.a & seq.
- Indumentum mulieris fortis est byssus & purpura : quibus significatur iustificatio & decor : decor autem in tribus est. ca. 13. §. 2. 53.b
- Indumentum sponsæ Christi sive mulieris fortis est ad modum indumenti sponsi in fortitudine & decore : & induitur ad iocunditatem viri sicut Esther : sed nota, quod contrario ordine vestitur his indumentis sponsus & sponsa. ca. 16. §. 3. 70. a & b
- Indumenta domesticorum notantur sedecim. ca. 12. §. 2. 51.a
- Infernus dilatatus est, & ignis eius qualis sit, & quando creatus. ca. 16. §. 4. 75.b
- Infirmitatis propriæ cognitio perpendiculariter ex flagellis aduersitatum. ca. 12. §. 1. 46.a
- Inimicos tres habemus, & à quolibet debemus accipere duo spolia: & sunt duo inimici inter illos à quibus etiam aliqua non debemus accipere, sed sua dimittere: nota de spoliis in bono & in malo. ca. 2. §. 2. 8.a
- Inops nota quis dicatur : sunt autem inopes duplices. ca. 1. §. 1. 43.a
- Impretabilia sunt tria, scilicet gratia, virtus miraculorum, & spiritualis dignitas : & circa ista sunt tres simoniaci, scilicet Simon, Giezi & Iason. ca. 7. §. 1. 27.a
- Inspectio bonorum operum nostrorum debet fieri etiam à nobis, non tamen ut egit Pharisæus in Euangeliō. ca. 18. §. 1. 81.a
- Intellectus quadruplici visione experitur aternam veritatem : distinguitur autem intellectus à fide, à munditia cordis, & à fructu beatitudinis. ca. 9. §. 1. 3.a & b
- Intellectus damnatorum qualis erit, & quas tenebras habebit. ca. 16. §. 4. 74.b
- Inuenire hominem perditum non potuit nisi Deus & homo. ca. 1. §. 3. 4.b
- Inuenti sumus à Deo præcipue ad duo. ca. 1. §. 4. 5.a
- Inueniri aliquid dicitur quatuor modis, & omnibus istis modis inuenta est fortis mulier, id est, fidelis anima vel Ecclesia. ca. 1. §. 4. 4.b & seq.
- Joseph tertium gradum contemplationis, qui est illuminatio intellectus, designat : longa autem benedictione à patre benedicitur, similiter & à legislatore. ca. 19. §. 1. 93.b
- Ira exagitat iracundos sicut Saulem : nota signa irati. ca. 10. §. 1. 38.a
- Ira duo mala facit in proximo. ca. 18. §. 1. 80.b
- Inuidia propriè persequitur fratrem & inimicum, & competit huic vitio tremor capitis, ortum autem habet à diabolo. ca. 10. §. 1. 37.b. & 38.a
- Iubilus quid sit. ca. 16. §. 4. 70.b
- Iudas benedictus à patre Iacob, gratiarum actionem significat, quæ in multis benedictam facit animam. ca. 19. §. 1. 90.b
- Iudicis Christi in iudicio forma describitur: nota auctoritatem positam. ca. 16. §. 4. 75.a
- Iudicium extreum sive dies iudicij dicitur dies & nox respectu diuersorum & erit sine præuisione hominum. ca. 16. §. 4. 72.a
- Iudicium extreum rectum apparebit, & est cum armabit creaturam in ultionem inimicorum. ca. 16. §. 4. 76.a
- Iudicium extreum nullum adeò efficacem testem audiet sicut opera, & hoc triplici de causa. ca. 22. §. 2. 103.a
- Iudicium habebit quatuor ordines, scilicet iudicantes, & quidam iudicabuntur, & diuidantur in saluandos & condemnandos, & erunt condemnandi & non iudicandi. ca. 14. §. 1. 55.b
- Iudices notantur quidam corrupti qui possunt corrigi, & sunt duo : sunt & alij duo semper peruersi, qui condemnandi & iudicandi sunt, alij duo iudicabunt. ca. 14. §. 1. 56.a
- Iustitia cingulo comparatur. ca. 15. §. 2. 58.b
- Iustitia consistit in debito & decenti. ca. 18. §. 1. 82.a
- Iustitia ponit decens in ore, debitum in operi : & nota quid ad superiores, quid ad proximos & ad inferiores, & quid ad se, & quomodo ordinat iudices, & quomodo decens ad Deum. ca. 16. §. 3. 67.a

# Index rerum.

- L** Aban persequitur Iacob in monte Galaad, & quærit idola, sed delusus est: nota triplicem luctam ipsius Iacob cum Laban secundum tria virtutia. ca. 10. §. 1. 36.b
- Lac spirituale ex duabus mammillis mittitur, & est duplex ad nutriendum parvulos in Christo. ca. 1. §. 1. 2.b
- Lac uberum, quo sponsus & sponsa paſcuntur, nota quale sit. ca. 1. §. 1. 8.a & b
- Lachrymæ multiplices sunt. ca. 7. §. 1. 27.b
- Lamech venator, & est eius venatio in concupiscentia & ira: & quodlibet vitium duo mala facit. ca. 18. §. 1. 80.b
- Lampas nostra ne extinguitur, sed custodiatur, requirit quinque, scilicet castitatem, pietatem, charitatem, desiderium cœlestis & humilitatem: & nota quibus haec comparantur. ca. 9. §. 2. 35.a
- Lanæ sex sunt genera ab oue Christo accepta: & à legislatore lana accepta est duplex, similiter à Patriarchis & Prophetis, & à quolibet duplex. Item à sanctis Noui Testamenti, scilicet Apostolis, Martyribus, Doctoribus, Confessoribus, Virginibus, Viduis, & à bonis coniugatis ex quolibet ordine duplum lanam, id est, diuersa genera virtutum vel exempla vitae quibus vestiri debemus. ca. 4. §. 1. 15.a & seq.
- Largitatis manus aperit per tres virtutes, & clauditur per tria vita. c. 11. §. 1. 43.b
- Laus præcipue est propter opera. c. 22. §. 1. 101.a
- Laus quadruplex notatur mulieris fortis, scilicet ex parte laudantium, ex parte diuitiarum, ex parte formæ & pulchritudinis, & ab operibus. ca. 19. §. 1. 86.b
- Laus mulieris fortis, id est, animæ fidelis est à filiis secundum tres modos beatitudinis, & à viro eius, scilicet Christo, etiam à tribus laudatur, scilicet ab utilitate fœcunditatis, & dignitate, & admirabilibus mysteriis. ca. 19. §. 2. 96.b
- Laudabilis erit anima fidelis in sex portis, & erit laudabilis à suis operibus triplici de causa, & laus eius in quatuor attenditur. ca. 22. §. 2. 102.b & seq.
- Laudabilis quis est propter timorem, qui tria facit in homine, non tamen in hoc sæculo quis laudari debet. ca. 21. §. 2. 102.b
- Laudare Deum debemus, nota in quibus, & quid facit huiusmodi laus in nobis, vel quid imperatur per laudes Dei. c. 17. §. 1. 79.b
- Leptulus Salomonis est anima, quem leptulum ambiunt sexaginta fortissimi cum gladiis. ca. 8. §. 1. 30.b
- Leæna fortior est leone: & sicut leænam nemo suscitare potest, sic nec diabolus manentem in gratiarum actione ad peccatum potest excitare. ca. 19. §. 1. 90.b
- Lætitia cordis vinum est: & nota vnde oritur. ca. 7. §. 2. 29.b
- Lex clementiae triplex. ca. 17. §. 2. 80.a
- Liberi arbitrij & voluntatis operantis est vita activa. ca. 19. §. 1. 87.a
- Licitum quid sit, & an semper licitum sit faciendum: nota etiam de honesto & expedienti. ca. 16. §. 3. 68.b
- Lingua cordis duplex, scilicet desiderij & D. Alb. Mag. lib. de muliere forti,
- deuotionis, & secundum has linguis est duplex lex. ca. 17. §. 2. 80.a
- Lingua oris quæ meditatur sapientiam, quanto debet seruare quæ notantur ibi, Os iusti, &c. ca. 17. §. 2. 80.a
- Lintearmina spiritualia. ca. 20. §. 2. 99.a
- Linum significat candorem virtutis humanæ: & nota qualiter hoc linum à diuersis sanctis Veteris & Noui testamenti accipitur diuersimodè. ca. 4. §. 1. 15.a & b
- Linum operari debemus in Ierusalem & non in Ægypto: quia illud percussum est grande: nota de duplice lino, & quid significet. ca. 4. §. 1. 14.a
- Longani imitas quid sit, & sub qua comprehendit virtute. ca. 16. §. 2. 65.b
- Longanimitas quæ corinetur sub patientia, est triplex, scilicet misericordiæ, spei & fortitudinis. ibid.
- Longanimitas fructus spiritus notatur. ca. 22. §. 1. 101.e
- Longè quadruplex notatur, & de quolibet portat mulier fortis panem unum: & sic secundum quadruplex longè, quadruplex erit & panis. ca. 5. §. 2. 21.b. & 22.a
- Loquutio sapientis significatur foliis oliuæ, quæ non citò defluunt. ca. 7. §. 1. 25.a
- Loquacitas in malis significatur foliis arborum quæ citò amittunt folia, & non foliis oliuæ. Est autem communiter in dolo, in detractione, in mendacio, in oriosis, maximè autem in duobus vitiis solet esse, scilicet gula & luxuria, causatur autem ex carentia charitatis ad Deum. ca. 7. §. 15.a & b
- Lucerna quintuplex notatur, similiter, & tenetra, in quibus tamen nulla extinguitur: & nota quinque lucernam custodientia ut non extinguitur. ca. 9. §. 2. 34.a & b
- Luctam spiritualis pugna fortiter aggrediens & vincens meretur tria sicut Iacob in Genesi. ca. 1. §. 2. 3.a
- Lucta quadruplex notatur, siue manus luctantis quadruplex est. ca. 10. §. 1. 35.b & seq.
- Lumborum tres sunt proprietates: & nota tres lumbos spiritualiter acceptos, quorunq; quilibet diuiditur in duos. ca. 8. §. 1. 31.b
- Lunulæ ornamenta sunt mulierum. ca. 20. §. 3. 98.b
- Luporum natura notatur, & quare Beniamini lupus rapax dicitur. ca. 19. §. 1. 96.a
- Luxuria forte bellum ingerit: & nota quos deiicit, & quomodo vicitur. ca. 10. §. 1. 39.b & 40.a

## M

- M** Agnanimitas brachium dicitur, & nota de huius dispositione & robore, vel quibus armari debeat. ca. 8. §. 2. 32.a
- Magnificentia quid sit. ca. 16. §. 2. 62.b
- Magnificentia quintuplex notatur, scilicet gratiarum actionis, liberalitatis, potestatis, laudis siue gloriæ, & fortitudinis. c. 16. §. 2. 63.a
- Malum pœnæ non est malum simpliciter, & dividitur in decem secundum quod flagella decem modis infliguntur. ca. 3. §. 1. 11.b
- Malum pœnæ quintuplex adiunctum quintuplici bono. ca. 3. §. 1. 12.a & seq.
- Manasses & Ephraim filii Joseph notant fœcunditatem contemplatiui intellectus, & benedicuntur L

# Index rerum.

- benedicuntur hi filij cancellatis manibus:  
 nota de effectu intellectus illuminati. ca. 19.  
 §. 1. 93.b
- Mansones in domo patris, quæ multæ sunt,  
 designantur per mala granata. ca. 1. §. 2. 4.a
- Mansuetudo fructus spiritus. ca. 2. §. 1. 101.b
- Manus quadruplex notantur certantis & lu-  
 ctantis secundum quadruplicem luctam.  
 ca. 10. §. 1. 35.b & seq.
- Manus quadrupliciter mittitur contra decem  
 fortia, sine contra decem fortis bellatores  
 & eorum satellites: nota hæc fortia. ca. 10.  
 §. 1. 37.a & b
- Manus largitatis aperitur per tres virtutes, &  
 per tria vitia clauditur. ca. 11. §. 1. 43.b
- Manus largitatis in pauperes quinque debet  
 habere digitos. ca. 11. §. 1. 43.a
- Margarita quam negotiator Euangelicus emit,  
 nota quid sit, & de negotiatione triplicis  
 pecunia in tribus terris. ca. 9. §. 1. 34.a
- Maris pericula nouem sunt: nota spiritualiæ  
 intellectum. ca. 5. §. 1. 19.b & 20.a & b
- Martyrum fortitudo collaudatur per auda-  
 ciam quæ aggreditur periculosa, & figurata  
 est in libro Iudicum, ubi dicitur: Cor meum  
 diligit principes Israel, &c. Nota expositio-  
 nem auctoritatis. ca. 16. §. 1. 61.b
- Mathatias audaciam intrepiditatis bonam ha-  
 buit. ca. 16. §. 1. 61.b
- Matrimonij iure dantur sponsæ à sposo sex  
 bona. ca. 3. §. 1. 12.b
- Maturitas quid sit, & sub qua parte fortitudi-  
 nis continetur. ca. 16. §. 2. 66.a
- Meditatio quid sit. ca. 17. §. 1. 78.b
- Meditatio nostra in tribus debet esse, scilicet  
 in scibilibus ad iocunditatem quibus cor-  
 roboratur fides, & in operabilibus ad vti-  
 litatem, & in cælestibus ad affectum dul-  
 corandum. ca. 7. §. 1. 28.b
- Meretrix magna de tribus se iactat diuitiis.  
 ca. 20. §. 2. 98.a & b
- Millenarius numerus perfectus est. ca. 1. §. 1.  
 1.a
- Militia hominis in mille temptationibus exer-  
 ceretur, quæ temptationes præcipue sunt cir-  
 ca quatuor affectiones naturales, scilicet  
 spem, metum, mœrem, & gaudium, & in  
 tali militia vix reperitur quis fortis. ca. 1.  
 §. 1. 1.a
- Miseria conditionis humanæ, & ad quid sit  
 nobis hæc consideranda. ca. 13. §. 1. 52.b
- Misericordia significatur duobus ostiis oliua-  
 rum quæ fecit Salomon in sancta sancto-  
 rum: nota quomodo Deus exit per unum  
 ostium ad nos, & nos intramus ad eum per  
 aliud. ca. 7. §. 1. 26.a
- Misericordiæ duo genera notantur secundum  
 quod inopes dupliciter dicuntur. ca. 11. §. 1.  
 43.a
- Misericordiæ oleum pater cælestis nobis exhibi-  
 but in quatuor præcipue, scilicet in redem-  
 tione, in concessione venie delictorum, in  
 castigatione correctionis, & in acceptatione  
 nostri seruitij. ca. 7. §. 1. 25.b
- Misericordiæ oleum tria facit, scilicet pacem  
 inter nos & Deum, celsitudinem inheriti, &  
 illuminationem æterni viroris. ca. 7. §. 1. 26.a
- Misericordiæ opera notantur 7. corporalia &  
 7. spiritualia. ibid.
- Mititas quid sit. ca. 18. §. 1. 82.a
- Mitra spiritualiter quid sint. ca. 20. §. 3. 99.a
- Modestia fructus spiritus notatur. ca. 22. §. 1.  
 102.a
- Mollities carnis etiam perfectis in vita actiua  
 secundum summum statum virtutis animi  
 insidiatur, quamvis zelum animarum ha-  
 beant & scripturæ dulcedine fruantur, at-  
 que saluti animarum usque adeò inuigil-  
 ent, ut se murum pro domo Israel appo-  
 nant. ca. 18. §. 1. 89.a
- Monile unde dicitur, & quare dabatur spon-  
 sis. ca. 1. §. 1. 2.a
- Monilia spiritualia quid sint. ca. 20. §. 3. 98.a
- Monumentum Christi sunt pauperes, & visi-  
 tatur hoc à duabus Angelis & Maria: cuius  
 intellectum nota spiritualiæ. ca. 11. §. 1.  
 42.b
- Mors ut sit secura, requirit conscientiam ho-  
 nam bonam & bona opera. ca. 14. §. 1. 55.a
- Mors fugiet à damnatis quoad corpus, nota  
 rationem. ca. 16. §. 4. 74.a
- Mortalitas nostra nobis est in pœna & vere-  
 cundia nostræ nativitatis, & debet esse pro  
 nostra humiliatione: nota causas multipli-  
 ces huius humiliationis. ca. 13. §. 1. 53.a
- Mortificatio carnis significatur per cingulum,  
 & ad quid sit utilis. ca. 15. §. 2. 58.b
- Mulier differt à viro, primo quia generat in  
 se ex alio, secundo propter quatuor instru-  
 menta quibus differt à viro: & hæc conuca-  
 niunt Ecclesiæ siue etiam animæ fideli, &  
 specialiter prælato & prædicatori, de qui-  
 bus notatur per singula. ca. 1. §. 2. 2.a
- Mulier: nota, quod tria fuerunt in formatio-  
 ne primæ mulieris, & hæc etiam inueniri  
 debent in sponsa, ut conseruerur confiden-  
 tia virti in ipsa. ca. 1. §. 1. 10.a
- Mulier fortis sponsa Christi, dicitur eius vxor,  
 soror, & mater. ca. 14. §. 1. 55.b
- Munditia cordis, nota quale lumen facit in  
 nobis. ca. 9. §. 1. 33.b
- Mundus docet nos ut ipsum odio habeamus,  
 non ut diligamus. ca. 12. §. 1. 46.b
- Mundus confundit in se confidentes, nota fi-  
 guram, dat tamen mundus quibusdam con-  
 fidentiam, & nota ex quibus. ca. 16. §. 2. 64.a
- Mundus triplex bellum ingerit sanctis, vel  
 triplicem luctam. Similiter & multiplicem  
 eis ingerit deceptionem, & quandoque  
 inmundus facit fœdus cum sanctis sicut La-  
 ban cum Iacob. ca. 10. §. 1. 36.a
- Mundum spoliare debemus in duobus: &  
 duo mala nobis mundus facit. ca. 2. §. 2. 11.b
- Munitio domus spiritualis, quæ vocatur do-  
 mus castri, multiplex notatur. ca. 18. §. 1.  
 83.a
- Murenulae spirituales quid sint. ca. 20. §. 3. 99.a
- Mustum malorum granatorum, quid sit. ca. 1.  
 §. 2. 4.a
- Mutatoria spiritualia quæ sint. ca. 20. §. 3.  
 99.a

N

**N**aturæ sunt duo fines. ca. 1. §. 5. 7.a  
 Nauis habet plures partes & officinas &  
 instrumenta, puta malū, velum, &c. & nota  
 quomodo

# Index rerum.

- quomodo Ecclesia ei assimilatur quoad singula præmissa. ca. 5. §. 1. 18.b & seq.
- N**auis quadruplex notatur spiritualiter, scilicet nauigantium, pugnantium, pescantiū & institoris siue mercatoris: nota de singulis & de nouem periculis quæ imminent in mari nauigantibus. ca. 5. §. 1. 19.b
- N**egotiator triplex, scilicet maledictus, dolosus, & benedictus, & quid faciunt singuli. ca. 15. §. 2. 59.b
- N**egotiatione mulieris fortis est bona triplici experimento, scilicet per experimentum gustus, per experimentum visus, & per experimentum gustus coniuncti visui: nota quadruplicem visionem, & de multiplici gusto: & nota quibus pecuniis fit negotiatio eius, scilicet pecunia propria, pecunia viri, & cum pecunia communis utriusque, & in quibus terris fiat hæc negotiatio. ca. 9. §. 1. 33. & 34.
- N**egotiatio spiritualium bonorum fit nauis institoris: nota qui sunt thesauri ista nauis collecti. ca. 5. §. 1. 21.a & b
- N**emrod venator significat potentes qui subditos multipliciter opprimunt. c. 18. §. 80.b
- N**ephthali significat secundum gradum contemplationis sicut Dan priuum, & significat latitudinem admiratiois circa diuina: nota eius benedictionem à patre & legislatore. ca. 19. §. 1. 92.a
- N**ix qualiter generatur, & quomodo impugnationem inimici significat. ca. 12. §. 1. 48.b
- N**ix quædam mala, quædam vera & bona: & prima æqualiter impugnat quatuor domus. ca. 12. §. 1. 50.a
- N**ix quadruplex notatur, quadruplicem dominum impugnans. ca. 12. §. 1. 48.b & seq.
- N**obilitas quid sit, nota, & quod quadrupliciter dicitur, scilicet naturæ, sapientiæ, virtutis, & efficaciam. ca. 14. §. 1. 54.a
- N**ouissimus dies iudicij erit nouissimus in numero, nouissimus in gaudiis, & nouissimus in pœnis. ca. 16. §. 4. 72.a & b
- N**ox triplex notatur à qua mulier fortis surgit. ca. 6. §. 1. 18.b
- N**uptias secundas contrahere peccatum non est, quamvis honestatis rationem non habeat: nota de quadam quæ vigintiduos viros habuit successiue. ca. 20. §. 1. 97.a
- N**utrire Christum quid sit, & ipsum quiescere in sinu mulieris. ca. 4. §. 1. 14.b
- O**
- O**bedientia tria debet habere specialiter. ca. 7. §. 1. 28.a
- O**bedientia dicitur sindon: & nota quando perfecta sit. ca. 15. §. 1. 57.a
- O**bedientia domus est claustrum, & debet habere multas officinas spirituales. ca. 18. §. 1. 83.b & seq.
- O**tium quadruplex, scilicet curiositatis, pigritiae, ignauiae, & festivitatis: nota an quodlibet otium habet panem suum, cum dicatur de muliere forti, Panem otiosa non comedat. ca. 18. §. 2. 85.b & seq.
- O**culus mentis excæcatur peccato, concupiscentia, & phantasia corporea. c. 7. §. 1. 28.a
- O**culus duplex, scilicet contemplationis & fruitionis. ca. 16. §. 1. 60.a
- . Alb. Mag. lib. de muliere fortia
- Odio habere mundum docet nos mundus ipse. ca. 12. §. 1. 46.b
- Offerre Deo debitè exigit duo: & contra unum egit Cain. ca. 7. §. 1. 27.a
- Olfactoriola spiritualia. ca. 20. §. 3. 99.a
- Oliua tria in se haber, discretionem sexus, stat videntibus foliis, fert fructum cum ossibus: ut ille autem est diis & hominibus & figurat tria. Nota quid spiritualiter significant ista. ca. 7. §. 1. 24.b
- Opacitas corporum & deformitas damnatorum unde erit, nota. ca. 16. §. 4. 74.a & b
- Operari debemus instanter, & hoc contra pigrorum: & cum consilio contra indiscretos, & qui non secundum Deum: & debet opus nostrum procedere ex duabus manibus: ibi nota de natura manus, & quid digiti significant; & quod una manus nostra debet esse sinistra, & quid articuli digitorum, & quid vngues singulorum, & quid color manus. ca. 4. §. 2. 17.a & b
- Opera nostra bona debent fieri cum aestimatione, discretione, & prouisione, maturitate, simplicitate, & multa cum continuatione. ca. 7. §. 1. 27.a
- Operum nostrorum fructus datur ad tria, scilicet ad gustum, ad seminandum, & ad gratias agendum. ca. 22. §. 1. 102.a
- Opus bonum significatur fructu oliuae, qui est cum ossibus. ca. 7. §. 1. 24.b
- Opus nostrum debet esse licitum, honestum & expediens. ca. 16. §. 3. 68.b
- Opus nostrum ex magnanimitate procedere debet, quæ significatur per brachium: nota arma illius brachij. ca. 8. §. 2. 29.a & b
- Opus supererogationis triplex, scilicet verbi, laboris, & cuiæ, quæ Paulus habuit, & sunt perfectorum hæc tria. c. 18. §. 1. 82.a & b
- Oratio ad quid debeat fieri & qualiter, notatur. ca. 18. §. 1. 79.a
- Orationis prolixitas maximè tenenda est tribulationis tempore. ca. 12. §. 1. 46.b
- Oratio Manasse ponitur, quæ à quolibet peccatore scienda est. ca. 12. §. 1. 46.b
- Ornatus multiplex mulierum. ca. 20. §. 2. 98.a
- Ornatus qui datur sponsæ à sponso, in duobus consistit. ca. 3. §. 1. 13.a
- Os duplex notatur, scilicet cordis & corporis: & os cordis aperitur sapientiæ, scilicet considerandæ, addiscendæ, gustandæ, & alloquendæ. Os etiam corporis quinquemodus aperiri debet, scilicet in confessione, oratione, gratiarum actione, in laude, & in prædicatione. ca. 17. §. 1. 78.a
- P
- P**acem facere debemus cum quatuor. ca. 18. §. 1. 82.a
- Panis quadruplex notatur, quem portat mulier fortis de quadruplici longo. c. 5. §. 2. 21.b & seq.
- Panem an habeant otiosi, cum dicatur de muliere forti, Panem otiosa non comedit: nota quadruplex otium. ca. 18. §. 2. 85.b & seq.
- Patientia definitur, & explicatur definitio: nota singulas dictiones. ca. 16. §. 2. 62.b
- Patientia notatur triplex, scilicet astinencia, & astutia siue calliditatis, & tertia est virtutis,

# Index rerum.

- quæ est duplex , scilicet spei & fortitudinis , & istius sunt tres effectus . ca. 16. §. 2.  
65.a & b
- Patientia fructus spiritus . ca. 22. §. 1. 101.b
- Palmæ extendi debent ad pauperes , & sunt duæ:nota quid palma manus significat.c. 11.  
§. 2.44.a
- Parafernalia sponsæ Christi nota quid sint .  
ca. 20. §. 3. 99.b
- Parietes quatuor, quorum quilibet septem ha-  
bet columnas:nota virtutes cardinales . c. 18.  
§. 1.84.b
- Passio Saluatoris designatur per stragulatam  
vestem secundum vnam eius expositionem ,  
& illa vestri debemus , & est pro nostra con-  
solatione:nota per quam vestem sit figurata .  
ca. 13. §. 1. 52.b
- Pastores Ecclesiarum & sacerdotes cæteri no-  
tent & caueant quorundam clericorum  
peruersorum malitiam quoad prædicatio-  
nem, audientiâ confessionum , & sacramen-  
torum collatione; &c. c. 15. §. 1. 57.b. & seq.
- Patriæ celestis desiderium in corde abscondi-  
tum ager cordis vocatur , quod dum quis  
inuenit homo , alia omnia tanquam nihil  
ducit : & huius agri est pretium triplex ,  
scilicet pius affectus , instantissima oratio ,  
& cordis exultatio . ca. 7. §. 1. 28.a & b
- Pauor nobis inesse debet , & ideo accinæti gla-  
dio . ca. 8. §. 1. 30.b
- Pauperes sunt recreandi abundantissima pie-  
tate, & gratissima cōsolutione.c. 11. §. 2.44.a
- Pauperes sunt monumentum Christi , & illud  
visitari debet, quæ visitatio est duplex, & de-  
signata per duos Angelos . ca. 11. §. 1. 42.a
- Pax fructus spiritus . ca. 22. §. 1. 101.d
- Peccator quatuor infert Christo, sicut & qua-  
tuor passus est Ioseph à fratribus suis . c. 1.  
§. 4. 5.a & b
- Peccatum omne habet in se duo concurren-  
tia, scilicet superbiam & libidinem , & si-  
gnificantur per duos iudices iniquos . c. 14.  
§. 1. 56.b
- Peccatum curuam facit animam:nota quando  
& per quid erigitur anima . ca. 15. §. 1. 56.b
- Peccata in mūdo generalia sunt tria significata  
per tria quæ furatus fuerat Achor : de om-  
nibus autē purè confitendū est.c. 14. §. 1. 54.b
- Peccata dicuntur rubra ut coccinum & ver-  
miculus , & tamen supra niuem dealbari  
postunt . ca. 12. §. 1. 50.a
- Peccata vitare sine cessare à peccato docet nos  
aduersitas . ca. 12. §. 1. 47.a
- Peccata damnatorum patebunt . Est autem hoc  
vna ex pœnis ipsorum . ca. 16. §. 4. 75.a
- Pœnæ sine flagella dantur à Deo decē modis ,  
& non sunt simpliciter malum . c. 3. §. 1. 11.b
- Pœnæ quintuplices dantur cum bono reddito  
sponsæ à Christo, quintuplici ratione . c. 3.  
§. 1. 12.a & seq.
- Pœnæ damnatorum erunt penes quatuor , sci-  
licet modum resurgendi, penes resurgentem ,  
penes iudicium, & penes carcerem:nota sub-  
diuisione partium istarum.c. 16. §. 4. 73.a & b
- Pœnæ infernales nouæ veteribus continuè  
superuenient, non tamen præcedentes ces-  
tabunt . ca. 16. §. 4. 76.a
- Pœnitentia erigit incuruatam animam sed  
nota quando . ca. 15. §. 1. 56.b
- Pœnitentia designatur naui quam Christus  
etiam ascendit, vt possit ire trans fretum.ca.  
5. §. 1. 19.b
- Pœnitens debet cingulo humilitatis cingi:  
nota quæ debeat habere . ca. 15. §. 2. 58.b
- Pœnitens qui designatur per Sibam, habet ali-  
qua offerre Domino suo . ca. 12. §. 2. 50.b
- Pœnitens designatur per Eliam fugientem Ge-  
zabel & dormientem subter iuniperum :  
nota ad quid configere & quid fugere &  
vbi quiescere & qualiter se habere debeat .  
ca. 5. §. 2. 22.a
- Pœnitens duas benedictiones meretur sua lu-  
cta, quæ fit duobus brachiis: sed nota quales  
manus præsentare habet patri.ca. 10. §. 1. 35.  
b & seq.
- Pericula maris nouē sunt.ca. 5. §. 1. 19.b & seq.
- Perichelides quid sint spiritualiter nota.c. 20.  
§. 3. 99.a
- Perseuerantia quid sit , & quod constantia  
sub ea comprehenditur . ca. 16. §. 2. 63.a
- Perseuerantia vltima pars fortitudinis , est  
triplex . ca. 16. §. 2. 65.b & seq.
- Perseuerate longanimiter facit fortitudo.c. 1.  
§. 2. 3.b
- Pietas quid sit cum est donum Spiritus san-  
cti , & qualiter per hanc paruuli in Christo  
sint fouendi: prælati autem & prædicatores  
hanc præcipue habere debent si fructifica-  
re volunt : figuratur per fontem sanguinis:  
& nota , quod hoc instrumentum mulieris  
duo specialiter corrumpunt, sic & pietatem  
in prælato . ca. 1. §. 1. 2.b
- Pietas in pauperes duo debet habere , scilicet  
ex bonitate subuenire , vt antiqui fecerunt  
patres , & abundantissimè consolari , non  
cum conuictio subuenire . c. 11. §. 2. 44.a & b
- Pigritia dissoluuntur virtues , oritur tenta-  
tio, & destruitur conuersatio charitatis.c. 4.  
§. 2. 13.b
- Ponderositas in corporibus damnatorum si-  
gnificata est per molarem . ca. 16. §. 4. 74.a
- Portæ notantur sex, scilicet vitæ, mortis, iudi-  
cij, inferni, cæli, paradisi, & in singulis por-  
tis anima fidelis , quæ est mulier fortis, lau-  
dabilis inuenitur . ca. 22. §. 2. 102.b
- Portæ duodecim notantur, tres ad Aquilonem ,  
tres ad Orientem tres ad Meridiem , & tres  
ad Occidentem, & in omnibus his necessario  
habemus sedere . ca. 14. §. 1. 54.b
- Præcepta duo fuerunt data primis parentibus ,  
scilicet naturæ & disciplinæ : primum sub-  
diuiditur in duo . ca. 20. §. 2. 98.a
- Præcepta decem notantur: quid præcipitur, vel  
prohibetur per ipsa, nota . ca. 18. §. 1. 81.b
- Premium nostrum quod est Deus, procul dici-  
tur esse quatuor modis . c. 1. §. 5. 6.b
- Premium nostrum Deus per latitudinem pro-  
cul est , & est premium nostrum vbique, sci-  
licet in cælo & in inferno , cum vbique ha-  
bebimus materiam gaudiorum . ca. 1. §. 5. 7.b
- Premium nostrū est in vltimis naturæ, in vltimis  
animæ , & in vltimis beatitudinis : & nota  
circa hæc subdivisiones . ca. 1. §. 5. 7.a & b
- Premium adhuc subdividitur in præmium regni  
redemptionis & corone . Ibid.
- Premium sextuplex notatur secundum quod  
est

# Index rerum.

est sextuplex ager: & nota, quod quodlibet premium habet tres partes. c.7.§.1.28.a & b  
Præda triplex notatur, quam mulier dat tribus domesticis. ca.6.§.2.18.b & seq.  
Prædestinatio est respectu boni creationis & boni gratiæ præuenientis & aliorum bonorum gratiæ. ca.3.§.1.12.a  
Prædicator tres lumbos habere debet, & qui libet diuiditur in duos: & nota quid circa lumbos istos sit agendum. ca.6.§.1.31.b  
Prædicare quid debeat prædicator, & ad quid debet tendere prædicatio, & in prædicatore quid exigitur. ca.17.§.1.79.b  
Prædicatoris officium notatur per Issachar benedictum à Iacob: idem autem officium prælati principaliter exercere debent, qui per Zabulon designantur ca.19.§.1.93.a & b  
Prædicatoris officium & curam animarum sibi & aliis fructuosè assumit quis, cum ad summum statum virtutis animi peruenit, & dulcedinem contemplationis in gustu mentis cognoscit: post quem statum animarum zelus exardescere debet, quia hic in Scripturæ agro delectatus mouetur ad omnia mandata Domini perficienda: & ideo dupli mercede dignus est, cum talis se murum ponit pro ouibus, non tamen adhuc liber est quin carnis mollities ei inficiatur. ca.19.§.1.88.a & b  
Prædicatio per sindonem Ioannis figuratur: nota qualiter esse debeat, & qualis prædicator in vita & scientia, & quod quinque prædicator facere debeat. ca.15.§.1.57.b. & seq.  
Prædicationis fructus dupliciter impeditur: nota de exhortatione. ca.1.1.§.1.2.a  
Prælatus Ecclesiasticus debet supererogare aliqua opera quæ notantur per Moysen, Aaron & Mariam. ca.18.§.1.82.b  
Prælatus non prædicans reus erit, vt dicitur in Ezechiele: & nota, quod illius duo sunt vitia circa verbum Dei quod tractare debet, & designantur per duo vitia matricis. c.1.§.1.2.b  
Prælato siue etiam prædicatori conuenit habere quinque, scilicet gratiam, & quatuor alia quæ signantur quatuor membris, quibus mulier distinguitur à viro, & sunt illa quatuor, zelus, exhortatio, pietas, & congratulatio. ca.1.§.1.2.b  
Prælati doctores esse debent & se ponere murum pro Israel. ca.19.§.1.93.a  
Procul dicitur esse premium nostrum quatuor modis. ca.1.§.5.6.b & seq.  
Profectus spiritualis notatur per duodecim portas. ca.14.§.1.54.b  
Proles spiritualis nota qualiter concipitur, formetur, fouetur, & confortetur: & hoc per quatuor quæ significantur per quatuor instrumenta mulieris: nota zelum animarum, exhortationem, benevolentiam, & congratulationem. ca.1.§.1.2.a & seq.  
Prosperitas huius mundi significatur per dominum æstiuam, in qua Eglon interfactus est. ca.18.§.1.85.a  
Prouidentia est habenda ab operante virtutes. ca.7.§.1.27.b  
Proximo debemus quinque impendere, quæ designantur per quintuplex vinū c.7.§.2.30.a  
Prudentia ex præteritis memoriam, ex presen-

D. Alb. Mag. liq. de muliere forti.

tibus intellectum dirigit, de fu, uris prouidentiam, nobis cautelam operatur in periculis, consilium in dubiis, & incerta gubernat. ca.16.§.3.67.a

Pulchritudo interior & exterior notatur: exterior autem quandoque vana est quandoque cum virtute. ca.21.§.1.100.a

Puritas mentis tribus impeditur, scilicet peccato, concupiscentia, & phantasia. c.7.§.1.28.a

Purpura qua sponsa Christi vestita est, significat decoris indumentum, quod in tribus consistit. Cap.13.§.2. §.13.§.2.50.b

**Q** Vætere aliquid faciunt tria, scilicet necessitas, utilitas, & possiblitas adipisci. ca.4.§.1.14.b

Quærere Deum ad duo debemus, & ipse nos ad duo quærerit. ca.1.§.4.5.a

Quærendi modus duplex notatur, scilicet negotiatio & labor: nota quæ sunt quærenda. ca.4.§.1.14.b

Quæsiti sumus à Deo quatuor modis & inventi: specialiter autem Deus quærerit animam hominis ad duo, scilicet ad gratiam & tentationem. ca.1.§.4.4. & seq.

Quæstuarij quandoque in suam damnationem prædicant, & etiam illorum qui eos mittunt. ca.15.§.1.58.a

Quis, hæc dictio dupliciter accipitur in scriptura: ca.1.§.3.4.a & b

## R

**R** Atio nostra debet habere lumen veritatis diuinæ & scientiam conuersationis: & nota per quæ significantur istæ duæ cognitiones. ca.12.§.2.51.a

Rectitudine hominis in qua creatus fuit. ca.16.§.3.66.b

Redemptionis ager nota per quid significatur: & tribus debemus hunc agrum emere, vel tria specialiter reddere redemptori. c.7.§.1.28.b

Reddet nobis Deus bonum simpliciter quod triplex est, & non malum, id est, malum pœne quod non est simpliciter malum: & hoc subdiuiditur in decem. ca.3.§.1.11.b

Reddere debemus sponso pro bono gratiæ tria, & pro malo pœna etiam tria: & hæc sex sunt profectus, gratiarum actio, laus, humilia-tio, patientia, & spei certitudo. c.3.§.2.14.a

Regnum cælorum est considerandum æstimatio-ne, discretione & prouisione. c.7.§.1.27.a & b

Regna duo notantur, scilicet Dei & diaboli, & debent vinci à nobis: nota per quæ vincuntur. ca.1.§.1.3.b

Religiosus quilibet debet esse domis obedientiæ, & habere in se officinas claustris. ca.18.§.1.83.b

Religiosi perfecti designantur per Simeonem & Leui, qui multiplices benedictiones ha-buerunt à legislatore, quamvis religiosi indiscreti exprobationem mereantur, quæ designatur per benedictionem Iacob qui eisdem præfatis filiis benedixit. c.19.§.1.89.b

Religioforum congregatio in vna domo quandoque continet omnia illa spiritualiter quæ in domo Martha contigerunt corporaliter. c.18.§.1.84.b & seq.

Resurrectio Christi in nocte fuit: & nota qualiter significatur per Samsonem. c.6.§.1.18.b

**L 3** Resurrectionem

# Index rerum.

Resurrectionem nostram non perdidimus in  
Adam : & hanc præcedunt tria quæ notan-  
tur in hoc verbo : Inuenit eum in terra de-  
serta, &c. ca. 1. §. 4. 4. b  
Ritus sponsæ Christi , & nota quid ritus sit,  
& causas ritus sponsæ & tempus , similiter  
& quos deridebit. ca. 16. §. 4. 70. b & seq.  
Ritus non bonus notatur triplex. ca. 16. §. 4.  
71. a  
Ruben duplē cognitionem agendorum  
designat : nota qualiter benedicitur à patre  
& legislatore. ca. 19. §. 1. 89. b  
Rudentes inferni , vt Petrus ait , quid sint.  
ca. 16. §. 477. a

## S

**S**Abbatum celebrare quid sit. ca. 18. §. 1.  
81. b  
Sabbatum falsò contemplantium odiosum est  
Dominus , & tales otiosi panem non habent,  
quamuis se habere putent : nota otium  
festiuantum. ca. 18. §. 2. 86. b  
Sacra menta absoluunt nos ab asperitate car-  
ceris culpæ. ca. 14. §. 1. 54. b  
Sacra menta æquè bona sunt à bono & malo,  
quamuis non æquè denotè ministrantur &  
fusciuntur à malo sicut à bono. ca. 15.  
§. 1. 58. b  
Salomonis domus decorata fuit ordine mi-  
nistrorum & aliorum quæ habentur 3. Reg.  
10. & significat decorem virtutum cardina-  
lium & theologicarum. ca. 16. §. 3. 68. a  
Samson proponens problema, significat Chri-  
stum. ca. 15. §. 1. 57. a  
Samson deceptus à muliere, moraliter quem  
significat. ca. 16. §. 3. 69. a  
Sancti Veteris Testamenti & Noui , vt Le-  
gislator, Patriarchæ , Prophetæ , Apostoli,  
Martyres , Doctores , Confessores , Virgi-  
nes , Videlicet , Coniugati , diuersa nobis  
exempla virtutum reliquerunt. ca. 4. §. 1. 15.  
a & seq.  
Sandalia spiritualia. ca. 20. §. 3. 98. b  
Sapientia est addiscenda propter tria. Item est  
consideranda & æstimanda. ca. 17. §. 1. 78.  
a & b.  
Sapientia meditanda : & nota quid medita-  
tio. ca. 17. §. 1. 78. b  
Sapientiæ alloquutio quid sit , & quare de  
ipsa colloquia debent esse. ca. 17. §. 1. 78. f  
Sapientia diuina apprehenditur tripliciter,  
scilicet lectione , contemplatione , medita-  
tione : hæc autem significatur per fusum,  
quod tribus digitis apprehenditur. ca. 10.  
§. 2. 42. a  
Sapor sapientiæ quid sit. ca. 17. §. 1. 78. b  
Satisfacere pro peccatis hominis non potuit  
nisi Deus & homo. ca. 1. §. 3. 4. a & b  
Scandala fieri permittit Deus , & significatur  
eius causa , scilicet exemplum malum per  
niuem. ca. 12. §. 1. 49. b  
Scientia duplex notatur in Deo. ca. 1. §. 4. 5. a  
Scientiæ lumen duplex debet esse in ratione,  
scilicet sapientia & scientia : & per quæ  
significatur. ca. 12. §. 1. 51. a  
Schisma bellum ingerit magnum : nota per  
quos designantur schismatici. c. 10. §. 1. 40. b

Scribere velociter ipsius mulieris fortis, noto  
quid sit. ca. 17. §. 1. 78. a  
Scripturæ sacræ ager habet quadruplicem in-  
tellectum : obtinetur autem studio & me-  
ditatione , quæ debent esse in tribus. ca. 7.  
§. 1. 28. b  
Sedere debemus in duodecimi portis. ca. 14.  
§. 1. 54. b  
Seminare super omnes aquas quid sit : nota  
quot uplices sunt lachrymæ. ca. 7. §. 1. 27. b  
Semitæ quadruplices notantur , scilicet præ-  
cepti , consilij , supererogationis operum ,  
& semitæ sanctorum desideriorum ad  
Deum : de prima nota decem præcepta , se-  
cunda diuiditur in octo secundum octo  
beatitudines , tertia semita diuiditur in tria ,  
& quarta in multa. ca. 18. §. 1. 81. b & seq.  
Senatores terræ cum quibus feder vir nobilis  
mulieris fortis , sunt sex secundum quod  
sunt tres terræ , & qualibet habet duplices  
senatores , & nota quare senatores dicti  
sunt : duo autem quandoque corrumpun-  
tur , alij autem duo semper peruersi , duo  
vltimi boni : primi possunt rectificari , se-  
cundi debent iudicari , tertij iudicabunt.  
ca. 14. §. 1. 56. a  
Simeon & Leui vasa iniquitatis bellantia di-  
cuntur à patre , & à legislatore dicuntur  
habere perfectionem & doctrinam à viro  
sancto : duæ autem hæc benedictiones in  
discretis in vita spirituali , & discretis qui  
Christum verè sequuntur , conueniunt. ca.  
19. §. 1. 89. b  
Simonia solet fieri circa tria impreiabilia , &  
secundum hoc fuerunt tres emptores , vi-  
delicet Simon , Giezi & Iason. ca. 7. §. 1. 27. a  
Sindon quid sit , & quod quatuor modis di-  
citur , scilicet obedientiæ , castitatis , elec-  
mosynæ & prædicationis : nota qualiter  
sunt & venduntur. ca. 15. §. 1. 57. a  
Solertia necessaria est in temptationibus. ca. 2.  
§. 2. 10. b. item c. 10. §. 1. 41. b  
Somnia Ioseph duo sunt , quorum nota my-  
sticum intellectum. ca. 19. §. 1. 94. a & b  
Specula spiritualia. ca. 20. §. 3. 99. a  
Spes erit : & nota vnde confortatur. ca. 15.  
§. 1. 56. b  
Spes figuratur per anchoram , & habet qua-  
tuor beatitudines. ca. 5. §. 1. 19. a  
Spes facit fortiter pati aduersa : patet de ma-  
tre Machabæorum. ca. 2. §. 2. 10. b  
Spei fortitudo ex eleemosynis est. ca. 16. §. 2.  
64. a  
Spe certitudo tantò maior , quantò tribula-  
tiones maiores pro Deo patimur. ca. 3. §. 2.  
14. a  
Spe gloriari debemus : quid autem hanc ope-  
ratur , nota. ca. 16. §. 3. 68. b  
Spoliis non indigere dicitur sponsus mulieris  
fortis , siue accipiantur spolia in bono,  
siue in malo : spolia autem accipere debe-  
mus à tribus inimicis , scilicet diabolo ,  
carne , & mundo : à quolibet duo , & ite-  
rum spolia à Deo accipere non debemus ,  
similiter in duobus mundum & diabolum  
spoliare non debemus. ca. 2. §. 2. 10. a & seq.  
Sponsus debitum lectulum & domum con-  
gruam requirit. ca. 2. §. 1. 9. a  
Sponsus

# Index rerum.

Sponsus occultat se à sponsa quandoque propter tres causas. ca. 3. §. 1. 13.b  
 Sponsus Christus confidit in sponsa sua propter tria, similiter & requiescit inter humeros sponsæ. ca. 2. §. 1. 8.b  
 Sponsus ducitur à sponsa per affectum charitatis in domum matri & in cubiculum genitricis, ut perfruatur osculis & amplexibus, & ut doceatur de veritate. Sponsa vero è conuerso propinat sponso vinum conditum, & mustum malorum granatum: nota intellectum. c. 2. §. 2. 3.b. & seq.  
 Sponsus reddit vxori vel sponsæ aliqua ex quinque rationibus, scilicet ex beneplacito, ex promisso, ex merito, ex liberalitate, ex iure matrimonij, & cum illis reddit ei quintuplex non malum, id est, malum pœnae. ca. 3. §. 1. 12.a. & b  
 Sponsus Christus & eius sponsa anima eisdem indumentis vestiuntur, scilicet fortitudine, & decore, sed contrario ordine: induitur autem sponsa ad iocunditatem sponsi. ca. 16. §. 3. 70.a & seq.  
 Sponsa Christi dicitur eius mater, foror, & vxor propter diuersos affectus, & ipsa erit consors regis in iudicio. ca. 14. §. 1. 55.b  
 Sponsa Christi habet sponsum unicum & sempiternum: quia non adultera, & ipse immortalis. ca. 14. §. 1. 53.b  
 Sponsa dicitur filia patris ipsius sponsi, unde & fororem vocat ipsam sponsus. Accipit autem ipsa à patre tria ut apta sit sponso, scilicet regimen, mensuram dilectionis & castitatis: debet etiam ipsa conformis esse sponsῳ: quare & eisdem cum eo pascitur vberibus. Dicitur insuper sponsa illa differenter columba immaculata & amica. c. 2. §. 1. 8.a  
 Sponsa Christi habet quatuor partes fœcundas, ex quibus duodecim filios benedicto semine progenitos educit in laudem. ca. 19. §. 1. 86.b  
 Sponsa debet querere sponsum ad amplexum: nota modum querendi pulchritudinem ex Canticis. ca. 1. §. 4. 5.b  
 Sponsa Christi dicitur habitaculum viri sui propter tria. ca. 2. §. 1. 8.b  
 Sponsa Christi debet habere timorem specialem. ca. 16. §. 1. 62.a  
 Sponsa tria habet quæ seruant confidentiam viri in ea. ca. 2. §. 1. 10.a  
 Sponsa nouem debet habere ut perfectam confidentiam in ea habeat sponsus, nota. ca. 2. §. 1. 8.b. & 9.a  
 Sponsa debet reddere tria pro bono gratiae quod est simpliciter bonum, & tria pro non malo, id est, pro malo pœnae. ca. 3. §. 2. 14.a  
 Sponsa Christi in patria pro sua victoria habebit septem eam decorantia, quædam ex parte corporis, quædam ex parte animæ, & quædam ex parte vtriusque. ca. 16. §. 3. 69.b  
 Status diuersorum sanctorum tam in Veteri quam Nouo Testamento diuersis virtutum exemplis claruerunt, quæ nobis reliquerunt ad imitandum: nota lanam multiplicem. ca. 4. §. 1. 15.a  
 Stola duplex in Angelis notatur, similiter & in hominibus. ca. 12. §. 2. 52.a

Stragulata uestis quid sit, qua mulier fortis est uestita: exponitur autem duobus modis, & secundum hoc vel significat passionem Christi, vel nostram mortalitatem: & primum pro nostra consolatione, secundum pro humiliatione nostra. ca. 14. §. 1. 53.b. & seq.  
 Studium sacræ Scripturæ in tribus debet esse, ca. 7. §. 1. 28.b  
 Superbia significatur frigore niuis. ca. 12. §. 1. 49.b  
 Superbia certat cum viris sanctis & luctam ingerit eis etiam in monte Galaad, & Laban Iacob, & querit ibi idola, sed qualiter deludi debet, nota. ca. 10. §. 1. 36.a  
 Supererogationis opus diuiditur in tria. c. 18. §. 1. 82.a  
 Surgere debemus à triplici nocte & in nocte, & ad duo surgere, scilicet ad opus & ad saporem, ubi nota Christum in nocte surrexisse. ca. 6. §. 1. 22.b. & seq.  
 T  

**T**Aciturnitas bona notatur in prosperitatibus & aduersitatibus: & designatur foliis oliuæ. ca. 7. §. 1. 25.a  
 Tædiosi circa diuina occupantur in venationibus & aliis vanitatibus. ca. 18. §. 1. 81.a  
 Tædium vitæ presentis maximè per colloquitionem sapientiæ vitatur. cap. 7. §. 1. 26.b  
 Temperantia ponit modum cordi, habitui, & voluptati, & modum in delectabili nutrimenti. ca. 16. §. 3. 67.a  
 Tentatio perfecta consistit in mille modis: & est specialiter circa quatuor affectiones naturales: in hac autem tentatione vix inuenitur fortis mulier, id est, anima. ca. 1. §. 1. 1.b  
 Tentatio quadruplex notatur quadruplicem domum impugnans. ca. 12. §. 1. 49.a. & b  
 Tentatione diaboli non superatur qui habet fiduciam fortitudinis, ut patet de Afa, contra quem Æthiopes multi pugnabant. ca. 16. §. 2. 94.b  
 Tentationibus ut resistamus, duo sunt necessaria, scilicet discretio spirituum, & solertia obuiandi temptationibus. ca. 2. §. 2. 10  
 Tentationes sunt superandas quatuor modis, scilicet oratione, solertia inuadendi temptationes, & occasionses peccati vitando, & non remissius agendo cum tentamur. ca. 10. §. 1. 41.b  
 Tentatio causat indeuotionem, impedit lacrymas, facit duritiam cordis, decipit sub specie Angeli lucis, impedit contemplationem, & minus efficacem facit orationem: & signatur per niuis generationem, naturam, & proprietates. ca. 12. §. 1. 48.a & b  
 Tentatus fortiter vincens lucta sua meretur tria sicut Iacob. ca. 1. §. 2. 3.a  
 Tentare Deum est mala audacia, & non est ipsius fortitudinis. ca. 16. §. 1. 60.b  
 Tempus merendi ultra nouissimum diem non erit: nota ex Apocalypsi auctoritatem expositam. ca. 16. §. 4. 72.b

# Index rerum.

- Tenebræ palpabiles erant in Aegypto, & erant figura tenebrarum inferni. ca. 16. §. 4. 76.a  
 Tenebræ interiores & exteriores damnatorum notantur. ca. 16. §. 4. 75.b  
 Tenebræ quinque notantur, in quibus quinque lucernæ non possunt extingui. ca. 9. §. 2. 34.a  
 Theologicæ tres virtutes mutabuntur in patria. ca. 12. §. 2. 52.a  
 Theologicæ virtutes decorant hominem quoad Deum: nota ordinem & actus ipsorum, & per quas præfigurantur figuræ. c. 16. §. 3. 68.a  
 Terra triplex notatur, & qualibet habet duos senatores. ca. 14. §. 1. 55.b  
 Theristra spiritualia. ca. 20. §. 3. 99.b  
 Testes in iudicio omni exceptione maiores erunt opera nostra: quia hæc sola nobiscum stabunt, & à nobis exierunt: nec totius mundi testimonium in contrarium illis preualeat. ca. 22. §. 2. 103.a  
 Thesauros spirituales qui naui institoris spiritualis adducuntur, nota. ca. 5. §. 1. 21. a & b  
 Timor bonus triplex est, quem semper secum habet sancta fortitudo: est & quartus timor, scilicet seruilis, fortitudinem praecedens: timor verò passio est materia virtutis & virij: tres primi sunt initialis, filialis, & sponsalis. ca. 16. §. 1. 62.a  
 Timor triplex excluditur per virtutem fortitudinis, & quartum, scilicet naturalem, ligat fortitudo ipsa: sunt autem isti tres primi mali, scilicet timor mundanus, humanus, & pusillanimitatis. ca. 16. §. 1. 61.a  
 Timor facit animam laudabilem propter tria. ca. 21. §. 2. 101.a  
 Torques spiritualis. ca. 10. §. 3. 98.d  
 Tribulatio designatur per cingulum: & nota, quod non semper fit à Deo propter peccatum, & qualiter potest dici non æqua ipsa tribulatio immissa à Deo, nunquam tamen dicetur iniqua. ca. 15. §. 2. 59.a

## V

- V**era sponsæ duo sunt, lac duplex parvulus in Christo ministrantia. ca. 1. §. 1. 3.a  
 Vbera matris sponsæ quæ, & quale lac illorum. ca. 2. §. 1. 8.a  
 Venationem fecit Christus, & quod quædam huius mundi venatus est, & non omnia, & quomodo venatur animas. ca. 15. §. 2. 59.b  
 Venatio triplex, scilicet perniciosa, otiosa & bona: & iterum venatio perniciosa triplex, scilicet Lamech, Nemerod, & sydonis: & vnde venit venatio otiosa. ca. 18. §. 1. 80.b  
 Venatio sylvestrium in Esau & Iacob in hœdo quid significant. ca. 1. §. 4. 5.a  
 Veritatem æternam videamus hic quadruplici visione. ca. 9. §. 1. 33.a & b  
 Veritas æterna hauritur in imaginibus vestigi & speculi creaturarum. ca. 19. §. 1. 86.b  
 Vermis conscientiæ damnatos mordebit propter duo, & erit eis pro fruitione quæ in beatis est. ca. 16. §. 3. 74.b  
 Vests octo domesticorum notantur in qua-

- tuor domibus, & sunt numero vestes sedecim. ca. 12. §. 1. 47.b  
 Vestis strigulata quæ significat passionem Christi secundum vnam expositionem, vel nostram mortalitatem secundum aliam significationem, facienda est à nobis tripli-citer, scilicet texendo, incidendo & con-suendo: est autem apta ad sustinendum pro nostra humiliatione. ca. 13. §. 1. 53. b & seq.  
 Vestimentum duplex est: vnum est iustifica-tionis & necessarium, aliud autem decoris quod in virginitate, martyrio & doctrina consistit. ca. 13. §. 2. 53.b  
 Vestem spiritualem sancti sibi faciunt nen-do: & nota quid colus, quid fusus, & di-giti fusum apprehendentes, & qualiter ap-prehenditur. ca. 10. §. 2. 4 a & b  
 Vestimentum fortitudinis aptatur per tria, scilicet forficem, acum & filum. ca. 16. §. 2. 66.b  
 Vestiri debemus fortitudine: nota de omni-bus eius speciebus & decore virtutum aliarum, & qualiter vestimenta ista aptan-tur, & ad quid debeamus vestiri. ca. 16. §. 1. 60. b  
 Virtus capitalia septem notantur cum suis fi-liabus, & alia tria virtus cum suis: quæ omnia certamina fortia ingerunt, quia fortia hæc omnia sunt:mittitur autem manus contra hæc quadrupliciter. ca. 10. §. 1. 37. a & seq.  
 Viduæ quæ verè viduæ sunt, notantur. ca. 4. §. 1. 16.b  
 Vincere quinque debemus per altitudinem roboris, scilicet Deum, regnum eius, dia-bolum, & regnum ipsius, atque proprium animum. ca. 1. §. 2. 3.b  
 Vinea Christi anima nostra est quæ multiplex vinum pro se & proximo habere debet. Nota quod plantari debet ad meridiem in excelsø & pingui loco, quomodo scindi-tur rastro: stercoratur, compluitur, atque putatur, & quæ materia turris & torcular, ca. 7. 29. & 30  
 Vinum multiplex pro anima propria & pro-ximi. ca. 7. §. 1. 29.a & seq.  
 Vinum duplex, scilicet gaadiorum æternorum, & vinum rufum passionis Christi: nota qualiter Iudas ligat ad vineam pul-lum, & pallium lauit in vino, & de vino quod crescit circa viam huius sæculi. c. 19. §. 1. 90.b & seq.  
 Vir quis sit, & quando beatus dicitur. ca. 2. §. 1. 10.a  
 Virgo & fæcunda dicitur anima fidelis, & ha-bet se ad modum virginis matris Christi. ca. 19. §. 2. 96.b  
 Virgines fatuæ habent diuitias, sed tem-po-re magis necessario non habebunt. ca. 20. §. 2. 98.b  
 Virgines squalidæ quæ sint, & quod turpio-res sunt non virginibus. ca. 20. §. 1. 97.b  
 Virtutum exempla à Christo & à diuersis sanctis secundum diuersos gradus colligere debemus: & nota quæ à Patriarchis, Pro-phe-tis, & Apostolis, &c. ca. 4. §. 1. 15.a & b  
 Virtutes theologicæ tres decorant hominem ad

# Index rerum.

- Via dicitur coniungendo eum ipsi diversimodè : nota ordinem, actiones, & per quas figuræ sunt designatae. ca. 16. §. 3. 68. a  
ritutes theologicæ viæ mutantur in alia tria in patria : fides enim in visionem, spes in comprehensionem, & charitatis desiderium in dilectionem perfectam. ca. 12. §. 2.  
§ 2. a.
- Virtutum cardinalium & theologicarum decor figuratus est per sapientiam & domum Salomonis , atque per Martham & Mariam , per Angelos assistentes & ministrantes. ca. 16. §. 3. 68. a
- Virtutes cardinales quatuor sunt spiritualis domus quatuor parietes : & quilibet paries septem habet columnas. ca. 18. §. 1. 84. b
- Virtutes cardinales faciunt decorem : nota quid singulæ faciant & qualiter se in vicem respiciant , & communicant sibi mutuò operationes suas , sicut membra in corpore uno. ca. 16. §. 3. 67. a & seq.
- Virtutes quædam operantur , ita ut iram Dei mereantur propter opus ipsum : nota de lino operato in Aegypto & in Ierusalem. ca. 4. §. 1. 14. b
- Visiones tres notantur. c. 1. §. 5. 7. a
- Visione experimur æternam veritatem, & hoc secundum quadruplicem visionem. ca. 9. §. 1. 33. b
- Vita triplex , scilicet gratiæ , resurrectionis, & æternitatis:nota adiuncta illis vitis quæ sunt tria. ca. 3. §. 2. 13. b
- Vitas duas nota , actiuam scilicet, & contemplatiuam, per duas uxores liberas & ancillas
- earum designatas. ca. 19. §. 1. 85. b & seq.
- Vita actiuæ quoad se & ad alterum qualiter debet haberi:notatur autem per duas manus. ca. 4. §. 2. 13. b & seq.
- Vitulus nouellus cornua producens & vngu-  
las, quis sit. ca. 19. §. 1. 87. b
- Vltimi fines tribus modis dicuntur , scilicet naturæ , animæ , & beatitudinis : subdiui-  
sionem nota. ca. 1. §. 5. 7. a & b
- Voluntas dupli vesti debet vestiri , scilicet charitate & obedientia mandatorum. c. 12.  
§. 2. 51. b
- Voluptas & vanitas mundi faciunt in nobis inæqualem ordinem , & opus Domini ne-  
gligere. ca. 2. §. 2. 11. a
- Vulnerati animæ mundanæ ex duobus solent quæ sunt in muliere. ca. 21. §. 1. 100. a
- Vtile quid sit. ca. 16. §. 2. 86. a
- Z
- Z** Abulon prælatos designat. ca. 19. §. 1. 93. a
- Z** Zelus animarum quid habet facere, nota: & quomodo aliqui dupliciter peccant contra illum , qui tamen videntur habere zelum : nota de Her & Onam. ca. 1. §. 1. 2. a
- Zelus animarum post adoptionem perfectio-  
nis vitæ actiuæ exercendus est : nota, quod huius vitæ perfectio est secundum sum-  
mum & perfectum statum virtutis animi. ca. 19. §. 88. b
- Zelus animarum per Aser significatur , qui benedicitur dupli benedictione : & nota quis habet zelum , habere potest , & cuius vitæ sit actus. ca. 19. §. 1. 92. b



# INDEX

## Locorum sacræ Scripturæ, qui in libro de muliere forti explicantur.

### Genesis.

- CAP. 8. **D** E ramo olinæ quem columba tulit in arcam. 25.a  
14. Abraham percussit quinque reges, &c. 23.b  
21. Qui habitatis terram Austris, cum panibus occurrerite fugientiis. 22.a. & b  
22. Die tertio Abraham vidit procul locum qui dicebatur mons visionis. 7.a  
24. Isaac introduxit Rebeccam in tabernaculum Saræ matris. 12.b  
27. Ecce odor filij mei sicut odor agri pleni. 26.b  
39. Ecce dominus meus omnibus mihi traditis ignorat quid habeat in domo sua, &c. 40.a  
48. Deus in cuius conspectu ambulauerunt patres nostri, &c. 93.b  
49. Zabulon in littore maris habitabit. 21.a  
49. Ruben primogenitus meus, tu fortitudo mea & principium doloris mei, &c. 89.a  
49. Simeon & Levi, fratres, vasa iniquitatis bellantia, &c. 89.b  
49. Iudate laudabunt fratres tui, &c. 90.b

### Exodi.

3. Cum egrediemini ab Ægypto, non exhibitis vacui, &c. 11.a  
3. Percussum Ægyptium abscondit sabulo. 15.a  
20. Dominus Deus tuus, Deus unus est, &c. 81.b  
28. De cingulo Pontificis. 59.a

### Numerorum.

11. Quis dabit nobis ad vescendum, carnes? 38.b

### Deuteronomij.

6. Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, &c. 8.a  
33. De benedictione Domini terra eius, &c. 95.a

### Iosue.

1. Omnem locum quem calcauerie vestigium pedis vestri, vobis tradam. 7.a

### Iudicum.

5. Qui ascenditis super nitentes asinos, & sedetis supra in iudicio, &c. 61.b

14. De Samson auferente 30. sindones viris Ascalonitis. 57.a  
16. Samson fortissimus media nocte consurgens apprehendit ambas portæ fores, &c. 23.a

### Ruth.

2. Colligem spicas quæ fugerint manus metentium. 26.b

### 1. Regum.

18. Spiritus Domini recessit à Saul, &c. 38.a

### 2. Regum.

12. Pauper nihil habebat omnino præter osen unam parvulam, &c. 14.b  
13. David erat quasi tenerrimus vermiculus ligni. 15.a  
16. Apparuit Siba puer Miphibosei in occursum eius, &c. 50.b  
23. De agro pleno lente. 26.b

### 3. Regum.

2. Bersabee venit ad regem Salomonem ut loqueretur pro Adonia. 55.b  
10. De classe Salomonis & Hiram. 21.a. & b  
10. De admiratione Reginae Saba. 68.a  
22. Mittite virum iustum in carcerem, & sustentate eum pane tribulationis, & aqua angustie. 22.a

### Esther.

5. Die tertio induita est Esther regalibus vestimentis, &c. 70.b

### Iob.

3. Qui parati sunt suscitare leuiathan. 3.a  
3. Nunc dormiens siferem, & somno meo requiescerem cum regibus, &c. 83.b  
4. Ecce qui seruunt ei, non sunt stabiles, &c. 47.b  
6. Qui timent pruinam, irruet super eos nix 50.a  
9. Si lotus fuero quasi aquis niuis, &c. 50.a  
9. Nunquid poterit comedи insulsum, quod non est sale conditum? 33.a  
19. Saltem nunc intelligite quia Deus non a quo iudicio afflixerit me, &c. 58.b  
24. Pauit sterilem & quæ non parturit, & viua non benefecit. 9.b  
26. Obstetricante manu eius eductus est coluber tortuosus. 58.a  
27. Non

# Index locorum sacræ Scripturæ.

27. Non adæquabitur ei aurum vel vitrum.  
35.b  
28. Semitam ignorauit anis, nec intuitus est oculos vulturis. 82.b  
29. Gloria mea semper innouabitur, & arcus mens in manu mea instaurabitur. 41.b  
30. Nunc autem in memeti po marcescit anima, &c. 73.b  
33. Si fuerit pro eo Angelus loquens unus de millibus, &c. 4.b  
39. Vbi audierit buccinam, dicit Vah, procul odoratur bellum, &c. 37.a  
42. Sternutatio eius splendor ignis, & oculi eius ut palpebra diluculi. 77.a  
41. Corpus eius quasi scuta fusilia, &c. 75.b

## Psalmorum.

4. A fructu frumenti, vini & olei sui multiplicati sunt. 29.b  
51. Ego sicut olina fructifera in domo Dei mei semper. 24.b  
59. Potasti nos vino compunctionis. 29.a  
88. Manus mea auxiliabitur ei, &c. 32.a  
109. Tu es sacerdos in eternum secundum ordinem Melchisedech. 12.a  
131. Sicut vnguentum in capite, &c. 71.b  
147. Qui dat ninem sicut lanam, &c. 49.a

## Prouerbiorum.

1. Quia vocavi, & renuiisti, &c. 71.a  
11. Circulus aureus in naribus suis, &c. 97.b

## Ecclesiastici.

24. Qui audit me, non confundetur. 78.b  
24. Doctrinam quasi antelucanum effundam. 6.b  
42. Frigidus ventus aquilo fluit, & gelavit crystallus ab aqua. 48.b  
43. Tempestas Aquilonis, & congregatio spiritus, &c. 49.b

## Canticorum.

1. Lectulus noster floridus, &c. 9.a  
3. In lectulo meo per noctes quæsumi quem diligat anima mea. 5.b  
4. Sicut turris David collum tuum. 10.b  
5. Manus illius tornatiles, aureæ, plena hyacinthis. 28.a  
5. Pessulum ostij mei aperti dilecto meo. 13.b  
5. Comedi fauum cum melle meo. 29.b  
7. Iunctura femorum tuorum sicut monilia qua fabricata sunt manu artificis. 2.a  
8. Apprehendam te, & ducam in domum matris meæ. 3.b  
8. Aqua multæ non poterunt extinguere charitatem. 35.a

## Sapientiæ.

5. Accipiet armaturam zelus Dei, &c. 76.a  
14. Exiguo ligno credunt homines animas suas. 19.b

## Iсаіæ.

1. Restituas indices tuos ut fuerunt prius, &c. 56.a

1. Kalendas vestras & solemnitates vestras odinuit anima mea. 86.a  
1. Si fuerint peccata vestra ut coccinum, quasi nix dealbabuntur. 50.a  
3. Dominus ad iudicium veniet cum senatoribus populi sui. 56.a  
4. Apprehendent septem mulieres virum unum. 24.a  
6. Vidi Dominum super solium excelsum & elevatum, &c. 15.b  
6. Volavit ad me unus de Seraphin, &c. 79.b  
8. Voca nomen eius, Acceleras, spolia detrahe, festina pradari, &c. 23.b  
9. Vestimentum mixtum sanguine erit in combustionem, & cibus ignis. 51.b  
14. Proiectus es de sepulchro tuo sicut stirps inutilis, &c. 74.a  
19. Confundentur qui operabantur linum. 14.b  
22. Dabo clauem domus David super humerum eius. 32.a  
30. Preparata est ab heri Tophet, &c. 75.b  
40. Qui sperant in Domino, mutabunt fortitudinem. 3.b

## Ieremiæ.

2. Ab Aegypto confunderis, sicut confusa es ab Assur, &c. 64.b  
2. Obstupescite cœli, &c. 5.b, item 102.b  
11. Oliuam uberem, pulchram, fructiferam, speciosam, vocavit Dominus nomen tuum: 26.a  
17. Perdix fuit quæ non peperit, &c. 98.b  
27. Fac tibi vincula & catenas, &c. 77.b

## Ezechieli.

28. De casu diaboli. 37.b  
32. Descenderunt in infernum cum armis suis, &c. 74.b

## Danielis.

7. Throni positi sunt, & antiquus dierum sedi, &c. 75.b

## Oseæ.

2. Ego sepiam viam tuam spinis. 10.a  
6. Viruificabit nos post duos dies, in die tertia susciabit nos. 13.b

## Ioëlis.

2. Sol & Luna obtendebati sunt, &c. 35.a

## Amos.

4. Iurauit Dominus Deus in sancto suo, &c. 73.b

## Michæx.

6. Popule meus quid feci tibi, aut quid molestus fui tibi? &c. 82.b

## Zachariæ.

3. Ostendit mihi Dominus sacerdotem magnum, &c. 41.a


4. Ecce


# Index locorum Sacræ Scripturæ.

4. Ecce candelabrum aureum totum , &c. 26.a	non comprehendenterunt. 34.b
Malachiæ.	20. Dum fleret Maria , inclinavit se , & prospexit in monumentum , &c. 42.b
1. Maledictus & dolosus qui habet in suo grege masculum , & votum faciens immolat Deo debile. 27.a	A&tuum.
2. Machabæorum.	27. Euroaenilo ventus mixtus est. 20.b
5. De Appollonij astutia. 63.a	Ad Romanos.
Matthæi.	11. Tu autem cum oleaster es , insertus es in bonam olinam. 25.a
15. De muliere Chananea Christum orante pro filia. 59.b. & 60.a	2. ad Corinthios.
19. Ecce nos reliquimus omnia , &c. 82.a	5. Siue mente excedimus Deo siue sobrij sumus vobis. 2.b
27. Acceperunt triginta argenteos , pretium appetiati. 7.b	Ad Ephesios.
Lucæ.	2. Iam non estis hospites & aduene, &c. 51.a
6. Mensuram bonam , & confortam , & coagitatam & supereffluentem dabunt in sinum vestrum. 71.b	Apocalypsis.
10. Intravit Iesus in quoddam castellum , &c. 83.a	2. Vincenti dabo manna absconditum , &c. 69.a
15. De muliere habenti decem drachmas. 34.a	10. Angelus quem vidistantem supra mare & supra terram , leuauit manum suam ad cælum , &c. 72.b
Ioannis.	18. Et sustulit unus Angelus fortis lapidens magnum quasi molarem , & misit in mare , &c. 74.a
1. Lux in tenebris lucet , & tenebra eam	


F I N I S.











2.118